This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX JVCE /
Digitized by Google

BP 431.1.2




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Robert Troup Paine
to Harvard College

# NOVA ACTA ERUDITORUM, ANNO MDCCXLVII publicata.

*LIPSIÆ,*

Proſtant apud B. LANCKISII hæredes, & MICH. BLOCHBERGERUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM officina.

LITERIS LANGENHEMIANIS,

MDCCXLVII.

149M5
#65

Digitized by Google

BP 431.12

1879, April 9.
Paine bequest.

Digitized by Google

# Lectori Salutem!

Qui a longo inde annorum plus quam ſexaginta ſpatio nullis nec curis, nec ſumtibus, pepercimus, ut aliquid & decoris, & incrementi, per nos literis daretur, jucundiſſimam hanc omni tempore laborum noſtrorum quaſi mercedem habuimus, quod te vidimus, amice Lector, non ſolum favere noſtris ſtudiis, ſed ita etiam favere, ut eo nomine vix ullius unquam ſcriptoris major eſſe felicitas potuerit. Nam, ſi quod publici favoris præbere argumentum poteſt primum frequentia lectorum, deinde eorum, qui aliena omnia vituperare ſolent, ſatis honorificum judicium, denique bonorum omnium in amorem ſtudiumque noſtri conſtans ac perpetua conſenſio, videmur hinc exiſtimare recte poſſe, res noſtras optimo cuique non olim tantum fuiſſe, ſed nunc etiam eſſe, commendatiſſimas. Qua quidem ſorte magisne ex noſtro merito, quam ex caſu aliquo fortuito, utamur, etſi nobis definire haud ſatis certo liceat, qui, quantum in tali etiam re valeat fortuna, bene novimus; tamen, exoptatiſſimum nobis, quicquid eſt hujus boni, accidere, & ita nos eodem, ſicut vix re ulla alia, gaudere, minime diſſimulamus. Nec nunc ſuaviſſima hæc noſtra otia turbari quidquam patimur ab illo, quisquis eſt, non ſane amico nobis homine, qui nuper in Diario, ceteroqui bono, & laude ſua digno, Bibliotheque raiſonnée inſcripto, docere lectores ſuos non erubuit, famam Actorum noſtrorum nunc quidem in Belgio eſſe nullam, nec facile lectorem haec invenire, ſed contemni publice, & in rerum inutilium numerum referri. Quibus cum telis nos peti eo in loco, quo nemo facile exſpectaverat lectorum, nec ſe ulla, ita nobis obtrectandi, materia offerebat, intelligeremus, ea res, ut fere fit, primum nos movit aliquantulum, ſubiitque animum, non indignatio, non de his injuriis expoſtulandi ſtudium, non has ulciſcendi, & viciſſim maledicendi, cupiditas, ſed juſtus quidam ac honeſtus dolor, quod, ita a viris doctis, & alioqui ſatis moderatis, de rebus noſtris contemtim judicari, haud parum habere ponderis in animis lectorum poſſet, &, qui officiorum nulli genti magis, quam Belgis, præſtitorum nobis conſcii eſſemus, minime omnium ab his debere excipi tam manifeſtis & indignis probris videremur. Minus autem eam rem periculi, quam malitiæ & improbitatis, habuiſſe, nec ullam nobis dolendi cauſam fuiſſe, brevi poſt apparuit, cum ex literis amicorum Amſtelodamenſium cognoſceremus, non illius Autoribus Diarii, quos eſſe viros bonos & amantiſſimos æquitatis conſtet, ſed Joanni Wetſtenio, typographo & librorum mercatori, viro, ut ſolet illud genus hominum, docto ſcilicet, & humano, & polito, cui in more hoc ſit poſitum, ut, nemine veniam rogato, alienæ purpuræ ſuas lacinias aſſuendi licentiam ſibi ſumat, &, hoc quaſi clypeo tectus, in optimi cujusque famam impune incurrat, illa,

Digitized by Google

ſelingius, *Vir Celeberrimus, &, ſive famæ, ſive merita, ſpectentur, talis prorſus, cui uni ſe Muſa noſtra libentiſſime ſubmittat, oportune nobis reſcripſit, ſalvam eſſe integramque inter Belgas exiſtimationem noſtram; his non minori nunc, quam olim, cum voluptate legi* Acta *noſtra; his & induſtriam noſtram, & judicandi æquitatem, laudari; his, ne quid unquam ſiniſtri eveniat* Actis *noſtris, vehementer optari; ſi quis autem in illa gente terræ filius aut ipſe hæc non legat, aut aliis nolit legi, ſi quis male nobis cupiat, & interitum noſtrum meditetur, non alias hunc odii ſui habere cauſas, quam habere malus quisque, cur oderit bonos, ſoleat. Hæc, qualiacunque ſunt, mirifice erexerunt animum noſtrum, jamque rem omnem accurate cogitantes, &, quantum ab aliquo inde tempore a* Wetſtenio *ſuſtinendum nobis injuriarum fuerit, memoria repetentes, artificium hominis ſenſimus, qui, re nulla melius hoc poſſe perfici, ut de manibus lectorum excuterentur* Acta *noſtra, quam ſi, tali genti, qualis Batavorum eſt, ſordere noſtra ſtudia, notum omnibus fieret, ſibi callide perſuaſit. Nimirum, ne ipſum, Lector, hujus mendacii, quo inveniri turpius non poteſt, fontem neſcias, meminiſſe te jubemus Luciani, ante hos ſeptem fere annos* Hemſterhuſii & Reitzii, *Virorum doctiſſimorum, curis, ſed ſumtibus* Wetſtenianis, *editi. De quo libro cum olim in his* Actis *diceremus, fieri non potuit, quin leviora nonnulla, & quæ nihil officere dignitati operis poſſent, miniata cerula a nobis notarentur, & laudibus, quas in opus univerſum liberaliter congeſſimus, monitorum aliquid non inutilium adjiceretur. Itaque, cum pauciores poſtea, quam e re ſua* Wetſtenius *duceret, liber iſte emtores inveniret, ejus rei ille culpam in nos unos conjecit, quam verius tribuere ipſe ſibi poterat, majori, quam multorum ex Græcæ linguæ ſtudioſis fortunæ patiuntur, antiquo Deorum contemtori a ſe pretio ſtatuto. Ab illo tempore capitalem hoſtem habuimus* Wetſtenium, *nec ſatis ei fuit, importunis literis, quales vix de infima fæce hominum aliquis ſcriberet, nos vexare, ſed, cum videret, nullo modo impetrari a nobis poſſe, ut, aliam nunc nobis, ac olim, de ſuo Luciano ſedere ſententiam, iisdem in* Actis *profiteremur, eo etiam temeritatis proceſſit, ut, legi nunc cuiquam civium ſuorum* Acta *hæc, negaret, quæ, niſi lectores, quam ipſe vellet, multo plures invenirent, vix tantam unquam viri ceteroqui non mali, ſed erga æque bonos iniquiſſime ſe gerentis, in ſe iram concitaſſent. Hæc ſcire tua intererat, Lector, ut de acta a* Wetſtenio *fabula certior factus, deliberare jam poſſis, ſitne nobis, quibus poſt tot annorum ſtipendia contemtus typographi pro præmio recte actorum eſt, an* Wetſtenio, *malam cauſam per mendacia pejorem facienti, idque ſuæ famæ additum judicanti, quod detractum alienæ fuerit, magis favendum. Nos, qui ita contemni a malis, ſicut amari a bonis, cupimus, ſi ita fuerit in fatis noſtris, ut qualiscunque noſter labor expoſitus eſſe telis invidorum debeat, tales nobis, optamus, qualis eſt* Wetſtenius, *omni tempore inimici contingant, quippe, quo minus ad obtrectandum juſtæ cauſæ habituri, hoc plus*

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXLVII.

ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΚΗΣ ΤΑ σωζόμενα. *DIODORI SICULI Bibliothecæ hiſtoricæ Libri, qui ſuperſunt, interprete LAUR. RHODOMANO. Ad fidem MSS. recenſuit PETRUS WESSELINGIUS, atque HENR. STEPHANI, LAUR. RHODOMANI, FULVII URSINI, HENR. VALESII, JAC. PALMERII, & ſuas, Annotationes, cum Indicibus locupletiſſimis, adjecit.*

*Volumina II.*

Amſtelodami, apud Jo. Wetſtenium, 1745, fol. maj. Tom. I Alph. 8 plag. 12, Tom. II Alph. 8 plag. 11.

Cum Virorum doctiſſimorum, *Joſephi Waſſii*, *Franc. Dionyſ. Camuſati*, & *Terraſſoni*, conſilia emendatius edendi *Diodori* ſive mors, ſive aliæ res, deſtituerint; bene fecit *P. Weſſelingius*, Vir Celeberrimus, cum, ſive imponi ſibi, paſſus eſt, ſive ipſe ſuſcepit, hanc provinciam, ut illius ſcriptoris reliquias & ad fidem ſcriptorum librorum emendaret, & elegantis eruditionis ſuæ lumine perfunderet. Ea etſi, tum propter operis magnitudinem, tum propter corruptelarum multitudinem, ita gravis & difficilis reperiebatur, ut eam forte



Digitized by Google

quivis alius abjeciſſet; tamen ille omnes moleſtias patientiſſime pertulit, donec abſolutum opus & perfectum eſſet. Sed, relictis omnibus, Codicum MStorum ſubſidia cœpit conquirere; quæ ei egregia contigerunt. In quo inprimis prædicat notam illam *Jac. Phil. Dorvillii*, V. C. liberalitatem & facilitatem, qui ei non modo *Camuſatianum* Variarum Lectionum, e Codicibus MStis in Gallia excerptarum, apparatum conceſſit, ſed eum etiam in indagandis Codicibus MStis adjuvit. *Camuſati* autem excerpta ſunt ex uno *Coisliniano*, Seculi XV Codice, priores quinque & XI, XII, XIII, XIV, XV, Libros complexo, omnium, quos vidit *Montfauconius*, optimo, e tribus *Claromontanis*, & uno *Regio*. Duo *Claromontani* Libros V priores habent, & in plerisque conſentiunt. Tertius XI, XII, XIII, XIV, XV, Regius denique XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, exhibet. *Claromontano* primo, qui Seculo XII ſcriptus eſſe creditur, uſus eſt *Henr. Stephanus*. Horum Codicum varietati accedit alia e Codice Mutinenſi, non illo quidem antiquo, ſed ex optimo Codice, a *Michaele Apoſtolio*, in inſula Creta, deſcripto; item e Leidenſi Bibliotheca varietas antiqui Codicis, a *Caſaubono*, ut credunt, ad Baſileenſis editionis *Librum XVIII* & *XIX* notata, cum *Joſ. Scaligeri* & *Iſ. Voſſii* nonnullis conjecturis. Adſcriptæ etiam erant quædam *Camuſati* notæ, ſed paucæ, nec magni pretii. Ipſe autem *Weſſelingius* varias lectiones impetravit, primum e quatuor Regiæ Pariſienſis Bibliothecæ Codicibus; quorum primus Libros V priores, alter XI, XII, XIII, XIV, XV, tertius eoſdem cum XVI, XVII, quartus denique quinque poſtremos, exhibet; deinde e *Vaticano* ſexcentorum, & alio quingentorum, annorum libro, qui quinque priores Libros continet, aliisque duobus trium Seculorum Libris, quorum alter XI - XV, alter XVI - XX, complectitur; porro e Venetis, primo *D. Marci* membranaceo Codice poſterioris Decadis, cujus priores V Libri antiqua manu ſcripti ſunt, ſecundo *Dominicanorum S. Joannis & Pauli*, qui quinque priores Libros, Seculo XV ſcriptos, repræſentat. E Florentinis etiam Codicibus Varias Lectiones pollicitus eſt *A. Cocchius*, V. C. earumque ſpecimen miſit; ſed bibliopolæ, facillimo

alias

Digitized by Google

alias in hujus generis ſumtus, nimis ſumtuoſum videbatur. Accepit etiam ſpecimen e Codice omnium optimo & antiquiſſimo Seculi VIII, aut IX, Vindobonenſi, olim Neapolitano, manu *Garellii* ſcriptum, cum ſpe totius varietatis, (continet autem *V Libros* primos,) ſed ea vana fuit. Ex quibus intelligitur, quanto pluribus ac melioribus Codicum ſubſidiis inſtructus, ad *Diodorum* edendum acceſſerit, quam ſuperiores editores. Nam *Vinc. Opſopœus*, qui initium edendi *Diodori* fecit, ex uno Codice quinque tantum ultimos Libros dedit, non emendatiſſimos. *Henricus* autem *Stephanus*, qui, præter illos quinque, etiam ceteros edidit, MStis *Claromontanis* uſus eſt, non optimis; conſultis tamen etiam aliis, in quibus *Fuggerianum* fuiſſe tradit, incertum, an vere, *Fabricius*. *Rhodomanus* denique nullis ſcriptis libris uſus eſt. Ceterum, quantum ei Codices profuerint ad emendandum *Diodorum*, quantumque emendatior factus ſit contextus Græcus, mox exemplis propoſitis docebimus. Hic univerſe tantum dicemus, nos, in ſolis prioribus quinque Libris, ultra 300 lectiones novas & meliores, e Codicibus MStis, recte atque ordine, inductas numeraſſe; & poterat augere numerum, niſi maluiſſet in eam partem, quæ tutior eſt, peccare. Atque etiam integrior eſt *Diodorus*, quam a *Stephano* & *Rhodomano* datus eſt. Nam primo acceſſere Legationum Eclogæ *Urſinianæ*, a *Rhodomano*, incertum, qua de cauſa, omiſſæ; tum inſigne *Fragmentum* de *Cleonide* & *Ariſtomene*, a *Stephano*, ignaro, *Diodori* eſſe, inter *Himerii* & *Polemonis* Declamationes Pariſiis A. 1567 editum, & *Diodoro*, Codicis Medicei autoritate, aſſertum ab *Iſ. Voſſio*, & ante illuſtratum a *Boivinio Tom. III Comment. Acad. Inſcr. pag. 106.* Porro *Valeſiana de Vitiis & Virtutibus* excerpta. Denique Fragmenta alia, hinc inde conquiſita ipſius V. C. ſtudio, in quibus eſt etiam ῥῆσις nobilis de *Æmilio Paulo*, & formula provinciæ Macedonicæ, ab eo cum decem legatis ſcripta. Is locus, e *Syncello* depromtus, vulgo *Dexippo* tribuitur. Sed V. C. ſive a *Dexippo*, ſive a *Syncello*, e *Diodoro* petitum inde judicat, quod ex *Peireſcii Excerptis Diod.* (*pag. 581*) patet, primam illius ῥήσεως

Tom. II pag. 637.

Tom. II pag. 642.



Digitized by Google

partem inde abraſam eſſe. Nam verba fere eadem ſunt, & non niſi ſtructura ſubinde mutata. Caput quidem illud, de Macedonia in quatuor regiones deſcripta, eſt manifeſte e *Polybio* petitum. Conf. *Liv. XCV, 29.* Cum eum autem *Diodorus* compilaverit, quis non intelligit, eum locum *Diodori* eſſe? Accedit, quod *Suidas*, in Voc. Κλιμακας, quædam *Diodori* habet, quæ in hac ῥήσει deprehenduntur. Ceterum ad eum locum retulit notas *Schurtzfleiſchii* in *Notit.Bibl.Vinar.pag.70.* E MStis plura conquirendi ſtudium non defuit Viro Clariſſimo, ſed ſpes & opera fruſtra fuit. Atque, omnibus veteris ævi reliquiis tam diligenter a doctis hominibus, tamque ſæpe, excuſſis, cum nil repertum ſit, quo lacunæ *Diodoreæ* explerentur, nihil ſpei relictum eſſe videtur.

Quod ad verſionem Latinam attinet, uſus eſt V. C. *Rhodomaniana*, haud paulo meliori ea, quæ a *Grynæo* Baſileæ edita eſt. Nam hæc quidem plures Autores habet: quippe primorum quinque Librorum eſt *Poggii Bracciolini*, quicquid Britanni quidam dixerint, ut eam, ipſi abjudicatam, *Jo. Phreæ*, Britanno, vindicarent; XI - XIV Autoris incerti, *Marci Hopperi*, Baſileenſis; XVI, XVII, *Angeli*, ſicut aliis placet, *Bartholomai*, *Coſpi*, Bononienſis; reliquorum *Sebaſt. Caſtellionis.* Ceterum *Weſſelingius Rhodomanianam* verſionem ad novas lectiones accommodavit; iisque in locis, ubi non ſatis accurate Græca exprimebat, emendavit. In quo tamen aliquid videmur vel inconſtantiæ, vel condonandæ, in tanto tamque longo labore, negligentiæ, obſervaſſe. Sic *Tom. I pag. 139 Rhodomanus* ὅρων male verterat *montes.* *Weſſelingius* recte reſcripſit *fines*, & ſic pluribus locis fecit. Sed *pag. 122*, ubi ψαλὶς verſa erat *forfex*, quod eſſe debebat *fornix*, *forfex* relicta eſt. Atqui id erat in *Rhodomaniana* editione vitium operarum. Nam, in indice Græco *Rhodomaniano*, ψαλίδος καμφθείσης vertitur, *fornicem incurvatum*, id eſt, *fornicis arcum.* Item *pag. 313* παῖδες ποταμῶν ἐπώνυμοι a *Rhodomano* vertuntur, *filii fluviorum nominibus inſignes*, id eſſe debebat, ut V. C. recte vidit, *filii, qui fluviis nomina fecerunt.* Atque *Rhodomanus* ipſe in Indice vertit, *a quibus fluvii*

*fluvii nomina acceperunt;* & tamen prior illa vitioſa interpretatio relicta eſt. Sed hæc æqui Lectores Viro Celeberrimo condonabunt, neque ab talibus ulli ſatis cautum eſt.

Veniamus ad Notas. Eæ ſunt, ut primum univerſe de iis dicamus, plane egregiæ, & bonæ frugis pleniſſimæ; neque ſiccæ, neque nimis verboſæ; ita autem diligenter ſcriptæ, ut nihil prætermiſſum ſit, in quo quis hærere poſſit, aut quod luce aliqua indigeat. Emendati contextus diligenter ratio redditur. Neque ſolum emendationes e Codicibus rite ductæ proponuntur, ſed etiam ab ingenio V. C. profectæ, in quibus ſunt quædam plane capitales, eæque interdum recte receptæ in contextum. Atque adeo plures earum recipiendæ erant, ut exemplis quibusdam poſtea docebimus. Sed V. C. *maluit* intra modum in hoc genere conſiſtere, quam ultra fines proceſſiſſe nonnullis, nimis in hac parte religioſis, videri. Atque etiam obiter aliorum ſcriptorum corruptelæ paſſim feliciter ſublatæ ſunt. Græca verba & dicendi formæ non ubivis obviæ, quantum ſatis eſt, illuſtrantur: in eoque etiam mediocriter Græce doctis interdum conſultum eſt, iisque, quibus longum videtur, Lexica adire, & lectionis tenorem interrumpere. Vid. v. c. *pag. 345* de verbo κωθωνιστήριον, *pag. 348* de verbo τέθριππος, *pag. 359* de verbo ῥαβδὸς, &c. Tum res breviter, ſed eleganter, explicantur, adſperſis paſſim exquiſitis obſervationibus, hiſtoriam & antiquitatem, tum ſacram, tum profanam, illuſtrantibus. Inprimis admirabilis diligentia & prope infinita lectionis copia animadvertitur in rebus geographicis & mythologicis, in quibus nihil eſt, neque tam parvum, neque tam magnum, quod ejus ſcientiam fugiat; unde obſervationes natæ ſunt, quæ mediocriter intelligentibus harum literarum minutæ & ſpinoſæ videantur, ſed ita reconditæ ac raræ in hoc genere lectionis, ut vix ab ullo alio exſpectandæ videantur.

Nunc, quoniam formam Operis Notarumque univerſam deſcripſimus, diligentius de Notis dicemus. In quo hunc nobis ordinem deſcripſimus, ut primum ſpecimina proponeremus emendationum, quæ in hoc genere literarum haud dubie



Digitized by Google

hie principatum tenent, neque ſolum ad *Diodorum* pertinentium, ſed etiam alios ſcriptores Græcos adjuvantium; deinde vero animadverſionum earum, quibus vel rebus, vel verbis, lux affunditur. Ceterum, ne nimis longi ſimus, quinque priorum Librorum finibus nos continebimus.

Et, quod ad emendationes quidem attinet, non exiſtimamus lectores noſtros exſpectaturos a nobis eſſe, ut eas, quæ bonorum Codicum, ut *Coisliniani*, *Mutinenſis*, *Vaticani*, *Vindobonenſis*, vel ſingulorum autoritate, vel conſenſu, factæ ſunt, commemoremus. Eſſet enim infinitus labor: quippe, uti diximus, plus quam trecenti loci ita ſanati ſunt. Sed nos proferemus eas, quibus cognoſcendis ingenium ſimul Viri & doctrina intelligatur. Atque, etiamſi non omnes ſunt ejusmodi, ut nobis plane probentur, tamen & illæ ipſæ, in quibus dubitatio noſtra adhæſit, non indignæ reperientur Viro docto. *Lib. I pag. 32* in nobili inſcriptione columnæ *Iſidis* hæc vulgo, inter alia, verba ſunt: *εἰμὶ δὲ υἱὸς κρόνου πρεσβύτατος, καὶ βλαςὸς ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς, σώου σπέρματος, συγγενὴς ἐγεννήθην ἡμέρας.* Hoc quid ſit, nemo adhuc potuit divinare. Ac pro *βλαςὸς* jam *Stephanus* e *Claromontano* notaverat *ἔβλαςον*: pro quo in *Vaticano* eſt *ἔυλαςον*, ſolenni librariorum peccato, ut docuit ad *Athenæum Caſaubonus*. *XII, 11.* Eo ſumto, in textu, unius literæ mutatione, legit: *ἔβλαςον ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς ὠοῦ*: denique, pro *σπέρματος συγγενὴς* e *Codice Vaticano* & *Claromontano 2*, *σπέρμα συγγενές*. Itaque locus ſic egregie conſtituitur: *καὶ ἔβλαςον ἐκ καλοῦ τε καὶ εὐγενοῦς ὠοῦ, σπέρμα συγγενὲς ἐγεννήθην ἡμέρας.* Comparatur deinde cum ſimillimo *Ariſtophanis* in *Avibus* loco *v. 695*: *Τίκτει πρώτιςον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν. Ἐξ οὗ, περιτελλομέναις ὥραις, ἔβλαςον ἔρως ὁ πεθεινός.* Ægyptiorum plures rerum principem cauſam dicebant *Cneph*, ejusque ex ore prodiiſſe ovum, quod ruptum effuderit *τὸν Φθᾶ*, ſeu *Vulcanum*, teſte *Porphyrio* apud *Euſebium P. E. III, 11.* alii *Oſirin* ex eo ovo natum dicebant; quos ſecutus eſt *Orpheus*, cujus *πρωτόγονον ὠὸν* cum frangeretur, *Phanetem* excluſit, qui non alius atque *Oſiris*, in *Recogn. S. Clement. X, 18*, &c. Jam, cum, *Pha-*

*nete*

*nete* ex ovo proſiliente, univerſa radii ejus illuſtrarentur, neque is alius ſit in Theologia *Orphica*, autore *Proclo*, quam *ἔρως*, ſive Cupido, ſatis utique apparet, cur *Oſiris* in hac inſcriptione ſe *σπέρμα συγγενὲς ἡμέρας* vocet, & quorſum illud *Ariſtophanis* pertineat. *Pag. 36 ext. Diodorus*, de frequentia incolarum Ægypti agens, cum olim numeratas eſſe dixiſſet ad ſeptingentas myriadas, ſuo etiamnum tempore non minus trecentis dicit eſſe: *καὶ καθ' ὑμᾶς δὲ ἐκ ἐλάττες εἶναι τριακοσίων*. Contra hanc lectionem dubitatio exoritur, primum inde, quod a *Stephano*, velut dubia, aſteriſco notata eſt: qui indicare videtur, verbum *τριακοσίων* in uno & item altero Codice non repertum fuiſſe, quod tamen omnes *Weſſelingiani* ſervant. Major & juſtior a V. C. commovetur e *Joſepho*, qui *B. J. XVI, 4*, ſua adhuc ætate fuiſſe in Ægypto, non numeratis Alexandrinis, ſeptingentas myriadas, dicit. Ex quo recte colligit V. C. verbum *τριακοσίων* ſpurium, ejiciendumque eſſe. Similem prope medicinam adhibet loco vexatiſſimo *Lib. I Cap. 44* de Chronologia Ægyptiorum: *ὑπ' ἀνθρώπων τὴν χώραν βεβασιλεῦσθαι φασὶν ἀπὸ μυριάδος ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν πεντακισχιλίων, μέχρι τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὀγδοηκοστῆς* Ολυμπιάδος: ubi, rejecta *Capelli* & *Perizonii* in *Orig. Ægypt. Cap. 11* interpretatione, denique lectione Codicum quorundam, qui habent *ἀπὸ* Μοίριδος, aut Μύριδος, quod inter eum & Olymp. CLXXX non poſſunt, ex ipſius *Diodori* rationibus *Cap. 45, 50, 52*, quinque millia annorum intereſſe, ſtatuit *ἀπὸ μυριάδος* delendum, aut, ſi hoc violentius videatur, legendum eſſe *ἀπὸ* Μηνᾶ, *a Mena uſque*, primo ex hominibus Rege; quod nobis magis placet. Sane illud manifeſtum eſt, ſi hæc verba corrupta potius, quam inſititia, ſunt, terminum *a quo* deſignari, ſicut *Cap. 26*: *τὸν χρόνον ἀπὸ τῆς ἡλίε βασιλείας συλλογιζόμενοι μέχρι τῆς* Αλεξάνδρε *διαβάσεως εἰς* Ασίαν &c. Atqui is terminus, e contextu, nullus alius eſſe poteſt, niſi initium regni, per homines adminiſtrati. Id autem, conſentiunt omnes, eſſe in *Mena*. Corruptelam autem parere potuerunt voces temporis *μυρίων* in antecedentibus, & *ολυμπιάδος* in ſequentibus. *Pag. 58* in verbis, *καθ' ὃν δὴ (περίπατον) γλυφαῖς* Pag. 53.

φαῖς ἐντυχεῖν εἶναι καὶ χρώμασιν ἐπηνθισμένον βασιλέα &c. haud dubie corruptum eſt verbum ἐντυχεῖν. Pro eo ſuſpicatur V. C. legendum γλυφαῖς εὐτύκοις (non εὐτύκοις, ut operæ vitioſe expreſſerunt,) ſi εὔτυκος, de *Caſauboni* ad *Athenæum XIV, 8,* ſententia, de re affabre facta dicatur, aut, ut *Rhodomano* placuit, εὐτύκτοις. Sed, ſi vel maxime damus, hæc verba ita dici, tamen ea non videntur ſatis apta eſſe. Nam γλυφαὶ hoc loco ſunt *ſculpturæ*, quibus ſimulacrum Regis, ita ut *picturis*, ornatum eſt. Jam, ipſum ſimulacrum affabre factum εὔτυκον dici poſſe, concedimus, ut apud *Callimachum* ſignum *Palladis* εὔτυκος ἕρπει: ſculpturam ipſam non credimus. Nobis aliquando venit in mentem, legendum ἐντυχοῦσιν εἶναι, quod commodum habet ſenſum: *eo venientibus licet videre.* Neque ratio hæc abhorret a *Diodoreo* ſtilo. Nam ſimiliter paulo poſt: ἣν (ἀνάβασιν) διελθοῦσιν ὑπάρχειν ἐπὶ τοῦ μνήματος κύκλον χρυσοῦν. Vides, quod hic eſt διελθοῦσιν ὑπάρχειν, id ſupra eſſe ἐντυχοῦσιν εἶναι. Sic etiam *Virgilius Æn. II, 713: Eſt urbe egreſſis tumulus* &c. Atque hæc conjectura, quo magis cogitamus, eo certior nobis videtur, ſperamusque Viro Cel. non diſpliciturам; cujus eam judicio libenter ſubmittimus. *Pag. 82 extr.* mortuis Regibus dicitur e lege προτεθεῖσθαι ἀκροατήριον τῶν ἐν τῷ βίῳ πραχθέντων. Ibi Vir. Cel. ex ora *Stephani* & Codicibus duobus reſtituit κριτήριον: quæ lectio nunc, cum Codicum auctoritate ſtabiliatur, recte recepta videtur. Olim quidem putabamus, ἀκροατήριον hic, ex uſu quodam illorum temporum, poſitum eſſe pro κριτηρίου, ſeu conventu judicantium, accuſantium, &, quid agatur, ſcire & audire cupientium. Nam ſic putabamus dici a *S. Luca Act. XXV, 23,* ubi *Feſtus* cum *Agrippa, Berenice,* tribunis & viris illuſtribus, *Pauli* audiendi cauſa ingreditur εἰς τὸ ἀκροατήριον: quo nomine haud dubie intelligitur tribunal *Feſti* & conventus tribunali, ſeu ad tribunal, talis, qualem diximus, qui etiam Latinis *auditorium* dicitur. Vid. *Perizonius de Præt. pag. 32 ſeq.* Sed in ſententia V. C. nunc acquieſcimus, præſertim propter verba τῶν ἐν τῷ βίῳ πραχθέντων. *Pag. 87* autem *med.* quod τοὺς ἀγωνιζομένους ἐν τῷ κρίνειν poſt *Scaligerum* & *Iſ. Voſſium* non ſatis probat, quod non oratores, qui ἀγωνιζόμενοι Græ-

cis

cis dicuntur, ſed δικασταὶ, intelligantur, quanquam ſibi non ſatis liquere ait, an judices etiam ſic dici poſſint, pro eoque reſcribi poſſe e Codicibus *Coisliniano* & *Mutinenſi* ἐπαινουμένους ἐν τῷ κρίνειν, in eo fatemur nos diſſentire a Viro Cel. Ἐπαινουμένους eſt interpretatio vulgati. Ἐγγυμναζόμενοι ἐν τῷ κρίνειν ſunt *homines in rebus judicandis exercitati & periti*; de quo hoc minus dubitare debebat Vir Cel. cum ipſe oſtenderit in his Notis, alio loco, ἀθλητὰς Græcis dici, qui in quocunque genere exer- Pag. 63.
citati & periti ſint. Contra magnopere laudamus & probamus, quod *pag. 95* in verbis: καὶ καθ' ἡμᾶς τινὲς τῶν τὰ ζῶα ταῦτα τρεφόντων, εἰς τὰς τροφὰς αὐτῶν οὐκ ἔλαττον τῶν ἑκατὸν ταλάντων δεδαπανήκασιν, pro τροφὰς in textum e *Coisliniano* Codice recepit ταφὰς, quod contextus ita manifeſte requirit, ut ea correctio plane neceſſaria ſit. *Lib. II pag. 143* de Chaldæorum placitis agens, inprimis magnam eos vim tribuere planetis dicit, οὓς ἐκεῖνοι μὲν ἑρμηνεῖς ὀνομάζουσιν, ἰδίᾳ δὲ τὸν νῦν ὑπὸ τῶν ἑλλήνων Κρόνον ὀνομαζόμενον, ἐπιφανέστατον δὲ καὶ πλεῖστα καὶ μέγιστα προσημαίνοντα, καλοῦσιν ἥλιον, τοὺς δ' ἄλλους τέσσαρας ὁμοίως τοῖς παρ' ἡμῖν ἀστρολόγοις ὀνομάζουσιν Ἄρεως, Ἀφροδίτης, Ἑρμοῦ, Διός. Hic primo recipit V. C. e Codice *Mutinenſi* ὀνομαζόμενον, pro vulgato νομιζόμενον, quod *Rhodomanus* jam viderat reſtituendum eſſe. Sed recte animadvertit, *Solem* hic locum nullo modo habere, id quod jam vidit *Stanlejus* in *Hiſt. Phil. P. XIII S. II, 37*, ſed nulla medicina allata. Nam *Sol* non eſt in planetarum numero; deinde contextus planiſſime docet, ſermonem eſſe de *Saturno*, ejusque peculiare aliquod nomen hic latere. Id nomen de conjectura nobis reſtituit V. C. Sic enim locum refingit: Ἰδίᾳ δὲ τὸν νῦν - Κρόνον ὀνομαζόμενον, ἐπιφανέστατόν τε καὶ - - - καλοῦσιν Βῆλον. Nam, hoc nomen privum *Saturno* apud Chaldæos fuiſſe, autores ſunt *Theophilus* ad *Autolyc. III, 30*, & *Servius* ad *Æneid. I, 646, 734*. Quod ſi cui longius recedere a vulgatæ lectionis elementis videatur, lenius remedium proponit, ut legatur ἦλον. Nam, & ſic *Saturnum* appellatum, autor eſt *Damaſcius* in *Photii Bibl. pag. 1050*: Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Βὴλ καὶ Ἦλ, καὶ Βολάθην, ἐπονομάζουσι.

 Utrum-

Utrumvis ſumſeris, parum refert. Ceterum, alterutrum a *Diodoro* eſſe, non dubitamus. Correxit etiam V. C. *pag. 146* locum nobilem de *Cteſiæ* ætate. Κτησίας, inquit *Diodorus*, ὁ Κνίδιος τοῖς καθ' Ἡρόδοτον μὲν χρόνοις ἐπήκμαζε κατὰ τὴν Κύρου στρατείαν ἐπὶ Ἀρταξέρξην τὸν ἀδελφόν. Hunc locum & ſono ingratum, & ſenſu vitioſum, recte V. C. judicat. Nam *Herodoti* ætas & *Cyri* adverſus *Artaxerxem* expeditio in unum tempus compinguntur, quæ disjunctiſſima ſunt temporibus. Nam a principio belli Peloponneſiaci, quod *Herodotus* vivendo attigit, uſque ad *Cyri* expeditionem ſunt XXX amplius anni. Præterea repetuntur paulo ante poſita verba καθ' Ἡρόδοτον, additurque κατὰ τὴν κ. σ. qua iteratione præpoſitionis κατὰ nil inſuavius, atque duæ diverſæ temporis notæ, contra morem, ſine copula ponuntur. *Rhodomanus* animadverterat vitium, & interpretatus erat *Herodoto recentior*, quaſi eſſet μεθ' Ἡρόδοτον. Ei inſultat propterea *Salmaſius ad Solin. pag. 871*, nec tamen demonſtrat, *Cteſiam Herodoto* æqualem, quem *Photius Cod. 72* νεώτερον εἶναι Ἡροδότου, diſerte tradit. Concedi poteſt, *Cteſiam Herodoto* adhuc vivo natum eſſe, non autem, quod vulgata verba innuunt, *Herodotum* eo tempore cum *Cteſia* vixiſſe, quo *Cyrus* contra fratrem bellum geſſit. Itaque V. C. verba καθ' Ἡρόδοτον, ex antecedentibus repetita ab incurioſo librario, ſuſtulit, præſertim cum ea non ſint in Codicibus *Coisliniano* & *Mutinenſi*, cum non habeat *Georgius Gemiſtus* in excerptis ex hoc libro, in Epitoma MSta *de Aſſyriorum & Medorum Imperio*, non *Poggius* legerit. Atque, etiamſi *Jo. Georg. Waltherus*, Clariſſimus Gymnaſii Weiſſenfelſenſis Profeſſor, peculiari Diatriba hunc locum defenderit, atque oſtendere inſtituerit, *Cteſiam Herodoti* ſenis tempore vixiſſe, tamen *Weſſelingius* ſententiam recte retinuit, quam nunc etiam *Walthero* probari cognovimus. Inſignis eſt etiam emendatio *Lib. III pag. 188*, quanquam ab *Agatharchide* petita. De Ichthyophagorum ſedibus & habitandi modis diſſerens, eſſe genus tradit quoddam, cujus hæc ratio ſit, ut cuniculos agant in acervis muſci, ita denſati, ὑπὸ τῆς συνεχοῦς τοῦ πνεύματος πληγῆς,

ut na-

ut naturam rigidiſſimam induerit. *Weſſelingius* non omnino per ſe damnat καύματος πληγὴν, cum *Lucretius plagam odorum* dixerit, & *Pſalm. CXXI, 6*, de ſole dicatur לֹא יַכֶּכָּה, ȣ̓ πλήξει: ſed tamen negat æſtu ſolis algarum acervos denſari poſſe. Itaque legi vult: ὑπὸ τȣ̃ συνεχȣ̃ς τȣ̃ κύματος πληγῆς. Et ſic *Agatharchides*, e quo *Diodorus* ſua, ut ipſe fatetur, hauſit, ȣ̃τος ὑπὸ τȣ̃ προσβάλλοντος ἀεὶ κύματος σκληρῶς πεπιλημένος. Res eſt extra dubitationem poſita, eratque hæc lectio in textum recipienda. Omnino multa V. C. feliciter, comparando *Agatharchide*, in hoc tertio Libro emendavit: quod recte ab eo eleganterque factum eſt. Videat tamen V. C. an forte modum in hoc genere exceſſerit in loco uno *pag. 205*: ὑπέρκεινται δὲ νῆσοι τρεῖς, ὧν δύο μὲν πλήρεις εἰσὶν ἐλαιῶν καὶ σύκων, μία δὲ λειπομένη τῷ πλήθει τῶν προειρημένων δένδρων &c. Hic tribuuntur duabus inſulis *oleæ & fici*; *Agatharchides* autem tantum *oleas* commemorat, ex eodemque *Strabo Lib. XVI pag. 1114 edit. Almel.* duas eſſe dicit ἐλαίαις κατασκίȣς. Itaque putat probandum eſſe, quod præferant Codices *Mutinenſis*, *Coiſlinianus*, & *Claromontanus*, ut legatur πλήρεις εἰσὶν ἐλαιῶν καὶ σύσκιοι. Hæc ſi quis cogitet, ſane inclinetur facile ad partes Viri Celeb. Sed verba ſequentia, τῷ πλήθει τῶν προειρημένων δένδρων, nobis videntur diverſa arborum genera indicare, ſi rem e vulgari conſuetudine Græcorum ſcriptorum exiſtimemus.

Sed non ſolum *Diodorus* plurimis locis emendatur, verum alii etiam paſſim ſcriptores, ut *Suidas pag. 132*, *Palæphatus pag. 222, 295, 305*, *Eratoſthenes pag. 254*, &c. Ex his lubet referre unam, qua *Galeno* lux allata eſt *pag. 160. Galenus, Lib. I de Antidot. pag. 427* de opobalſamo ſcribens, id dicit a loco, in quo plurimum & optimum naſcatur, aliud nomen accipere, & appellari τὸ σιγγαδηνόν. Pro eo reſcribendum eſſe docet ἐγγαδηνόν. Ita dictum eſt ab urbe *Engadi*, quæ ſita fuit ad vallem Hierichuntinam, ubi opobalſamum naſcebatur.

Nimiæ in emendando textu religionis hoc unum exemplum ponemus. *Pag. 194 med.* de ſtruthiocamelo diſſerens, primum ei tribuit κεφάλαιον ἀμενὲς καὶ μακρόν. *Rhodo-*



Digitized by Google

*manus* jam vidit, legendum eſſe μικρὸν, idque probat Noſter, & ab *Oppiano III, 494*, refert, ei tribui κεφαλὴν βαιήν. Et tamen in textu retinet μακρὸν, quia Codices non conſentiunt. Paulo poſt dicitur propulſaturus perſequentes διὰ τῶν ποδῶν ἀποσφενδονῶσα λίθους &c. Manifeſtum eſt, requiri e legibus grammaticis ἀποσφενδονῶν, & fœmininum natum eſſe e præcedente ναῦς ἱστιοδρομοῦσα. Et tamen relinquitur in contextu, eadem haud dubie de cauſa. Atqui aliis locis quibusdam tam manifeſta peccata, ſola linguæ ratione confiſus, emendavit, ut cum *pag. 102 extr.* ἐπὶ οὐρᾶς reſcripſit pro ἀπὸ οὐρᾶς, ſimiliter *pag. 111* e conjectura *Rhodomani* pro ὀροφὴν repoſuit κορυφήν. Sed Vir Cel. nimis veritus eſt abſurdas voces imperitorum, qui, ubi aliquid in contextu, non addicentibus Codicibus MStis, quamvis ratione grammatica & re manifeſte poſtulante, mutatur, ſtatim temeritatem accuſant.

Nunc, quoniam ſatis de Notis criticis dictum eſt, age, etiam pauca ſpecimina earum proferamus, quæ ad rariores verborum notiones illuſtrandas pertinent. *Lib. I pag. 24 Oſiris* dicitur ἐξ ἀνθρώπων εἰς θεοὺς μεταστάς. Ibi V. C. plures loquendi modos collegit, quibus Græci de tranſitu hominum ad Deos, ſeu in cœlum, utuntur, ἐξ ἀνθρώπων ἀφανισθῆναι apud *Lyſiam Or. 31, 6*, γενέσθαι ἐξ ἀνθρώπων apud *Lyſiam Ep. ad Hipparch. Pauſan. IV, 26*, εἶναι ἐξ ἀνθρώπων apud *Diogenem II, 43*, μετάστασιν ἐξ ἀνθρώπων ποιεῖσθαι apud *Diodorum II, 39* &c. *Ibid. pag. 105* Getæ dicuntur ἀπαθανατίζοντες: nam ita V. C. e Codicibus reſcripſit: τοῖς Γέταις, τοῖς ἀπαθανατίζουσι, quæ poſteriores voces in ſuperioribus editionibus deſiderantur. Sic *Plato Charmid. pag. 156 D:* ἔμαθον δ' αὐτὴν ἐγὼ - παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν, τῶν Ζαμόλξιδος ἰατρῶν, οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν. Ejus verba imitatur *Lucianus Scyth. 1:* οὐ Σκύθαις μόνον ἐπιχώριον ὂν ἀπαθανατίζειν καὶ πέμπειν παρὰ Ζάμολξιν &c. ubi nollet *Weſſelingius* τὸ ἀθανατίζειν a Cl. *Geſnero* probatum eſſe: utrumque enim in ea re juſtum eſſe; nec *Olearium* audiendum putat, qui ἀθανατίζειν in numerum inuſitatorum refert ad *Philoſtr. pag. 337.* Sed quæritur, cur

ita

ita dicti ſint Scythæ. *Jac. Gronovius ad Arrian. pag. 8* ἀπαθανατίζοντας interpretatur *pro immortalibus conſecrantes.* Eam poteſtatem in ſe verbo huic convenire, ipſe *Weſſelingius* docet pluribus exemplis alibi *pag. 134,* ubi *Diodorus* dicit, Aſſyrios ἀπαθανατίσαι τὴν Σεμίραμιν. Sed, cum de Getis dicatur, non opportunam hanc ſignificationem eſſe putat, ſed ea, quæ *Herodotus IV, 94,* de iis tradat, indicare, ita appellatos eſſe ex opinione de immortalitate animi, eoque ſenſu eſſe etiam apud *Joſephum A. J. XVIII, 1, 5,* de Eſſenis: ἀθανατίζουσι δὲ τὰς ψυχάς. Ejus ſententiæ eſt etiam *Kuſterus* ad *Suidam* in Ζάμολξις. Hæc recte & egregie dicta agnoſcimus, ut permulta alia hujus generis. Unum verbum reperimus, in quo explicando verum haud tetigiſſe nobis videtur, nempe adverbium αὐτόθεν, in quo interpretando ſæpe ab interpretibus Græcorum ſcriptorum peccatum eſt. *Diodorus Lib. II pag. 117* dicit, numerum copiarum *Nini,* quem *Cteſias* tradat, incredibilem videri τοῖς αὐτόθεν ἀκούουσι: ſi quis autem Aſiæ magnitudinem & nationum incolentium multitudinem conſideret, aliter judicare. *Rhodomanus* vertit *dehinc audientibus,* quod nihili eſt. Cel. *Weſſelingius,* forte melius, ait, fore, *primum,* atque comparat locum *Dionyſii Hal. Tom. II pag. 71:* ἡδὺς μὲν αὐτόθεν ἐντυχόντι, σφοδρὸς δὲ ἐξετασθείς, deinde alium locum *Diodori I, 37.* Sed, ut illa ratio forte ferri poſſit, tamen vim verbi non aſſequitur. Verbum αὐτόθεν habet ſignificationem celeritatis, ut ſignificet *ſtatim, e veſtigio, ſine mora.* Sic accipiendum eſt loco altero *Diodori I, 37 extr.* οὐ μὴν αὐτόθεν προσεκτέον ἀναποδείκτως λέγοντι, ubi *Rhodomanus* male: *hac in parte.* Verte: *Enimvero non ſtatim fides habenda* &c. Hoc ſenſu vox illa eſt apud *Xenophontem,* e. c. Απομν. *II, 8, 3.* κρεῖττόν ἐστιν αὐτόθεν ἐπιτίθεσθαι τοιούτοις τῶν ἔργων. Atque hanc notionem verbi jam obſervavit *Budæus.* Hinc accipit alias notiones, in quibus ineſt celeritatis ac feſtinationis ſignificatio, prout a conjunctis verbis varie afficitur. In illo quidem *Diodori* & *Dionyſii* loco ſignificat *obiter.* Itaque τῷ αὐτόθεν ἀκούοντι & ἐντυχόντι opponitur ἀναθεωρῶν & ἐξετάζων. Atque etiam V. C. non ſatis aſſecutus videtur *Lib. IV pag. 270* verba πύλην πρὸς ἣ τὰς ἀπαυ-



Digitized by Google

ἀπαντήσεις καὶ θυσίας τῷ θεῷ παρέστησαν, Ἡρακλειῶν προσηγόρευσαν. *Rhodomanus* vertit: *ubi rem diuinam facientes illi occurrerant*; quod vix intelligas. *Weſſelingius* autem ait, verbum παρέστησαν tantum referri ad θυσίας, nec commode connecti poſſe cum ἀπαντήσεις; idque genus loquendi, cum verbum unum duobus ſubſtantivis adjicitur, quorum uni tantum aptum eſt, aliis exemplis illuſtrat. Enimvero commode ad utrumque refertur. Nempe ἀπαντήσεις ſunt *ſupplicationes*, ut ἀντήσεις. *Heſychius:* ἀντήσεις, ἱκεσίαι, λιτανεῖαι. Simillimumque eſt alteri verbo πρόσοδοι, quod de ſupplicationibus dici, anno ſuperiori, cum de *Philone Mangei* diceremus, oſtendimus. Sic igitur verte locum *Diodori: portam, ad quam ſupplicationes & ſacrificia Deo inſtituerunt.* Satis de verbis; reſtat, ut de rebus illuſtratis dicatur. Quarum paucas, quia jam prope nimis longi fuimus, tantum breviter indicabimus, ut lectoribus noſtris ſalivam, ut ajunt, moveamus, cupiditatemque operis curatius cognoſcendi. *Pag.* 48 conjectura proponitur elegans de *Autore fragmenti de Nilo*, quod *Herodoti* editioni ſuæ *Jungermannus* addidit: quem ille putat eſſe *Ephorum* Hiſtoricum. *Pag.* 70, 195, aves, quas Iſraelitæ in deſerto comederint, ſibi *coturnices* non videri, oſtendit, ſed *locuſtas*, quibus melius conveniant, quæ *Exod. XVI, 14, Num. XI, 31*, dicantur. *Pag.* 74 videtur favere iis, qui Pyramides ab Iſraelitis eductas ſtatuunt. *Pag.* 165 non abſurdum eſſe, exiſtimare, arborem Paradiſi fatalem palmam fuiſſe, quæ a *Diodoro* deſcribitur, a cujus ille fructibus dicit ἅμα καὶ τὴν ὄψιν τέρπεσθαι καὶ τὴν γεῦσιν ψυχαγωγεῖσθαι, ſimiliterque *Plutarchus Sympoſ. VIII*, 4. Palmam Syriæ & Ægypti dicit eſſε ὄψει τε θεαμάτων, καὶ γλυκύτητι τραγημάτων πάντων ἥδιστον, plane ut *Moſes* de illa arbore *Gen. III, 6.* De rebus hiſtoricis & geographicis chronologicisque tantum univerſe dicemus, nullam eſſe difficultatem, quam V. C. non vel ipſe viderit, vel ab aliis motam commemorarit, & non breviter vel ipſe ſuſtulerit, vel, quomodo ab aliis ei occurſum ſit, indicaverit, ut hæ Notæ ſtudioſis hiſtoriæ veteris valde utiles futuræ ſint.

Ac ceſſ-

Digitized by Google

Acceſſerunt denique *Indices* luculenti verborum & rerum. Nitor autem chartæ & typorum, diligentiaque in peccatis typographicis vel cavendis, vel tollendis, tanta, ut & elegantiſſimus & emendatiſſimus *Diodorus* prodierit.

*HENRICI BENZELII, ACAD. LUND. PROCANcellarii, & Scaniæ Blekingiæque Epiſcopi, Syntagma Diſſertationum, in Academia Lundenſi habitarum, quibus varia Theologiæ, Philologiæ, Antiquitatum, & Hiſtoriæ, capita illuſtrantur. Cum Præfatione JO. ERH. KAPPII, P. P.*

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Gabrielis Chriſt. Rothii, bibliopolæ Havnienſis, 1745, 4.

Alph. 6 plag. 8.

*Henricus Benzelius*, Scaniæ Blekingiæque Epiſcopus, *Erici*, Archiepiſcopi totius quondam Sueciæ, filius, duorum *Benzeliorum*, *Erici* nempe & *Jacobi*, quorum ille patri, hic fratri, in eminenti eadem dignitate ſucceſſit, frater, acceptam ab his gloriam ita auxit omni eruditionis & doctrinarum genere, quæ Theologum & faciunt, & ornare poſſunt, ut, qui ſcripta perlegunt in vulgus edita, teſte *Kappio*, dubitare poſſint, utrum majori eruditionis theologicæ, an philologicæ, an hiſtoricæ, laude illæ ſeſe ſint commendaturæ. Ex quo igitur *Rothius*, Bibliopola Havnienſis, ſuum de edendis junctim, quæ diſperſæ huc illuc erant, *Benzelianis* Diſſertationibus conſilium cum Excellentiſſimo *Kappio* noſtro communicavit, non potuit hic non inſtitutum admodum laudare, ac pro virili quoque adjuvare. Coaluit tali ratione opus ex variis Commentationibus Academicis, ab A. 1724 ad A. 1740 in Lundenſi Academia tam ab ipſo Reverendiſſimo *Benzelio* conſcriptis, quam eodem ſuadente ac moderante publice ventilatis. Comprehenduntur *Voluminibus duobus*, in quibus ordinem neque tempori, neque argumentorum conditioni, accommodatum vidi-

Digitized by Google

vidimus. Argumenta ſunt varia. Et Hiſtoriæ, & Philologiæ, & ſolidioris Theologiæ, cultores habent, quo delectentur.

Quas *Tomus prior* continet, Diſſertationes ſunt: I) *De quatuor orbis Monarchiis.* Receptæ iſti, & pueris notæ, de quatuor Monarchiis, ſeu imperiis mundi, doctrinæ plus famæ inesse, quam veri, haud pauci, neque indocti, perhibent. Horum ſententiam multis, neque contemnendis, argumentis ita propugnat *Benzelius*, ut, profligatis & Hiſtoricorum & Interpretum ad *Dan. II* & *VII* rationibus, totum & a majoribus traditum de quatuor monarchiis præceptum prorſus videatur
Pag. 33. eliminaſſe. De *Daniele* Propheta autem monet, nunquam ipſi in animo fuiſſe, Antichriſtum tempore N. T. exoriturum prædicere, ſed vivis potius coloribus depingere fata, ipſis Judæis a *Nebucadnezare* & aliis Regibus brevi exſpectan-
34. da. Statua cum animalibus *ſeptimi Capitis* ipſi *Nebucadnezarem* & ſequentes diverſorum imperiorum Reges indicat. Romanorum imperium autem per quartam beſtiam eſſe
37. intelligendum, tantum abeſt, ut largiatur, ut, ſævitiam & rapacitatem Seleucidarum & Ptolemæorum illa ipſa notari, acri-
40. ter contendat, & per totam rerum geſtarum ſeriem oraculo divino accommodatam oſtendat, *Molinæo*, aliisque interpretibus, qui, quod *Dan. XI, 36 ſeq.* de *Antiocho* dictum vult Autor, Papæ tribuendum eſſe, ſibi perſuadent, non ſine reſponſio-
51. ne dimiſſis. II) *De Peregrinationibus religioſis.* De gentilium erga mortuos reverentia ad Chriſtianorum morem progreditur hic Reverendiſſimus *Benzelius*, qui, licet, falſa religione relicta, veram fuerint amplexi, tamen in ritibus & cerimoniis anteceſſorum non pauca retinuerunt. Itaque morem, mortuos
52. honorandi, eorumque viſitandi ſepulcra, &, relictis viſitationibus mortuorum privatis, peregrinationes ſolennes, Hieroſolymitanas præcipue, enarrat. De Hoſpitalariis, Templariis, Crucigeris, de ſepulcro Domini, ſitu urbis Hieroſolymæ, aliisque in terra ſancta locis, quos cultu religioſo petere ſolent, varii, neque lectoribus curioſis ingrati, ſermones interſeruntur. Sepulcrum Domini vetus ac genuinum id eſſe, quod

pere-

Digitized by Google

peregrinantibus oſtendi ſolet, immo Hieroſolymam eo jam loco Pag. 61.
ſitam eſſe, ubi quondam fuit, contra negationem fere omnium
aſſeverat Autor, & contra ſecus ſtatuentes fortiter diſputat,
additis obſervationibus de Muhammedanorum peregrina- 79.
tione Meccana. III) *Delineatio brevis Ordinis Jeſuitarum.* Fata 83.
Ordinis apud Pontificios celebris, famaque per univerſum
terrarum orbem, raro beneficiis, uti loqui amat, inprimis autem criminibus, notiſſimi, ab origine repetit, ipſumque Ordinem ut talem depingit, expoſitis præſertim, quæ Galliam, Angliam, Bohemiam, & Sueciam, turbarunt, funeſtis ipſorum auſis. IV) *De Cenſu Auguſti Luc. II, 1.* Quem & temporis computatio, & *Cyrenius* Prætor, a *Luca* allegatus, & *Joſephi*
teſtimonium, ſanctiſſimo Spiritus S. effato contrarium, ita im- 99.
plicant nodum, ut vix, rem expediri poſſe, credant haud pauci interpretum, ita ſolutum videt lector, ut, *Quirinum*, de quo *Lucas* & *Joſephus* memorant, unum eundemque, & quidem bis in Syriam miſſum, fuiſſe, appareat, primum cum extraordinario jure tantum ad deſcriptionem peragendam, cujus mentionem fecit *Lucas*, iterum vero cum duplici poteſtate, ut ſimul provinciæ præeſſet, de quo cenſu *Joſephus* meminit. At, non novam hujus rei iſtam eſſe explicationem, ipſe fatetur Autor, lectoribus, plura cupientibus, ad *Spanhemium* & *Deylingium* ablega-
tis. V) *De Thau, ſive notula piorum frontali, Ezech. IX, 4.* 110.
Confutatis & illis, qui crucis ſignum hic ſe inveniſſe gaudent, a Prophetis indicatum, & his, qui, ſacrum Codicem
antiquiſſimis temporibus Samaritano charactere conſignatum 112.
fuiſſe, temere ſibi perſuadent, Thau iſtud nihil aliud, quam *notam frontalem*, deſignare, variis argumentis evincitur. De forma reali hujus notæ autem ſi diſputatio inſtituatur diffi-
cillima, conjecturæ locus relinquendus eſſe creditur, quæ, 117.
notam illam frontalem literam י Ebræorum minutiſſimam
fuiſſe, perhibet. Adduntur & *ratiunculæ*, vere tales. Tutius 118.
vero affirmatur, idem ſignum, quamcunque picturam habuerit, non niſi in viſione *Ezechieli* fuiſſe repræſentatum, minime vero frontibus piorum & gementium ita inſculptum, ut per-



Digitized by Google

Pag. 120. petuo remanſerit. VI) *Strictura nonnulla ad Jo. Clerici Diſſertationem de lingua Hebraica, & quidem ejus antiquitate.* Non quidem eo prolabitur Autor in commendanda Hebræorum lingua, ut, vel Angelis & beatis in altera vita ejus uſum competere, vel in iſto, quod nonnulli liberaliter ſibi pollicentur, mille annorum regno locum habituram eſſe, affirmet; tamen contra ea, quæ *Jo. Clericus* in Diſſertatione de lingua Hebraica, Commentario in *Geneſin* præmiſſa, ſatis audacter & negligenter ſcripſerat, ita diſputat, ut *Sectione priori* Hebrææ linguæ antiquitatem adſtruat, *poſteriori* autem con-
129. traria Batavi argumenta expendat. VII) *De Canonibus Apoſtolicis.* Ex quo Canones etiam inter Proteſtantes, in Anglia præſertim, *Beveregium* & *Whiſtonum* habuerunt defenſores, Pontificiorum acies magis inſtructa fuiſſe videtur, ſi quando de autoritate Canonum fuit decertandum. Argumenta igitur, cum ex *Dallæo* ſelecta, tum propria, in medium proferuntur, quæ omnem illam autoritatem labefactant, Canones poſt Seculum quartum demum exortos eſſe admodum
158. probant. VII) *de Cauſis Literaturæ Hebrææ.* Celeberrimum *Val. Ernſt. Læſcherum* imitatus Autor, linguam Hebræam hac via perſequitur, ut veras literaturæ cauſas, *efficientem*, *materialem*, *formalem*, ac denique *finalem*, elicere conetur. Hebræorum ſcribendi artis, ſeu literaturæ, cauſam efficientem,
160. ſive autorem, habet Deum. Omnem ſcribendi artem ante *Moſis* tempora plane incognitam fuiſſe, ratus, contra *Læſcherum* & centum alios literaturæ Hebrææ initia ad annum ab orbe condito circiter bis milleſimum & quingenteſimum differt,
162. quo *Moſes* in monte Sinai cum lege primam ſcripturam a Deo accepiſſe dicitur *Deut. X, 4, Exod. XXXIV, 28.* Tunc & in *materiam*, qua, poſt ſaxorum uſum, ſcripſerunt veteres, & in
167. diverſum ſcribendi modum, inquiritur. Quantum ad formam characterum Codicis ſacri attinet, hodiernum quadratum, non autem Samaritanorum characterem, divinum & genuinum eſſe, ita aſſeritur, ut nemo facile Autori denegare aſ-
180. ſenſum poſſit. Ceterum ſignificatus literarum hiero-
183. glyphicus ſuis autoribus relinquitur. IX) *De Paſchate Chriſti*

ςαυρο-

Digitized by Google

ςαυρωσίμω. Quemadmodum Paſcha primum, ſeu Exodicum,
Iſraelitas ineunte XIV Lunæ poſt æquinoctium vernum, pri-
die, quam ex Ægypto egreſſi ſunt, comediſſe conſtat; ita,
eundem morem adhuc tempore Chriſti inter Judæos viguiſſe,
& a Servatore in ultima edenda cœna una cum reliquis Ju-
dæis eſſe obſervatum, pluribus oſtendit Autor. X) *de Scriptu-* Pag. 198.
*ra ante Moſen.* Tota hæc Diſſertatio illi *de Cauſis literaturæ*
*Ebrææ*, cujus modo mentionem fecimus, videtur eſſe con-
traria, quamvis uno eodemque anno atque Præſidio ſit habi-
ta. Et ex hoc, & ex ſtyli diverſitate, & ex aliis rationibus, cer-
to certius colligimus, Reſpondentium munere defunctos po-
tiorem, quam ipſum *Benzelium*, ſibi vindicare hujus colle-
ctionis partem. Probat hic Autor, fuiſſe ante *Moſen*, & an- 201.
te *Homerum*, uti ſcriptores, ita literas, quibus, tanquam in-
ſtrumentis, animi ſui ſenſa inprimis cum poſteritate commu-
nicare potuerint homines. Conferat Lector, quæ ſupra ex
Diſſertatione de Cauſis literaturæ Hebrææ attulimus; quam
ſibi adverſentur iſta, confeſtim apparebit. XI) *De Libris V.* 212.
*T. canonicis, eorumque diviſionibus.* XII) *De Sectis eccleſiæ*
*noſtri temporis.* Magno rerum memorabilium Commentatio
hæc ſe commendat apparatu. Multa, eaque egregia, e theſau-
ro, quem in longo itinere collegit Reverendiſſimus Autor,
triginta abhinc, & quod excurrit, annis in Orientem inſti-
tuto, hic depromta vides, tum de ſchiſmate inter Eccleſiam
Orientis & Occidentis, & de illius ſtatu antiquo, & recenti do- 240.
ctrina, atque erroribus in genere, tum de Cœnobio montis
Sinai, de Græcis, *Calvino* faventibus, de inſidiis Romanen- 248.
ſium Græcorum fidei & doctrinæ ſtructis, de Maronitis, de
Coptis, &c. lectu ſane digna, ac tanto majori habenda fide, 249.
quod Autor, quicquid aſſerit, oculis vidit, & ipſe diligenter 265.
perſcrutatus eſt. In *Helladium*, de ſtatu præſenti Eccleſiæ Græ- 282.
cæ thraſonice ut plurimum loquentem, graviter animadver- 292.
tit, & ſe ab integerrimis viris, apud quos aliquod tempus ille 270.
commoratus eſt, exploratum habere affirmat, fuiſſe homi-
nem non optimæ frugis, & audax Græculo ingenium. Non
minus in famoſum ſcriptorem Gallicum, *de la Croix*, invehi- 271.



Digitized by Google

tur, in libello, *La Turquie Chrêtienne ſous la puiſſante Prote-*
*ction de Louis le Grand* inſcripto, plus fumi intra paucas pa-
gellas nnndinatum, quam ut uno venti flatu diſpelli poſſit.
Adjecta eſt Mantiſſa dogmatica, quæ in dogma de proceſſio-
ne Spiritus ſancti, & de invocatione ſanctorum, ſolide inqui-
Pag. 273. rit. Agmen claudit memorabilium Diplonia abſolutionis Pa-
294. triarchæ Hieroſolymitani tralatitium. XIII) *De Libris Vet. Te-*
297. *ſtamenti apocryphis in genere.* XIV) *De Libris Vet. Teſtamenti*
316. *apocryphis in ſpecie.* XV) *De Apolline loquaci & muto.* De
*initiis*, & *ceſſatione* oraculorum apud paganos hic agi, facile
conjectura divinabit lector. Autor cum illis facit, qui illa
non ſolis hominum fraudibus, ſed diabolo potiſſimum, hanc
autem Servatori tribuendam eſſe, judicant, per cujus adven-
tum infernalis hoſtis potentia magis magisque fracta, oracula
340. edere non quidem repente, gradatim tamen, deſiit. XVI)
352. Diſſertatio, *qua adſtruitur numerus Paſchatum Chriſti qua-*
*ternarius.* Excuſſis variis Theologorum & Patrum de annis,
qui inter baptiſmum Servatoris & ejus mortem interceſſerunt,
ſententiis, illorum ſtabilitur opinio, qui, quatuor paſchata
Chriſtum poſt baptiſmum celebraſſe, ſtatuunt. Sedes Paſcha-
tum genuinæ apud Evangeliſtas ita inveſtigantur, ut *primi* qui-
357. dem *Jo. II, 13, ſecundi Luc. VI, 1, Matth. XII, 1, Marc. II, 23,*
*tertii Jo. VI, 4, quarti Jo. XI, 55, XII, 1, XIII, 1, Matth. XXVI,*
*2, Marc. XIV, 2, Luc. XXII, 1,* ſe inveniſſe affirmet Autor, de ſin-
367. gulis ſeorſim deinde acturus. XVII) *de antiquis Bibliorum ver-*
*ſionibus.* Hiſtoricam plurimarum Verſionum illuſtrium narra-
tionem tradit Autor Reſpondens. XVIII) *De Sortibus veterum.*
397. XIX) *De Claſſe Salomonea in regionem Ophir.* Hiſpania eſt hæc
419. Autori regio, argumento ad ſententiam probandam maxime
421. ab urbe Tharſi petito, cujus *Ez. XXVII, 12, Jon. I, 3, 1 Reg.*
424. *XXII, 49, 2 Chron. XX, 36,* & alibi, fit mentio. Hiſpaniam
olim crebris Phœnicum navigationibus frequentatam fuiſſe,
ex antiquis monumentis conſtat. Eſt in Oceano extra co-
lumnas *Herculis*, iisdem tamen vicina, inſula, Gades appel-
lata. Hic urbem condiderant Phœnicenſes, *Herculi*, pa-
431. trio Numini, dicatam. *Tharteſſum* antea vocatam, poſtea
Tyrios,

Digitized by Google

Tyrios, mutato nomine, *Gaddir* nuncupaſſe, affirmant ſcriptores veteres. Hæc eſt illa Tharſis, in ſcriptis V. T. paſſim obvia, Pag. 432.
divitiarum, quas tunc Hiſpania ſive per naturæ bonitatem, ſive per mercaturam florentiſſimam, exteris mittebat, ſedes. Cum igitur in Iberiam, quæ eadem cum Hiſpania eſt, ampliſſima Tyriorum & Phœnicum qnondam fuerit navigatio; nullum eſt dubium, quin Reges Hieroſolymæ una cum *Hiramo*, Rege Tyri, ſuas in Hiſpaniam claſſes miſerint, omnibus abundantem, quibus rebus & *Davidis*, & *Salomoni*, opus erat, ſplendidiſſimum atque immortalis gloriæ opus exſtruendum curantibus. XX) *De Aſylis.* De aſylis & Ebræorum, & gentiſium, 437.
& Chriſtianorum, inſtituitur docta narratio. Concluſionem facit de *Franchitia quarteriorum*, ſeu de jure aſyli apud legatos, diſquiſitio. XXI) *De Lingua Helleniſtica.* Præcipuam in 460.
*Sebaſtiani Phochenii* Diatribe *de Linguæ Græcæ puritate* exa- 466.
minanda & refutanda operam Autor collocat, puritati linguæ Novi Teſtamenti ita infenſus, ut, voces, phraſes, & locutiones, apud ſcriptores ſacros legi, contendat, quarum dimidiam 467.
forte partem optimi ex profanis ignorent.

Reliquæ, hoc *Volumine* quæ comprehenduntur, ſi unam excipias, ſunt Diſſertationes Anti-*Arnoldinæ*, ab iis, qui Reſpondentium munere ſunt defuncti, ut ex præcedentibus aliæ, diligenter elaboratæ. XXII) *Vindiciæ Concilii Nicæni Oecumenici I*, novatoribus, præſertim *Godofredo Arnoldo*, oppoſitæ. XXIII) *Vindiciæ Concilii Conſtantinopolitani Oecumenici II in cauſa Macedoniana.* XXIV) *De ſucceſſione* 708.
*Epiſcoporum canonica* apud Evangelicos, præſertim in Suecia. 532.
Refutatis, qui a ſucceſſione Epiſcoporum ad veritatem doctrinæ & eccleſiæ cocludere ſolent, Pontificiis, & multis de diſceſſione Proteſtantium a Pontificiis facta, de eccleſia, dignitate epiſcopali, & hujus haud interrupta propagatione apud Anglos, docte expoſitis, ad Suecos ſuos convertitur 554.
Autor, nulla propterea ratione falſæ eccleſiæ accuſandos. Habet Suecia Epiſcopos, a Pontificiis legitime conſecratos, qui, ut eccleſiam Suecicam purgarent, omnem impenderunt operam. Horum continua apud Suecos ad hunc uſque diem 567.

datur ſucceſſio. Habuerunt ipſi poteſtatem, tam Epiſcopos, quam Presbyteros, conſtituendi, qui alios deinceps muneribus ſacris præficerent, ac idoneos declararent: quod ex omni rerum geſtarum ſerie, & domeſticis Pontificiorum principiis, uberius demonſtrat Reſpondens Autor, contendens præterea, Hierarchiam Epiſcopalem, qualis antiquioribus ſal-
Pag. 578. tem temporibus in eccleſia locum habuerit, apud Suecos ſervari; in ordinatione ritus ævo Apoſtolico proximos retineri, ab inanibus autem & ſuperſtitioſis cerimoniis reſectos; & propterea, cum alia ipſis non deſint, quæ huc exiſtimentur pertinere, cumque, quod κύριον eſt, habeant *doctrinæ* ſucceſſionem, *eccleſiam Suecicam* jure majori, quam *eccleſiam*
579. *Græcam*, quamque itidem *Anglicanam*, ſucceſſionem ſibi canonicam poſſe vindicare. XXV) *Vindiciæ Concilii Epheſini Oecumenici tertii in cauſa Neſtorii, Godofredo Arnoldo* oppo-
599. ſitæ. XXVI) *Vindiciæ Concilii Chalcedonenſis Oecumenici quarti,*
621. *Godofredo Arnoldo* oppoſitæ. XXVII) *Vindiciæ Concilii Conſtantinopolitani ſecundi Oecumenici quinti,* in cauſa Origeniſtarum & trium Capitulorum.

Tom. II Ad *Volumen alterum* nobis properandum eſt, non ita ſpiſſum, & XXI conſtans Diſſertationibus. I) *De Melchiſedeco, Rege N. F. & pacis.* Conjunctionem Pontificatus & dignitatis regiæ in *Mel-*
Pag. 11. *chiſedeco* confirmant fere omnes exemplo gentilium, & ex majorum conſuetudine, ut Rex etiam eſſet ſacerdos, vel Pontifex: at in alia omnia abit *Benzelius*, regiam & ſacerdo-
12. talem in uno eodemque homine dignitatem ejusdem cum *Mel-*
16. *chiſedeco* antiquitatis non eſſe, contendens. Cum *P. Cunæo* igitur ratus, *Melchiſedecum* non hominem utique & hominibus genitum, ſed divinæ naturæ, fuiſſe, majoremque homine ac digniorem, qui tanto benedixit Patriarchæ, argumenta, quæ opponi poſſent, & *Cunæo* oppoſita ſunt, ut in fu-
21. mum abeant, dat operam. II) *De LXX Danielis Hebdoma-*
44. *dis.* III) *De Bileamo, divino Propheta.* Non affirmare dubitat Autor, *Bileamum* primo non minus fuiſſe verum Dei cultorem, quam verum Prophetam, poſtea vero munificentia Regis Moabitarum captum, hominem improbum & flagitio-
ſum

Digitized by Google

ſum evaſiſſe; quio hoc ipſo exemplo it comprobatum, do-
num prophetiæ non Judæorum eccleſiæ proprium, ſed genti- Pag. 53.
bus fuiſſe commune, quamvis inter gentes exſtiterit modice. 54.
IV) *De genuina notione vocis Scheol.* Tria iſtam vocem in 56.
Scripturis ſacris denotare, obſervatur: 1) *generaliter*, ſtatum
tam piorum, quam impiorum, poſt mortem communem utris-
que momentaneum; 2) *ſpecialiter*, infernum, ſtatum impio-
rum perpetuo duraturum; 3) *metaphorice*, afflictiones & do-
lores ſæviſſimos, ſeu aliquid nobis intolerabile & imperſcruta-
bile. V) *De Forma reipublicæ Judaicæ.* VI) *De Voto Jephthæ* 80.
*incruento.* *Jephtham* a crimine ἀνθρωποθυσίας liberat Au-
tor, illis adſtipulans interpretibus, qui, filiam perpetuæ vir-
ginitati conſecratam, non vero mactatam, ſtatuunt. Neque 84.
in vovendo, *neque* in exequendo, Heroa iſtum temeritatis po-
ſtulandum eſſe, ſimul contendit. VII) *De Tabernaculo Moſai-* 99.
*co*, ad ductum *Ebr. IX, 2, 3, 4.* Tria tabernacula a ſe invicem
diverſa conſtituit Autor Reſpondens: *unum*, cujus *Exod.*
*XXXIII, 7, alterum*, cujus *Exod. XL, tertium*, cujus *2 Sam. VI,*
*17*, facta eſt mentio. De reliquo diſſentientes eruditorum
ad *Ebr. IX, 2, 3, 4*, opiniones pro viribus ſtudet conciliare.
VIII) *De Fœdere Joſuæ cum Gibeonitis.* Illicitum hoc fuiſſe, do- 116.
cet Autor, & propterea irritum fieri debuiſſe. Quamvis autem 122.
jusjurandum novam obligationem non pariat; in honorem
tamen jurisjurandi conſervatos eſſe Gibeonitas arbitratur,
ne gentiles exiſtimarent, Deum ab Iſraelitis haberi irreve-
renter. Pauca præterea continet hæc Diſſertatio, ut quidem
hujus *Tomi* adhuc aliæ, memoratu digna. IX) *De Gloria*
*templi Zorobabelici, Hagg. II, 8.* X) *Proſelytiſmus Rabbinorum* 125.
*loco motus.* XI) *De tranſitu Iſraelitarum per mare rubrum.* Non 156.
tantum iſte tranſitus, ſed ipſe Iſraelitarum ex Ægypto egreſ-
ſus, variis illuſtratur obſervationibus, & veritas miraculi con-
tra *Clericum* aſſeritur. XII) *Synedrium magnum Rabbinorum ad* 187.
*examen revocatum.* In *duo Capita* diviſa eſt Diſputatio.
*Prius* ea continet, quæ de Synedrio ſuo veteres Ebræorum
tradiderunt; *poſterius* de iis ſermonem facit, quæ contra
hoc Synedrium, ſeu potius deſcriptionem Synedrii, a Rab-
binis

Digitized by Google

Pag. 194. binis factam, obſervari merentur. XIII) *De duplici Genealo-*
*gia Chriſti, juxta Matthæum & Lucam.* Nodos hic ubivis
obvios ſolvere annititur Autor, in eo, quod caput rei eſt, ad
*Matth. I, 16, Luc. III, 23,* cum *Chemnitio, Oſiandro, Calovio,*
227. aliisque noſtratium, faciens. XIV) *De Cruce Criticorum*
231. כארי, *Pſ. XXII, 17.* XV) *Donatiſmus in Novatoribus redivi-*
*vus.* Neo-Donatiſtæ hic enumerantur, *Arnoldus, Dippelius,*
*Langius, Zieroldus, Breithauptius, Franckius,* alii, qui, mini-
246. ſtros irregenitos verum Dei verbum proferre, & auditores
ædificare poſſe, negant. *Spenerum* autem, tantum abeſt, inquit
Autor, *ut ex bonum eximamus numero, ut potius ſuum hic*
*animum, ne dicam, an tepidum ac ſubleſtum, ſat eviden-*
*ter prodiderit.* Per alia quoque Neodonatiſtarum errores de-
262. ducuntur capita. XVI) *De Vita fidei ſalvifica.* Etiam no-
vatoribus oppoſita hæc eſt Diſputatio, præſentiam bonorum
operum in actu juſtificationis pernegans. XVII) *De decreto*
287. *Apoſtolico Art. XV.* XVIII) *De conflagratione mundi.* XIX)
*De perfectione Renovatorum contra Perfectioniſtas.* XX) *Vin-*
*diciæ Athanaſii, Chriſtoph. Sandio* & *Godofr. Arnoldo* oppoſitæ.
396. XXI) *Vindiciæ Cyrilli Alexandrini, Godofredo Arnoldo* oppoſitæ.
XXII) *De Sacramento Romanorum confirmationis.* Argumentum
hoc ita pertractatum vidimus, ut non ſolum, quid in eccleſia
Pontificiorum, ſed etiam apud Evangelicos & Proteſtantes, ſit
confirmatio, luculenter appareat.

Vario hæc eruditionis genere floret Collectio; non uno eodemque tamen, ſi dicendum quod res eſt, & Autore, & dictionis ornatu, & rerum conſcripta ſelectu. Nos maxime argumentis delectatos eſſe, quæ tum ex Philologia & antiquitate, tum ex Hiſtoria eccleſiaſtica, repetita deprehendimus, lubenter fatemur. *Kappius*, inſigne Lipſiæ ornamentum, præfatus eſt, & *prærogativas* recenſuit, *quas Academiæ, Proteſtantium ſacris addictæ, in ratione, quam ineunt, diſciplinas excolendi pariter ac tradendi, præ Romano-Catholicis Univerſitatibus jure quodam ſibi vindicare poſſunt.* Dabimus, quia non adeo ſunt multæ, rem in compendio. In noſtris Academiis aurea illa libertas regnat, non modo veritatem ex lumine rationis

tionis atque revelationis addiſcendi, eoque fine Codicem ſacrum Hebræum atque Græcum, ejusque verſiones & explicationes omnium interpretum, cuicunque religioni demum addicti ſint, & legendi, & examinandi, ſed etiam Philoſophorum placita, ſi modo divinæ revelationi non ſint contraria, in utilitatem noſtram convertendi, adeoque eclectice philoſophandi. His omnibus, qui Pontificiorum Academias frequentant, & verſionis vulgatæ traditionumque autoritate, & nimia Theologiæ ſcholaſticæ cultura, & linguarum ſacrarum eclecticæque Philoſophiæ neglectu, & variorum prohibentur librorum interdicto. Dominatur hic Philoſophia ſcholaſtica; Jus naturæ & Politica exulant; Hiſtoria & Jus publicum Imperii, cum rebus geſtis reliquorum Europæ Statuum, raro docentur, &, ſi quoque illa doceantur, non ex optimis ſubſidiis derivari ſolent. Eadem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ & literariæ eſt ratio. Aliter in Proteſtantium Academiis comparata res eſt. Univerſa Philoſophia, recentiorum Philoſophorum inventis non diſſimulatis, traditur. Hiſtoria omnis, civilis, eccleſiaſtica, & literaria, ex præſtantiſſimis ſcriptoribus enarratur, & ex genuinis fontibus repetitur. Non defuerunt inter Romano-Catholicos, qui illos Academiarum & ſtudiorum nævos recentiſſime ipſi profeſſi ſunt, quorum hic leguntur in lucem edita teſtimonia. Emendationis initium fecit quidem *Carolus VI*, Romanorum Imperator; at inchoavit, non perfecit, *Maria Thereſia*, cum tam vaſto in regna & provincias imperio, curam imperfecti operis relinquens. Idem tentavit *Fridericus Carolus*, Epiſcopus Bambergenſis & Wurceburgenſis, non ita pridem defunctus. Cœpit in Italia nuper Philoſophia eclectica caput erigere; docetur Jus naturæ in Piſana, & Patavina, Academiis, cum Philoſophia experimentali. Sed non habent omnes eundem literarum florem. Cum apud Romano-Catholicos maximam fere partem nudæ fere theſes, nugisque ſcholaſticis crebro refertæ, ad diſputandum proponantur; apud nos luculentiores de eruditis argumentis conſcribuntur Diſputationes. En novam rei Academicæ, uti apud nos eſt, prærogativam! Hæc occaſionem præbent doctiſſimo

 *Kappio*,

Digitized by Google

*Kappio,* cum de Diſſertationum Academicarum habitu, fatis, & utilitate, tum de præſenti collectionis ratione, differendi. Subjecta eſt Epiſcopi *Benzelii* vitæ delineatio, lectoribus, in rem literariam incumbentibus, non minus grata, quam Index Diſputationum chronologicus, & rerum memorabilium, operi tam varii argumenti apprime neceſſarius.

## DELL' ANATOMIA DISCORSO, &c.
id eſt,
## *SERMO DE ANATOME, AUTORE ANTONIO COCCHIO MUGELLANO.*

Florentiæ, apud Jo. Bapt. Zannoni, 1745, 4.

Plag. 6.

Fuit hic Sermo ante quatuor annos, in Theatro magni Noſocomii S. *Mariæ* novæ, quod Florentiæ eſt, publice re-
Pag. 4. citatus. Dicitur autem Anatome, tum ars dextre ſeparandi animalium, præcipueque humani corporis, membra, tum eo-
5, 6. rum, quæ in his ſenſibus percipere licet, cognitio. Motus enim, qui in corpore humano eſt, ejusque cauſarum con-
8, 9. ſideratio, ad Anatomen non pertinet. Eaque cognitio, cum ſingulæ fere particulæ corporum poſſint ſenſibus ſubjici, clariſſima, tum etiam ſatis facilis, eſt, modo ſe aliquis iis, quæ in Anatome ingrata eſſe ſolent, nimis affici non ſinat, ſenſibus-
10. que recte utatur. Quæ vero lites unquam inter Anatomicos ortæ ſunt, vel de uſu partium ſunt, quem tamen Anatomicus proprie non curat, vel de inventionis gloria, quod ad cognitionem partium animalium nihil facit, vel de eo, quod quis ſe credidit potius videre, quam certe vidit. Præcipua igitur Anatomes utilitas, quæ ab hac per ſenſus acquiſita certitudine proficiſcitur, veritatis inventio eſt, per quam
11-14. errores neceſſario tolluntur. Cumque cupidi cognitionis earum rerum ſimus, quæ in tota natura fiunt; quanto magis debemus earum eſſe, quibus vita noſtra, ſenſus, motus, nutritio, generatio, morsque ipſa, continentur. Ad quarum tamen cognitionem non niſi per Anatomen pervenimus.

Eaque

Digitized by Google

Eaque cognitio, tum quæ in contemplatione rerum conſiſtit, tum quæ ſanitatis cuſtodiam, morborumque ſanationem, complectitur, artis medicæ parti fundamenta præbet; quas duas partes ut veteres aliquo ſigno exprimerent, *Æſculapio* patri hinc *Hygeam*, illinc *Teleſphorum*, in monumentis junxerunt. Quis autem ſine Anatome naturam morborum in- Pag. 15.
telligat, quæ ſcilicet in fabricæ humani corporis mutatione conſiſtit? Et quis ſine hac arte illis auxiliis recte utatur, quibus & vita ſervari ſolet, & ſanitas reddi; maxime cum, niſi vitæ in corpore ſuperſtitis vires acceſſerint, quæ utique a fabrica partium pendet; exiguus, vel nullus, eſſet eorum auxiliorum effectus futurus. Neque tolli Anatomes 16, 17.
utilitatem exiſtimandum eſt hoc, quod morborum multi ſponte ſanantur, multi contra inſanabiles ſunt. Per Anatomen potius licet utriusque generis morborum eventum certo prædicere, ac fuit ſine dubio etiam via reperta morbis, qui curationem recipiunt, vel pauciſſimis medicinis, vel victu tantum, aut fontana aqua, aut etiam exſpectatione, medendi. Ad quas omnes Anatomes utilitates & hæc tandem 18.
accedit, poſſe per eam inefficaciam plurimorum auxiliorum, quorum vulgo exiſtimatur occulta aliqua vis eſſe, clare cognoſci, ac deberi Anatomæ laudem liberatæ a ſervitute præconceptarum opinionum nobiliſſimæ medicæ artis, ad quam rem plurimum contulerunt *Borellius*, *Redius*, ac *Bellinius*. Sunt autem permulti, qui, ullam Anatomes utilitatem eſſe, negant. Iique tum ad *Hippocratem* & Empiricorum Me- 19-24.
thodicorumque ſectas provocant, qui ab omni humanorum corporum ſectione abhorruerint, tum ad *Galenum* ac *Celſum*, qui, inutilem eſſe, præcipue ſubtiliorem, quam vocant, Anatomen, perhibuerint. Sigillatim vero *Lockius*, quem, Cel. Autor dicit, ſe certo ſcire, permultum ad *Sydenhamii* ſcripta contuliſſe, nullum plane fructum ex Anatome ad medendi artem redundare, contendit propterea, quod nihil ad animi, elementorum cohæſionis, earumque rerum, cognitionem faciat, in quibus, ut internæ motuum cauſæ, ſic etiam vita & ſanitas, nec non morbi, conſiſtant, ad quorum ſana-

tionem efficaciſſima auxilia, ab hominibus ſecandi artis ignaris, per ſolam experientiam, reperta ſint. Quare ſine ulla noxa poſſit omnis humani corporis cognitio negligi, quæ per
Pag. 24. Anatomen acquiritur. Quod qui contendunt, non videntur ad hoc attendiſſe, quæ in corpore motus producit, vim, quamvis incomprehenſibilis naturæ ſit, in manifeſtis tamen
25. partibus, ſenſibilique modo, ſuos effectus edere, cumque in harum rerum mutatione evidenter internæ morborum cauſæ conſiſtant, debere utique permagnam Anatomes in medendi
26. arte utilitatem eſſe. Per quam quot malorum ſedem poſſumus judicare, eventum prævidere, curam dirigere, accuratius, quam veteres? quorum permultos errores, ut hoc exemplo utamur, in iis morbis per Anatomen cognovimus, qui, quæ partes ad reſpirationem, ſanguiniſque motum, faciunt, graviſſime affligunt. Et, quod ad venereos morbos attinet, nonne per anatomicas diſquiſitiones factum eſt, ut cum ſedem mali accuratius, quam olim, ſciamus, tum quoque incertis olim periculoſiſque auxiliis ſecure atque feliciter utamur. Nam, quod *Benevenutus Cellini* teſtatur, *Berengarius*, etſi Anatomicorum ſui temporis princeps, tam parum feliciter tamen mercuriales inunctio-
28. nes adhibuit, ut cogeretur Roma exire. Atque Guajaci ligni uſus, cum nondum fuerit ſecundum anatomicam cognitionem examinatus, noſtra ætate æque ac olim incertus eſt, atque periculoſus. Ut vero maxima ſit experimentorum in medicina neceſſitas ad vires medicinarum cognoſcendas, recte tamen hæc inſtituere, verumque a falſo diſtinguere,
29, 30. niſi per Anatomen, non licet. Neque ſine hac uti magno cum fructu aliquis poterit accuratiſſimis *Hippocratis* ſcriptis, a nullo vulgarium Medicorum lectis. Saltem, in manu medendi arte permagnam Anatomes utilitatem eſſe, nemo audet
31. negare. Eſtque per hanc maxime factum, ut noſtræ ætatis Chirurgice antiqua præſtet. Accurata enim membrorum cognitio multis curationibus excogitandis occaſionem attulit, quarum vel nullam, vel tam parum accuratam, veteres notitiam
32. habebant, ut fere ſemper per mortes experimenta facerent. Cui rei fidem facere tum ſuffuſionis curatio poteſt, tum calculi.

Neque

Digitized by Google

Neque volvulus cognoſci, niſi per Anatomen, potuit, per Pag. 33.
quam etiam intelligere eorum caſuum naturam licuiſſet, in 34.
quibus ſuccurrere ægris noſtræ ætatis Medici non magis po-
tuerunt, quam veteres ſplendidæ illi perſonæ, cujus *Celſus* in
*Præfatione* mentionem injecit. Præter hæc corporum ani- 35.
mantium cognitio pluribus aliis utiliſſimis artibus utilitatem
affert, & de plantis doctrina æque parum clara, atque olim,
futura eſſet, niſi ipſis fuiſſet Anatome, præcipue a *Malpighio*,
adhibita. Quæ variæ animantium corpora ſecandi artis uti- 36.
litates ut omni tempore homines excitaverint ad ejus ſibi
cognitionem acquirendam; fuerunt tamen ipſius progreſſus
multis ac pæne inſuperabilibus impedimentis retardati. Ex 37.
quorum numero apud omnes propemodum gentes ſangui-
nis averſio fuit, in quo nempe olim animam reſidere exiſti-
mabant. Qui vero nihilo minus judicio prævalentes homines 38.
ad hanc utiliſſimam artem animum applicabant, partim ani-
mantibus, ad ſacrificia æque ac cibum aliterque apertis, uſi
ſunt, unde comparata Anatome orta eſt, partim humanis
quoque corporibus, caſu inciſis, quod ab Empiricis lauda-
tam vulnerariam Anatomen conſtituit. Neque vero fidem 39.
facere ſuæ opinioni illi queunt, qui, capitis damnatos homi-
nes a Medicis olim vivos inciſos eſſe, exiſtimant, quamvis li-
citum ea ætate fuerit, qui vel jus ſocietatis non habere puta-
bantur, vel privatæ poteſtati ſubjecti, occidere. Fuit ta- 40.
men ſecandi ars per ſectionem corporum hominum, qui ſup-
pliciis perierunt, tum maxime, qui morbis ſublati, promo-
ta. Ut vero, quæ ad omnium artium ac ſcientiarum hiſto- 41-46.
riam, ante Græcorum tempora, pertinent, denſiſſimis tene-
bris obvoluta ſunt; ſic etiam Anatomes origo fruſtra apud
gentes Græcis priores quæritur. Nam, quæ de ejus ſtudio,
apud antiquiſſimos Ægyptios, dicuntur, partim leviſſimis con-
jecturis niti, partim ad recentiora tempora pertinere, certiſ-
ſimum eſt, & jam ante Cl. Autorem a doctiſſimis viris oſten-
ſum. A Græcis autem, eorumque Heroibus, præcipue ex 46, 47.
*Homero* conſtat, cum vulnerariam Anatomen excultam fuiſ-
ſe, tum quoque comparatam, in qua præterea a *Pythagora*



Digitized by Google

diſcipulis, a *Democrito*, *Hippocrate*, *Diocle*, *Praxagora*, &
*Ariſtotele*, multum elaboratum fuit. Primus autem videtur
*Herophilus* hominum mortuorum corpora inciſiſſe, cui, ut
ejus fragmenta teſtantur, quicquid fere boni de Anatome ve-
teres Autores habent, debetur; qui cum, *Ptolemaeo* Ægyptia-
cum regnum condente, Alexandriæ inclaruerit, vera Anatome
habenda eſt tercentos circiter annos ante Chriſti nativitatem
Pag. initium ſumſiſſe. Namque ab hoc ſapientiſſimo Rege, qui,
49-51. quo erat in bonas literas animo, celeberrimum illud Muſeum
Alexandrinum conſtituit, data Medicis fuit humana corpora
incidendi facultas. Quo ut permultum exculta optima ars
fuit; ſic poſtremorum *Ptolemaeorum* ætate, apud quos in nullo
fere pretio literæ erant, prorſus fere neglecta. Neque excita-
ta iterum ad Anatomes ſtudium Ægyptiorum ingenia fue-
52. runt, poſtquam ſub Romanorum ditionem venerunt. Quo-
rum Imperatorum temporibus, quod *Galenus* & *Rufus Ephe-
ſius* ſcribunt, Anatome in Alexandrina ſchola partim in ali-
quot humanorum corporum oſſea compage, partim in ani-
53. mantibus, oſtenſa fuit. Ex quibus prælectionibus, ac *Herophili*
ſcriptis, pariter ac picturis quibusdam & ſimiarum ſectione,
(nam humana corpora non incidit,) tantum profecit *Galenus*, ut
tradere hanc artem poſteris poſſet, &, quo minus prorſus negli-
54. geretur, impedire. Quæ tamen, deleta Alexandria, neque ab
Arabibus fuit, neque a Latino-barbaris, exercita. Sed poſt
55. antiquiſſima tempora cœperunt primum humana corpora A.
56. 1316 iterum Bononiæ ſecari, in qua urbe, præcipue poſt A.
1500, ab *Achillino* & *Berengario*, in hominum, qui ſuppli-
cio perierant, corporibus oſtenſa Anatome fuit, quæ deinde
in Pariſienſi ſchola, & per *Veſalium* in Patavina & Piſana,
progreſſus fecit, tumque apud Hiſpanos etiam inter licitas
57-59. artes haberi cœpit. Poſt hæc *Leonis* & *Clementis*, hosque
ſequentium Pontificum, in Anatomen amore factum eſt, ut
in Romana ſchola *Columbus* obſervationes ſuas facere, *Eu-
ſtachius* admiratione doctorum dignas tabulas parare, poſ-
ſet, & *Varolius* in cerebri naturam inquirere. Maxime-
que ſuperiore Seculo apud omnes cultiores gentes in
no-

Digitized by Google

noſocomiis, & ſigillatim Florentiæ, gratia *Ferdinandi II*, Magni Ducis Hetruriæ, mortuorum corporibus frequenter inciſis, permultum promota ſecandi ars fuit, pulcherrimisque inventis a *Borello*, *Stenone*, *Bartholinis*, *Redio*, *Bellinio*, ornata. Quibus & microſcopiorum & injectionum uſus acceſſit, quarum liquidæ jam olim a *Carpo* & *Euſtachio*, ſolidæ autem, ſed liquefactæ a *Suammerdamo* & *Ruyſchio*, adhibebantur. Tumque variæ fuerunt ab Anatomicis hanc artem docendi viæ excogitatæ. Ex quibus ſe Autor dicit in prælectionibus ſuis, de tota Anatome habendis, ita ſynthetica uſurum eſſe, ut, quantum poſſit, a ſimpliciſſimis ad compoſita procederet, ſingulorumque membrorum ac viſcerum minutiſſimis quibusque conditionibus expoſitis, quæ ex his in Phyſiologia & utraque medendi arte conſequuntur, fallacibus conjecturis omiſſis, deduceret. Analytica vero uſurum ſe eſſe monet in Chirurgices ſtudioſis habendis prælectionibus. In utrisque Italica potius, quam Latina, lingua uſurus eſt, quia hæc audientis mentem a primo ſcopo, intelligendi ſcilicet ſermonem, quaſi abducat. In quo errore Autorem verſari, eo magis miramur, quo minus ipſe vel ex Appendice hujus libri videtur a ſtudio Latinarum literarum alienus eſſe. Finem tandem huic ſermoni imponit Cel. *Cocchius*, laudes cum Magni Hetruriæ Ducis, jam Imperatoris, *Franciſci*, tum *Verrazani*, Senatoris, celebrando, quo potiſſimum autore factum ſit, ut *Cocchius* conſtitueretur, qui in ſchola Florentina Anatomen publice doceret. Appendix, cujus ſupra mentio facta eſt, duo Fragmenta, alterum *Herophili*, alterum *Aſclepiadis* Bithyni, continet, quorum illud ex *Libro III Apollinis Citienſis* de Articulis deſumtum eſt, inediti Autoris, & qui videtur ſexaginta ante Chriſti nativitatem annos vixiſſe. Habentur ejus ſcripta pariter ac *Aſclepiadis* Fragmentum in antiquiſſimo aliquo Codice, qui olim a *Laſcari* ex Græcia allatus, jam Mediceam Bibliothecam ornat, & Græcorum de Chirurgica arte ſcripta, magnam partem inedita, continet. *Herophilus* in eo Fragmento, quod ex Libro *de Cauſis* eſt, in femoris luxatione monet, ligamentum teres rumpi, propterea-

Pag. 60-65. 66. 68-72. 74, 75. 78. 79. 80-82.

potteaque, etſi recte repoſitum, contineri tamen in ſede ſua
Pag. 90. non poſſe. *Aſclepiades* vero articulos docet nonnullos et-
91. iam a longo morbo excidere, quod tamen, Cl. *Cocchius* ait, ſe
aliquando oſtenſurum eſſe, fere ſic fieri, ut os femoris, non
85-88. niſi ſummo capite fracto, & in ſinu relicto, elabatur. Præter-
ea, occaſione prioris Fragmenti nonnullis *Celſi* locis lucem affundere Cl. *Cocchius* ſtuduit ope vetuſti alicujus membranei Codicis, qui in eadem Bibliotheca Medicea ſervatur. In eoque, ubi ſecundum pleraſque editiones in *Libro VIII Cap.* 20 legitur: *Protarchus Heraclides* reperiſſent, lectio hæc habetur: *Protarchus*, *Heraclides*, quid qua vi reperiſſent. Ex qua lectione, atque *Heraclidis* Tarentini verbis, huic *Celſi* loco reſpondentibus, quæ *Galenus* in *Lib. IV de Articulis* ſervavit, vera videtur lectio formari poſſe. Et, quæ in fine ejusdem *Capitis* apud *Celſum* in noviſſimis editionibus leguntur, verba: Poteſt tamen conditus articulus medius, aut ſummus, canaliculo aliquo contineri, ea in eodem Codice in *Cap.* 24 leguntur, quod rei quam maxime conſentaneum eſt. Præterea, ex hoc Codice, Autor exiſtimat, veram lectionem *Celſi* reſtitui poſſe in hoc Præfationis loco, ubi legitur: Nam ne uterum quidem &c. quæ verba in eo Codice ita concepta ſunt: Nam uterum quidem, qui minus ad rem pertineat ſpirante homine, poſſe diduci. Etiam in *Lib. VII Cap.* 26 ex hoc Codice legendum eſſe ait: qua reſima plaga eſt. Tandemque notatu quam maxime dignum eſſe videtur, hunc Codicem eam lacunam, quæ in *Lib. IV Cap.* 20 in omnibus Codicibus habetur, longe majorem, ſcilicet a verbo, *imponere* ad *coeuntia*, oſtendere.

## LECONS DE PHYSIC EXPERIMENTALE, &c.

hoc eſt,

## *LECTIONES PHYSICÆ EXPERIMENTALIS; Autore Abbate NOLLETO, Academiæ Scientiarum Pariſienſis, & Societatis Regiæ Londinenſis, Socio.*

*Tomus I.*

Digitized by Google

## Tomus I.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1745, 12 maj.
Plag. 18, Tab. æn. 18.

Ea eſt ſeculi noſtri felicitas, ut, relictis inanium verborum nugis, & vanis hypotheſium figmentis, in eo tandem convenerint ad unum omnes, naturam per experimenta eſſe explorandam, nulliſque, niſi experiundo comprobatæ, ſententiæ locum in Philoſophia naturali eſſe concedendum. Cum igitur celeberrimi in quavis gente viri certatim in eo deſudarint, ut de quovis Phyſices objecto varia experimenta cum cura inſtituerent, inſtitutave repeterent; res eo deducta eſt, ut hodie inſignem innumerabilium experimentorum apparatum poſſideamus, ex quo depromere licet concluſiones, tam ad perveſtiganda naturæ arcana, quam ad ipſum uſum vitæ, utiliſſimas. Attamen inficias iri nequit, hoc ipſo iis haud adeo eſſe conſultum, qui ad contemplationem naturæ primum accedunt; atque experimentorum ope ſibi ſolidiorem ejus cognitionem comparare cupiunt. Inter experimenta enim, quæ in ſcriptis phyſicis traduntur, multa jam obſoleta, eorumque loco alia vel accuratiora, vel magis perſpicua, inventa ſunt; plurima contra, quibus incognitæ antea veritates deteguntur, quotidie inſtituuntur; omnia autem ita ſunt in variis & non cuivis obviis ſcriptis diſperſa, ut non ſine inſigni laboris & temporis diſpendio optima eorum conquirere liceat. His igitur acceptiſſimum ſit, neceſſe eſt, præſens Opus Celeberrimi *Nolleti*, quo perſpicue oſtendit, ſe non minus eſſe ſollicitum in recenſendis experimentis, quam peritum in inſtituendis. Poſterius quidem conſtat inter omnes, qui curſibus Phyſices experimentalis, quos plurimis abhinc annis ſummo cum applauſu Pariſiis inſtituit, præſentes adfuerunt; prius luculentiſſime docet ipſa Operis inſpectio, omnia libri optimæ frugis requiſita præ ſe ferentis. Methodo uſus eſt optima, & maxime naturali, atque in quavis materia ea ſelegit, quæ ad ſolidiorem naturæ cognitionem inprimis conducere poſſunt. Eum autem ſervavit ordinem, ut primo rei

diſtinctam notionem, & quæ de ea generatim dici poſſunt, ſtabiliat, dein experimenta, quorum ope cognoſcitur, exhibeat; in quibus ita quidem verſatus eſt, ut primum declaret *præparationem*, ad illud inſtituendum neceſſariam, poſtea *effectum* ipſum exponat, tum *explicationem* ejusdem ex principiis phyſicis proferat, denique *applicationem* ad alia phænomena, vel ad uſum vitæ artiumque culturam, tradat. Stilum adhibuit maxime perſpicuum & planum, ut ab omnibus, etiamſi nulla adhuc rerum phyſicarum mathematicarumque cognitione imbutis, intelligi poſſit. Quæ enim iis, qui longius in ſolidiori harum rerum cognitione procedere cupiunt, inſervire poſſunt, ea peculiaribus *Tomis* reſervat. Experimenta denique pauca quidem, ſed ea, ſelegit, quæ ad ſtatum rei omnium optime declarandum, atque veritates maximi momenti demonſtrandas, accommodatiſſima ipſi viſa ſunt; quamobrem etiam non dubitavit, interdum experimenta valde ſimplicia & notiſſima afferre, modo fini huic inprimis inſerviant.

Sed age, paulo pleniorem ipſius libri notitiam Lectoribus noſtris impertiamus. Diſtinguitur ille in varias Lectiones. *Lectio prima* conſiderat proprietates corporum maxime generales, *extenſionem* ac *diviſibilitatem*, *figuram*, & *ſoliditatem*. De diviſibilitate materiæ inprimis notatu digna eſt obſervatio Cel. *Reaumurii*, ex qua patet, unciam auri adeo extenuari poſſe, ut conſtituat laminam, cujus latitudo $\frac{1}{18}$ unius lineæ, longitudo autem 444 milliarium, quorum unum contineat 2000 hexapedas Gallicas; unde numerus partium viſibilium in auri uncia fere vim omnem imaginationis ſuperat. Figura corpuſculorum illuſtratur formis inſectorum minimorum, quæ in fluidis variis, ut in aqua in qua variæ plantæ ſunt maceratæ, aceto, aqua teſtas oſtrearum replente, &c. reperiuntur. *Lectio ſecunda* verſatur circa *corporum poroſitatem*, *compreſſibilitatem*, & *elaſticitatem*. In doctrina de poris corporum notat uſum vernicis ad inducenda ova, quo fit, ut, poris ipſorum occluſis, per longum temporis ſpatium incorrupta conſervari poſſint; quod inprimis uſum habere poſſet in Hiſtoria naturali, ad peregrina avium

genera

genera in noſtras regiones commode transferenda. Experimentum illud notatu digniſſimum, de aqua globulo metallico incluſa & compreſſa, quod Academiæ *del Cimento* debetur, ipſe Autor, ſæpius iteratum, verum deprehendit, adeo, ut, globo ope parvi torcularis compreſſo, aqua ſub forma roris per ejus poros tranſudaverit. Expoſitis ſic qualitatibus corporum palmariis, & maxime ſub ſenſus cadentibus, addidit Autor digreſſionem de ſenſibus, & modo, quo corpora eos afficiant. Sequens *Lectio tertia* agit de *mobilitate corporum*, ipſoque *motu*. Ante omnia conſiderat vim inertiæ, qua corpora omnia motui reſiſtunt. Porro evolvit ideam motus in genere, velocitatis, &c. ut & vis mortuæ ac vivæ, de quarum menſura diſceptationem paucis tantum attingit, in neutram partem judicio *ſuo inclinans*. Dein aggreditur ipſas leges motus, ac primo quidem *motus ſimplicis*. Quæ hac de re dicenda ſunt, ea diſpoſuit ſecundum tres leges motus notiſſimas. Primo itaque eam conſiderat legem, qua corpus omne, ſemel in motu conſtitutum, pergit moveri uniformiter in directum, niſi mutetur a cauſa externa. Duæ autem inprimis dantur cauſæ in rerum natura, quæ omnia corpora mota afficiunt, eorumque celeritatem continuo imminuunt, reſiſtentia mediorum, & frictio. Reſiſtentiam conſiderat, quatenus pendet & a denſitate medii, & a ſuperficie corporis moti, & ab ipſa ejus velocitate. Frictionem in duas ſpecies primarias diſcernit. Aut enim eædem partes unius corporis applicantur ſucceſſive diverſis partibus alterius, ut fit, ſi corpus ſuper plano protrahatur; aut diverſæ partes unius applicantur ſemper diverſis alterius, v. c. ſi corpus ſuper plano provolvatur. Facile autem patet, illam hac eſſe multo efficaciorem in corporis motu imminuendo. Hoc vero notatu dignum, priorem augeri quidem creſcente corporis velocitate, dari tamen maximum quoddam, ultra quod reſiſtentia, quam corpori infert, pertingere nequit. Hæc enim reſiſtentia exinde oritur, quod eminentiæ unius corporis continuo incidant in cavitates alterius, unde pars vis motricis impendenda eſt ad illas a ſe invicem extricandas, partimque



Digitized by Google

prominentias rumpendas. Si itaque creſcat corporis velocitas, numerus eminentiarum, ex cavitatibus attollendarum, vel partim rumpendarum, dato tempore evadet major, ipſaque adeo reſiſtentia. Quodſi vero eo uſque augeatur celeritas, ut, antequam prominentia iterum in proximam cavitatem decidat, ipſum corpus per ſpatium notabile promoveatur; clarum eſt, reſiſtentiam ſic multum imminui, idque continuo, quo rapidior corporis motus ſupponitur. Generatim utramque frictionis ſpeciem pendere & a quantitate ſuperficierum, (contra quam quidam Phyſici ſtatuere voluerunt,) & a quantitate preſſionis, magis autem ab hac, quam ab illa, augeri, perſpicuis experimentis evincit. Sequuntur jam duæ reliquæ motus leges: nempe mutationem in corpore ſemper eſſe proportionalem cauſæ; & reactionem actioni æqualem. Quemadmodum occaſione legis primæ conſideraverat cauſas, velocitatem corporis imminuentes; ita nunc in eas inquirit, quæ directionem ejus immutant. Hoc primo accidit, ſi corpus ad ſuperficiem fluidi appellat, in eaque refringatur, qua occaſione explicantur notæ refractionis leges; dein, ſi corpus impingat in obſtaculum immobile, ibique reflectatur; denique, ſi duo corpora mobilia ſibi occurrant, & utriusque vel celeritas, vel directio, immutetur. Huc itaque pertinet doctrina de colliſione corporum, & quidem directa, quo ſpectantes leges palmariæ atque notiſſimæ ordine ſuo explicantur, & experimentis corroborantur. Atque hic finis eſt eorum, quæ *primo* hocce *Tomo* ſibi pertractanda ſumſit Autor. Hoc ſaltem adhuc monebimus, eum ſpondere in Præfatione tale quid, quod omnibus Phyſicæ experimentalis cultoribus gratiſſimum fore, confidimus: peculiari nimirum Opere ſe acturum de Inſtrumentis, ad inſtituenda experimenta neceſſariis, eaque tam ſeligendi, quam conſtruendi, ratione; cujus rei jam ſpecimina quædam in *Commentar. Acad. Pariſ. A. 1740 & 1741* exſtant. Promiſſi hujus ut memor ſit Cl. Autor, in emolumentum ſcientiarum maximopere optamus. Ceterum *Tomorum* præſentis Operis inſequentium notitiam propediem Lectoribus noſtris ſumus exhibituri.



Digitized by Google

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum Scientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis IV Pars II.*

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1746, 8.

Plag. 12.

Scenam aperit B. *Petri Zornii Diſſertatio* de נשיקה, hoc eſt, *de Vita & morte beatorum per oſculum.* De morte beata commentatus fuit Vir olim Celeberrimus, antequam rebus humanis diceret ultimum vale, ac ſeſe ad æterna componeret. Omen ſane fauſtum! Scripſerat Autor hoc opuſculum eo conſilio, ut id eſſet ſacrum exequiale & literarium filio ſuo unico, *Adriano Philippo*, Thorunii A. 1742, 29 Jul. variolis Thorunii exſtincto, ipſe ei mox aggregandus. Ex 93 mortis generibus, quæ numerantur Ebræis, mors leniſſima & placidiſſima eſt, quam בנשיקה appellant, quando Deus os ſuum quaſi ad os moribundi applicat, animamque ſic elicit, teſte *Jalkut Rubeni f. 86, 2.* Judæorum de opinione *juſti*, quos vocant *perfectos*, non moriuntur ab angelo mortis, ſed Pag. 194. tantum per oſculum. Originem phraſeos ipſi deſumſerunt ex *Deut. XXXIV, 5*, ubi *Moſes ad os Domini* על פי יי *mortuus* eſſe dicitur. Phraſin illam iidem ſignificatu proprio acceperunt, in vita interpretatione genuina. Oſculatur Deus ſuos in hac etiam vita *Cant. I, 2; VIII, 3.* Oſculatur eos idem obituros. Oſculum hoc Judæi varie exponunt. Expoſitiones haſce promit Autor, ac ſimul de communione piorum 206. cum Meſſia & Deo myſtica diſſerit. *Secundo* loco apparet M. *J. F. Friſchii Obſervatio ſacra, fictum Iſraëlitarum furtum de liberatione Ægyptiorum intelligendum eſſe, demonſtrans, ad loca Exod. III, 22, & XII, 36.* Veram Cl. Autor interpretationem tum ex vocabulorum vera ac genuina indole, tum ex rerum connexarum ſerie, forma, & fine, confirmat, additque 208. teſtimonium *Joſephi.* Primo quidem animum attendit ad vo-

cem נצל, cui poteſtatem *trahendi* inhærere oſtendit. Id ſtabilit non ſolum ex aliquibus hujus vocabuli adjunctionibus, ſed ex ex iis quoque loquendi modis, ubi eo *detrahere*, *extrahere*, *ſubtrahere*, & quæ his ſunt ſimilia, ſignificantur. In *Pſ. LXIX*, *51*, ea vox denotat actionem *extrahendi* ex luto. Conf. *Pſ. CXLIV*, *7*. De extractione e manibus hoſtium id vocabulum alibi paſſim adhibetur. Id ipſum de Deo, facultates
Pag. 209. *Labani* detrahente, accipitur *Gen. XXXI*, *16*. De *ſubtrahendo ex oculis* teritur *2 Sam. XX*, *6*. Metaphorica inde *liberan-*
211. *di* notio defluxit. Tum vero Autor objectiones, quæ ipſi obſtrui poſſunt, amolitur. Reſpondet ad locum *2 Par. XX*, *25*. Addit, dici *Exod. XXXIII*, *6*, Iſraelitas ſibi ornamenta ſua *detraxiſſe*, ויתנצלו, non ſpoliaſſe. Abeſt igitur a נצל
217. notio *ſpoliandi*. Ægyptii certe de emigratione Iſraelitarum gaviſi ſunt, *Pſ. CV*, *38*. Conſentit *Joſephus Ant. Jud. II*, *5*. Subdit tandem Autor refutationem opinionum, ſibi obſtan-
220. tium. Succedit huic Diſſertationi *Commentatio Jo. Georgii Walchii D. de Luthero Jenenſi*. Jena gloriatur merito de *Luthero*, ac jure illum ſibi vindicat, ſive ad facta, ſive ad doctrinam, ſive ad ſcripta illius, quæ ſunt Jenenſia, animum adverteris. *Lutherus* Jenam venit, ut *Caroloſtadium* A. 1524, 22 Aug. ab errore revocaret. Acta ibique geſta Ven. Autori viſum
226. fuit dare integra. Academici Witteberga, quam infeſtabat peſtis, A. 1527 Jenam ſeceſſerunt. *Lutherus* tamen
229. Wittebergæ reſtitit incolumis cum *Joanne Bugenhagio* & Diaconis. *Antonius Muſa* A. 1528 primus Evangelicam eccleſiarum Jenæ *viſitationem* obiit. Academiam Jenæ condidit *Joannes Fridericus* Elector A. 1548, a filiis ejus A. 1558 conſecratam in
231. præſidium ſolatiumque doctrinæ, per *Lutherum* repurgatæ. Prodierunt *Lutheri* ſcripta Jenæ conjunctim, Germanica non ſo-
233. lum, ſed etiam Latina. Germanicis colligendis ac edendis intentus fuit *Joannes Fridericus*. Inſtitutum perfecerunt tres ejus filii, patre A. 1574, 3 Mart. mortuo. Editio Jenenſis prima in lucem prodire cœpit A. 1555, ſecunda A. 1560, tertia A. 1566, quarta A. 1675, & quinta A. 1685. Scripta *Lutheri* Germanica & Latina, quæ Wittebergæ fuerant evulgata,

Digitized by Google

gata, multum trahebant nævorum. Lis inde coorta de principatu editionis vel hujus, vel illius. *Nicolaus Amsdorffius* & *Matthias Flacius* pugnabant pro editione Jenenſi, *Chriſtophorus Waltherus* pro Vitebergenſi. Exſtant præterea quatuor Volumina ſcriptorum *Lutheri* Latinorum, quæ Jenæ lucem viderunt A. 1556, 1579, 1600. Inter Codices MStos Bibliothecæ Jenenſis ſunt nonnulli ad *Lutherum* referendi, e. g. duo Volumina ejus Epiſtolarum, quibus *Jo. Aurifaber* uſus eſt, cum *duos Tomos Epiſtolarum Lutheri* ederet, alterum Jenæ A. 1556, alterum A. 1565 Islebiæ. Majore accuratione Codicem illum ſecutus eſt B. *Jo. Franc. Buddeus* in *Supplemento Epiſtolarum Lutheri*, Halæ A. 1703 edito, & A. 1717 in *Collectione nova Epiſtolarum Lutheri*. Ibidem aſſervatur verſio Germanica Nov. Teſt. *Lutheri*, formis publicis *Jo. Luffti* Vitembergæ A. 1540 in 4 deſcripta, variisque obſervationibus manuſcriptis inſtructa, nec non alia Vet. Teſt. A. 1539 fol. Vitembergæ ad V. T. edita. In templo oppidano Jenenſi invenitur egregium monumentum chalceum, quod accurate effigiem *Lutheri* exhibet. Confectum eſt id *Joannis Friderici*, Electoris Saxoniæ, juſſu, ut Vitembergæ tanquam epitaphium poneretur. Infelix autem Muhlbergenſe, quo minus id fieret, impedimento fuit prælium. Unde accidit, ut id Vinariam, ac poſtea Jenam, transferretur. Hic Dux *Jo. Guilielmus* id in templo collocari juſſit. Legitur ſupra illud hæc inſcriptio: *Nos, Dei gratia, Joannes Guilielmus Dux Sax. Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, hanc Lutheri effigiem non cultus, ſed memoriæ, gratia huc poſuimus anno 1571.* Reliqua jam omittimus, memoratu utique digna. Vocat nos Rev. *Jo. Frid. Falckii, Corbejenſis, de Codice Traditionum Corbejenſium inedito, propediem edendo, commemoratio, ſeu Promulſis.* Ediſſerit inibi Autor inſtitutum ſuum, originem ſcripturæ, & Codicis antiquitatem. Exponit ſuam explicandi Codicem illum rationem. Recenſet ea, quæ in edendo Opere ſequentur. Raritatem Codicis prædicat. Uſus inde hauriendos expromit, elucentes in genealogiis explendis ac emen-

Pag. 236. 238. 239. 242.

dan-

dandis, in etymologiis ac onomatologiis, in Hiſtoria civili & eccleſiaſtica, in antiquitatibus Juris Germanici, atque in medii ævi Geographia, nec minus in dijudicandis Sigillis. Addit ipſe præterea ſpecimen quoddam, traditionum indicem, ſeu rationem, oſtendens, cui annotationes adſperſit ſuas; & rarius *Ludovici Pii* Diploma ſubjunxit. Excipit hunc laborem *Diſſertatio Joannis Chriſtophori Harenbergii de reformanda*
Pag. 272. *Geographia mathematica, eaque practica.* Exponit primum ea, quæ ad figuram telluris definiendam faciunt, ac *Newtonianis* accedit, quibus obſervationes itinerum mathematicorum, in Lapponiam ac Peruviam ſuſceptorum, juſſuque Regis Galliarum peractorum feliciter, momentum adjunxere
277. potiſſimum, quo ipſa *Newtoni* ſententia emendatur. Additur nonnihil de *Caſſinorum, Mairani, Deſagulierii*, ac aliorum, monitis; de differentia motus pendulorum per regiones, ad
283. ſeptentrionem magis magisque recedentes; de incrementis ſtudii, Geographiæ practicæ jam olim impenſi, ac de ejus nævis; de emendatione Tabularum Geographicarum proxime
291. ſperanda; de methodo B. *Joannis Matthiæ Haaſii*, in locum *Sanſonianæ* collocanda, ac uſu terenda; de Meridiano primo vario, atque optimo eo, quem *De l' Isle* determinavit; de Tabulis longitudinum ac latitudinum, ac harum obſervationibus;
308. de littorum deſcriptionibus; de Tabulis, pro Geographia priſci ævi adornandis; ac de *Melite*, *Pauli* naufragi hoſpitio, in Adria, nullatenus in mari Ionio, vel Siculo, quærenda, ac loco quodam *Ptolemæi* Geographi corrupto. Animus porro
313. advertendus eſt ad M. *Gottl. Erdm. Zeibichii Quæſtionem conjecturalem de Jove Vicilino, ad Livii XXIV, 44.* Dolendum ſane eſt, quæſtionem de nominibus ac cognominibus Deorum diſſenſionibus veterum ſcriptorum eſſe implicatam, ac amiſſu librorum, de Diis olim conſcriptorum, obſcuritati
315. immerſam. Difficultas accedit huic obſcuritati nova, ſi nomen Dei cujusdam duntaxat apud ſcriptorem unicum, unicoque tantum loco, legitur. Talis erat Deus *Pauſus*, *Vibilia* Dea, *Jupiter Velſurus*, *Cingiduus*, *Paganicus*, *Vicilinus.* Locum

*Livii*

Digitized by Google

*Livii* ipſum Vir Cl., illuſtravit. Idem, ſibi probabile videri, oſtendit, *Jovem Vicilinum* exſtitiſſe Deum tutelarem vico- Pag. 323.
rum, atque adeo ruſticum numen. Fuit quidem *Jupiter*, vel *Jovis*, urbis urbiumque cuſtos. Fuerunt tamen & vicis ſua numina, ſui lares, agri cuſtodes, Dii *πεδιονόμοι*, quos *Æſchylus τοῖς πολιέχοις θεοῖς* oppoſuit. *Apollinem* a ruſticis fuiſſe cultum, conſtat. *Bacchum* quoque vicis præeſſe, veteres voluere. *Priapum* ſpurcum omittimus jam indictum. Vici Attices æque ac aſtu *Minervam* voluerunt tutatricem. *Dianam* a vicis cultam, tradit *Pauſanias*. *Venerem* Cenchreis præſediſſe, notum. 334.
Nec *Pluto* in enumerandis vicorum Diis prætereundus. Veteres *Jovem* dixerunt *Larem cæleſtem*, id eſt, cœli præfectum. *Jupiter Axurus* arvis præſidere traditur a *Virgilio Æn. VII, 799.* In Inſula Italiæ, Capreis, *villa* exſtitit *Jovis*, teſte *Suetonio* in *Tiberio Cap. 65.* *Jupiter* 344.
*Labrandenſis* haud ignotus eſt, dictus a *Labranda*, vico Mylacenſium in Caria. *Jovem Vicilinum* Noſter non differre a *Paganico*, tandem nobis perſuadet, oſtendens, eum vicorum viarumque præſidem exſtitiſſe armatum, ægida tenentem. *Heſiodus* pluries hunc vocavit *αἰγιόχον*. *Vicilinus* videtur dictus ex *viculo*, quaſi *Viculinus*. Dixit & ediſſeruit Cl. Vir omnino ea & ſolide & eleganter, quæ de argumento ſatis obſcuro probabiliter poterant exponi. Sequitur difficillimam tractationem *Frid. Ottonis Menckenii Obſervatio ad tria Valerii Maximi loca.* *Primus* locus legitur *I, 5, §. 4,* ubi pro ver- 365.
bo *perſediſſet* reſcribendum eſt *perſtitiſſet*. Nam *diu ſtare* eſt *perſtare* apud *Valerium*. *Secundus* obviam ſe dat lectori locus *IX, 12 Ext. §. 10,* ex quo vocula *ne* eſt exterminanda, ac reponenda *ut*. *Tertius* locus ſe offert *VII, 6 Ext. §. 3,* ubi vox *libertatis* eſt retinenda, licet ad eam omnes fere ad unum Critici offenderint. In præſens rurſum, ſi hoc adjicere licet, ita ſumus animati, ut judicium noſtrum hic ſeponamus, noſtras vero opellas

arbitrio uſibusque civitatis eruditæ permittamus, in judicio ejus acquieſcentes.

## *HISTORIA VITÆ ET OBITUS JOANNIS Henrici Suiceri, Joaanis Caſpari filii, S. S. Theologiæ Doctoris, Canonici & Profeſſoris Tigurini, Antiſtitis & Conſiliarii Archipalatini Reformati, celeberrimi, Autore JOANNE RUDOLPHO WOLFIO, Eccleſiæ Wyacenſis in agro Tigurino Paſtore, & claſſis Egliſovianæ Decano.*

Tiguri, apud Heideggerum & ſocios, 1745, 4.

Plag. 14.

Deſcribunt vitas Poetæ, Oratores, Hiſtorici. Illi quidem poeticis utuntur fictionibus, imaginibus, genio, verbis. Iſti, ſive laudationes conſignent ἀναλυτικῶς, ſive συνθετικῶς, oratoriam exornationem ac παθοποιΐαν, cum locis communibus longioribus ac generalibus accommodationibus admiſcent. Hi demum vel pragmatici ſunt, vel narratores. Priores illi regulas prudentiæ & conſiderationes breviores inſerunt; poſteriores ſaltem res circumſtantes ſecundum ordinem vitæ referunt; utrumque genus ſtilum amat tenuiorem ac floridum. Ad primaria maxime genera quod attinet, ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, cavendum eſt. Multo magis autem, ne fiat omnium iſtorum generum confuſio. Quatenus illas regulas obſervaverit Clariſſimus vitæ hujus, literariæ potiſſimum, Autor, penes alios eſto judicium. Nos, hic parum penſi habentes, quid genius, aurem vellens, dixerit, quidve antiquus Poeta, cujus locus digreſſionibus viam longioribus ſternit, ipſam vitæ *Suicerianæ*, dignæ omnino narratu, conditionem quæ ſpectant, obſervemus. Patria is Tigurinus,

ex

Digitized by Google

ex familia, quæ principi Helvetiorum pago Suitiæ primordia debet, unde A. 1401 *Jo. Baumgartnerus*, qui eſt inter Noſtri majores, Tigurum migravit, natus fuit A. 1646, die 6 Aprilis. Avum habuit *Rudolphum Suicerum*, V. D. M. Paſtorem primo Cynopedianum, poſt Owangenſem, & Capituli Cynopediani Decanum; patrem A. 1643 Paſtorem Baſadingenſem, ſequenti præceptorem primæ claſſis Carolinæ, ac præcentorem in templo Baſilico, A. 1646 Collegii novi Inſpectorem, & Profeſſorem linguæ ſanctæ in Collegio humanitatis, unde ad alias dignitates adſcendit. Doctores coluit filius *Henricum Wolphium*, *Jo. Lavaterum*, *Caſp. Hirzelium*, *Jo. Huldricum*, & anno ætatis 12 ad humaniora ſtudia promotus, ſub *Caſp. Wolphio*, ſeniore, *Jo. Lavatero*, *Henr. Ottio*, *Jo. Müllero*, profecit, inprimis autem parenti Græca debuit & Ebræa, Philoſophiam a *Jo. Caſp. Waſero* præſertim didicit; quo & Præſide anno ætatis 17 autor de Metaphyſicæ exiſtentia, & ab aliis diſciplinis differentia, publice diſputavit, laudatum quoque *Müllerum* in Hiſtoria eccleſiaſtica ducem elegit. Inde ad Theologos tranſiit, *Henricum Hottingerum* & *Henricum Zellerum*. A. 1664, Præſide *Jo. Henr. Zellero*, examen ſummæ cum laude ſuſtinuit ſacrum, & paulo poſt, habita oratione ſacra δοκιμαστικῇ, ad miniſterium ſacrum conſecratus fuit, anno ætatis 18, ſimulque Philoſophiam docere diſcipulorum omnis generis frequente confluxu cœpit. Poſtea nobili juveni, *Geroldo Edlebachio*, moderator conſtitutus, iter ſuſcepit literarium d. 20 Aprilis A. 1665 per Helvetiam & Germaniæ partem. Genevæ quatuor menſes conſumſit, linguam Gallicam addiſcens, alia privatim docens. Hanoviæ primum linguæ Græcæ ac Philoſophiæ Profeſſor conſtitutus eſt a Comite *Friderico Caſimiro*, non ſine æmulis ac malevolis, virtutis comitem perſentiſcens. Habuit ibi A. 1665 d. 15 Octobris Diſſertationem philoſophicam, quæ breve & ſuccinctum theoreticæ Philoſophiæ theatrum exhibuit; die 20 Octobris Orationem auſpicalem, quæ tota hic inſeritur. Hinc ſub anni ſequentis initium Logicam docere, & Epiſtolam ad Romanos explicare, cœpit. Opus



Digitized by Google

hic ſuum adeo diligenter & fideliter obiit, ut nullam horam, intercedentibus graviſſimis etiam curis, negligeret. Quæ propoſiturus erat, diligentiſſime prius meditabatur, ita ut non ſolum literis, ſed etiam memoriæ, mandare ſoleret omnia. Propoſuit etiam alias Diſputationes, Decadem poſitionum phyſicarum de ecſtaſi, Decadem poſitionum logicarum, de Logica in genere, Exercitationes logicas, nova methodo adornatas, tres. Orationes etiam ſacras in cathedra Gallica non raro habuit, tam feliciter eadem in lingua progreſſus. Nec minus in Poeſi profecit. Revocatus autem anno nondum elapſo in patriam eſt, ibique Orationem habuit, quæ & ipſa hic legitur, qua impoſſibilem Reformatæ eccleſiæ cum Romana ſyncretiſmum compoſite monſtravit. Hinc 3 Nov. Birmenſtorffenſium Paſtor eſt conſtitutus. Paulo poſt *Annam Mariam Edlebachiam*, nobilis *Jo. Jac. Edlebachii*, Mecænatis ſui, filiam ſibi deſponſavit, & cum ea die 27 Octobr. A. 1668 conjugium iniit, quæ vero anno ſubſequenti morte ipſi fuit erepta. Anno poſt ad ſecunda Noſter vota tranſiit, ducendo *Dorotheam Hurteram*, *Jo. Caſpari Hurteri*, Scaphuſiani præpoſiti Wagenhauſenſis, filiam. Interim etiam elaboravit Compendium Phyſicæ *Ariſtotelico-Carteſianæ* methodo erotematica, cui breve & ſuccinctum Philoſophiæ theoreticæ theatrum præfixit. Editus eſt liber Amſtelodami A. 1685, atque iterum A. 1691, adjecta ad calcem Ontoſophia *Claubergiana*, Baſileæ. A. 1679 Apocalypſin explicare niſus eſt. Liber autem, qui inſcribitur *Orbis & eccleſiæ fata*, non paucos habuit malevolos. Cum optimus *Suiceri* parens, ſenio fractus, miſſionem obtinuiſſet, eidem in Profeſſione Græca & Canonicatu A. 1684 ſuffectus Noſter eſt. A. 1692 Scholarchæ dignitas acceſſit, quo & Ebrææ linguæ Profeſſionem accepit. Neque tamen & hic intactus impetu malevolorum manſit. Compoſuit inde, cum pluribus aliis ſcriptis, Epiſtolam apologeticam, quæ hic inſeritur tota. Alium quoque ſenſit caſum A. 1700, qui tertiis nuptiis locum fecit; cum ex ſecunda conjuge, per triginta annos, quindecim ſuſtuliſſet liberos. Sed lætiora ſequebantur fata, cum Princeps Elector

Pala-

Digitized by Google

Palatinus, ſplendidis conditionibus oblatis, Antiſtitem & Conſiliarium rei ſacræ primarium nominaret. Ideo Auguſtæ Rauracorum ſummos in diſciplina ſanctiore honores obtinuit, cujus dignitatis Diploma hic legitur. Scriptum eſt hoc a *Sam. Werenfelſio*, Brabevta, A. 1705, & abſenti miſſum. Sed Heidelbergæ non diu vixit. Ec enim poſtquam venit, aquis Swalbacenſibus utebatur, tam ſiniſtro ſucceſſu, ut mortem cum vita commutaret. Adeo & hæc mutatio fuit periculoſa.

## *RATIO ORDINATIONIS VERBORUM, PRISCIS Romanis Seculo aureo uſitatæ, quoad fieri potuit, expoſita ab AUGUSTINO GABRIELE GEHLIO, Gymnaſii Stad. Rectore. Ad genium Latinum ex Virg. Ecl. 7:*

Nos te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si te docta cohors ornaverit, aureus eſto!

Hamburgi, apud Chriſt. Wilh. Brandt, 1746, 4.
Plag. 13.

Laudamus diligentiam Cl. Autoris, qui, quod maxime optarent eruditi, cum ad firmius fundamentum pertineat Latini ſermonis, ejusdem ordinem certis quibusdam regulis, quæ ſaltem accuratiorem perquiſitionem merentur, includere laboravit, easdemque, ſcriptores liberos ac numeris adſtrictos conjungens, XXX nominatim regulis incluſit. Officio nobis noſtro feciſſe ſatis videmur, ac nucleum libri propoſuiſſe, has ipſas ſi breviter excerpamus. Sunt autem I: Pars orationis Latinæ eſt vel *pathetica*, id eſt, quæ voce vehementius *contenta* pronuntiari ſolet, vel *ſignificans*, quo digitum quaſi ad rem *animo* auditoris, aut lectoris, *infigendam* intendimus, eamque *diſtinctam* volumus; e. g. verba *Ciceronis ad div. I, 5, 12: Coram me tecum hac eadem agere ſape co-*

*nantem deterruit pudor quidam pæne ſubruſticus*, ex mente Noſtri primum verbum habent παθητικὸν, ſeu tonicum, poſtremum ſignificans, ſeu diſtinguens. II: Perſona, vel ejusmodi quidpiam, quod ſubjectum Philoſophis appellatur, ſignificanter ſequitur partem orationis patheticam. III: Præponitur autem, quotiescunque naturaliter & propter argumentum prius concipitur, vel eſt ipſum patheticum, aut etiam ad orationem refertur antecedentem. IV: Quod cum præceptionibus ſuperioribus eſt continens, nomina, pronomina, verba, adverbia, ſive pathetica, ſive connectentia, præcedunt partes orationis reliquas, etiam conjunctionem & relativum. V: Verbum continuo ſequitur particulam connectentem, vel quamcunque connexionem, propter ultimam partem orationis ſignificantem. VI: Partes orationis patheticæ & ſignificantes habent verbum medium. VII: Sæpe πάθος quoddam videtur *duo verba*, vel *participium* cum verbo, *adjectivum* item, præcedere, nec tamen magnopere curatur, eamque ob cauſam verbo *finito*, aut *infinitivis, poſſe, ſolere*, &c. terminatur. VIII: Ceterum omnino ſolent Romani *participium, adjectivum, pronomen, ſubſtantivum*, & *adverbium* etiam, ordinare, ne verbum, alioqui ſecundum Germanos recentes præponendum, fere obtineat locum ultimum. IX: Sæpe tamen, inverſo ordine, *verbum finitum* orationem orditur, more Germanorum, idque propter finiens *nomen, pronomen, verbum*, & *adverbium* ſignificans. X: Cum *interrogatur*, *verbum* finitum capiat locum *ultimum*. Solet tamen et fere verbum vel ob πάθος ordiri, vel illud prope ultimum excipere pars aliqua *ſignificans*. XI: *Verbum*, (participium, nomen, pronomen,) loco *medio* poſitum, proxime *aliud verbum* (participium, adjectivum,) ſequitur, idque *regens* unam, vel aliquot ſimul *partes ſignificantes*. XII: Disjunguntur autem duo verba, nec jam obtinent locum medium, propter *partem patheticam*, cui *verbum poſterius* cedit, ac fere in locum ultimum rejicitur. Eadem ratio eſt rejecti adjectivi. XIII: Nomina, pronomina, & adverbia, *ſignificantia* ſolent eſſe *media*

Digitized by Google

*dia* inter *regentem infinitivum* (participium, adjectivum,) & *verbum finitum*, vel, pro illo, infinitivos: *poſſe*, *debere*, *ſolere*, *eſſe*. XIV: Quod modo de infinitivo, participio, adjectivo, *regentibus*, dictum eſt, *non regenti* etiam *adjectivo* convenit, quotiescunque & *patheticum* eſt, & prædicatum, ut præcedat, medioque (rarius ultimo) loco collocetur ſubſtantivum mediocriter *ſignificans*. Quid? quod ſubſtantivum etiam, cum prædicatum eſt, præcedit. XV: *Significans* autem prædicatum habet locum *ultimum*. XVI: *Adjectiva*, (ſubſtantiva,) *pronomina*, & *numeralia*, (præter poſitum Germanico ſimilem, ſermone ordinario, ut: *ſuas* copias, *tuas* literas,) duplici de cauſa ſubſtantivum (pronomen) *antecedunt*, primum, ſi *ſignificans ſubſtantivum* eſt, deinde, ſi ſunt ipſa *pathetica*. XVII: Sed ſequuntur *adjectiva*, *pronomina*, (ſubſtantiva, adjectivis ſimilia,) *numeralia* item, 1) ob ſubſtantivum *patheticum*, 2) cum ſunt ſignificantia. XVIII: Et *genitivi ſignificantes* ſubſtantivum *ſequuntur*. XIX: *Pronominis* (adjectivi etiam & participii minoris momenti, itemque numeralis,) *adjectivo* & *ſubſtantivo* jungendi varia ratio eſt. Nam 1) conſtruitur illud *more Germanorum*, plerumque *ordiens*, antecedensque adjectivum & ſubſtantivum; 2) *ſequitur* πάθος adjecti ordientis; 3) *ſequitur ſignificans* ſubſtantivum, vel adjectivum *medium*; 4) *medium eſt* inter ſubſtantivum & adjectum (raro pronomen) ſignificans; 5) *præcedit* ſubſtantivum, ſequente adjectivo ſignificante (raro ſubſtantivo ſignificante). XX: Ut verbum, ſic aliæ etiam *levioris momenti partes*, partem fere *patheticam* & *ſignificantem disjungunt*. Eadem ratio eſt disjungentis *parentheſeos*. Ceterum maxime hujus loci eſt ſejunctio adjectivi & ſubſtantivi. XXI: *Adjectivum* ſignificans, ad ſubſtantivum antecedentis commatis fere pertinens, refertur ad relativum commatis ſequentis. Hujus loci & ſubſtantivum eſt, poſtpoſitum relativo, e. g. quas feciſſet fabulas. XXII: Particulæ connectentes, *non-ſed*, *primum-deinde*, *et-et*, *aut-aut*, *cum-tum*, cet. ſequuntur verbum (nomen, adverbium,) niſi vel ipſæ patheticæ ſint, vel, ſequente πάθει, ordinantur. XXIII: Conjunctiones, ponomina, & accuſativus cum infinitivo, *interponuntur*,

*ponuntur*, aut *præmittuntur*, ptopter continentem cum ipſis partem patheticam. XXIV: Nomina, pronomina, & adverbia, fere pathetica, *præcedunt verbum* ſic, ut pertinens ad ea *inſinitivus ſequatur*, vel etiam particula dubitanter interrogans cum verbo. XXV: *Ne* (nec) & *quidem* aliqua orationis parte *dividuntur*; *particula* quoque *connectens*, cum *verbo*, vel participio, interponitur. XXVI: *Nec non*, quo vulgo pro *&* utuntur, ita tantum adhiberi poteſt, ſi verbum vel ſequitur, vel (quod raro fit) intelligitur. Reſpondet enim τῷ *nec minus*. XXVII: Adoleſcentibus, rite orationem ordinare cupientibus, incredibile adjumentum afferet ſententiæ alicujus, vel periodi Latinæ, ejusque connexionum, diligens imitatio. XXVIII: *Epiſtolarem* prius *ſtilum* exerceas, quam ad faſtigium illud orationis adſpires; omnia vero hic erunt in *particulis connectentibus* poſita, quas negligere vir ſcriptor poterit, adoleſcens, ut ordine ſe cuidam aſſuefaciat, non debebit. XXIX: Adjumentum opinione majus ad veram ordinationem eſt obſervatio eorum exemplorum, quæ *conſecutioni hodiernæ* noſtræ æqualiter reſpondent, ſive *abſente* particula, ſive, quod frequentius eſt, *ordiente*. XXX: Si, quod ſæpe accidit, Autor aliquis aliter ordinat, vel a reliquis diſcedit, non hoc inconſtantiæ tribuendum, ſed diverſæ cogitationi. Fieri enim poteſt, ut nunc in vi pathetica, nunc in ſignificante, illam ponat. Lectorum judicio permittimus, iſtis de regulis, earundemque pretio, quicquid ſtatuere velint. Nos certe multa ibi bonæ frugis deprehendimus. Inprimis autem *viceſima ſeptima* inter ceteras omnes eminet quam maxime, utpote qua imitatio maſcula, ſtilique copia & varietas, plurimis, iisque elegantiſſimis, exemplis demoſtratur, quippe cum una illa ſententia, *otia dant vitia*, ſecundum 58 diverſa *Ciceronis* loca imitationi ſubjecta toties ac ſæpius aliis verbis proponitur. Applaudimus igitur inſtituto Cl. Autoris, per ſe honeſto, & ita comparato, ut, ſi plana docentis inſtitutio, & ſedula adoleſcentum exercitatio, accedat, hinc multum emolumenti exſpectari juventuti, elegantiorum literarum ſtudioſæ, poſſit.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Februarii Anno MDCCXLVII.*


---

## *BIBLIOTHECÆ MEDICEÆ, LAURENTIANÆ & Palatinæ, Codicum MStorum Orientalium Catalogus. STEPHANUS EVODIUS ASSEMANNUS, Archiepiſcopus Apameæ, recenſuit, digeſſit, notisque illuſtravit, ANTONIO FRANCISCO GORIO curante.*

Florentiæ, ex typographia Albiziniana, 1742, fol. Alph. 2 plag. 16, cum Fig. æn. 26.

Magnum eſt atque illuſtre *Aſſemannorum* in orbe literato nomen, qui Orientis antiqui ruderibus inveſtigandis, & in doctorum hominum utilitatem convertendis, nulli labori, vigiliis nullis, nullis denique periculis & itinerum longiſſimorum incommodis, ceſſerunt. Loquitur hoc abunde Bibliotheca orientalis, a Cel. *Aſſemanno*, Noſtri avunculo, adornata, opus numeris omnibus abſolutiſſimum, & incredibilis doctrinæ, literarumque orientalium peritiæ, teſtis locupletiſſimus, quod hic multis laudibus exornare, eo minus videtur neceſſarium, quo majori cum admiratione ab omnibus, qui harum rerum deliciis ducuntur, exceptum eſt. Habet igitur Florentia, imo habent hoc in eruditionis genere verſati omnes, de quo ſibi gratulentur, quod Codices MStos Orientis, in ſcriniis Florentinis diſpoſitos, e ſitu & tenebris in lucem protraxerit, eorumque notitiam dederit, *Aſſemannus*. Maximæ etiam grates debentur ſummo Germaniæ noſtro Moderatori, *Franciſco I*, Principi ob incomparabilem ergo bonas artes favorem famæ

æternitatem jam dudum conſecuto, cujus Auguſtiſſimo nomini Opus hoc conſecratum eſt. Sub ejus certe divinis auſpiciis non ſolum magnus Etruriæ Ducatus inconcuſſa quiete & felicitate fruitur, verum & eruditi, tanti Principis clementia incitati, in excutiendis Florentinarum Bibliothecarum theſauris veluti certatim laborant. Neque Viri Celeberrimi, *Antonii Franciſci Gorii*, in hoc Opus merita ſicco pede prætereunda ſunt; quem, has ipſas lucubrationes evulgaſſe, Cel. Autor in Præfatione declarat. Non olim cogitaverat is, ſe Bibliothecarum Medicearum indices, ad linguas Orientis pertinentes, unquam contexturum eſſe. In Vaticana enim Bibliotheca abditus, libris ſe atque orientalibus literis hic unice tradiderat. Cum autem poſtea *Joſephus Calaſanctius* Florentiæ ſigna divinitus edidiſſe diceretur, divis ex more Romanæ Eccleſiæ ideo annumerandus; accidit, ut *Clemens XII*, Pontifex Maximus, cauſæ huic rite atque ex ordine cognoſcendæ *Aſſemannum* noſtrum eo delegaret. Hac occaſione data, Florentiæ Patrum ſcholarum piarum hoſpitio uſus eſt, quorum quidem ordinem *Joſephus Calaſanctius*, & religionis & literarum cauſa, fundavit. Cum autem eorundem Patrum doctrina & familiaritate intimius frueretur, cum aliis etiam Florentiæ eruditis amicitiam contrahens, Bibliothecas iſtius loci perſcrutatus eſt, in quibus non pauca orientalis literaturæ vidit monumenta. Duæ autem ex Bibliothecis Mediceis præ aliis in ſui admirationem rapuerunt Noſtrum, Laurentiana nimirum & Palatina, ſed, quod ad orientalium Codicum copiam atque præſtantiam attinet, inprimis Palatina. In hac enim quam plurima optimæ notæ & venerandæ antiquitatis volumina, orientalibus linguis conſcripta, Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Perſica, Turcica, Armenica, Habeſſinica, Coptica, invenit. Dolendum ſimul vehementer cenſuit, tantum orientalis ſapientiæ theſaurum, cum temporum injuria, tum eorum negligentia, qui orientales linguas minus callebant, tam male habitum fuiſſe, ut prope ab interitu abeſſet, neminemque adhuc repertum eſſe, qui hunc theſaurum Latinis hominibus oſtenderet, atque patefaceret, miratus

Digitized by Google

tus eſt. Aderat quidem horum librorum Catalogus, *Coſmi III* tempore ab Anonymo quodam confectus, qui tamen tot nugis erroribusque ſcatet, ut nullum omnino pretium ei ſtatuendum ſit, neque ulla utilitas ex eo poſſit redundare. Autor enim ejus, linguarum orientalium, præterquam Syriacæ, cujus aliqua tinctus erat notitia, plane rudis atque ignarus, confingere interpretationes, quas voluit, auſus eſt, easque adeo monſtroſas atque a vero alienas, ut mirandum vehementer ſit, eum ita audacter atque ſecure imponere lectoribus potuiſſe. Exempli loco Cel. Autor commemorat *Thomam a Kempis*, Arabice converſum, cujus Codici ſcriptor ille præpoſuit hunc titulum Latine: *Hiſtoria Prophetarum Mahumedanorum.* Hujus autem farinæ deliria atque errores bene multi in iſto Catalogo deprehenduntur. Pleraque etiam, quæ legere non potuit, damnavit, adſcripta pleriſque libris hac nota: *Hic liber nullius pretii.* Quæ vero legit ſcriptorum nomina, detorſit vehementer atque depravavit. Hinc, nihil iſto Anonymi ſcriptoris Catalogo Bibliothecæ Palatinæ, & Codicum ejus dignitati, injurioſius eſſe poſſe, Cel. Autor dictitat. Rem vero ſe facturum longe pulcherrimam atque utiliſſimam, animadvertit, ſi Catalogum novum conderet, quo & ſcriptorum nomina, & librorum ſingulorum argumenta, quæque inſuper notatu digna eſſent, breviter & diſtincte complecteretur, & ſub unum veluti conſpectum lectori exponeret. Res laboris & difficultatis utique erat pleniſſima. Confuſi enim inter ſeſe mirum in modum erant Codices, paginæque ſuis locis dimotæ, & in aliena loca, alienaque etiam volumina, immiſſæ, neque ulli in iis libris tituli, aut numeri, aut etiam capita, conſpiciebantur. Nunquam igitur tantum laborem aggreſſus eſſet Cel. Autor, niſi ſecunda auſpicia Magni Etruriæ Ducis, Imperatoris hodie Romanorum invictiſſimi, Procerumque ampliſſimorum hortationes & monita, acceſſiſſent. His enim autoribus atque ſuaſoribus fecit, quantum potuit, ut non in ordinem modo cuncta redigeret, ſuisque locis ac libris diſperſas chartas reſtitueret, ſed etiam ſingulis voluminibus titulos ac breviaria Latine inſcriberet,



Digitized by Google

atque in certas quaſdam claſſes ſcriptores digereret. Quoniam vero nudi ac ſoli voluminum tituli, ſolaque ſcriptorum nomina, Latinis utplurimum auribus ignota, parum, aut nihil, ad ſacram profanamque eruditionem, cujus alioqui ſunt ii libri refertiſſimi, aut ad orientalis etiam hiſtoriæ notitiam, conferre poſſent, niſi obſervationibus quibusdam atque animadverſionibus illuſtrarentur: viſum ſimul ei eſt, ad hunc ipſum Catalogum animadverſiones ſuas atque annotationes adjungere, quibus tum ſcriptorum ætatem, patriam, ſcripta, tum ipſorum Codicum formam, argumentum, tempus, quo ſunt illi perſcripti, judiciumque de his omnibus ſuum, & ſi qua alia de iſtis Codicibus ſcitu notatuque digna occurrebant, accurate & diligenter exponeret. Hoc in labore ſe eo libentius atque alacrius verſatum eſſe, profitetur, quod, hoc pacto gloriæ Mediceorum Principum velificari, & *Annæ Aloyſiæ* Mediceæ, Palatini Electoris viduæ, cujus laudes ampla oratione concelebrat, rem pergratam facere ſe, intelligeret. Humanitate & clementia iſtius Principis adeo ſe ad hunc laborem excitatum eſſe ait, ut, totius operis, atque confecti Catalogi, laus ei potiſſimum debeatur. Optaverat inſuper Cel. Autor, ut, quemadmodum in Vindobonenſis, Lugduno-Batavæ, aliarumque Bibliothecarum, Catalogis factum eſt, ita hæc quoque librorum orientalium recenſio ipſis prius Codicum ſcriptorumque linguis exhiberetur, eique dein Latina interpretatio adjungeretur. Verum defectum hunc typorum, qui ad manum non erant, poſtea, appoſitis ad ſingulos Codices notis, poſitisque ante Catalogum ipſum Syriacis, Arabicis, aliisque etiam aliarum linguarum, titulis, ſi Hebraicos excipias, ſupplendum curavit. Excuſi ſunt iſti tituli Romæ, typis ſacræ Congregationis de propaganda fide. Quorum ſi Latinam interpretationem noſſe quis velit, relegenda ſunt, quæ in ipſo Catalogo ſub numeris Codicum, paginarum, linearumque titulis ſingulis, ſunt prænotata. Ut denique ad majorem Catalogi hujus intelligentiam nihil eſſet, quod Lectorem in orientalibus epochis moraretur, orientales ipſas epochas, ſuis quasque locis ad

æram

Digitized by Google

æram Chriſtianorum exactas, atque ſecundum accuratam celebriorum Chronologorum computationem conſtitutas, apponi curavit. Primum in hoc Catalogo occupant locum Laurentianæ Bibliothecæ Codices. Et quidem Codices ſacri agmen inter eos ducunt. Diſſerit adeo Cel. Autor de ſanctis quatuor Chriſti Evangeliis, a *Rabulo Calligrapho* Syriace A. C. 586 ſcriptis in monaſterio *S. Joannis in Zagba*, urbe Meſopotamiæ. Prioribus Codicis duodecim foliis præfigitur Epiſtola *Euſebii Pamphyli*, Cæſareenſis, ad *Carpianum de Harmonia quatuor Evangeliſtarum*, una cum decem ejusdem *Euſebii* & *Ammonii Alexandrini* Canonibus. Exſtant quoque in illo Codice XXVI picturæ, varias Novi Veterisque Teſtamenti hiſtorias exhibentes, quas, æri inciſas omnes, Cel. Autor edidit, &, quid unaquæque earum contineat, explicavit. Noviori etiam manu in foliis bombycinis conſcriptus in eo Codice viſitur index lectionum Evangeliorum, quæ in Syrorum conventibus ſacris per anni circulum recitantur. Indicem vero hunc Codici a recentiore manu adjectum fuiſſe, ex eo Cel. Autor colligit, quia folia, in quibus eſt ſcriptus, tum minora reliquis membranaceis, tum etiam bombycina ſint, quæ ferme ante Seculum undecimum Orientalibus incognita fuere, cum Codices omnes, memorato Seculo antiquiores, in membranaceis foliis ſcripti cernantur. Quamvis autem index ille Codicis ætatem non æquet; ſatis antiquum tamen eſſe, ex ductu literarum Cel. Autor colligit, Seculo nimirum duodecimo conſcriptum, una cum notulis lectionum, eidem reſpondentibus, quæ in margine Codicis paſſim leguntur, in quibus cum *Severi*, Patriarchæ Antiocheni, mentio fiat, palam exinde fieri putat, ſcriptorem earundem Jacobitica hæreſi infectum fuiſſe. Inſuper, *Matthæum* Hebraice Evangelium ſuum ſcripſiſſe, hoc in Codice innuitur, cum in fine iſtius Evangelii hæc verba legantur: *Explicit Evangelium Matthæi, qui ſcripſit Hebraice in Palæſtina.* Imo verba Chriſti, e cruce pendentis: *Ili, ili, lamma ſabactani*, in Evangelio *Matthæi* interpretatione hoc in Codice carere, eadem tamen verba apud *Marcum* & *Lucam* explicari, & ex eo palam fieri, linguam

Pag. 2.

3-9.



Digitized by Google

Hebraicam, qua *Matthæus* ſuum ſcripſerit Evangelium, re vera Syriacam fuiſſe, tum quia verba illa Syriaci idiomatis ſint, tum quia Hebraicus ſermo, quo ſcriptum eſſe *Matthæi* Evangelium ſupponitur, ſi alienus a Syriaco fuiſſet, prænotatis Chriſti verbis, *Matthæus* utique interpretationem ap-
Pag. 12. poſuiſſet, Cel. Autor monet. Quicquid horum ſit, neminem tamen in hodierna literarum luce in illam ſententiam conceſſurum eſſe, quod Hebraice ſcripſerit *Matthæus*, certiſſime credimus. Uſus apud Orientales invaluit, ut omnia notatu digniora, ne perirent, in ſacris Codicibus deſcriberentur. In noſtro etiam Codice monumenta, ad Antiochenos Maronitarum Patriarchas ſpectantia, & legata, ſeu donationes, monaſteriis patriarchalibus factæ, ad marginem nonnullorum Codicis foliorum annotantur. Ipſa hæc monumenta ex Syriaco & Arabico ſermone Cel. Autor ſumma cum cura affert. Antea vero de horum Patriarcharum origine, ſedibus, ac ſerie, nonnulla præfari, operæ duxit pretium. Syriacam adeo Maronitarum nationem, a prima D. *Petri* in Syriæ partibus prædicatione ad noſtra uſque tempora, Catholicam doctrinam ſic integram illibatamque tenuiſſe, ut inter maxima hæreticorum, ſchismaticorum, atque infidelium, diſſidia & viciſſitudines in nullum unquam errorem inciderit, Cel. Au-
15. tor contendit. Probationis loco excitat antiqua documenta, quæ *Fauſtus Naironius* in Diſſertatione *de origine, nomine, & religione Maronitarum*, A. 1679 Romæ evulgata, attulit. Provocat etiam ad plures ſummorum Pontificum Epiſtolas, ad illos datas, quas omnes ſigillatim excitat, &, a quo, & quo tempore, ſcriptæ fuerint, exponit. Recentiſſima illarum eſt *Clementis XII* ad *Joſephum*, Patriarcham, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Maronitas, A. 1735 data. Omnes illas Epiſtolas in Præfatione Synodi Maronitarum, A. 1736 in monte Libano, præſidente *Joſepho Simonio Aſſemanno*, Noſtri avunculo, celebrata, haberi, commemorat. Cum *Severus*, Antiochiæ Patriarcha, quod duas in Chriſto naturas negaret, & Chalcedonenſe Concilium rejiceret, anno 518 exeunte, depoſitus fuiſſet, in ejusque locum *Paulus* quidam orthodoxus ſucceſſiſſet, ab

eo

eo tempore Antiochenam ſedem in partes ſciſſam eſſe, & Syros Jacobitas cœpiſſe ſuos habere in Syria & Meſopotamia Patriarchas, ab his, qui *Paulum* ante dictum exceperunt, diverſos, Cel. Autor obſervat. Centum fere poſt annis alia in eodem Patriarchatu facta eſt inter Syros Maronitas & Melchitas diviſio, quæ, ex Cel. Autoris ſententia, ad noſtra uſque tempora perduravit. Qui nimirum Syriam & Phœnicen ſub uno eodemque Patriarcha conſtituti incolebant, in duas civiles ſub Saracenici imperii exordio factiones ſciſſi ſunt, quorum alii, qui Imperatori Conſtantinopolitano parebant, Syro vocabulo *Melchitæ*, id eſt, *Regii* & *Imperiales*, dicti fuerunt, alii, qui, Imperatoris jugo excuſſo, proprium ſibi ducem creantes, Phœnicen maritimam & mediterraneam obtinuerunt, *Mardaitæ*, ſeu *rebelles*, appellati ſunt. His poſtea Maronitarum nomen eſſe impoſitum, Cel. Autor obſervat, quod, *Theophane*, communi utriusque gentis Patriarcha, defuncto, *Joannem*, e celebri Sancti *Maronis* ad Orontem fluvium poſito Monaſterio, Patriarcham ſibi crearunt, cujus tempore Mardaitarum nomen in Maronitas tranſiit. Id A. C. 685 accidiſſe, memoratæ autem illius factionis initia ad annum circiter 622 referenda eſſe, ex annalibus Arabicis Patriarchæ *Stephani Aldoenſis*, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, & Synodo Maronitarum, A. 1736 celebrata, liquere, Cel. Autor monet, ex cujus etiam Synodi actis originem hanc Maronitarum Patriarcharum ſe decerpſiſſe, fatetur. Patriarchalis igitur ſedes Antiochena, quæ una fuerat, totique Orienti imperaverat, in quinque partes Seculo ſeptimo ſciſſa eſt. Unaquæque enim Chriſtiana gens proprium ſibi conſtituit Præſulem: Melchitæ ſcilicet, Jacobitæ, Neſtoriani, Armeni, quibus Seculo duodecimo ſextus acceſſit, Latinorum nempe Patriarcha. Cum enim Latini, ſeu Franci, terram ſanctam & Syriam obtinuiſſent, A. C. 1101 primum Latini ritus Patriarcham *Bernhardum* a Pontifice Romano præficiendum ſibi curarunt, &, quamvis ſexaginta poſt annis e Syria excedere a Saracenis coacti eſſent, titularem tamen Antiochiæ Patriarcham ad hunc uſque diem retinent. *Joannes* igitur, de quo ſupra dictum eſt, primus Maronitarum Pa-

triarcha

Digitized by Google

Patriarcha exſtitit. Quamvis autem ei titulus Patriarchæ Antiocheni, approbante Pontifice, fuerit conceſſus; cum tamen Antiochiæ propter alienigenas ſedere nequiverit, idcirco in Phœnice, ſive in monte Libano, ſedes patriarchalis collocata eſt. Ex annalibus interim Maronitarum conſtat, A. C. 685 ad noſtram uſque ætatem, modo in una, modo in altera ex tribus diœceſibus, Botrienſi ſcilicet, Byblienſi, ac Tripolitana, pro temporum locorumque opportunitate, ſedem patriarchalem fixam eſſe, ita tamen, ut non ſemper eodem in loco conſtiterit, neque easdem ſibi eccleſias & monaſteria Patriarchæ elegerint. Has ipſas igitur ſedis patriarchalis mutationes in ſubſequentibus Cel. Autor fuſe ediſſerit, & monumenta, quæ in margine Codicis Syriace leguntur, & Maronitas reſpiciunt, ſubjungit. Ex his autem Codicis hujus monumentis palam fieri ſtatuit, illum Codicem a monaſterio S. *Joannis* in urbe *Zagba*, ubi ſcriptus eſt, ad monaſterium S. *Mariæ de Maiphuc*, in provincia Botrenſi, Seculo circiter undecimo fuiſſe delatum, juſſu Patriarcharum Antiochiæ; deinde ad monaſterium S. *Mariæ de Kannubin* perveniſſe, ibique uſque ad A. 1497 permanſiſſe, tandemque in Laurentianam Mediceorum Principum Bibliothecam, in qua nunc aſſervatur, delatum eſſe. Summo eum in pretio eſſe habendum, ſummaque cum cura cuſtodiendum, inculcat, cum traditiones, ceterique eccleſiaſtici ritus, ex monumentis, margini adſcriptis, apprime comprobentur, & Eccleſiarum hiſtoria, præſertim Antiochenæ Maronitarum, ejusque cum Romanis Pontificibus vetuſtiſſima communio & concordia, illuſtretur. Huic Codici alium quendam, quatuor Evangelia complectentem, Syriace conſcriptum, Cel. Autor adjungit. Ante Seculum Chriſti nonum eum eſſe conſcriptum, ductus literarum indicare videtur. Sub initium legitur Epiſtola *Euſebii Pamphili* ad *Carpianum*, ejusdemque *Harmonia Evangelica*, decem Canonibus comprehenſa. Verba Chriſti, e cruce pendentis, uti in ſupra memorato Codice, apud *Matthæum* non explicantur, unde, hunc Codicem ejusdem cum illo vulgatæ Syrorum editionis eſſe, Cel. Autor exiſtimat. Pertimuit

Pag. 16 ſeq. 24. 25.

olim

olim hic Codex tum ad Archipreſbyterum *Clementem*, tum ad *Barſaunam*, & *Salomonem*, & *Philippum*, ejusdem *Clementis* filios hæredes, a quibus paulo poſt ad monaſterium S. *Sergii in Hardin*, diœceſeos Tripolitanæ, mox ad Cœnobium S. *Mariæ in Janoch*, diœceſeos Botrienſis, demum ad Cœnobium S. *Mariæ de Kannubin* translatus, ad uſum Patriarcharum Maronitarum pervenit. Apparent hæc ex monumentis, paſſim in margine hujus Codicis comparentibus, quorum contenta Cel. Autor fuſe & accurate exponit. Mentio inter alia his in monumentis fit *monialis incluſæ*, ad cujus rei illuſtrationem Cel. Autor obſervat, præter moniales Cœnobitas, ſeu communem vitam agentes, quarum plurima hodie monaſteria in Oriente viſuntur, aliud genus monialium viguiſſe olim apud Chriſtianos orientales, ac præſertim Maronitas Neſtorianos, & Syros Jacobitas, quas incluſas vocarunt, ideo, quod, poſtquam in monaſterium admiſſæ fuerant, & triennio primo cœnobiticam vitam egerant, eis cella prope monaſterium tradi conſuevit, in qua, interdicto quovis hominum conſortio, ad mortem uſque clauſæ vixerunt. Hujus generis monialium mentionem injicere *Thomam*, Epiſcopum Margenſem, qui ſub *Abrahamo* & *Theodoſio*, Patriarchis, ineunte Seculo nono, claruit, in *Hiſtoria monaſtica*, ab ipſo confecta, quæ Syriace in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, idem declarat. Similem Evangeliorum Codicem Syriacum, in urbe Edeſſa Meſopotamiæ A. 757 conſcriptum, affert, &, hunc temporis characterem ex nota Calligraphi, ad calcem appoſita, apparere, conſtituit. *Matthæum* Hebraice Evangelium compoſuiſſe, *Marcum* vero Latine ſcripſiſſe, in eodem Codice legitur. *Pſalterii* Codex Syriacus, in quinque libros diviſus, in eadem Bibliotheca comparet. Quilibet *Pſalmus* in verſus dividitur, quorum numerum Cel. Autor indicat. *Cantica* inſuper, in Veteri & Novo Teſtamento comparentia, v. c. canticum *Moſis* & *Mariæ*, quæ ad calcem omnium fere *Pſalteriorum* orientalium adjici ſolent, & hic adjecta ſunt, eorumque indicem Cel. Autor ſuppeditat. Seculo decimo quarto hunc Codicem eſſe exaratum, ſubſcriptio ejus loquitur. Præter alios Codices ſacros Cel. Autor etiam affert *Imaji*

Pag. 26. 28. 31. 35.

*Seehabeddini Acmetis de Secta Sciapheitarum* excerpta varia.
Octoginta quatuor Capitibus ea comprehenduntur, in iisque
politica, moralia, phyſica, quin & politioris literaturæ, argu-
menta tractantur, & Arabum Philoſophorum ac Poetarum
teſtimoniis illuſtrantur. Indicem Capitum, eorumque con-
Pag. 39. tenta, proponit, ex quibus apparet, Theologiam & Ethicam
Muhammedanam in hoc libro contineri. Nomen Autoris,
*Seehabeddin Acmet*, legis *Mahomedicæ* antiſtitem denotat.
Mortuus dicitur iſte homo A. 1331, &, præter excerpta hæc,
Chronicon quoque, ſeu hiſtoriam univerſalem, in quinque par-
tes diviſam, edidit, cujus exemplar, decem Tomis comprehen-
ſum, in Bibliotheca Regia Pariſienſi exſtare, Cel. Autor teſta-
41. tur. Secta autem Sciapheitica, cui ille ſcriptor nomen de-
dit, autorem habuit *Sciapheum*, alias *Abu Abdallah Maho-
med* dictum, *Ben Edris Abdalmothlebi*, *Mahomedis* Pſeudopro-
phetæ patrui nepotem, in urbe Gaza natum A. 767. Hic
poſt ſuſceptam peregrinationem Meccanam A. 813 Ægy-
ptum adiit, ibidemque primus inter *Mahomedanos* librum de
Jurisprudentia edidit, cui adjunctis paulo poſt variis Tractati-
bus, & theologicis, & juridicis, tantam doctrinæ famam
apud ſuos conſecutus eſt, ut ejus ſchola, in ſectam poſtea
converſa, ſecundum locum inter Jureconſultorum *Mahome-
danorum* ſectas, *Malechiticam* ſcilicet, *Hanbeliticam*, & *Hani-
phiticam*, ad hæc uſque tempora obtineat. Varios inſuper
ethicos aſtronomicosque Codices, tam Arabica, quam
Turcica, lingua conſcriptos, nec non varia Alcorani ſcripta
43 ſeq. exemplaria, Cel. Autor recenſet. Commemorat etiam Al-
phabeta diverſarum nationum, ſive linguarum, in Codice
chartaceo a Fratre *Dominico Foſſio*, Florentino, Ordinis Mi-
norum S. *Franciſci*, conſcripta, qui, artem pictoriam exercens,
A. 1545 hoc opus ad proprium uſum adornavit. Bibliothe-
cæ Palatinæ Catalogus eodem ordine, quo prior, eſt compo-
49. ſitus. Biblia nempe ſacra, eorumque interpretes, primum
itidem locum occupant. Commemorat Cel. Autor Vetus
Teſtamentum Syriacum, verſionis Alexandrinæ, quæ ex
Græco ſeptuaginta interpretum concinnata eſt. Duas habere
Syros

Digitized by Google

Syros Bibliorum editiones, obſervat. Altera dicitur *ſimplex*, ſive *vulgata*, & communis, cujus autores, partim *Salomon*, deprecante *Hiramo*, Tyriorum Rege, partim *Thaddæus*, Syrorum Apoſtolus, eſſe perhibentur. Hanc ex Hebraicis fontibus translatam eſſe, & editam legi in Bibliis Pariſienſibus polyglottis, nec non Londinenſibus, Cel. Autor monet. Vocatur autem vulgata, ſeu communis, quia Syri omnes eadem communiter ſuis in eccleſiis utuntur. Poſt quamplurimas ſacri Codicis verſiones, Cel. Autor diſputat de libro *Pſalmorum*, & lectionum ex S. Scriptura, ſecundum ritum eccleſiæ Alexandrinæ Coptorum, per anni circulum inſtitui ſolitarum. Non autem duntaxat partes ſacri Codicis in illorum Pag. 53. hominum cœtibus prælegi ſueverunt, verum & Homiliæ Patrum recitari apud illos ſunt ſolitæ, inter quas etiam *Severi Antiocheni* Sermo *pro Sabbatho ſancto* comparet. Cel. Autor hac occaſione monet, *Severi* iſtius, Patriarchæ Antiocheni, quemadmodum & *Dioſcori Alexandrini* & *Jacobi Baradæi*, hæreticorum, memoriam ſolenni ritu a Coptis coli. Coptos enim, ſi a decem millibus fere diſceſſeris, qui ſub *Clementis XII* auſpiciis Catholicorum dogmata adoptarunt, adhuc hodie Monophyſitarum erroribus infectos eſſe, commemorat. Verſio autem Coptica tam Veteris, quam Novi, Teſtamenti, ex qua deſumtæ ſunt memoratæ lectiones, ex ſententia Cel. Autoris vetuſtiſſima eſt, & Græcæ ſeptuaginta interpretum plerumque conformis. Ejus conditores, quantum e Martyrologio Coptico, quod Arabice ſcriptum in collegio *Maronitarum de urbe* aſſervatur, colligere licet, fuerunt anachoretæ, qui deſerta Ægypti incolebant, anno circiter 336, quo tempore, teſte *Nicephoro*, ſtudium ſacrarum literarum in Thebaide, & per totam paſſim Ægyptum, maximopere floruit. Occaſione Codicis, qui Synodi Maronitarum, autoritate *Gregorii XIII* habitæ, Canones continet, de Conciliis Maronitarum Cel. Autor diſputat. Tria ejusmodi Concilia autoritate 17. Romanorum Pontificum, ab A. 685, quo proprios habere cœperunt Patriarchas, ad hæc uſque tempora, habita fuiſſe, pronuntiat. Illud, ad cujus decreta hic Codex attinet, pri-

num fuiſſe, memorat, ob id indictum, quod Maronitæ apud *Gregorium XIII*, Pontificem maximum, male audirent, accuſantibus eos male feriatis hominibus, quorum tamen calumniæ in hoc ipſo Concilio detectæ ſunt. Exemplaria autem hujus Concilii actorum rariſſima eſſe, & integra, nullibi præterquam in hac Palatina Bibliotheca, & in Collegio *Maronitarum de urbe*, offendi, Cel. Autor nos docet. Altera Synodus habita eſt in Monaſterio Kannubinenſi d. 18 Sept. A. 1596, in quo etiam prior coacta eſt, ſub *Sergio Riſio*, Patriarcha Antiocheno, qui ab anno 1581 uſque ad annum 1596 Maronitis præfuit, præſente P. *Hieronymo Dandino*, Societatis Jeſu, *Clementis VIII*, Pontificis Maximi, ablegato. In hac Synodo rurſus Maronitarum fides, cui Monothelitici erroris nota inuſta fuerat, luculentiſſime aſſerta eſt, conditique Canones 21, cum ad fidem, tum ad morum diſciplinam, pertinentes, quibus additi ſunt alii ſeptem, ſub *Joſepho* Patriarcha, qui d. 3 Novembris A. 1576 Synodum illam dimiſit. Acta iſtius conventus eccleſiaſtici data opera deſcripſiſſe *Hieronymum Dandinum* in libro Italico, cui titulus: *Viſita Apoſtolica al Patriarca de' Maroniti*, Ceſenæ impreſſo, eundemque librum *Richardum Simonium* poſtea in Gallicum ſermonem transfudiſſe, adjectis ſeptem *Joſephi* Patriarchæ Canonibus, Cel. Autor teſtatur. Tertia demum Synodus recentiſſime celebrata eſt autoritate *Clementis XII*, præſide *Joſepho Aſſemanno*, Noſtri avunculo, ſedis Apoſtolicæ legato. Vitam nimirum clauſerat *Jacobus Evodius Aſſemannus*, Noſtri patruus, Maronitarum Patriarcha, A. 1733 d. 19 Februarii, eique unanimi Epiſcoporum ſuffragio ſuffectus eſt *Joſephus Gazenus*, Epiſcopus Auguſtæ in Keſroano. Is, cum intelligeret, quantæ in diſciplinam eccleſiaſticam irrepſerint corruptelæ, literis, una cum univerſo montis Libani clero ad Pontificem atque Congregationem de propaganda fide datis, enixe rogavit, ut *Joſephus Aſſemannus* in Syriam ablegaretur, ut Romanæ ſedis autoritate graviſſimos illos abuſus e medio tolleret, & collabenti Maronitarum diſciplinæ priſtinum decus reſtitueret. Annuit hiſce Cleri Maronitarum precibus Pontifex, &

*Aſſe-*

Digitized by Google

*Aſſemanno*, in Syriam ablegato, tria potiſſimum, a ſacra Congregatione de propaganda fide decreta, exequenda commiſit. Ut nimirum monachos a contubernio monialium ſegregaret, Epiſcopis certas ſedes, titulo reſpondentes, quæque Patriarchæ nutu amoveri non poſſent, adjudicaret, caveretque, ne in ſacrorum ordinum collatione, Sacramentorumque adminiſtratione, quidquam a Præſulibus ac Presbyteris Maronitarum exigeretur; quæcunque demum ulterius emendanda, aut inſtauranda, duceret, unanimi Patrum conſenſu in Synodo pertractaret. Synodus itaque provincialis d. 30 Sept. A. 1736 eſt habita in *Keſroano*, cui Patres omnes & Miſſionarii Latini ſubſcripſerunt, ſeque tum Canones, in eo conditos, tum ſacræ Congregationis decreta, ad amuſſim obſervaturos, ſpoponderunt. Nihilo tamen ſecius, cum iſtius Synodi Canones executioni mandarentur, rerum novarum ſtudioſi quidam ſupra memoratos tres articulos, tanquam nationis honori, & Patriarchæ autoritati, contrarios, omni conatu impugnarunt, effeceruntque, ut Patriarcha Syrus, ac ſi Apoſtolicam ſedem per quosdam Romam mittendos conſulturus eſſet, a ſacra Congregatione flagitaret, ut neque moniales a monachis ſegregarentur, neque Epiſcoporum ſedes certæ firmæque eſſent, ſed omnia Patriarchæ ipſius arbitrio, ut erat antea, relinquerentur. Romam vero oratores miſerunt Maronitæ, de iſtius Synodi iniquitate vehementer quiritantes, quæ certe res maximis motibus præbuiſſet occaſionem, niſi *Benedictus XIV*, hodiernus Pontifex, edita A. 1741 Conſtitutione, hujus Synodi decreta confirmaſſet. Hanc ipſam Pontifi- Pag. 122.
cis Maximi Conſtitutionem Cel. Autor totam exhibet, ſeque acta & hiſtoriam Synodorum Maronitarum publici juris aliquando facturum eſſe, promittit; quod ut propediem fiat, ex animo precamur, cum, nihil niſi egregium & limatiſſimum hoc in genere ab *Aſſemanno* proficiſci poſſe, certiſſime ſimus perſuaſi. *Severi Antiocheni* Epiſtolas, quarum exemplar nec Latine, nec Græce, aut Syriace, alibi, niſi in hac Bibliotheca, deprehenditur, luce non indignas eſſe, judicat Cel. Autor. Inter ſcripta moralia, cujus quippe generis libros bene 129.

 multos

Digitized by Google

multos recenſet, notari merentur *Thomæ a Kempis de imitatione Chriſti Libri quatuor*, e Latino in Arabicum ſermonem Seculo præterito translati, a P. *Fr. Ignatio Aurelianenſi*, Sacerdote Capucino, Ordinis S. *Franciſci* in urbe Aleppo, ubi ſedis Apoſtolicæ miſſionarium egit. Arabicam librorum *Thomæ a Kempis* interpretationem quinquies prelo commiſſam eſſe, Cel. Autor monet. Et primo quidem, Romæ, typis ſacræ Congregationis de propaganda fide, A. 1663, interprete P. *Fr. Cæleſtino a S. Liduina*, Carmelita diſcalceato, prodiiſſe, dictitat. Cum hac librorum *Thomæ a Kempis* editione ad verbum convenit ſupra memorata Patris *Ignatii*, Capucini, interpretatio, quæ cum annos quinque ſupra viginti *Cæleſtini* Carmelitæ editionem præcedat, *Cæleſtinus* Arabicorum *Thomæ a Kempis* librorum, ab *Ignatio* editorum, plagiarius potius,
Pag. 134. quam interpres, dicendus eſt. Recenſet poſt hæc Cel. Autor quamplurima ſcripta philoſophica, ab Arabibus, Perſis, Turcis, & Indis, compoſita. Excipiunt ea Chronologi & Hiſtorici. Inter hos notari merentur Poemata ſex hiſtorica *Narzami Samarkandæi*, Poetæ inter Perſas celeberrimi, &
149. circa annum Chriſti 1194 clari. Exſtat inter illas Poema de amoribus *Choſroæ*, filii *Hormiſdæ*, cognomento *Abruizi*, viceſimi tertii Perſiæ, e ſtirpe Saſſanitarum, Regis, qui ab anno Chriſti 590 exeunte ad annum uſque 628 imperavit, cum *Sirina*, genere Romana, & religione Chriſtiana, quam A. 591 connubio idem ſibi copulaverat. *Sirinam* hanc iſte ſcriptor *Mauritii* Imperatoris filiam vocat, in qua etiam ſententia *Bar. Hebræus* in *Vita Mauritii*, *Elmacinus* in *Hiſtoria Saracenica*, & *Wilhelmus Tyrius*, fuerunt. Eam vero narrationem *Ant. Pagius ad A. 628 num. 5* jam inter fabulas jure ſuo relegavit, eamque fabulam ex eo confictam eſſe docuit, quod *Chosroa* Chriſtianam uxorem habuiſſe dicatur; quæ ſi *Mauritii* filia fuiſſet, id *Evagrius* & *Theophylactus*, illorum temporum ſcriptores, neutiquam ſilentio præteriiſſent. *Joſephum*, filium *Gorionis*, hiſtoriæ Judæorum, ex Hebraico in Arabicum ſermonem converſæ, & in octo Libros diſtributæ, ſcriptorem, cum *Flavio Joſepho*, eruditis notiſſimo, nec non cum

*Joſepho*,

Digitized by Google

*Joſepho*, *Gorionis* filio, belli contra *Ceſtium* duce, cujus meminit *Flavius de Bello Judaico Cap. 25*, nonnulli confundunt, quamvis, hunc longe ab utroque diverſum, & illis recentiorem, eſſe, Cel. Autor rectiſſime obſervet, & *Caveum* conſentientem adducat. Pag. 152. Scripſit autem ille homo quoddam quaſi compendium *Flavii Joſephi* hiſtoriarum, acta ſeptuaginta interpretum, geſta Machabæorum, & excidii Hieroſolymitani narrationem, complectens, quod ex Talmudicis rhapſodiis, & ex Latino *Rufini*, concinnavit. Inſulſus admodum & inficetus ſcriptor Cel. Autori dicitur, qui inſcitiam & malam fidem fere ubique prodidit, ex quo tamen ſolo, quæcunque de Machabæis, & excidio Hieroſolymitano habent, Judæi ſcriptores accipiunt. Editiones Operis varias ex *Uſſerio* Cel. 153. Autor recenſet. In vita *Mahomedis* pſeudo-Prophetæ, Turcico ſermone compoſita, ſcriptor ejusdem anonymus, communem Mahomedanorum opinionem ſecutus, *Mahomedem* natum eſſe affirmat, in valle lapidoſa urbis Meccæ die 22 Aprilis A. 571, parentibus *Abdalla Ben Abdulmutalibi*, & *Emina*, *Wahebi* filia. Ejusdem *Mahomedis* ad munus propheticum vocationem, a qua priores Mahomedani epochæ ſuæ initium duxere, contigiſſe refert anno ætatis quadrageſimo. Migrationem vero, ſeu fugam, ab urbe Mecca ad urbem Medinam, a qua æra Hegiræ ducitur, incidiſſe in diem 12 Julii anni æræ Chriſtianæ 622. Obiiſſe demum anno ab Hegira decimo, & diebus ſeptuaginta, hoc eſt, Chriſti 631 d. 17 Junii. Martyrologium Eccleſiæ Copticæ Arabicum, 156. in duas partes diviſum, acta Sanctorum continet, quorum memoria apud Coptos per anni circulum colitur. Libri, qui 164. ſeriem & geſta Imperatorum Othomanorum Arabice complectitur, contenta & ordinem Cel. Autor ſtudioſe exponit. Tabulæ 213. etiam Chronologiæ dynaſtiarum, ab orbe condito uſque ad A. 1519 a Turcis confectæ, notitiam ſuppeditat, eamque luce dignam eſſe, profitetur. Scriptores dein juridicos 222 ſeqq. Turcorum, tam ad eccleſiaſticam, quam civilem, Jurisprudentiam ſpectantes, exhibet, & prius de diverſis ſectis, in quas *Mahomedis* dogmata amplectentes abeunt, admodum fuſe diſſe-

rit,

Digitized by Google

Pag. 250 seq. rit, ex quibus intelligitur, quamplurimis ſemper laboraſſe religionem iſtam internis diſſidiis. In centum enim & ſeptendecim ſectas antiquiores Mahomedani ſciſſi ſunt, quarum notitiam ex *Iſmaelis Sciabinſciabi Tomo I Hiſtoriæ gentium*, & ex *Sciabreſtani* libro *de veris & phantaſticis religionibus*, hauſiſſe
277. ſe, Cel. Autor profitetur. Præter memoratas autem haſce ſectas, alias etiam quamplurimas apud recentiores Moslemannos
278. occurrere, obſervat, inter quas *Sonnitarum* & *Rapheditarum* hæreſes eminent, quarum illa apud Turcos Arabes, aliasque gentes quamplurimas viget, hæc Perſas habet propugnatores. Ingenitum vero & inexorabile inter has ſectas odium intercedere, Cel. Autor affirmat. Legum interpretes apud illas gentes, in definiendis Juris controverſiis, primum ex Alcorano fundamenta ſententiæ conquirere, &, ſi in illo libro nihil inveniant, ad *Sonnam* Prophetæ, id eſt, traditiones *Mahomedis*, confugere, obſervat. Quodſi nec ex illis aliquid pro re controverſa afferri poſſit, conſenſum Antiſtitum Doctorumque requirunt, &, ſi nec apud illos aliquid offenderint, ipſorum quæſtioni conſentaneum, ad argumentationem denique tranſeunt. Ipſos vero hos Jureconſultos in
283. quatuor ſectas abire, Cel. Autor docet, accuratam de illis ſectis notitiam ſuppeditans. Pandectas, in 38 Libros, varioſque titulos & paragraphos, diſtinctas, Mahomedanos pro norma juris habere, obſervat, earumque contenta per ſingulos Li-
287. bros accurate exponit. Juridicos ſcriptores philoſophici excipiunt, quos inter quamplurimi in *Ariſtotelem* Commentarii, & Compendia dialectica, ex iſtius Philoſophi libris de-
322 ſeq. prompta, Arabice comparent. Poſt hos recenſentur Medici, dein Mathematici, quos inter *Euclidis* elementorum libri, Ara-
342. bice converſi, eminent. Sequuntur eos Lexicographi, & Grammatici. De Alcorani tandem antiquiſſimo Codice, nec
388. non ejusdem interpretibus, & libris precum Mahomedanorum, Cel Autor diſputat. *Alcoranus*, ſeu, ſine articulo, *Coranus*, librum lectionis ſignificat, & ita dicitur, quoniam in eo leguntur Mahomedicæ ſectæ placita. Dicitur & *collectio*, eo, quod ibi collecta ſunt, quæ ſparſim *Mahomedi* pſeudopro-

phetæ

Digitized by Google

phetæ viginti trium annorum ſpatio revelata eſſe finguntur. Vocatur etiam *Alphorcan* a verbo Arabico *pharac*, *diſtinguere*, quaſi diſtinguat vera a falſis, & licita ab illicitis. Appellari etiam conſuevit *Al-Decr*, id eſt, *commemoratio*, ſeu *commonitio*, cum verba Dei commemorare, atque homines per illa commonere, credatur, unde aliis quoque titulis inſigniri conſuevit. Alcoranum non ab ipſo *Mahomede* fuiſſe collectum, & in unum volumen redactum, ſed *Abu-Barum* & *Othmanem* poſt ipſius *Mahomedis* interitum hoc præſtitiſſe, Cel. Autor ex ſcriptoribus rerum *Mahomedicarum* obſervat. Diſtinguitur Alcoranus in *Suras*, id eſt, Capita centum & quatuordecim, & hæc in varios verſiculos, quos Mahomedani *Ajat*, id eſt, *ſigna*, appellant, ac ſi verſiculus quilibet ſignum ſit, vel miraculum. Suræ, ſeu Capita, inſcribuntur vel a materia, quæ in illis tractatur, vel a prima ipſarum dictione, ſecundum morem Hebræorum. Quædam ex Suris vocantur *Macchijat*, id eſt, *Meccenſes*, ſeu *Meccanæ*, quia *Mahomedi* Meccæ revelatæ finguntur, quædam vero *Mednijat*, ſive *Medinenſes*, quod Medinæ traditæ dicuntur. Quædam ex parte Meccanæ ſunt, & ex parte Medinenſes, & pars earum Meccæ, pars Medinæ, revelata fertur. Nonnulla pro dubiis habentur, quas notant interpretes hiſce verbis: *Mochtalaph fiha*, quibus indicant, varias eſſe de illarum revelationis loco Autorum ſententias, utrum ſcilicet Meccæ, an Medinæ, eas acceperit *Mahomed*. Vulgo tamen ſcriptores affirmant, revelatas fuiſſe *Mahomedi* duas & triginta Suras Medinæ, reliquas vero Meccæ. Surarum, ſeu Capitum, & *Ajatarum*, ſeu verſiculorum, Alcorani ordinem & numerum *Poſtellius*, & ex eo *Hottingerus*, jam attulerunt, quos ſecutus Cel. Autor, eundem ordinem hic adhibuit, additis primariis cujuslibet Suræ argu- Pag. 443.
mentis, & præmiis, quæ eam legentibus promittuntur, ex quibus utique ſatis accurata de Alcorano notitia poterit hauriri. Commentariorum dein, in Alcoranum Arabice ſcriptorum, inſignem copiam ſubjungit. Excipiunt eos Poetarum apud 461.
Turcos & Arabes ſcripta bene multa, tandemque Rabbinica 477.

 manu-

Digitized by Google

Pag. 484. ſeq. manuſcripta varii argumenti hoc Opus claudunt. Ut eo commodior ejusdem uſus lectoribus praeberetur, Indices locupletiſſimos eidem adjecit Vir Clariſſimus, *Antonius Franciſcus Gorius.* Digniſſimus vero hic liber eſt, qui ſummo applauſu ab eruditis excipiatur. Non ſolum enim orientalem literaturam mirifice ornat, verum etiam in Hiſtoria eccleſiaſtica, literaria, & philoſophica, miram utilitatem ſpondet, & amœniſſimi exinde flores decerpi poterunt.

*HIEROCLIS, PHILOSOPHI ALEXANDRINI, IN Aurea Carmina Commentarius, Græce & Latine. Græca accuratius nunc recognita, & ad MStorum Codicum fidem exacta, plurimisque in locis e Gudiana Medicei Codicis collatione emendata, una cum Notis ſubjunctis, edidit R. W. S. T. P. Coll. Jeſ. Cant. nuper Socius.*

Londini, typis Jac. Bettenham, impenſis Gul. Thurlbourn, Bibliopolæ Cantabrigienſis, veneunt apud J. Nourſe, P. Vaillant, J. Beecroſt, 1742, 8 maj.

Alph. 1.

Cum doctiſſimus hujus libri Editor in Cl. *Petri Needhami* emendationibus notisque, potiſſimum vero in ipſo *Hieroclis* contextu, ante paucos annos apud Cantabrigienſes edito, quædam ſibi vitia deprehendiſſe videretur, non pauca etiam intacta; curis veluti poſterioribus eundem ſcriptorem ornare atque emendare laboravit. Non indigno, neque irrito plane, id conatu præſtitit, quando haud pauca, quæ, Codicis ſui fide nixus, *Curterius* edidit, a *Needhamo* repetita, vel etiam aliis ex ingenio adaucta, ſub limam vocavit, & ad optimorum Codicum fidem exegit omnia. Ut felicius rem totam perficeret, maximo ipſi adjumento exſtitit MSti Codicis Medicei collatio, a *Marquardo Gudio* facta; quam B. *Jo. Alb. Fabricius* nactus, cum Editore Cantabrigienſi communicatam voluit, ſed caſu quodam interceptam, *Jo. Chriſt. Wolfius* poſtea Lipſiæ edidit A. 1710. Hujus igitur collationis ope Noſter fretus, *Hieroclem* ducentis mini-

minimum locis emendatiorem reddidit; nec minus verſionem in multis locis caſtigavit, & ad Græca magis accommodavit. Dignum *Hieroclis* Commentario aureum illud Carmen eſt; dignus eruditorum ſtudiis *Hierocles*. Aureum illud jure dicimus, ſive ſit *Pythagoræ*, ſive *Lyſidis*, ſive *Philolai*, ſive *Empedoclis*, aut cujuscunque de ſchola Pythagoræorum. Licet ipſe non ſit autor *Pythagoras* quippe per quem jurare videtur *v.47*, habuere tamen antiqui Philoſophi, *Jamblichus*, *Proclus*, *Simplicius*, atque ipſe *Hierocles*, cur doctrinæ totius *σύνοψιν* diſcipulorum omnium nomine, inque illorum uſus, compoſitam arbitrarentur. Hic in eorundem contextu non niſi quatuor loca emendantur. *Verſu* ſtatim *primo* lectionem *διάκεινται* pro *διάκειται*, *v. 13* *ἄσκει* pro *ἀσκεῖν*, *v. 16* *φίλει* pro *φιλεῖ*, *v. 18* *ὡς* pro *ὧν*, probat Noſter. Ad *Hieroclem* quod attinet, ſatis jam inter eruditos convenit, hunc eſſe Seculi quinti Philoſophum Platonicum, qui, cum ſcholæ Alexandrinæ præeſſet, has in aurea Carmina *ἐξηγήσεις* diſcipulis ſuis prælegit. Non autem omnino evictum eſt, qua Seculi parte vixerit. Id quidem ex *Procli Lycii*, ipſius qui prope æqualis fuit, vita, a *Marino* ſcripta, facile diſci poſſe, exiſtimat Noſter. Quippe *Proclus* in lucem editus eſt A. 412, &, cum viceſimum ætatis annum ageret, ſe in *Plutarchi* Athenienſis diſciplinam tradidit, cujus per biennium fuit auditor uſque ad annum 434, quo diem obiit *Plutarchus*. Cum igitur *Hierocles* in libro *de Providentia* apud *Photium Cod. 214* dicat, ſe quoque adoleſcentem ejusdem *Plutarchi* diſcipulum fuiſſe; ſequitur plane, ipſum *Proclo* natu pæne parem, aut paulo fortaſſe majorem, fuiſſe. De *Hieroclis* vero morte conjectandi anſam præbet *Æneas Gazæus* in *Theophraſto*, circa A. 490 ſcripto, ubi, hunc *Hieroclem* ſibi a puero præceptorem fuiſſe, declarat, & ejus meminit tanquam ante annos multos jam mortui. Fuit autem idem profanis ſacris addictus, licet, ad doctrinam morum quod ſpectat, ex fontibus Chriſtianorum non hauſerit pauca. Ut e *Damaſcii* verbis apud *Suidam* apparet, cum eſſet Conſtantinopoli, in offenſionem *τῶν κρατούντων*, ſeu magiſtratuum Chriſtianorum, incurrit, & judicis ſententia lictorum virgis acerbe

caſtigatus, pœnam luit linguæ petulantis, qua procacius Chriſtianorum ſacra violarat. Atque ideo fortaſſe lubentius eam carminum expoſitionem ſuſcepit, ut ruentem in dies Deorum cauſam, qua potuit, palam defendere non auſus, fulciret, atque auditoribus ſuis commendaret. Platonicum ſe eſſe, non raro manifeſtat in ipſa commentatione, e. g. *pag. 5 ſeq.* ubi *Platonis Timæus* τῶν Πυθαγορείων δογμάτων ὁ ἀκριβὴς διδάσκαλος nominatur atque laudatur. Ad quem locum Noſter hæc notat: Ita de hoc *Platonis* libro *Juſtinus Martyr* in *Paræn. ad Græc. pag. 89* edit. Oxon.: ἐν τῷ ἐσπουδασμένῳ αὐτῷ λόγῳ Τιμαίῳ, ἐν ᾧ θεολογεῖν ἐπιχείρει. *Platonis* vero *Timæus* ἀκριβὴς διδάσκαλος dicitur, qui *Timæi* Pythagorici φυσιολογίαν, in libro περὶ ψυχᾶς κόσμω, ibi accuratius perſequitur, atque ipſum *Timæum* introducit περὶ τῶ παντὸς diſſerentem. Sed plurima etiam *Platonis* dicta prædicat e. g. *pag. 24, 182, 250, 252, 304, 308, 310.* Conſentiebant etiam in non paucis cum Pythagoræis Platonici. Ita e. g. *pag. 15 ſeq.* ad *primum* ſtatim *verſum* notat Editor: Hi ἀθάνατοι θεοὶ, quos & οὐρανίους alibi appellat, nihil aliud ſunt, quam ſtellæ in ἀπλανῶν ſphæra, & planetæ, in inferioribus ſeptem ſphæris collocati; quippe, cœleſtia hæc corpora mente prædita, & λογικὰ, atque adeo pro Diis habenda, eſſe, exiſtimabant Pythagorici & Platonici. Ipſe *Pythagoras*, inquit *Laertius*, docuit, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας, εἶναι θεοὺς, quod & de *Platone* notiſſimum eſt; ſicque de octo ſphæris declarat *Alcinous*, πάντες οὗτοι νοερὰ ζῶα, καὶ θεοὶ, καὶ σφαιρικὰ τοῖς σχήμασι, *Doctr. Plat. Cap. 14.* Item *pag. 22 ſeq.*: *Hierocles* per λογικὸν, διάκοσμον vult, ut ex loci ſerie apparet, τὰ τρία γένη τῶν λογικῶν, ſeu ἐγκοσμίων θεῶν, quorum omnium animabus, ex Pythagoreorum & Platonicorum ſententia, dicit σῶμα ἄφθαρτον συμπεφυκέναι, quod eis vehiculi inſtar ſit; illud utique, quod in *Timæo Plato* vocat λεπτὸν ὄχημα ψυχῆς, & σῶμα φωτεινὸν, & αὐγοειδὲς, de quo fuſius poſtea diſſerit *in Comm. in v. 67.* Iſtis Noſtri obſervationibus adhuc aliam, ſpeciminis ergo, ſubjungamus. *Pag. 86* ad verba: κατὰ μὲν τὸ λογικὸν, ἀφροσύνη· κατὰ δὲ τὸ θυμικὸν, δειλία· κατὰ δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν, φιληδονία καὶ φιλοχρηματία· κατὰ

δὲ

δὲ πάσας ὁμοῦ τὰς δυνάμεις, ἀδικία, notatur: Ita fere *Salluſtius* *Cap. 10:* κακία, λόγυ μὲν ἄνοια, θυμῦ δὲ δειλία, ἐπιθυμίας δὲ ἀκολασία, ὅλης δὲ τῆς ψυχῆς ἀδικία. Vides vero, *Hieroclem* hic κακίας τρία εἴδη ſecundum triplicem ψυχῆσ apud Platonicos partitionem diſpeſcere. Nam, ut ait *Epiphanius* in *Expoſ. fid. cathol.* Πλάτων λέγει εἶναι τρία μέρη τῆς ψυχῆς, λογικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικόν. Atque ſic quidem ipſe *Plato* in *Timæo pag. 89:* εἴπομεν πολλάκις, ὅτι τρία ψυχῆς τριχῆ ἐν ἡμῖν εἴδη κατῴκισται. Iſtis obſervationibus, cum de criticis initio nonnihil attulerimus, variam carminis lectionem contemplati; grammaticarum modo, dialectum præcipue ſpectantium, vel duas ſubjungamus. Altera legitur *pag. 102. ſeq. n.113* ad φέρειν αὐτὰ μηδὲν ἐγκαλῦντες, ubi addit: Editor Cantabrigienſis repoſuit hic ἐγκαλῦντας, nullo autore, ſed clamante, ut ait, conſtructione. At meminiſſe debuit, ſcriptores Atticos ad Grammaticorum regulas non ſemper eſſe exigendos, qui, neglectis τεχνολόγων legibus, caſus ſæpe variant, ut *Budæus* aliique dudum obſervarunt. Altera eſt *165 pag. 150 ad participium* φέροντες ſequens: Syntaxis grammatica poſcere hic videtur φέρυσι, ſcilicet ἀκυστέον ἡμῖν - φέρυσι. Sed Atticorum moris eſt hæc caſuum mutatio, ut a *Budæo, Zuingero*, aliiſque, dudum eſt obſervatum. Sic *Thucydides Lib. VII:* Συρακυσίοις κατάπληξις ἐγένετο, ὁρῶντες - ſcil. pro ὁρῶσι. *Dinarch. Orat. contra Demoſth.* ὃ προσεκτέον ὑμῖν ἐςὶ τοῖς τύτων λόγοις, εἰδότας, ὅτι - pro εἰδόσι. Nos quidem dubitamus, utrum talia dialecto, an vitiis ac mendis, ſint tribuenda; ſed noſtrum jam non eſt, eas componere lites. Itaque, laudata potius hujus editionis elegantia & accuratione, tales Scriptorum veterum plures deſideramus.

*BARTHOLOMÆI FACII DE VIRIS ILLUSTRIbus liber, nunc primum ex MSto Codice in lucem erutus. Præfationem, Vitamque Autoris, addidit* LAURENTIUS MEHUS.

Florentiæ, apud Cajetanum Tanzini, 1745, 4.

Plag. 19½.

Qui hunc librum *Facii de Viris illuſtribus ætatis ſuæ* (ita enim inſcribendus erat, ac ſic ipſe *Facius* eum inſcripſit in proœmio,) nunc edidit, poſtquam in Præfatione, ſubductis rite rationibus, docuit, quo tempore compoſitus fuerit hic liber, ſingulari induſtria de vita ejus & ſcriptis differit. Natus ſcilicet *Facius* (ignotum, quo anno,) Spediæ, quod Liguriæ oppidum eſt, *Guarinum* nactus eſt magiſtrum literarum. Hinc *Alphonſi*, Aragoniæ & Siciliæ Regis, creatus Hiſtoriographus, non anno 1465, (quod *Niceronius* tradit,) ſed A. 1457, diem ſupremum obiit. Scripta ejus, quorum editiones Editor diligenter commemorat, hæc ſunt: *Hiſtoria belli Veneti Clodiani; Dialogus de humanæ vitæ felicitate; Liber de excellentia ac præſtantia hominis; Invectivæ quatuor in Laur. Vallam; de rebus geſtis ab Alphonſo, primo Neapolitanorum Rege, Libri decem; Liber de viris ævi ſui illuſtribus; Hiſtoria Alexandri M. verſio Latina.*

Venimus nunc ad hunc *Facii* librum, in quo illuſtres illius ætatis exhibentur *Poetæ pag. 3 ſeq. Oratores pag. 7 ſeq. Juriſconſulti pag. 29 ſeq. Medici* & *Philoſophi pag. 35 ſeq. Pictores pag. 44 ſeq. Sculptores pag. 50 ſeq. cives quidam privati*, quos inter *Coſmus Medices* eminet, *pag. 52 ſeq. copiarum duces pag. 59 ſeq. Reges ac Principes*, quibus immixti Pontifices, *Felix V, Martinus V*, & *Nicolaus V, pag. 68 ſeq.* Ultimum locum tenent *pag. 79 ſeq. Facii* & aliorum ad ipſum Epiſtolæ ſedecim. Inter *Poetas* præcipui ſunt *Antonius Luſcus, Antonius Panormita, Franciſcus Philelphus, Jovianus Pontanus*; inter *Oratores Manuel Chryſoloras, Petrus Paulus Vergerius, Leonardus Aretinus, Ambroſius Camaldulenſis, Leonardus Juſtinianus, Nicolaus Perottus, Poggius, Guarinus, Georgius Trapezuntius, Valla, Gaſparinus.* Referri hunc in ordinem etiam debebat, qui inferius *pag. 41* producitur, *Bernardinus Senenſis*, orator eccleſiaſticus prorſus ſingularis. *Jureconſulti* ii adducuntur, qui in Bononienſi & Patavina Academiis docuerunt. Inter *Medicos* præcipue ſunt memorabiles duo *Brancæ*, pater & filius, Chirurgi egregii, mira arte mutilatas nares & aures reſarcientes. Vitam Pontificis *Nicolai V* & *Alphonſi* Regis, patrono-

tronorum ſuorum, deſcripſit uberius diligentiusque. Hiſtoriæ autem literariæ cultores dolebunt, *Facium* noſtrum nimis eſſe brevem. Nam cujusque viri docti ſcripta, & ne hæc quidem omnia, enumeraſſe contentus, reliquam ejus vitam vel omittit, vel paucis attingit. Non tamen plane inutilis eſt hujus libri editio habenda, cum nonnulli viri docti occurrant, vulgo minus noti, & præterea de viris ſuæ ætatis teſtis fide dignus ſit omnino noſter *Facius*.

## *CORPUS JURIS PUBLICI S. I. R. G. COLLECtum, emendatum, Notis, parallelis locis, & Præfatione, adornatum, a LUDOVICO MARTINO KAHLIO, D. & P. P.*

## *Pars II.*

Gottingæ, impenſis fratrum Schmid, 1745, 8 maj.
Alph. 1.

Exhibemus tibi, Lector, *ſecundum Tomum* Corporis Juris publici, cura, labore, atque ſtudio, Cel. *Kahlii* editi atque illuſtrati. Hoc Volumen quale ſit, & Catalogus, ei præfixus, & noſtra, de *Parte prima* in *Actis* hiſce *Eruditorum* tecum communicata olim, expoſitio, docet. Producuntur autem in novo hoc *Tomo* leges Imperii Romano-Germanici, præcipuæ noviſſimæque, quemadmodum *Volumine primo* antiquiores ſecundum temporum ſeriem, qua promulgatæ fuerunt, prolatas vides. In utroque opere, juſtis aptisque notis, variantibus lectionibus, & parallelis locis, inſtructas deprehendis ſanctiones Germanorum publicas; cujus generis inſtitutum æqui harum mercium æſtimatores dudum exoptarunt. Veliſicaturus igitur deſiderio eruditorum, Autor noſter in ipſa Operis hujus fronte collocavit Pacem Noviomagenſem, inter *Leopoldum* Imperatorem ſuo & Imperii nomine, & *Ludovicum XIV*, Regem Galliæ, pro ſe & confœderatis ejus, initam die 5 Febr. A. 1679. Cum enim Pax Weſtphalica per Noviomagenſe

genſe fœdus & concluſum trium Imperii Collegiorum firmata ſit, id quod Noſter ex *Tom. III pag. 532* libri inſcripti: *Actes & Negotiations de la Paix de Nimegue*, colligit; hanc Pacem merito inſerendam eſſe putavit collectioni legum Imperii fundamentalium; quamvis, ſine conſenſione Statuum eam antea eſſe confectam, oſtendat ipſe Cel. *Kahlius*, provocans ad *Actes & Memoires Tom. III pag. 490. Secundum* locum occupat Inſtrumentum Pacis Noviomagenſis Cæſareo-Suecicæ. Hoc *tertio* loco excipit Inſtrumentum pacis Ryſwicenſis, die 30 Octobr. A. 1697 compoſitæ. Obſervat tamen Noſter, inter Imperii leges fundamentales iſtam non referri a Statibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis. Hinc in lucem publicam exire patitur *den Viſitations-Abſchied des Kayſerlichen und heiligen Rœmiſchen Reichs Cammer-Gerichts zu Wetzlar, nebſt denen hierher gehœrigen Beylagen, von dem Jahre 1713.* Sequitur Pax, inter *Carolum IV* & Imperium ab una, & *Ludovicum XIV* ab altera parte, iterato ſancita Badæ Ergoviæ A. 1714 die 7 Septembris. Raſtadienſis Pax, A. 1714 die 7 Martii ſine conſenſu Statuum inita, ſed deinde rata habita, firmataque ab Imperio R. G. huic Collectioni non inſerta eſt, quia Badenſis pax, uti Cel. *Kahlius pag. 151* recte indicat, prorſus convenit cum Raſtadienſi, quamvis Colonienſis æque ac Bavariæ Electoris reſtitutio clariori ſit modo in Badenſi pace expoſita. Hinc in Notis, huic Paci ſubjunctis, iſtius generis diſcrimina aperuit, quemadmodum reliquarum legum Imperii vel diſſenſum, vel conſpirantes præceptiones, in omnibus hujus Corporis Juris partibus declaravit luculenter. Quod vero ad proteſtationem Statuum Evangelicorum attinet, ratione capitum Badenſis Pacis, Weſtphalicæ Paci repugnantium, remittit nos Editor ad *Elect. Jur. Publ. Tom. VII pag. 237.* Hinc legimus Sanctionem pragmaticam *und beſtændiges Geſetz wegen der Succeſſions-Ordnung, und Vereinigung ihrer Kayſerlichen und Kœnigl. Catholiſchen Maj. Caroli VI Kœnigreiche, Provincien, und Erb-Lænder*, ubi non ſolum, quæ ad legis hujus guarantiam ſpectant, Editor conventiones excitat, ſed & ſcriptorum ingentem multitudinem in calce paginarum affert,

Digitized by Google

aſſert, qui ad hoc faciunt illuſtrandum argumentum. Occurrit deinde fœdus inter *Carolum VI*, Romanorum Imperatorem, & imperium ab una, & Regiam Catholicam Majeſtatem *Philippum V* ab altera parte, ictum Viennæ die 7 Jun. A. 1725. De qua pace Autor noſter ſtatim in limine hæc tradit: *Hoc Inſtrumentum pacis die 20 Junii A. 1725 per Commiſſionis decretum ad comitia deferebat* Carolus VI, *conſenſum Imperii expetens. Deliberationibus in ſingulis Collegiis inſtitutis, die 20 Julii concluſum trium Collegiorum quidem commune excipiebat eas; ſed juſtis de cauſis in Principum Collegio ſe oppoſuere Legatus Magdeburgicus æque ac Cellenſis, quippe qui vota ſua ad Protocollum dabant, inconſuetum eſſe allegantes, ut Legati in negotiis Imperii concluſum forment, antequam deſuper a Principalibus ſuis fuerint inſtructi. (Vid. hæc acta in* Fabri Europæiſcher Staats-Canzeley Tom. XLVI Cap. 21.) *Illud tamen placitum Imperii a Cæſare die 12 Septembris A. 1725 comprobatum fuit.* Tum propinat Lectori Cel. *Kahlius den Innhalt des Friedens, der zwiſchen dem Rœm. Reich, und der Crone Frankreich, am 18 Novemb. 1738 zu Wien geſchloſſen iſt.* Quod compendium ſumma pacis illius diffuſæ capita juſto ordine diſponit, atque explanat, nec minus ſub ſe continet ad illuſtrandum id Inſtrumentum accommodatas maxime obſervationes. Recudi Autor noſter curavit Capitulationem Auguſtiſſimi Imperatoris *Caroli VII* ita, ut quilibet ex diverſitate typorum adhibita eam inter & Capitulationem *Caroli VI* differentiam ſtatim perſpicere poſſit. Subſequitur Imperii Matricula, hoc eſt, *des Heil. Rœmiſchen Reichs Hochlœblicher Stænde Anſchlag, wie viel deren jeder bey den Reichs-Anlagen vor einen Monat, oder einfachen Rœmer-Zug, zu geben ſchuldig iſt*, ſingulari induſtria concinnata. Denique rerum Index, in utroque *Tomo* expoſitarum, acceſſit utiliſſimus. Ad fidem igitur probatiſſimorum Codicum, tum manu ſcriptorum, tum impreſſorum, Diplomata illa cum excuſa ſint cuncta, & notis adornata elegantibus, fidem ſuam, *Tomo primo* datam, liberaſſe Cel. *Kahlium*, merito pronunciamus.

## SCHEDIASMA DE ORIGINE TESTAMENTIſactionis, Autore SAM. KOENIGIO, Bernenſi, Acad. Scient. Pariſinæ Correſp. nunc Profeſſore Philoſophiæ Franequeræ.

Cum & in nuperis noſtris pro Lauſannenſi Juris cathedra Academicis exercitationibus, & nonnunquam ante in foro, graviſſimam quæſtionem de origine teſtamentorum in utramque partem multis rationibus diſputari audiviſſem, neque tamen vulgaris ſententia ſatis valere videretur; quod minus dilucide ex genuinis Philoſophiæ principiis rationes eſſent petitæ; gravem hunc atque controverſum Jurisprudentiæ locum paulo accuratius ex Philoſophia, populari quamvis ratione, illuſtrandum putavi, quo & ipſum argumentum ad vera principia revocetur, & genuinus fons utriusque, & legitimæ, & teſtamentariæ, ſucceſſionis paulo plenius aperiatur. Quodſi nonnullis Lectoribus nihilo minus aliud videbitur; hi non tam a ratione concludendi, quam a Philoſophis, principia docentibus, diſſidebunt.

Originem teſtamentorum ex Jure Naturæ repetendam eſſe, tametſi vulgaris ſententia ſit; inſurrexit tamen ſatis magnus numerus diſſidentium doctorum virorum, teſtamenta non tam naturæ inſtitutum, quam merum civitatis inventum, exiſtimantium. Notiſſimæ ſunt *Puffendorfii*, *Edmundi Merilli*, *Cocceji*, *Chriſtiani Thomaſii*, aliorumque, de hoc argumento Commentationes; multis, iisque ſatis ſpecioſis, ex Jure Civili deſumtis, argumentis contendentium, fieri nullo pacto poſſe, ut homini liceat dominium rerum ſuarum in alium transferre ex eo tempore, quo dominus rerum ſuarum eſſe deſiit. Quid enim, ajunt, tam contra rationem videtur, quam voluntatem hominis ex eo tempore valere incipere, quo amplius velle non poteſt, &, cum mors omnia alia ſolvat, ut mandatum morte mandantis, cur non poteſtatem de rebus noſtris ſtatuendi?

Inſtant: Si dominium, vel jus aliud ullum, ex teſtamento ad hæredem pervenit, id aut vivo teſtatore transfertur, aut eo jam mortuo. Vivo teſtatore tranſire non potuit,

tuit, cum neque viventis ſit hæreditas, neque teſtator ſe ſuperſtite jus conferre velit; neque illo mortuo recte fieri poterit translatio, cum teſtator nec velit transferre, nec poſſit, exſtincto quippe ejus dominio cum vita. Addunt nonnulli id quoque: Jure Naturæ quæri dominia poſſeſſione, & aliter, quam poſſidendo, retineri non poſſe. Adeoque, cum homines ne vivi quidem (ut ipſi putant) niſi actu poſſideant, rerum ſuarum in ſtatu naturæ ſecuri ſint; quid de dominio illorum futurum eſt, poſtquam mors poſſeſſione illos dejecit? Immo, everti naturalem teſtandi libertatem, hac ratione quibusdam videtur, quod omnes fere gentes de ſucceſſione legitima accuratas leges ſanxerint; quæ procul dubio convellerentur, ſi ampliſſimam & illimitatam teſtandi licentiam natura dediſſet; quod a prudentiæ civilis principiis plurimum diſſidere exiſtimant.

Senſiſſe hos ſcrupulos JCtos Romanos, proinde tam infirmum, atque a principiis Juris Naturæ remotum, negotium variis juris fictionibus ſuſtinere allaboraſſe. Momentum teſtamenti conditi cum momento mortis connectendo, & momentum aditæ hæreditatis ad momentum mortis retrotrahendo, atque ſic tria naturaliter diverſa tempora, teſtamenti facti, mortis, & cretionis, fictione juris ita conjungendo, ut moriens teſtator eodem temporis puncto bona ſua hæredi permiſiſſe, hic vero ab illo accepiſſe, fingatur. Abſonum autem judicant, ex ſimplicitate Juris naturæ actum derivare velle, qui explicari ne quidem poſſit, niſi in ſubſidium vocatis tot alienis a natura fictionibus.

Conqueruntur Cl. Viri, *Grotium*, de origine teſtamentorum differentem, definitione velle decipere, vocabulo *teſtamenti* notionem plane peregrinam, & ab uſu remotam, ſubjiciendo. Teſtamentum enim *alienationem* dicere, *in mortis eventum, ante eam revocabilem, retento interim jure poſſidendi & fruendi*, multis modis reprehendi poſſe. Quid enim? Poteritne id alienatum dici, de quo poſt alienationem dominus pari libertate ac ante diſponit? Et num uſumfructum ſolum is ſibi retinuiſſe cen-

ſendus eſt, qui plane nihil proprietatis in hæredem tranſtulit? Ergo aut vocabulo ludendum, aut dimittendam *Grotii* ſententiam eſſe.

His fere rationibus ita hæc cauſa diſputatur a doctiſſimis Jureconſultis, ut multis hodie perſuaſum ſit, teſtamentifactionem a natura prorſus abhorrere.

*G. Guil.* equidem *Leibnitius*, cujus ſolo nomine commovemur, hac ratione vulgarem ſententiam ab his objectionibus tueri conatus eſt: *Teſtamenta mero jure nullius futura momenti, niſi anima eſſet immortalis. Sed, quia mortui re vera adhuc vivant, ideo manere dominos rerum, quos vero hæredes reliquerunt, concipiendos eſſe procuratores in rem ſuam.* Hæc quam recte ſe habeant, ipſa nunc viderit corpore vacans *Leibnitii* anima. Sive enim in his terris permaneat, ſive, ut religio docet, ſublime lata in antiquam patriam revertatur corpore ſoluta anima, curabitne ipſa ſine corpore has ſibi prorſus inutiles corporeas facultates? Aut, ſi curet, num tam iniqua a ſe aliena curantis audiatur ſolicitudo? Minime gentium. Jura facultates parandi, & quædam ſibi habendi, manant ex obligatione naturali, animalem hanc atque indigentem vitam tuendi. Cui autem hoc corpus detractum eſt, is, ut victus cultusque curis liberatur, ita etiam juribus, inde manantibus, prorſus exuitur. Cum in literis, ad Celeb. *Wolfium* datis, miratus eſſem, quonam pacto tantus Vir, quantum *Leibnitium* cognovimus, tam inanem de teſtamentorum origine ſententiam fovere potuerit, appoſite monuit Vir humaniſſimus, *diſtinguendum eſſe inter Leibnitium juvenem & inter Leibnitium virum, ſive adultum. Quæ de teſtamentifactione tradidit, ad juvenem ſpectare. Conſtare autem, Leibnitium virum non omnia approbaſſe, quæ juvenis ſcripſerat, antequam ſcilicet Pariſios veniſſet, ibique conſiliis Hugenii uſus, ad Geometriam ſublimiorem animum appuliſſet. Exemplo eſſe ejus theoriam motus concreti & abſtracti, quam ipſemet ſibi juveni excidiſſe fatetur, & in qua ea tradit, quæ poſtea vir non approbavit. Tunc temporis enim eum non legiſſe, niſi Gaſſendum & Carteſium, & ex his elegiſſe, quæ combinari poſſe judica-*



Digitized by Google

*ficaverat, ita tamen, ut Gaſſendo magis adhæreret.* Quæ, cum veriſſima ſint, & mihimet ipſi, ſi modo cogitaſſem, ſatis nota, hoc loco expreſſius monere neceſſe duxi, ne forte mea culpa ſummo & in omnes æquiſſimo Viro injuria fiat. Quid? quod hæc ipſa obſervatio chronologica, in dijudicandis ſententiis *Leibnitianis*, plurimis uſui eſſe poteſt. Cum itaque tantus Vir rem acu non tetigerit; tanto magis, de hoc argumento agere, operæ pretium videbitur.

Principio, ſi, ut docti hi viri contendunt, uſus teſtamentorum merum Juris Civilis inventum eſt, id profecto mirum videri debet, quinam fuerit iſte tam potens doctor, qui tot diſſitas diverſarum ætatum gentes teſtamenta condere docuerit. Certe, cum omnium gentium conſenſus naturæ vox ſit, haud levis ſuſpicio eſſe debet, non ex inventione cujusdam legislatoris, ſed ipſa docente natura, in remotiſſimis civitatibus, nulla imitatione, nullo communi imperio, teſtamentorum uſum enatum eſſe. Imo, ſi in bene conſtituta civitate aliæ leges civiles eſſe non poſſunt, quam ipſæ leges naturales, addendo & detrahendo ad indolem civitatis accommodatæ, ut recte obſervavit *Ulpianus*, merito requiretur, qua ratione in civitate teſtamenta poſſint vigere, quæ extra civitatem omni fundamento deſtituentur.

Pleroſque JCtos principium in pomœriis Juris Civilis bonum, ſed, extra hanc diſciplinam delatum, haud dubie fallax, deluſiſſe videtur. Exiſtimant enim, traditionem ita ad translationem dominii neceſſariam eſſe, ut, illa non accedente, valide dominium transferri non poſſit; hinc optimos titulos, pro emto, pro ſoluto, pro donato, operari tantum jus ad rem; traditione accedente valide dominium effici. Quod in Jure Civili quidem verum; in diſciplina Juris Naturæ autem generaliter verum non puto. Quod autem ab aliis proponitur, in ſtatu naturæ neminem poſſe dominium tueri, niſi actu poſſidendo, aut rei incumbendo, & minima poſſeſſionis amiſſione amitti dominium; genuinis Juris naturæ principiis prorſus refragari exiſtimo. Sed res ex principiis communitatis & ſocietatis humanæ paulo altius repetenda videtur.



Digitized by Google

Jus Naturæ neque ex Reſponſis Prudentum, neque ex conſenſu populorum, neque ex mero arbitrio Dei, ſed ex ipſa hominis eſſentia atque natura, derivandum eſſe, jam agnoverunt antiqui, & ſatis hodie in confeſſo eſt. Certe de bono, malove, reſpectu rei cujuscunque judicaturi, ad eſſentiam naturamque ejus reſpicimus; atque nunquam non in omni caſu id *bonum* dicimus, quicquid eſſentiæ atque naturæ rei convenit, ejusque perfectionem promovet; contra *malum*, quod ab eſſentia atque natura diſſidet, & rei imperfectiones affert. Rationi itaque conſentaneum erit, ut pari modo de homine judicemus. Adeoque homini *malum* erit, quicquid cum eſſentia humana pugnat, finem pervertit, perfectioni humanæ naturæ adverſatur. *Bonum* contra id, quod eſſentiæ atque naturæ convenit, finem naturæ adjuvat; perfectionem promovet, unde juſti & injuſti notiones promanant. Et, quia in ente rationali cum ſenſu perfectionis ſenſus felicitatis conjunctus eſt; generaliſſimum & fœcundiſſimum legis naturæ principium inventum eſt: *Fac ea, quæ naturæ ſtatusque tui perfectionem augebunt, fuge contra ſtudioſe, quæ naturam ſtatumque tuum imperfectiorem reddent.* Limpida hæc moralium diſciplinarum ſcaturigo Celeb. *Wolfii* præclaris laboribus adeo innotuit, ut plura hac de re addere, Lectori moleſtum futurum eſſet.

Ipſa itaque eſſentia atque natura humana cum homini legem ſanxerit, & de perfectione promovenda obligationes impoſuerit; conſequens eſt, ipſam naturam homini *facultatem* dare, ea agendi, quorum ope his obligationibus parere debet. Cum autem *facultas, ea agendi, quæ, ſalvis præceptis legis naturæ, fieri poſſunt, jus* dicatur; manifeſtum eſt, ipſam naturam homini jus tribuere ad omnia ea, ſine quibus juſſis naturæ parere non poſſet, & hominem jure ſuo ea facere, quibus naturæ obligationibus ſatisfacit. Unde patet, jura ex obligationibus promanare. Nempe eapropter ad nonnullas actiones homini naturale jus competit, quia per illas a natura injunctis obligationibus ſatisfacere neceſſe habet. Et verum eſt, ſi vel nullas homini, vel alias, obligationes impoſuiſſet natura, vel prorſus nulla, vel alia, jura ho-

homini competitura. Quando itaque contendimus, jus eſſe homini natura datum de rebus ſuis teſtandi, *obligatio naturalis oſtendenda erit, cui, facultate teſtandi ademta, ſatisfacere non poſſet.* Sic viam atque rationem videmus, ſecundum quam, de quo quæritur, diſputandum erit.

Ex his hoc quoque efficitur: Quia obligationes, & inde manantia jura, in ipſa natura humana fundata ſunt, hominique competunt, qua homo eſt, compages ſcilicet ex anima & corpore apta; revulſa compagine, obligationes quoque & inde manantia jura una diſſolvi. Diſturbato enim ædificio, materia, quæ ſervet eam & tueatur, amplius opus non eſt. Diruit itaque mors corpori innexas obligationes, & hinc naſcentia jura. Is, qui liberatus obligationibus, ea tamen cuperet, quæ non niſi ad obligationes perſolvendas natura conceſſit, opes, copias, facultates, haud dubie maxime id injuſte faceret. Et dici poteſt: Si uſu venire poſſet, quod vulgus fabulatur, animas demortuorum nonnullarum rerum interdum poſſeſſione delectari, illasque eam ob rem diligenter a manibus hominum cuſtodire, fore id totidem furta generi humano facta.

Hæc eadem autem natura, quæ tantopere homini ſtudium perfectionis commendat, a vita ſegrege atque ſilveſtri mira vi eundem ad ſocietatem avocat. Ea enim eſt Indigentia humana, tanta perfectionum acquirendarum multitudo, eorum, quæ ad bene beateque vivendum requiruntur, tanta varietas, ut homo homine tanquam Deo egeat, neque ſolivagus dignam ſua natura felicitatem ullo modo conſequi poſſit. Ex hac naturali perfectionis commendatione naſcitur ille *appetitus ſocietatis*, principium Juris Naturæ *Grotianum*, quod ex ſuperiori fonte, *deſiderio perfectionis*, tanquam rivulus promanat. Cum itaque cujusque individui perfectio ad felicitas reliquorum hominum perfectione contineatur; ipſa natura homini maxime homines commendat, ac legem dicit: *Omnium hominum perfectionem atque ſalutem ſtudioſe tanquam tuam promoveto.* Unde humaniſſima illa præcepta de nemine lædendo, ſuum cuique tribuendo, officia humanitatis nemini non præſtando. Quibus qui maxime ſatisfacit, maxime homo eſt.

Non

Digitized by Google

Non itaque metus, aut vis, ſed ipſa blanda natura, homines in ſocietatem cogit; & dubitare non poſſumus, etiam procul remotis hiſce motivis homines, ſi natura ſine diſciplina ſapientes forent atque virtutis, amantes, in quadam ſemper ſocietate victuros. At in qua? Procul dubio in ſapientiſſima atque feliciſſima, in aliqua *Republica Solis Campanellæ*, ubi terrarum orbem nemo non propriam domum, genus humanum ſuam familiam, exiſtimaret; commoda reipublicæ mundi pro viribus quisque promoveret, juvaret neceſſitates vicini gratis, & juvaretur viciſſim ſine mercede. Sed, cum facultatem quidem virtutis tanquam ſemina, non autem ipſos flores atque fructus virtutis, nempe habitum, natura contineat; præterea homo, indigentiæ atque neceſſitatis ſtimulis non excitatus, ſit ſocors atque ignavum, item rapax atque avarum, animal, a felici illa communione recedendum erat. Proinde juſſit natura, per præconem ſuarum legum, *Rationem*, dominia proprietatesque rerum introducere, quo, neceſſitate ſuſcitatis ingeniis, & profligato torpore, quisque honeſte vivendi,& obligationibus ſuis parendi,copiam facultatemque reperiat.His naturæ juſſis cum obſecundarent gentes,occuparunt res uſus non inexhauſti,quo in poſterum non omnibus, ſed uni, earum uſus pateat. Atque ſic pervenimus ad originem dominiorum, et ſimul intelligimus, cur jure introduci potuerint: *obligationibus* nempe, *a natura injunctis, de perfectionibus promovendis*, *nullo alio modo ſatisfieri poterat.*

Prono ex his alveo fluit, quemadmodum cuivis natura facultatem, ſeu jus, concedit, pro ſuis neceſſitatibus facultates parandi, ſic naturam quoque tueri paratum, ſive præſens, ſive pro tempore abſens, juſtus poſſeſſor ſit. Nemini enim jus competit, alterum in exercitio ſui juris turbandi, aut juſte acquiſita auferendi. Vetant hujusmodi auſus illa a natura injuncta officia erga alios. Qui ergo juſſis naturæ obtemperans, dominia acquirit, copiasque parat, quo ſuis obligationibus ſatisfacere queat, hujus profecto poſſeſſiones iſta lege naturæ: *Omnium hominum perfectionem atque ſalutem tanquam tuam promoveto*, ſatis firmo præſidio circumſeptæ ſunt. Contra juſtam

Digitized by Google

ſtam vim intelligo, quæ jure, non injuſtam, quæ armis tantum, propulſanda.

Sed hoc quoque manifeſtum eſt, quia natura homini hominum commoda ut ſua commendat, naſci ex obligatione de aliis juvandis pleniſſimum Jus, *res noſtras atque commoda cum aliis communicandi.* Quo jure dato, aperte conſequitur, non traditionem dominium transferre, ſed voluntatem officio ſuo ſatisfacere cupientis domini. Traditio eſt modus, ſeu medium, exequendi voluntatem, & ſic ſit ſignum naturale, illam vere interceſſiſſe, per ſe ipſam autem jus non operatur. Is, qui dat, jure ſuo utitur, a natura conceſſo, alii bene faciendi; is, qui accipit, jure ſuo utitur ſibi habendi, quod dominus ipſi permiſit. Tradiderit dominus, nec ne, quid ad rem, modo conſtet de voluntate utriusque? Et, ſi quando uſu venit, ut ad executionem voluntatis traditio neceſſaria non ſit, ſupervacanea adhiberetur; in Jure quidem Civili & Gentium quodammodo, quo negotia moralem certitudinem conſequantur, litesque, quantum fieri poteſt, præveniantur, traditionis, vel quaſi traditionis, ſolennitas, tanquam ſignum plene tranſlati dominii, prudenter adhibetur. Sed hoc minime de eſſentia ipſius actus Jure naturali exiſtimandum eſt.

Verum hoc quoque, docentibus Philoſophis, officio quam maxime conſentaneum eſt, tametſi JCti plerumque non attendant, ut *non ſolum viventes benefici ſimus, ſed etiam, quantum poſſumus, operam demus, quo poſt mortem benignitatis atque virtutis fructum relinquamus.* Qui enim officio a natura demandato recte defungitur, *homines ut ſe ipſum amat.* Qui vero ita amat, is non ſolum de præſenti, ſed etiam de futura, felicitate eorum, quos caros habet, ſollicitus eſt; & profecto ſalus mundi in eo verſatur, ut nemo non hoc officium teneat, quo ætas, quæ nunc eſt, de commodis futuræ cogitet. Ætas enim ab ætate felicitatem, ut opifex ab opifice materiam, accipit, & non aliter genus humanum, quam magna urbs, multorum ſeculorum continuatis laboribus ad perfectionem accedit. Et hoc modo ſtatuendum, neque unquam connexa divellenda, neque homo, magnæ reipublicæ

civis, ſine reſpectu ad concives, ſive præſentes, ſive futuros, in hac Juris naturæ diſciplina ſpectandus eſt. Vir bonus itaque, qualem lex naturæ poſtulat, etiam futurorum temporum conditionem ad ſe pertinere putabit, & non ſibi ſolum, ſed etiam poſteritati, ſeret. Non tamen id deſiderat natura, ut paribus officiis omnibus conjuncti ſimus; aliter nos obligat generi humano, aliter noſtræ genti, aliter civibus, arctiſſime autem familiæ & amicis. Quemadmodum ſocietatum, ita officiorum, gradus ſunt, quos diligenter conſiderando, vir bonus, quibus plurimum debet, plurimum tribuet, curabitque, ut his non ſolum ſe vivente, ſed etiam ſe mortuo, bene ſit. Quod ſi pro ſe quisque in ſuo quaſi circulo diligenter fecerit, genus humanum, tanquam annulus annulo in magna catena, mutuis amicitiis, & communi felicitate, cohærebit.

Quod itaque vir bonus hac in vita verſatur, pro conjunctionis & officii gradu, omnes ſuis facultatibus juvabit, nunquam tamen ita liberalis in alios erit, ut neceſſariis vitæ præſidiis ſemet ipſum exuat. Repugnant graviora erga ſe ipſum officia, quæ vetant, ita liberaliter aliis proſpicere, ut egeamus ipſi. Tota viri boni vita perpetua officiorum contentio eſt. *Beneficentia* in alios facultates effundit, *prudens parſimonia* retrahit. Certiſſimum autem in moralibus principium eſt, quando contentio atque comparatio officiorum fit, debiliora cedere gravioribus. Retinebunt itaque graviora officia facultates in manu boni viri uſque ad extremum ſpiritum. At enim vero, morte tandem dirimente hanc officiorum contentionem, & exſolvente moriturum ab obligationibus erga ſe ipſum, ut paulo ante expoſuimus, remanent ſolæ obligationes erga alios; quæ cum ab ipſa natura injunctæ ſint, eadem autem natura *jus tribuat ad facienda ea, ſine quibus officiis ſatisfieri nequit*; profecto palam eſt, ipſam naturam jus largiri morituro, bona ſua ad illos transmittendi, quibus officiis conjunctus eſt, id eſt, teſtandi. Et, cum, hoc agendo, ſuis officiis teſtator ſatisfaciat, ſuo optimo jure utitur, neque ab honeſtiſſimo actu, niſi ſumma injuria, poterit prohiberi.

Ex

Digitized by Google

Ex quo videmus, naturam homini *jus* quidem tribuere, de ſuis facultatibus diſponendi, ſed *officiis convenienter*. Minime enim ea dominii vis naturaliter eſt, ut quisque de rebus ſuis pro libidine diſponere poſſit; nullam poteſtatem domino natura concedit, quam honeſtam, rectam, officiis convenientem. Dabit ergo operam dominus in diſtribuendis ſuis rebus, ne labatur in officio, diligentiſſimeque curabit, ut bonus ratiocinator officiorum ſit, & addendo deducendoque experietur, quantum cuique debeat. Licet tamen aberret nonnunquam ab officii præceptis, decreta ejus nihilo minus firma manebunt. Nam in ſtatu naturæ nemo non ſumma libertate gaudet, nec, præter vindicem conſcientiam, actionum ſuarum moderatorem agnoſcit. Præſumendum itaque eſt, quemvis ſe geſſiſſe ut virum bonum, officii memorem, conſcientiæ faces timentem; imo, cum in ſtatu naturæ ſuperior judex nullus detur, cui judicandi poteſtas competat, teſtatusne fuerit officioſe, an inofficioſe, defunctus, omnino, ut quiſque *de rebus ſuis ſtatuerit, ita jus erit*.

Itaque non audiendi ſunt JCti, male applicatis Juris regulis teſtamenta oppugnantes. Cur ad validitatem hujus negotii formam transferendi inter vivos requirere? Cur traditionem flagitare, cum ipſa traditio non jus det, ſed ſignificet? Quid enim tam apertum, quam in quovis caſu officiis eo modo parendum eſſe, quo per rerum naturam fieri poteſt; atqui facultates teſtatoris, illo ſuperſtite, ad conjunctos officio tranſire non poſſunt, debent tamen tranſire officiis flagitantibus. Quid itaque convenientius, quam ut a mortuo teſtatore ad illos perveniant, prout ipſe decreverit? Ex negotio peragendo modus peragendi, & ex indole officii modus perſolvendi officium, determinari debet; qui vituperari non poterit, ſi per eum ſine ullius injuria juſtus finis obtinetur.

Æquiſſima ergo naturæ lex eſt: *Paterfamilias, uti legaſſet de pecunia tutelave rei ſuæ, ita jus eſto*; ſed addita hac altera: *Ut cuique plurimum debes, ita plurimum tribuito, neque ullum in diſtribuendis tuis facultatibus boni viri officium*

*prætermittito.* Huic naturæ voci obſecundantes gentes, cuique de rebus ſuis teſtandi facultatem dederunt, licentiam officia violandi ademerunt. Ita olim majores noſtri mulieri non aliter, quam in conſpectu ſenatus, hæredem nuncupare permiſerunt. Quam prudenter, & juris naturæ vim ſentientes? Permiſere mulieri, quod adimere non poterant, jus teſtandi a natura datum, fragilitatem ſexus autoritate ampliſſimi ordinis in officio retinuerunt. Et, cum legibus duodecim Tabularum cautum fuiſſet: *Paterfamilias uti legaſſit de pecunia tutelave rei ſuæ, ita jus eſto*; mire autem Romani hac ampliſſima teſtandi poteſtate ad ſanctiſſima officia violanda abuſi eſſent, ſequiora jura exhæredandi licentiæ modum ſtatuerunt, ipſa conſentiente lege naturæ. Quid enim naturæ tam contrarium, quam hoc ipſo jure, ad officia perſolvenda dato, impie ad officia violanda abuti?

Atque ſic puriſſimus non teſtamentariæ ſolum, ſed etiam legitimæ, ſucceſſionis fons inventus eſt. Etenim, ſi defunctus ipſe de ſuis officiis nihil ſcriptum reliquit, per præſumtionem legitimam determinanda ſunt, determinatisque ſatisfaciendum. Et, quia, ipſa ducente natura, quibus plurimum officii debemus, principes ſunt liberi, qui ſpectant in nos, & quibus vitæ præſidia debentur, proximi parentes, quorum ſummis beneficiis obligati ſumus, deinde honeſti & bene convenientes propinqui, a quibus plurimum opis atque auxilii in vita flagitamus; horum omnium curam gerere, & pietatis, & honeſtatis, eſt. Proinde, cum ex ſilentio defuncti colligatur, majora officia, quam hæc ordinaria, ipſum non habuiſſe, hancque ob cauſam teſtamentum non feciſſe, recte voluiſſe cenſetur, ut hi hæreditate potiantur. Succedens itaque primo deſcendentes, ut conjunctiſſimi, & commendatiſſimi; deinde adſcendentes, quo gratia referatur, poſtea collaterales propter neceſſitudinem. Ab hac honeſtiſſima ſuccedendi ratione cum nimis receſſiſſent Romanorum antiqui, *Juſtinianus* tandem, ſublato antiquo jure, civiles leges cum naturalibus in concordiam reduxit; neque male præſumtus amor defuncti pro fundamento ſubſtratus fuit, modo intelligatur

gatur amor in officiis fundatus, qualem ratio requirit, non ſtultus, perverſus, ab officio diſſidens, qualis in viro bono non præſumi debet.

His principiis inſpectis, evaneſcet protinus omnis ſuſpicio, libertate teſtandi legitimam ſucceſſionem everti. Quam pulcher potius conſenſus apparet! Teſtator de bonis ſuis diſponere debet officiis convenienter; ſi nihil diſpoſuit, fit conjectura voluntatis officiis conformis, adeo, ut ſucceſſio legitima re vera nihil aliud ſit, quam *ſucceſſio ex teſtamento præſumto;* quæ ſola obſervatio omnes nebulas mire disjicit.

Tam fœcundum autem hoc ſucceſſionis principium, ac tam late patens, eſt, ut vix quidquam de hoc argumento quæri poſſit, quod inde dijudicari nequeat. Eſto exempli loco celebratus canon: *neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum, decedere.* Quæritur, fundatusne ſit in Jure naturæ. Si ſecundum ea, quæ de officiis dicta fuerunt, ſententia ferenda, non videtur. Quid enim impedit, quo minus teſtator officiis, quibus forte amicis obſtrictus eſt, ſatisfacturus, parte bonorum illos inſtituat, reliquam ſecundum gradum neceſſitudinis agnatis permittere velit; nihil neque iniqui apparet, neque inſulſi.

Pari modo, alio juris canone: *Uno cohærede deficiente, ejus pars vacua non ad cognatos defuncti pervenit, ſed cohæredi accreſcit.* Si quæratur, quo jure portio vacans cohæredi accreſcat, vix reſpondebitur. Habetne a teſtatore? At teſtator ſuis officiis in eum, illa parte hæreditatis, qua illum inſtituit, ſatisfactum putabat. Fortaſſe a deficiente cohærede? Sed huic nulla neceſſitudine junctus eſt. Quid ergo impedit, quo minus ad teſtatoris, vel in quibusdam caſibus ad deficientis hæredis, cognatos hæc vacans portio tranſeat?

Et hoc modo naturalia a civilibus ſeparando, & diverſarum gentium inſtituta conferendo, non ſolum Juris naturæ, ſed etiam Juris civilis, diſciplina egregie poſſet illuſtrari, & ſecundum præceptum *Ulpiani* ſigillatim doceri, quomodo ex lege naturali, varia addendo & demendo, diverſarum civitatum leges civiles de ſucceſſionibus, partim bonæ, par-



Digitized by Google

tim malæ, enatæ fuerint, quod noſſe, ad prudentiam legiſlatoriam non parum conferret. Qui deinde officiorum magnitudinem, nexum, & vim, ſecundum differentiam perſonarum atque circumſtantiarum vellet determinare, & hæc inter ſe comparare, quam multa poſſet in medium proferre, & in foro & in ſcholis præſentiſſimum uſum habitura! Sed hoc loco nobis prolixioribus eſſe non licet, qui non librum, ſed ſchediaſma, ſcribere inſtituimus.

## CHRISTIANI GUIL. FRANCISCI WALCHII *Antiquitates Pallii philoſophici veterum Chriſtianorum.*

Jenæ, ſumtu Jo. Friderici Ritteri, 1746, 8.

Plag. 16.

Quantam, quod multis hodie ſordet, antiquitatis ſtudium in pernoſcendis Chriſtianorum & doctrinis, & moribus, utilitatem cultoribus ſuis afferat, elegantiſſima hæc oſtendit Commentatio, filio Venerabilis *Jo. Georg. Walchii* certe digna. Pallium philoſophicum inter veſtes locum obtinet, quas antiquiſſimi Jeſu Chriſti cultores geſtarunt, virtutum ſtudioſiſſimi. Dignum itaque idem doctiſſimo Autori eſt viſum, quod in profanis pariter ac Chriſtianis literarum monumentis accuratius inveſtigaret, &, quæ in iisdem ad nos tranſmiſſa deprehendit, ita diſponeret, ut de Philoſophis prius ſermo inſtitueretur, &, iis, quæ de eorum amiculo optimi Autores perhibent, ſtudioſe enarratis, deinde ad eos, qui Chriſti diſciplinam ſecuti ſunt, fieret progreſſus.

Pag. 3. *Sectio prima de Pallio philoſophico, ejusque uſu, a priſcis Philoſophis recepto*, inſcribitur. Ante omnia ipſius pallii conditionem
5. deſcribit politiſſimus *Walchius* noſter. Pallium veſtimenti genus eſt, quod ſuper tunicam reliquaque indumenta humeris injici, totumque corpus tegere, ſolebat. Græci eo proprio
9. quaſi jure, perinde ut Romani toga, utebantur. Ab uſu domeſtico & civili ad philoſophicum tranſiit pallium, cum priſci ſapientiæ magiſtri illud, tanquam vitæ auſterioris morumque



Digitized by Google

integritatis ſignum, præ ſe ferrent. Quamvis vero certum habeamus atque exploratum, diſcrimen quoddam ſapientum Pag. 10.
pallia a reliquis diſtinxiſſe; qualis tamen hujus fuerit ratio, tam expeditum non eſt. Et multos & doctiſſimos ſcriptores, in hac definienda dubios, ſibi invicem contrarios, hallucinatos deprehendes. At, ſi materiam & formam ſpectes, nul- 11.
lam utriusque pallii fuiſſe diſſimilitudinem, certum eſt. Utrumque ex lana conficiebatur, nec forma philoſophici a communi diſceſſit. Id tantum interceſſit diſcriminis, ut, cum 19.
ſummam curam in eo ponerent Græci, ut eleganti potiſſimum veſtitu ornatus ac decoris ſtudium aliis comprobarent, Philoſophi hac in re fuerint negligentiores, ſuam incuriam, cujus præpoſtere gloriam affectabant, pallio *obſoleto, inculto,* 21.
*ſordibus nigro,* [illegible], & *dilacerato*. Literam γ tribo- 22.
nio philoſophicio fuiſſe intextam, autor eſt *Heſychius*; omnes 24.
autem palliatos ſapientiæ magiſtros hanc literam adhibuiſſe, nondum liquet.

Ad *modum*, pallium iſtud *geſtandi*, progreditur Autor, ex 25.
antiquitatis monumentis illuſtrandum. Quidam novum diſcrimen hic admittunt, imo princeps differentiæ momentum ad pallium geſtandi rationem referunt. Verum *Ferrario* adſtipulatur Clariſſ. *Walchius*, veteres, ſtatuens, Philoſophos, qui 28.
ad Cynicos ſe haud adjunxerunt, cum reliquis Græcis eodem modo geſtaviſſe pallium. Quinam uſi fuerint potiſſimum pallio, nunc diſpiciendum eſt. Philoſophi hujus veſtimenti 29.
inventores non ſunt, nec id ſibi ſolis vindicarunt; ſed, ſi ultimam ejus memoriam repetere velimus, alios quoque homines, eosque haud infimi ordinis, eo uſos, poſtea autem, ubi 32.
luxus & intemperantia diſſuadebant, idem ad pauperes abjectum fuiſſe, multis antiquitas comprobat exemplis. Philoſo- 37.
phi adhibebant quidem pallium; at non omnes. Varios enim, & in his principes, doctrinæ morumque magiſtros, e. g. *Py- 39.
thagoram*, *Ariſtotelem*, non tribone, ſed aliis veſtibus, amictos fuiſſe, luculenta afferuntur veterum teſtimonia. Soli 40.
*Aſcetæ* ſibi vindicabant pallium, qui ſcilicet optimam, id eſt, 41.
ſeveriorem, vitæ rationem tenebant, ac a variis virtutis exer-

citatio-

Digitized by Google

citationibus *aſcetarum* ferebant nomen. Horum inſtituta hic
ſtrictim enarrantur, & in aſcetarum & palliatorum cohorte
Pag. 44. numerantur *Pythagoræi*, a præceptore veſtimenti genus diverſi,
52-77. *Socrates*, *Cynici*, qui duplicatum geſtabant pallium, *Stoici*,
*Ariſtippus Cyrenaicus*. Tum cauſæ perquiruntur & dijudi-
78. cantur, cur hunc veſtitum Philoſophi ſuſceperint. Corporis
voluptati maxime opponebatur pallium, cum talis illius apud
Philoſophos eſſet uſus & conditio, ut, tolerantiæ & temperan-
80. tiæ cauſa illud ſumtum fuiſſe, colligere deberent, qui intue-
85. bantur, omnes. Qui paulo altius rationes repetunt, in ſor-
87. dido pallio ſuperbiæ deprehendunt tegumentum. Alii tri-
bonio induebantur, non quod continentiæ ſe conſecrarint, licet
id prætenderent; ſed quod continentiæ laudem patientiæque
90. affectarint gloriam. Alii, longius a virtute ac ſcientia remoti,
pallium adhibuerunt, omnem Philoſophiam non magnarum
rerum notitia, ſed barba tantummodo, ſtatuentes, & pallio ab-
93. ſolvi. Id denique prætereundum non eſt, non in Philoſo-
phorum ſcholis ſe continuiſſe pallium, ſed etiam ad ceteros
literarum ingenuarum, artisque & doctrinæ liberalis, magiſtros
demigraſſe.

99. His præmiſſis, *Sectione poſteriori* de Pallii philoſophici
uſu inter veteres Chriſtianos agitur. Varia vox *pallium* in
eccleſiæ monumentis ſignificat, inprimis epiſcopale ac philoſo-
102. phicum. Illud longo intervallo ab hoc diſtat, quo orbis
Chriſtiani Epiſcopi in obſequium Romanæ ſedis rediguntur, in-
104. ſtrumentum; neque hujus loci eſt, de eodem diſputare. Hoc,
quod a Philoſophis ad Chriſti aſſeclas propagatum fuit, illo Epi-
112. ſcoporum amiculo multo antiquius eſt. Poſtquam igitur, Chri-
ſtianorum pallium a Judæis repeti non poſſe, fuſe oſtendit do-
ctiſſimus Autor, illud, veluti ritus varios, inſtituta, cultusque
civiles, a ſuperſtitioſis Numinum cultoribus ad Chriſtianos
tranſiiſſe, nullus dubitat. De iis diſputaturus, qui inter Chri-
ſtianos pallium geſtarunt, primum ſolidis evincit argumentis,
118. neque Servatorem ipſum, neque hujus legatos, neque ſingulos,
130. qui Chriſto nomen dederunt, ſed ſolos Aſcetas, illo fuiſſe uſos.
Et, inter Chriſtianos extitiſſe Aſcetas, ab antiquis rei Chriſtianæ
ſcri-

Digitized by Google

ſcriptoribus uno ore relatum legimus. Imponebatur illud Pag. 140.
nomen iis, qui præ ceteris ſanctimoniæ morumque probitati ſtudebant, hancque variis virtutis exercitiis ſeverioribus, jejunii præſertim & abſtinentiæ, ſibi comparare laborabant. 141.
Floruerunt quidem hi omni fere tempore in priſca Chriſtianorum civitate; Seculo tamen poſt partum Virginis ſalutarem ſecundo & tertio caput ſuum extuliſſe, tot aſcetarum, qui iſto ævo clari fuerunt, exempla abunde docent. A Philoſophis, qui, cum a Chriſtianorum ſacris alieni eſſent, auſteriorem vivendi rationem ſecuti, poſtea Chriſto nomen dederant, originem illorum petendam eſſe, ambigendum non eſt.
Quos ut quamplurimi, ſive Clerici, ſive laici, ſive mares, ſive 142.
fœminæ, liberaliori uſi vita, imitarentur, eorum effecit autoritas, & integritatis, quam præ ſe ferebant, exiſtimatio. Ha- 148.
bes itaque palliatos aſcetas, tam Clericos, quam laicos, mares 152.
& fœminas, cujus rei multa ſane, eaque egregia, Clariſſimus Autor profert documenta. Nulla tamen, ut in aliis 144.
etiam aſcetarum inſtitutis, fuit lex, nulla neceſſitas, geſtandi pallium. Erant, qui ſine pallio vitæ ſeverioris decus ſecta- 159.
rentur. Ii tamen audiendi non ſunt, & confutantur, qui, ve- 160.
ſtium hominum eccleſiaſticorum originem in pallio quærentes, ſibi perſuadent, iſto tempore pallium philoſophicum ordinis ſacri proprium fuiſſe, cujus ſingularis ornatus atque corporis cultus Seculo demum quarto cœpit. Qui ſequenti ætate ca- 162.
put extulerunt monachi, atque, exſtincto ſenſim priſcorum aſce- 168.
tarum ordine, duriora virtutis exercitia ſibi fere ſoli vindicarunt, pallio philoſophico utebantur, cum Anachoretæ, tum 169.
Cœnobitæ, cum mares, tum fœminæ, neque ulla tamen lege 174.
coacti, neque omnes. Ex optimis antiquorum enim teſti- 178.
moniis tuto colligitur, in terris, verſus ſolis ortum poſitis, antiquiſſima rei monaſticæ ætate nullum veſtitus genus monachis fuiſſe præſcriptum; in Occidente autem magis adhuc libera fuiſſe atque voluntaria omnia. Sed immutata fuit, *Conſtan-* 182.
*tino Magno* imperante, rei monaſticæ ratio. Monachi officia
non peculiarem Dei cultum, nec veram vitæ ſanctimoniam 183.
& caſtitatem, aut ſingularem erga alios, egentes potiſſimum, amorem, eorumque ſublevandi ſtudium, ſed affectatum & pro-

prium veſtitum, cantionum quarundam novarum uſum, pre-
Pag. 184. ces definitis horis faciendas, &c. poſtulare, creditum eſt. In ſingulis ordinum regulis præſcribebant conditores, qualis eſſe
185. debeat veſtitus monachorum, & hoc ipſo factum eſt, ut pallii noſtri uſus una cum priſco monachorum candore de coenobiis ſit expulſus, proſcriptus, & penitus intermiſſus. His docte
199. & ſolide expoſitis, in cauſas inquirit Clariſſ. Autor, cur pallium Chriſtianis fuerit probatum, & varia notat indicia, ex quibus, quale pallio noſtro, præſertim a Patribus, conſtitutum fuerit pretium, apparet; tum de idolorum cultoribus agit, atque inprimis formulam: *Græcus eſt, & impoſtor*, illuſtrat, adjectis,
221. quæ ad *Tertulliani* librum *de Pallio* pertinere videntur; ten-
236. dem hæreticos enumerat palliatos, & inprimis, quæ de *Euſtathio Sebaſteno* æque ac Concilio Gangrenſi relata ſunt, diligenter commemorans.

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum Scientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, par Partes publicata.*

## *Voluminis IV Pars III.*

Lipſiæ, in officina heredum Lanckiſianorum, 1746, 8.
Plag. 12.

Oculos primo loco oblectat *Ge. Ludov. Oederi*, D. *Diſſertatio de vexato loco Gal. IV, 21 ſeq.* Difficilis hic locus Exegetis jam diu fixit crucem. Excuſſit eum Cl. *Andreas Georgius Wæhnerus* Diſſertatione publica Goettingæ A. 1744, examinique eruditorum ſubmiſit ſuam opinionem. Ediſſerit nunc Cel. *Oederus* hanc opellam, eique ſubjicit ſtricturas aliquot humaniter & modeſte, & ſuam addit interpretationem, vix ferens allegoricarum, quibus Judæi utuntur, interpretationum, quas Cl. *Wæhnerus* fuit ſecutus & exornavit, Mæandros. Succedit
426. *Petri Zornii Diſſertatio de* נצירים, *ſive Naziræis, ex ordine procerum viris principibus, ad illuſtrationem variorum in ſacro Codice locorum, Gen. XLIX, 26, Thren. IV, 7, Nahum. III, 17.* In regno Aſſyriaco erant viri dignitate ſpectabiles & eximii, qui vocabantur *meniſſerim Nah. III, 17*, & ob amplitudinem ſingu-

ſingularemque honoris gradum ab aliis erant ſeparati. *Joſe-*
*phus* vocatur *inter fratres Naſiraus Gen. XLIX, 26, Deut. XXXIII, 16.* Miniſter Regis apud Perſas, in quo ſunt omnia poſita, etiamnum vocatur *Naſir*, attendens ad ſingula. *Naſara* Pag. 431.
Arabibus eſt *adjuvit*, *defendit*, imo נאצר. Inde decerpta ſunt nomina *Nabonaſar*, *Nabuchodonoſor*, *Naſireddin*, *Abunaſir*, *Naſiroddaula*. Naſiritæ inter ſectas Mohammedanorum antiquas recenſentur. *Joſephi* facta, in adminiſtrandis regni Æ- 433.
gypti rebus occupata, propugnat, & accuſationibus eximit, B. Autor. Locum *Thren. IV, 7,* egregia perfundit luce. Pontificem Judæorum maximum, ut *Calmeto* viſum fuit, vocatum
*Naſir Lev. XXI, 12,* illuſtrat. Excipit hanc tractationem *Car.* 442.
*Henr. Zeibichii, Ordinis Philoſophorum Wittebergenſis Aſſeſſoris, Diſſ. de Ritu adjurandi ſummum Hebræorum Pontificem ante expiationem anniverſariam, ad illuſtrandum Cod. Joma Cap. 1 §. 5.* Autor locum *Miſchna* exhibet. Tempus, quo hic ritus fuit
peractus, definit. Locum, eidem ritui deſtinatum, ediſſerit, 446.
ſimulque de conclavi Parhedrin diſputat. Ab hoc diſtinguit conclave domus Abtines. De ſitu utriusque loci commentatur. Perſonas, a quibus adjuratio inſtituta, deſignat. Fontes, e
quibus ratio ritus eſt haurienda, indicat. Exhibet ipſam ad- 454.
jurationis formulam, duplici eruditorum interpretatione inſtructam. Senſum hujus formulæ generalis ad omnes Pontificis expiantis functiones redire, oſtendit. Specialem ſenſum ad ſuffitum incendendum ſpectare, demonſtrat. Sadducæorum in
ſuffitu faciendo morem exponit. Illo ritu vere ad quandam 456.
Sadducæorum hæreſin reſpici, declarat. Differit de Pontificibus, Sadducæorum partes tutatis. Huc refert *Joannem Hyrcanum* ac *Ananum*. Ritum alium, in quo Sadducæi a Phariſæis 462.
diſceſſerant, ſubjungit. *Joannem Clericum* notat. Controverſiam recentiorem, Cel. *Conradum Ikenium* inter & Rev. *Gudium*
agitatam, producit. Clauſulam loci Miſchnici paucis expen- 464.
dit, ac tandem loci alicujus Apoſtolici ex hoc ritu promittit illuſtrationem. De reliquo *pag. 455 lin. 10* legitur *διβανωτὸν* pro λιβανωτὸν levi errato. Exſpectamus Viri Clariſſ. Diſſertationem, qua Chriſtum Ἀρχιερέα πιστὸν ex antiquitatibus Judaicis nobis illuſtratum repræſentabit. In præſens progredimur ad *Joannis*



Digitized by Google

Pag. 465. *Chriſtophori Harenbergii Supplementum in Hadriani Relandi re-*
*cenſionem urbium & vicorum Palæſtinæ.* Emendat Autor non-
nihil in *Relandi* expoſitione, addit haud pauca, ſæpius ſenten-
471. tias *Hermanni von der Hardt* refellit. *Abel-cramim* urbem fuiſſe
Bataneæ, non Ammonitidis, docet. *Aſchaph*, ipſius ex judicio,
eſt ipſa urbs Aco, ſeu Ptolemaïs. *Agræos* ad Orientem Peræa
collocat. *Elath* & *Eloth* ipſi eſt locus vel 1) prope mon-
tem Hor & Kadeſch *Deut. II, 8, Num. XXXIII, 35, 36*, vel 2)
474 ſupra Tyrum ad mare ſitus, *Elais* vocatus. *Antiochiam* Syriæ,
olim Togarma, nunc Togar, dictum, illuſtrat idem. Vocem
478. אפדנו, quæ extat *Dan. XI, 45*, exponit per *palatium ejus*. Urbem
Moabitidis primariam *Ariel, Ar, Arjeh-Moab, Rabbath Moab*, il-
481. luminat, ac locum vexatum *Jeſ. XV, 9*, expedit. Hieroſolymam
dictam fuiſſe *Ariel Eſ. XXIV, 1, 2, 7*, oſtendit. *Arnon* ipſi non
ſolus eſt fluvius transiordanicus. Deſignari etiam per Arnona
483. exiſtimat regionem adjectam *Arnonam*, nec non locum in valle
ſatis profunda, dictum *præſidia Arnonenſia*. *Aſcher*, memoratus
*Joſ. XVII, 10*, ipſi eſt locus Scythopolin inter & Sichemum. Lo-
488. cum *Aven*, ſeu *Beth-Aven*, ab urbe *Bethel* diſtinguit. *Pag. 486 lin.*
*11* pro *ad Ægypti* legendum eſt *ad Ægypti ultima*. Urbem *Ba-*
*ſchan, Bataneam, Batanim, Votanim, Paddan*, ponit trans Jorda-
nem, ratus, regionem exinde dictam fuiſſe. *Berothai*, locus 2
*Sam. VIII, 8*, memoratus, ipſi eſt *Brotha Ezechielis XLVII, 15*,
*Ptolemæi Jabruda*. *Betach*, qui locus memoratur 2 *Sam. VIII, 8*,
491. ipſi eſt *Bedegene* ad radices Libani, ſeu potius Antilibani. Ra-
tionem deinde idem expromit, cur Bethabarah verſa fuerit in
498. Bethaniam *Luc. I, 28*. Per *terram Cabul* intelligit tractum Gaba-
læ, monti Carmelo verſus Orientem adjectum. Gabalam hanc
pro *Chabulo*, & *Zabulone* habet. Urbem Chamath eſſe Helio-
polin, regionem vero Chamath eſſe Cœlen Syriam, argumentis
504. perſuadet. *Pag. 509 lin. 9* pro verbo *Sirbonio* legendum eſt *Sir-*
*bonio effluit*. Chebrona ſeptentrionalem, urbi Sichemo ver-
510. ſus Orientem adjectam, Autor a Chebrone auſtrali ſolicite di-
ſtinguit. *Elon Mamre* ei eſt *aulon Sichemiticus*. *Chelbon, Ez.*
*XXVII, 18*, memorata, ipſi eſt Chalybon, urbs Syriæ, circa quam
cis Ephratem viſitur Chalybonitis regio, vinis olim excellens.
Supplementi hujus Autor continuationem dabit & unam
& alte-

Digitized by Google

& alteram, niſi complures. Attentionem jam provocat noſtram Diſſertatio Ill. Conſiliarii aulici Brunſvico-Luneburgici, *Franciſci* Pag. 511.
*Caroli Conradi*, cui indicem præfixit *Conjecturarum in loca Quintiliani Inſtit. Orat. VI, 1, 3, de uſu picturarum in judiciis apud Romanos.* Inter artificia, quibus oratores conſueverunt ad animos judicum commovendos uti, picturas retulit *Quintilianus*. Priorem locum Autori Cel. ita legere eſt viſum: *Depictam tabulam* 513.
*ſupra verum in imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus. -- & prolata noviſſime deformitate, ipſa natura, ſeris cadaveri infenſa, præteritam quoque orationis gratiam perdidit.* Poſteriorem ita legi cupit: *Sed non ideo probaverim,* 517.
*quod factum & lego, & ipſe aliquando vidi, depictam in tabula ſipariove imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus.* Adduxit Vir laudatiſſimus poſt *Burmanni* ac Cel. *Geſneri* ſententias pro conjecturis ſuis argumenta, quibus Critici, ni fallimur, aſſenſum haud omnem ſubducent. Succurrit porro oculis animoque lectoris *Matthiæ Belii Obſervatio hiſtorico-phyſica de Antro Ribarienſi, halitus noxios eructante.* Domeſticum 518.
Hungariæ antrum, quod eſt in Comitatu Zolienſi, ad vicum Ribar, attentionem ſibi vindicat ſpectatorum. *Georgius Agricola* tradidit, halitibus, exinde profluentibus, ac in aerem delatis, aves appropinquantes ac reliqua, quæ acceſſerint, animantia enecari. *Wernherus, de admirandis Hungariæ aquis* commentatus, ſimilia fere habet. Cel. Autor ex obſervatione ſua nihil non exponit de iſthoc ſpecu, ejusque ſulphure ſubtili, ac aqua inde citra perniciem hauſta & bibita. Oſtendit ipſe, lethalem illam halituum 524.
ſulphureorum noxam non a peſte eſſe arceſſendam. Deducit eam potius a ſubtiliſſimi ſulphuris copia, & ab admixtis mineralium halitibus, qui per ſubterraneos meatus eos una cum 525.
aquis præcipiti ac ſtrepero lapſu ferantur. Addit, halitus hosce non ſuapte natura eſſe exitiales, ſed id in cauſa eſſe, quod nimia illa ſubtilitas, completis ſubito pulmonum bronchis, præcluſoque neceſſario ad reſpirandum aere, & ſic præfocato illic ſanguine, intra ictum oculi enecet animalia. Agmen Diſſer- 527.
tationum claudit *Emendatio duorum Ovidii locorum, tentata a Frid. Ottone Menckenio.* Dignus ſane eſt *Ovidius*, latinitatis aureæ promus condus, cujus artus ac verborum membra ſint ſana.

Leguntur hæc vulgo in *Triſtium V, 8, 11: Vidi ego, naufragiumque viros & in æquore mergi; Et, nunquam, dixi, juſtior unda fuit.* Quid eſt illud: *naufragiumque viros & in æquore mergi?* Copias huc criticas Autor convocat & multas & egregias, partim opiniones emendantium amputaturus, partim ſuam propugnaturus. Monet idem, *navifragum* eſſe, qui in cauſa eſt, ut navis frangatur; *naufragum* vero, qui calamitatem navis fractæ ſuſtinet ac perfert lugetve. Phraſis *mergere in re quadam* ab *Heinſio* exploſa eſt citra jus fasque. Verſiculum illum Noſter ita judicat legendum: *Vidi ego, naufragium qui riſit, in æquore mergi.* Reſtat aliud in *Ovidio* ulcus percurandum. Legitur vulgo in *Triſt. I, 2, 102: Si ſatis Auguſti publica juſſa mihi.* Id Noſter ſic refingit, ac
Pag. 551. reſtituendum non tam judicat, quam prorſus evincit: *Si ſatis adjuvi publica vota meis.* Tandem comparent *Gisberti Cuperi ad Theod. Janſſonium ab Almeloveen Epiſtolæ, quartum continuatæ.* Epiſtola XXI Faſtos Romanorum fuſe & erudite illuſtrat, duo *Quintiliani* loca emendat, ac convertit vocem antiquarum Inſcriptionum *Antoninianis* in vocem *Antonianis.* Epiſtola, quæ illam ſequitur, tota in emendandis Romanorum Faſtis occupatur, & eadem occaſione verſatur in locis
561. variis *Eutropii, Velleji, Frontini, Livii, Suetonii, Feſti, Gellii,* & aliorum, erudite aut explicandis, aut illuſtrandis. Qui humaniora amant ſtudia, eos titillabit cupiditas, has Epiſtolas, ſolidiſſime elucubratas, ipſas perluſtrandi.

LETTERA SCRITTA ALL'ILLUSTRISSIMO SIG. AVvocato Don ORAZIO BIANCHI, Romano, &c.
id eſt,

## *EPISTOLA AD ILLUSTREM VIRUM, HORATIUM BIANCHI, Romanum, Profeſſorem Publicum Eloquentiæ Latinæ & literarum Græcarum in ſcholis Palatinis Mediolanenſibus, ſcripta a PHILIPPO ARGELATO.*

Mediolani, 1746, 8.

Plag. 1½.

Notum

Notum ſatis eſt *Philippi Argelati*, Viri de literis optime meriti, in orbe literato nomen, ejusque Collectiones variorum Scriptorum non ſine applauſu ab hominibus eruditis ſemper exceptæ ſunt. Eminet inter ejus ſcripta *Scriptorum Mediolanenſium Bibliotheca*, in qua, vix ſatis laudanda diligentia, copiam fere immenſam virorum in Italia celebrium oblivionis tenebris eripuit. Cum autem invidia plerumque virtutis comes eſſe ſoleat, & nunquam deſint homines maledici, qui, calumniis contra viros bonos ac probos evomendis, neſcio quam gloriolam aucupantur; eandem *Argelatus* noſter, reipublicæ literatæ civis bonus ac induſtrius, nuper ſortem expertus eſt. Exſtitit enim in Italia tenebrio quidam, qui, cum laudes, quæ in Noſtrum ab eruditis, ob navatam literis hanc operam, veluti certatim deferebantur, æquo animo ferre non poſſet, ſcripto quodam, nigri ſuccum loliginis & meram æruginem continenti, Virum optimum laceſſere ſuſtinuit. Aliis nimirum ſua eum ſurripuiſſe, & mala fide, tanquam proprios labores, lectoribus hæc venditaſſe, iſte homo in vulgus ſparſit. Audiviſſe nimirum ſe ab illuſtribus viris, integræ fidei teſtibus, pronuntiat, Bibliothecam illam Scriptorum Mediolanenſium a Canonico, *Joanne Andrea Irico*, eſſe confectam, & *Argelatum* doloſe ſuum libro nomen præfixiſſe. Et, ut eo majorem invidiam Viro bono apud omnes conciliaret, addit, moris ipſi eſſe, aliorum compilare ſcrinia, &, nos in hiſce *Actis* noſtris plus vice ſimplici has ejus fraudes indicaſſe, audacter aſſeverat. Stomachum vero atque bilem nobis moverunt iſta hominis mendacia, quibus veneratio & honos, viris doctis exhibendus, ſuprema ſemper lex fuit. Tantum certe abeſt, ut famæ *Argelati* vel tantillum detrahere hoc pacto nobis unquam in mentem venerit, ut, maximi nos eum facere, & de ejus amicitia, & commercio literario, quod ei cum *Menckenio* noſtro intercedit, mirifice nos gloriari, palam ſignificemus. Lætamur itaque, quod inſanas malevoli iſtius calumnias tam ſalſe & eleganter in literis, ad Cl. *Blanchinum* datis, perſtrinxerit atque confutarit Vir Celeberrimus; & eam potiſſimum ob cauſam lætamur, quod ex *Actis* noſtris quamplurimos, locos, laudes, ipſi debitas, continentes, eis inſe-

ruerit.

Pag. 8 ſeq. ruerit. Debebat utique hoc famæ ſuæ, qua nihil ſtudioſius viro bono cuſtodiendum atque vindicandum eſt. Neque livor, aut acerbitas, in hiſce literis regnat, verum adeo humaniter & miti ſtilo ſunt compoſitæ, ut non ſatis mirari poſſimus inſignem Viri prudentiſſimi in contemnendis injuriis conſtantiam. Nimirum non increpationibus & conviciis, verum teſtimoniis, pro ſe adductis, adverſarii tela retundit. A *Muratorio*, qui de his rebus judicare omnium optime poterat, Noſtrum
16. huic, quod confecit, Operi parem judicatum, literæ ejus, ad *Argelatum* datæ, declarant. Idem ſenſit dictus ſupra *Joannes Andreas Iricus*; cujus de Noſtro judicium variæ ad ipſum litte-
13 ſeq. ræ produnt, in quibus eum ſæpius *Bibliothecæ Mediolanenſium Scriptorum* Autorem diſertis verbis appellat. Præterea *Saxio*, Viro Clariſſimo, cujus conſiliis pariter & manuſcriptis nonnunquam cum fructu uſus eſt, teſtimonium Noſter denuntiat, eumque in Epiſtola, ad Eminentiſſimum *Quirinium* data, ſe Autorem hujus Bibliothecæ agnoſcere, comprobat. Fatetur quidem, ſe ex variis ſcriptoribus, v. c. *Oudino*, *Ughello*, *Fabricio*, *Wadingio*, horumque ſimilibus, nec non ex viventium adhuc eruditorum, *Saxii* potiſſimum & *Irici*, lucubrationibus & narrationibus varia hauſiſſe, & in uſus ſuos transtuliſſe; neutiquam tamen idcirco furti literati crimen contra ſe intendi poſſe, urget. Veriſſime enim judicat, aliud eſſe librum philoſophicum, aut alterius diſciplinæ, quæ cogitando, & rationes ſubducendo, cognoſcitur, ſcribere, aliud, libros, collectanea continentes, uti ſunt Lexica, aut Bibliothecæ, componere. In his certe non tam inventioni & cogitationi propriæ, quam diligentiæ in colligendo, locus eſt. Jam vero Cel. *Argelatus* eos, ex quibus ſapuit, neutiquam occultavit, verum in Præfatione, Operi, de quo proxime dicemus, præmiſſa, pariter ac in ipſo libro, candide ſemper indicavit. Merito igitur a plagii crimine abſolvendus eſt; neque majoris facienda adverſarii contra genus dicendi, quo uſus eſt Noſter, monita. Nullius pretii habenda ſunt ejusmodi ſcripta, quæ livor & obtrectandi libido dictitarunt, ſed ad piper potius & thus damnanda, & eruditorum hominum ſocietate in æternum proſcribenda.

✱ ✱ ✱

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii Anno MDCCXLVII.*

## *Pars I.*

### *INDEX TESTARUM CONCHYLIORUM, QUÆ aſſervantur in Muſeo NICOLAI GUALTIERI, Philoſophi & Medici Collegiati Florentini, Regiæ Botanices Florentinæ Academiæ Socii, in Piſano Athenæo Medicinæ Profeſſoris emeriti, & methodice diſtributæ exhibentur Tabulis CX.*

Florentiæ, ex typographia Cajetani Albizzini, 1742, fol. maj. Alph. 3, cum Tabulis æneis quamplurimis.

Conchyliorum, quibus inter exſanguia regni animalis corpora locus deſignatur, domicilia, Teſtarum nomine, magnam ſupellectilis, qua eruditi viri Muſea illuſtrare ſolent, partem conſtituunt. Omnes tamen, qui in iſto rerum naturalium ſtudio verſantur, eadem methodo, eademque nominum ratione, uſi haud fuerunt, & maxima, ſi quæ ullibi, circa terminos & vocum ſignificatus obſervatur diſſenſio. Proinde factum eſt, ut teſtarum ordines, &, quæ inde proveniunt, compellationes, certæ cuidam legi & immutabili normæ adſcribi haud potuerint. Quodſi omnium, quorum domicilia in curioſorum manibus verſantur, animalium conſpectu perfrui, eorumque vitam & vivendi mores ad examen revocare, licuiſſet, nullum ſupereſt dubium, ab incolis potius, quam incolarum ædificiis, claſſium menſuram deſumturos fuiſſe naturæ ſcrutatores. Fecit illud *Ariſtoteles*

ſicut in omnibus, ad hiſtoriam naturalem animalium ſpectantibus, rebus, ita & in iſto, quod ad teſtas ſpectat, negotio, ſolers obſervator, & methodi, ab ipſis teſtarum incolis deſumendæ, lineas traxit *Hiſt. animal. Lib. IV Cap. 4.* *Ipſa*, ait, *inter ſeſe numeroſa diſcrepant differentia, tum teſtæ, tum carnis interioris, ratione. Aliis enim caro penitus eſt incluſa, nec ulla ex parte conſpecta, excepto capite, ut terreſtribus limacibus, & aquatilium purpuris, buccinis, cochleis, & reliquis omnibus turbinatis. Sunt item, quibus altera pars ſuperficiei detecta carnem oſtendat, ut patellæ. Item alia ſe movent, ut pectines, alia item natura immobilia ſunt, ut pinna.* Ad vitæ, quam iſta animalia ſervant, mores, inter recentiores reſpexit *Martinus Liſterus*, qui teſtas conchyliorum aquæ dulcis ab illis, quæ mari vivunt, aut terram incolunt, ſolerter diviſit. Plerique tamen, cum de methodo ab incolis teſtarum deſumenda ob experimentorum capiendorum difficultatem deſperarent, in conchyliorum teſtis haſerunt unice, quandoquidem, qua diligentia *Fabius Columna* purpuram, *Liſterus* cochleas, *Reaumurius*, Gallorum fulgidum ſidus, ſolenes & pholadas, eadem & reliquorum conchyliorum, ingenti ſpecierum varietate ludentium, organa perſpicere poſſe, nemini huc uſque licuit. Quapropter *Conchyliorum cutis*, quæ animalibus his oſtracodermatum nomen fecit, & *Ariſtoteli*, & *Plinio*, &, qui eosdem ſecuti fuerunt, *Jonſtonio*, *Liſtero*, *Buonnanno*, *Rumphio*, præſtantiſſimum viſa fuit methodi teſtarum inſtituendæ fundamentum. Neque enim in reliquis Hiſtoriæ naturalis partibus infrequens eſt, a ſuperficie corporum deſumere definitionum momenta, cum ab habitu florum fructuumve vegetabilia, a cute, pedibus, dentibusve, reliqua animalia, a formis externis foſſilia, efficacius clariusque, hinc & utilius, deſcribantur, quam ab internarum facultatum conditionibus, quas, niſi deſtructo & peſſundato, de quo quæritur, corpore, cognoſcere haud poſſis. Proinde ipſa quidem norma, ſecundum quam teſtas in ſua quamlibet genera diſpeſcimus, nempe *τὸ μονόθυρον, καὶ τὸ δίθυρον*, ab *Ariſtotele* acceptum, cui *τὸ πεντάθυρον* in pholade, *τὸ πολύθυρον* in balano, acceſſit recentius, ab omnibus, quotquot conchyliis deſcri-

deſcribendis animum addixerunt, aſſumta eſt, aſt circa nomina conſpirant pauciſſimi. Caſſidum, Porcellanarum chamarum, *Rumphio* dictarum, tituli aliter deſignantur *Liſtero*, qui buccina, conchas, pectunculos, generali atoque nimis ſignificatu adducit. Multo autem major in Conchyliorum denominationibus varietas ab eo tempore inducta fuit, ex quo illiterati, lucri, quam veritatis, ſtudioſiores, huic doctrinæ ſeſe immiſcuerunt, utpote qui, pro ſuo quilibet ingenio, formas Conchyliorum comparativis nominibus, *ficus*, *dactyli*, *ovi*, *veſpertilionum*, *podagræ*, *unguiculi*, prout apud *Rumphium* leguntur, expreſſerunt. Eſt etiam diverſis gentibus diverſa ejusdem Conchylii denominatio. Gallica nomenclatura, quam noviſſime *Bonierius* in *Catalogue raiſonnée des Coquillages* expoſuit, haud reſpondet ſermoni Batavo, quamvis iſta gens ſuis in hiſtoriam Conchyliorum meritis, cujus induſtria pleraque rariora teſtarum genera Europæ invecta ſunt, autoritatem, nomina ſuis inventis imponere poſſe, lucrata ſit. Deinde, quanto quisque ex eruditis ingenioſior fuit, tanto etiam plus ſibi in commutandis uſu hactenus receptis Conchyliorum nominibus licere putavit. Ab iſta diſſentiendi libertate novi apud Clariſſimum *Linnæum* in *Syſtemate naturæ novo* profecti ſunt, Cypriæ, Haliotæ, Labyrinthi, Lyræ, tituli. Nec culpandi, quin vehementer collaudandi, ſunt eruditiſſimi viri, qui, percepta Conchylii differentia, quæ vitam & mores animalis ſingulares innuit, genus, & cum genere nomen, mutare inſtituunt, exque ſuæ ſupellectilis, quam quilibet diſponere ſtuduit, contemplationibus novas ſibi claſſium ſtabiliendarum leges ferunt. Fecit illud eruditiſſimus, nec de Hiſtoria tantum naturali, ſed de univerſa, qua patet, arte ſalutari, optime meritus, cujus præmaturam mortem lugemus, *Gualtierus*, in iſthoc, quod ſua propria luce radiat, nec commendatore indiget, ſplendidiſſimo Conchyliorum teſtarum Syſtemate; in quo, utrum teſtarum numerum raraſque oppido, atque hinc magno pretio æſtimandas, Conchyliorum ſpecies, an omnium, quæ continentur, indivulſam, ſpontaneam, facilique rivo defluentem, methodum, an, quæ ſeries omnes ſecundum affinitatis regulas curioſiſ-



Digitized by Google

ſime expoſitæ, interque ſe comparatæ, & hinc continuo quodam filo deductæ ſunt, ingenium, magnumque, quo regium fere prætoriisque ſumtibus inſtructum opus aggreſſus eſt, animum, an denique in perficienda re felicitatem, admirari magis debeas, dubius hærere poſſis. A quibus profecerit, in Præfatione fatetur ingenue, laudatque *Caroli Nicolai Langii* Conchyliorum methodum, & Clariſſimi *Joannis Philippi Breynii*, Gedanenſis, claſſes Conchyliorum conſtituendi modum, *quo ille teſtas ſimplices unius valvæ, monothalamias polythalamiasque, compoſitas autem duplicis pluriumve valvarum conchas, concheidas, balanos, eſſe voluit, echinis in oſtracodermatum ſocietatem adductis*, commendat, tandemque Celeberrimi Botanici, *Joſephi Pitton Tournefortii*, Conchylia in ordines redigendi, in ſchedis relictam, & nullibi typis expreſſam, rationem adducit, & eandem, ab amico acceptam, liberaliter cum eruditis communicat. Ex iſta methodo, quæ terminis ſaltem ab antiqua, valvarum in teſtis numerum reſpiciente, methodo abludit, nec quidpiam novi habet, præter quod univalve dicatur monotomon, bivalve ditomon, multivalve polytomon, decerpſit floſculos, ſuisque ſertis intexuit. Syſtematis fundamenta a vitæ, qua Conchylia perfruuntur, genere deſumens, duo Conchyliorum ſumma conſtituit genera, quorum alterum Exothalaſſia, ea ſcilicet, quæ extra marinas aquas fluminibus, vel ſub terra, vitam degunt, alterum vero marinas conchas, continet. Utraque familia claſſibus diſtincta eſt, luculento charactere diviſis. Reſpicitur ubique ad valvarum numerum; unius valvæ teſtas, ſimplices appellatas, prout illæ vel turbinibus deſtituuntur, ut eſt in patellis, tubulisque, vel iisdem gaudent abſconditis, prout habent cymbia, porcellanæ, vel iisdem utuntur exporrectis, digerit. Ex his, quæ abſconditis turbinibus conſtructæ ſunt, aliæ unius ſunt cameræ, monothalamia dictæ, aliæ ſiphunculo, per univerſam domum transvecto, in plures cameras dividuntur, & inde polythalamiorum nomen, præeunte *Breynio*, cujus in hac contemplatione opera uſus eſt, obtinent. Novum illud orthoceratis genus teſtarum, quod hactenus in lapide ſaltem inventum viſumque eſt,

Digitized by Google

dit, a *Jano Plauco*, qui primus has teſtas in ſedimento littorum maris Ariminenſis obſervavit, acceptum, cum ſpecies iſtius generis pulverulentæ minimæque formæ ſint, majuſcula formas pinxit. Cochleam, quæ, recepta hactenus dicendi conſuetudine, Turbinis ſpecies eſt, ad generis dignitatem evexit, conſtituitque ſub eo, quicquid teſtarum ſpiris apparentibus flexum eſt, hinc buccina, cylindri, volutæ, buccina, ſtrombi, caſſides, totidem penes omnes Autores diſtincta genera, ſtant ſub conceptu generali cochlearum. Quæ duplici teſta, articulo nexa, habitant Conchylia, concharum generali notione ſiſtuntur, quarum claſſes inſtruit valvarum conſideratione, prout illæ vel æquales, utraque convexa, ut in pectunculis, vel inæquales, altera plana, altera convexa, ut in pectinibus, vel prout in utroque genere valvæ vel æquilateræ, vel inæquilateræ, fuerint. Echinorum cutem, ſeu echinodermata, etſi toto animali, ipſaque teſtæ, aculeis natantis, indole, diſcrepent, *Breynium* ſecutus, Conchyliorum teſtis intereſſe juſſit, & polytomarum teſtarum claſſem exinde conſtruxit, ſociosque illis dedit, nihil quidpiam, quantum ad animal, ſimilitudinis habentes, balanos, pholadasque. *Ariſtotelem* ſuæ ſententiæ hujus ſtatorem habet, qui Echinos teſtaceis annumerat. Sicut autem Doctiſſimi Autoris mira & in rerum ſupellectili acquirenda, & in eadem deſcribenda, illinc fortuna, hinc ingenii felicitas, in hac Hiſtoriæ naturalis parte ſui ſimilem nondum invenit, nec inventura facile eſt, ita Iconum elegantia animum oculosque ſpectantium demulcet. Quare *Joſephus Menabonius*, Florentinus, pictor excellens, perennem, quod delineaverit formas teſtaceorum, easdemque naturæ, quantum ejus ſine coloribus fieri poteſt, æmulas reddiderit, famam ſibi lucratus eſt. Ornamentum Tabulis hiſce inſigne additum eſt delineatione & curioſiſſima deſcriptione Coraliorum, quibus Muſeum *Gualtieri* ſuperbit. Addimus jam Methodi, qua *Gualtierus* Conchyliorum teſtas diſpoſuit, conſpectum & ordinem:

GENUS PRIMUM, Teſtæ exothalaſſibiæ.

| | |
|---|---|
| *Claſſis prima,* terreſtres. | *Sectio prima,* Cochleæ breviores: *Vulgaris, umbilicata, depreſſa, depreſſa & umbilicata.* |
| | *Sectio ſecunda,* mucrone elongato: *Turbo terreſtris.* |
| *Claſſis ſecunda,* fluviatiles. | *Sectio prima,* non turbinatæ: *Patella.* |
| | *Sectio ſecunda,* turbinatæ: *Cochlea depreſſa, Nerita, Buccinum, Turbo.* |
| | *Sectio tertia,* Conchæ: *Muſculus.* |

GENUS SECUNDUM, Teſtæ marinæ integræ non turbinatæ.

| | |
|---|---|
| *Claſſis prima,* ſimplices. | *Sectio prima,* vaſculoſæ: *Patella, limbo integro, limbo laciniato, vertice perforato, vertice intorto, ſtructura peculiari.* |
| | *Sectio ſecunda,* tubuloſæ: *Tubulus regulariter intortus, dentalis, radiciformis, bucciniformis; Tubulus irregulariter intortus vermicularis; Tubulus irregulariter intortus vermicularis, Tubulus irregulariter intortus vermicularis concameratus.* |
| *Claſſis ſecunda,* quæ internam fabricam occultant. | *Sectio prima,* vaſculoſæ: *Cymbium, Nux marina, Porcellana vulgaris, thoracica, fimbriata, integra, ſpiralis.* |
| | *Sectio ſecunda,* tubuloſæ polythalamiæ: *Nautilus, Ammonia, Orthoceras.* |

GENUS TERTIUM, Cochleæ marinæ.

| | |
|---|---|
| *Claſſis prima,* Cochleæ longæ. | *Sectio prima,* ore labiis rectis: *Conoidea, Cylindroidea.* |
| | *Sectio ſecunda,* pyriformis: *Vulgaris, intorta integra, intorta ſulcata, intorta cylindroidea.* |
| *Claſſis ſecunda,* Cochleæ canaliculatæ. | *Sectio prima,* rectæ: *Tenuior, Purpura.* |
| | *Sectio ſecunda,* incurvatæ: *Introrſum, extrorſum, Murex, Aporrhais, Purpura, Caſſidiformis umbilicata, Caſſida.* |

*Claſſis*

Digitized by Google

*Claſſis tertia,* Buccina. — *Sectio prima,* parva: *Pruniforme acuminatum, pruniforme canaliculatum, ſulcatum, ſulcatum & canaliculatum, integrum ore perpendiculari, integrum ore obliquo.*

*Sectio ſecunda,* majora: *Canaliculatum roſtratum ore ſimplici, canaliculatum roſtratum ore labioſo, canaliculatum roſtratum ore labioſo fimbriatum, canaliculatum & ſulcatum.*

*Claſſis quarta,* Strombi. — *Sectio prima,* ore ſuperius aperto: *Canaliculatus acuminatus, canaliculatus roſtratus ore ſimplici, canaliculatus roſtratus ore anguloſo, canaliculatus roſtratus ore labioſo, ſulcatus vulgaris, ſulcatus ore labioſo.*

*Sectio ſecunda,* integri: *Vulgaris, ſeu ore ſimplici, ore labioſo, ore fimbriato & dentato.*

*Claſſis quinta,* Cochleæ ore brevi, mucrone inſigniter elongato. — *Sectio prima,* Turbo apertus: *Latus, acuminatus, canaliculatus roſtratus, canaliculatus oblique incurvatus, ſulcatus.*

*Sectio ſecunda,* Turbo integer: *Vulgaris, acuminatus, fimbriatus.*

*Sectio tertia,* Trochus: *Ore anguſto & horizontaliter compreſſo, ore ampliore & ſubrotundo.*

*Claſſis ſexta,* Cochleæ breviores. — *Sectio prima,* proportionatæ: *Trochiformis, terreſtriformis, depreſſa.*

*Sectio ſecunda,* non proportionatæ: *Nerita, umbilicata, plana, auris marina.*

*Appendix*

Digitized by Google

*Appendix Generis tertii.*

*Sectio unica*, opercula cochlearum varia: *Teſtacea, cornea.*

GENUS QUARTUM, Conchæ marinæ.

*Claſſis prima*, valvis æqualibus, æquilateræ.

*Sectio prima*, notabiliter umbonatæ, & recta incurvatæ: *Subrotunda vulgaris, cordiformis umbone cardinum diducto, cordiformis umbone cardinum unito.*

*Sectio ſecunda*, mediocriter umbonatæ, & recta incurvatæ: *Craſſa, pecten tenuis, pectunculus, pectiniformis.*

*Sectio tertia*, notabiliter umbonatæ, & oblique incurvatæ: *Subrotunda vulgaris, Chama æquilatera.*

*Sectio quarta*, mediocriter umbonatæ, & oblique incurvatæ: *Subrotunda, tellina æquilatera.*

*Sectio quinta*, non umbonatæ: *Pinna recta, Pinna incurvata.*

*Claſſis ſecunda*, valvis æqualibus, inæquilateræ.

*Sectio prima*, notabiliter umbonatæ, & recta incurvatæ: *Subrotunda vulgaris, cordiformis inæquilatera.*

*Sectio ſecunda*, leviter umbonatæ, & recta incurvatæ: *Subrotunda alata.*

*Sectio tertia*, notabiliter umbonatæ, & oblique incurvatæ: *Triangularis vulgaris, chama inæquilatera, rhomboidalis.*

*Sectio quarta*, leviter umbonatæ, & oblique incurvatæ: *Subrotunda, pectiniformis triangularis, tellina inæquilatera, muſculus, longa, ſoleniformis, mytulus.*

*Sectio*

Digitized by Google

*Sectio quinta*, ſtructura & ſtriis peculiaribus: *Imbricata, aliformis, triopſis.*

*Sectio ſexta*, non umbonatæ: *Solen, ſtructura peculiari, Terebratula, longa brachiata, ſubrotunda, perforata.*

*Claſſis tertia*, valvis inæqualibus. *Sectio prima*, umbonatæ: *Pectinata, Spondylus, Griphoides.*

*Sectio ſecunda*, non vel irregulariter umbonatæ, ſine ullo cardinis indicio: *Oſtreum, vulgare, roſtratum, ſtructura peculiari.*

GENUS QUINTUM, Teſtæ marinæ polytomæ.

*Claſſis unica*, Teſtæ marinæ polytomæ. *Sectio prima*, quarum portiones connectuntur per articulationem cartilagineam: *Conchoides, pholas, tellina cancellifera.*

*Sectio ſecunda*, quarum portiones connectuntur per ſuturam ſquamoſam: *Balanus glandiformis, depreſſus.*

*Sectio tertia*, quarum portiones connectuntur per ſuturam propriam: *Echinus, Echinometra, Echinoſpatagus, Echinanthus, Echinodiſcus.*

## *DE QUAMPLURIMIS PHOSPHORIS, NUNC primum detectis, Commentarius.*

Bononiæ, ex typographia Lælii a Vulpe, 1744, 4.

Plag. 12½.

Divæ *Catharinæ Vigriæ*, Bononienſi, Commentarium hunc *Jac. Barth. Beccarius* voto ſuſcepto donavit, dicavit, inſcripſit, in *Capitula 55* diſtributum. Phoſphoros diviſit in alios, ſponte lucentes, ſplendore eximios, vel innato, ut cicindelæ, vel adventitio, quales ſunt ligna putreſcentia. Alii

 lucent

lucent ſolum excitati vel attritu, vel calore, ut phosphorus ſmaragdinus, lapis Cyaneus, vel libero aeris adſpectu, ut *Krafftianus*, *Hombergianus*, purati a *Lemeryo*, *Fevrio*. In-
Pag. 3. ter hoſce excellit lapis Bononienſis, cui decus ſuum ſtetit, donec *Chriſtianus Adolphus Balduinus*, quærens Alkaeſt neſcimus quoddam, phosphorum quendam invenit ex creta ſpi-
5. ritu nitri ſoluta. Poſt inventum *Balduinianum* phosphorum per annos fere 60 nulla huic generi contigit acceſſio. Anno hujus ſeculi 30 incredibilis in ipſum multitudo a *Fayo* invecta fuit. Quicquid enim ſola uſtione in calcem verti, aut nitroſa aciditate ſolutum, inde concretum, eam vim ignis ferre poteſt, qua excandeſcat, id omne Vir ſolertiſſimus imbibendo extraneo lumini aptum eſſe comperit. Sic genus illud phosphori, quod uno lapide Bononienſi olim continebatur, mire amplificatum eſt, atque in duas claſſes diviſum, quarum alteri phosphorus noſter tanquam princeps & caput, alteri Balduinus, præeſt. Ventum inde eſt in ſpem, nullum fortaſſe corpus in poſterum fore, quod aut artificiis, aut alio quodam modo, ad eandem dignitatem evehi tandem poſſit. Certe *Fayus* nil omiſit inexpertum, ut metalla, gemmas, criſtallos, ſilices, ac alia id genus corpora, quæ vim ignis acriumve liquorum eludunt, in hunc phosphororum cenſum pertraheret. Verum, quod tanto opere conatus erat, id a natura ipſa effectum eſſe, poſt quadriennium cognovit in adamante. Cum
7. hæc Pariſiis agerentur, Cel. Autori quoque Bononiæ admirandam hanc lucendi vim in adamante, quem forte in annulo geſtabat, caſus objecit. Res hæc Autori digniſſima fuit viſa, in qua ingenium ſuum & ſolertiam Phyſicus exerceret. Continuo igitur tum ſuum, tum alios, quotquot habere potuit, adamantes, mole, figura, nitoris vi, perſpicuitate, colore, diſſimiles, in diverſo lumine omni experimentorum genere tentare cœpit, viſurus, quid in tanta varietate afferretur diſcriminis eorum illuſtrationi, ſive in modo, ſive in vigore, ſive
8. in diuturnitate ſplendoris. Studia ipſe hæc ſua & omnem, qualiscunque fuit, eorum fructum, cum Academia communicavit. Hæc vero & inventum ſibi pergratum, & æque acceptos fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe conatus Autoris, non obſcure ſignificavit. Attingere tamen is omnia in diſquiſitione haud potuit, præcipue illud, quid ſit cauſæ, cur ex adamantibus cetera omnia ſimillimis, eidemque lumini objectis, alii ſplendorem acciperent, alii manerent obſcuri. Subtilius inter hæc obſervandi genus effecit, ut quædam Autor animadverterit, quæ antehac & ipſum & alios effugerant. Docemur hic, obſervatoris in hoc genere Pag. 11.
eſſe, 1) ut obſcuriſſimo in loco tam diu verſetur, quoad vel minimum perceptæ antea lucis veſtigium in oculo hæſerit; 2) ut corpora, quæ obſervationi ſunt ſubjicienda, ab externo lumine, in quo ipſa ſunt poſita, quam minimo temporis ſpatio ad obſervatorem afferantur. Modulum obſervandi, quem tenuit Autor, ipſe deſcripſit. Commendat *Fayi* con- 13.
ſilium, ut *matutinum tempus*, quo oculi ſunt meliores, obſervationibus hiſce peragendis impendatur. Dividit deinde corpora experimentis apta, vel inepta. Terras, arenas, lapides, perluſtravit pro ſcopo ſuo. Gypſum Bononienſem examinavit, quod uſtione majorem lucendi vim acquirit. La- 19.
pides calcarios expendit. Metalla phoſphorum excludunt. Conceſſit natura vim lucendi auripigmento foſſili & arſenico albo. Sales, ab admiſtione metallica puri, fiunt ſplendidi, lucemque imbibunt. Minima eſt ſali gemmeo lux & rupeo pellu- 27.
cido; aliquanto major opaco, nulla foſſili rubenti, marino ſatis vivida, modo is ſit criſtallinus & ſiccus; non ita vivida, licet non infirmiſſima, ſali ammoniaco; vegetior ſali, quem catharticum vocant, & recentiorum nitro, Ægyptiaco autem debilior, debilis pariter alumini; boraci demum præ omnibus fulgens, & puriſſimo candore præclara. Animantium marinorum teſtas eodem fine Autor exploravit. Vegetabilia æque perpendit. Terreſtres plantas, dum virent, dum ſucco ad- 29.
huc turgent, nihil lucis aſſumere, tradit. Ligna & cortices percurrit. Quicquid in animantibus ex terreſtri principio ſingulariter concretum eſt in ſolidam firmitatem indurato, id ipſi 32.
magnam partem ſat appetens alienæ lucis videtur. Quærit poſthæc, quo & quanto in lumine exponi, & quamdiu manere in eo res debeant, quas volumus inde ſplendentes diſcedere;

Pag. 35. qui fines ſint concepto lumini conſtituti, ultra quos exiſtere hi phosphori non ſoleant, citra quos ſenſum commovere non poſſint; quamdiu hauſtum lumen corporibus inhæreſcat; quænam convenientia inter hæc omnia intercedat. Hæc de phos-
40. phoris naturalibus. Tum vero ad *artificiales* diſquirendos Autor ſe accingit, quorum principatum tenent, qui nonnullarum ſtirpium maceratione fiunt. Et charta phosphorus eſt. In hac experimentum feliciter Autori ſucceſſit haud unum, ſed multiplex. Qua ratione ignis phosphoris efficiendis fiat aptus,
52. ſolide docet. Ad carnes aſſatas ſe confert, ad gummoſa, ad panem, ad Colophoniam, & alia, ad res torrefactas, ad recens
77. exuſtas, ad Cadmiam. Tandem vero in rationes phyſicas exquirit horum phænomenorum, & addit, rem omnem hanc plus diligentiæ ac temporis exigere, quam ſibi fuerit conceſſum.

## SAGI DI DISSERTAZIONI ACCADEMICHE, &c.

hoc eſt,

## *SPECIMINA DISSERTATIONUM ACADEMIcarum, publice lectarum in nobili Academia Etruſca antiquiſſimæ civitatis Cortonæ.*

## *Tomus II.*

Romæ, impenſis Palliarinorum, 1738, 4 maj.

Alph. 1 plag. 4, Tab. æn. 8.

Cum *Tomi primi* ſummam proderemus, ſupprimere haud valuimus id, quo *Tomos* conſecutuſos proſecuti ſumus, deſiderium, cui quidem nunc factum ſatis, magnopere gaudendi anſam nobis exiſtimamus ſuppeditatam. In fronte apparet *Diſſertatio prima Annibalis* Abbatis *Olivieri*, nobilis Peſarenſis, de nonnullis Monumentis Pelasgis. Cum vero Academiæ ejusdem ſodalis, *Ludovicus Burgetus*, Profeſſor Neo-Comenſis, ab eo hinc inde diſſentiat, ac Duumvirorum extent eam ob cauſam Epiſtolæ, ultro citroque ſcriptæ, is, qui

Academiæ

Academiæ Cortonenſis eſt a ſecretis, ſuum eſſe duxit, hic quoque inſerere opuſcula nonnulla *Burgeti*. In *Diſſertatione ſecunda* idem Abbas *Olivierius* expoſuit illuſtravitque *duos Samniticos numos* nova plane ratione. *Diſſertatio tertia*, profecta e Muſeo equitis *Laurentii Guazzeſi*, Aretini, occupata eſt in *Inſcriptione Etruſca*. *Quarta* eodem exiit Autore, inſcripta de *Amphitheatris Tuſcanicis, præcipue Aretino*. *Quinta* eſt *Petri Franciſci Foggini*, Florentini, *de quadam Patera Etruſca*. *Sexta* debetur diligentiæ *Balii Gregorii Redi*, Aretini, qui *de Diis Adhærentibus* fuit commentatus. *Septimam* elaboravit *Ludovicus Antonius Muratorius*, Bibliothecæ præfectus Sereniſſ. Ducis Mutinenſis, *de Aſcia ſepulcrali*. *Octavam* dedit *Joannes Franciſcus Baldini*, conſcriptam *de quibusdam vaſculis ex creta*, copioſe inventis in fornice ſepulcrali intra vineam S. *Cæſarii* Romæ. *Nonam* edidit P. *Joſephus Roccus Vulpius*, Societatis Jeſu, *de villa Tiburtina Manlii Vopiſci, ejusque ſitu & magnificentia*. Produxit idem multas ibi recens repertas Inſcriptiones. *Decima* Autor eſt *Antonius Cocchi*, Florentinus Medicus, *de uſu externo aquæ frigidæ ſuper corpore humano apud antiquos*. *Undecimam* Canonicus *Philippus Venuti*, Cortonenſis, *de Ædiculis antiquorum* adornavit. *Duodecimam* ſcripſit *Juſtus Fontaninus*, Archiepiſcopus Ancyranus, *de Inſcriptionibus nonnullis*. Hoc *Tomi* hujus eſt argumentum, hæc ejus eſt ſumma. At, quantum attinet ad primam, monumenta tria Etruſca expoſuit iam Cel. *Burgetus*. Principatum in eis tenet tabula ahenea, cuius figuram evul- Pag. 2.
gavit jam *Sponius Miſcell. erud. antiq. pag. 87 ed. Lugd.* Expoſitionem ejus fuerat aggreſſus Marchio *Maffæus* in Diſſ. *de Italis primitivis*, nec tamen ultra tres voces primas progreſſus. Eas, quæ ſequuntur, enodare tentavit *Burgetus*. Nec minus 3.
tamen expoſitio *Burgeti* ſuſpecta videtur Ven. Abbati *Olivierio*, immo tabula ipſa. In hac enim Numina duo ſupra Inſcriptionem apparent efficta, additis vocibus: APOLLINI CLATHRAE. Inſcriptio ſic habet: LERPIRIOR. SANTIRPIOR. DVIR. FOR. FOVFER. DERTIER. DIERIR. VOTIR. FARER. VEF. NARATV. VEF. PONI. SIRTIR.

*Oſiridis Iſidis*que imagines te vidiſſe putes. Modius enim impoſitus eſt capiti *Apollinis*. Siſtrum tenet, Clatra manu dextra, lothi caulem ſiniſtra. Geſtamen hoc in *Iſidem* quadrat. Romani omnino antiqui Deos peregrinos horruere. Et quis credibile exiſtimabit, *Romuli* ætate jam Numina Ægyptia Romæ fuiſſe culta? Anno U. C. 701, teſte *Dione Lib. XL*, *Serapidis Iſidis*que fana, quæ privatim nonnulli exſtruxerant, Senatus deſtrui juſſit, quod eos Divos non magno-
Pag. 4. pere inter Numina numerabat. *Cuperus* curate oſtendit id temporis, quo cultus Numinum Ægypti Romæ fuit introductus publica autoritate, in libro de *Harpocrate pag.* 149. *Victor* utique tradidit, ſuo tempore in ſexta regione Romæ templum exſtitiſſe, de ætate *Romuli* addidit nihil. *Romulus*, *Livio* teſte, una *Herculis* ſacra ex omnibus peregrina ſuſcepit. Ecquis putabit veriſimile, jam *Romuli* ætate ſimulacra Deo-
6. rum Romæ fuiſſe conſtituta? *Varro* certe apud *Auguſtinum Lib. IV Cap. 36 de Civ. Dei: Plus quam annos centum & ſeptuaginta ſine ſimulacro Deos coluit. Plutarchus* in *Numa* haud diſſentit. Adde, quod imaginum, de quibus paulo ante diximus, forma exterior ad ætatem vetuſtiſſimam, ejusque ruditatem, haud admodum quadrat. Nec omittendum, in utraque
7. conjungi ſymbola complurium Deorum. Quæ conſuetudo ſacra *Romulo* omnino eſt longe recentior. Ita rationes ſuas ſubducit Vir venerabilis. Progreditur ipſe ad tabulam,
11. quam cognominant *Clavernıur*. Hanc non de contractu venditionis, ſed edicto collegii ſacri, exponit, ratus, voces tres *Eſuc frater Atiieriur* notare idem ac *edictum fratrum*
13. *Pontificum*. *Uracu* ipſi eſt *orcus*, *ute cueſtur* vero *uti quæſtor*, *tertiame* ex τερέω, vulnero, *vulneratos* &c. Diſſertationi huic ſubjuncta eſt *Epiſtola de duabus ſic dictis Inſcri-*
22. *ptionibus Etruſcis ad Dominum Marchionem Scipionem Maffeum*, jam inſerta *Bibliothecæ Italicæ Tom. III Art.* 8. Hanc *Burgetus* ſub nomine *Philalethis* A. 1728, 22 Dec. con-
33. ſcripſit. Ejusdem ſuccedunt *Litaniæ Pelasgæ antiquorum populorum Italiæ* ex *Biblioth. Ital. Tom. XIV Art.* 1. Pars prima

pertinet

pertinet ad tabulas *Eugubinas*, quæ legitur in *Theſauro Inſcriptionum Gruteri pag.* 143 *ſeq.* In alphabeto Etruſco condendo deſudarunt *Baldus*, *Coſmus de Arena*, ac ipſe poſt alios *Burgetus*. Autor Epiſtolæ hujus ſecundæ negat, tabulas *Eugubinas* ſermone Etruſco proprie ſic dicto concinnatas eſſe & exaratas. Ipſe autem exiſtimat, contineri eis memorabilem hi- Pag. 36.
ſtoriam quatuor antiquæ Italiæ gentium primariarum, Tarſinatum, Tuſcorum, Naharkiorum, & Jabuskiorum. Duos Nu- 38.
mos Samniticos, qui *Diſſertatione ſecunda* exponuntur, de- TAB. I Fig. 1, 2.

TAB. I



ex gente ...

ciſſe, Idea non una, apud *Livium* obvia, ſatis ſuperque declarant. *Bellona*, aut *Minerva*, ornatæ caput eminet in numo priori; *Martis* in poſteriori. Galeæ criſtatæ ſpeciem magnitudini corporum addiderunt, *Livio* teſte *Lib. IX, X.* Samnites inprimis eis delectati. In poſtica prioris legitur ad dextram 65.

tram A, ad ſiniſtram *Saſinim.* Hanc vocem Ven. Abbas ex-
ponit ex Græca *σαφέω, σαφηνίζω, manifeſto, declaro*, at flu-
ctuatione plenus. *Burgetus* vocem Etruſcam *Sabinio* deduxit
Pag. 68. ex Ebraica *Sakin*, quæ cultellum notat, unde vox *Saſinim* de-
notet *jugulationem*, A illud *Amerthones*, ſeu Amerinos, Ca-
mertas, Cluſinos. At, ſi quid videmus, in tenebris micantes,
*Saſinim*, ſeu *Sabinim*, vox eſt truncata, denotans *Sabinimites*, ſeu
*Samnites.* Litera A, ſeorſim poſita, videtur ſignum eſſe *aſſis.*
Vir galeatus, ſupra nudus, dextram tridenti innixam alle-
vans, ſiniſtra trahens bovem, heroem notat terra marique for-
70. tem. In poſtica numi poſterioris inter milites duos ſimiliter
armatos fecialis, in genua ſeſe demiſſurus, porcam tenet, ſi-
gnum fœderis percuſſi. Inſcriptio ſubjecta ſubindicat vocem
*C. Paapi.* Veteres ſolebant geminare in ſcribendo vo-
73. cales longas. Inſcriptionem Etruſcam, quam *Laurentius*
*Guazzeſi* expoſitione illuſtrat, putant ſic legendam: *Lar Cil-
nius Junonis ſacerdos. Lar* ipſi eſt Rex ac Dominus; *Atitur,
Atieur, Atiteur*, & *Atienſir*, ex *ἱερεὺς*, ſacerdos. Autor idem de
amphitheatri *Aretini* reliquiis conciſe quidem, ſolide tamen,
egit. *Diſſertationi quintæ* anſam, & originem ſuppeditavit In-
ſcriptio, inventa in oppido *Cajazzo*, ſeu Calatia, prope Capuam,
aræ adjuncta: DEIS ADHAERENTIBVS SACRVM. Per
128. hoſce intelligi credit Deos, qui alibi vocantur *σύνναοι, σύμ-
βωμοι, σύνθρονοι. Diſſertatione ſeptima* Ven. *Muratorius* in-
135. quiſivit in formulam: *Sub aſcia dedicavit. Aldus Manutius*
ad legem XII Tabularum: *Rogum aſcia ne polito*, formulæ hu-
jus ſenſum voluit divinare. Aſcia certe fuit inſtrumentum,
quo utuntur fabri murarii, quemadmodum innoteſcit ex *Vi-
truvio VII, 2.* Ill. *Maffei* opinionem alibi jam exhibuimus,
quam dedit in *Ep. 11. Galliæ Antiquitatum quarundam ſe-*
138. *lectarum.* Aſcia, *Iſidoro* teſte *de Orig. XIX, 19, ab aſſulis di-
cta, quas a ligno eximit, cujus diminutivum nomen eſt Aſciola.
Eſt autem manubrio brevi, ex adverſa parte referens vel ſimpli-
cem malleum, aut cavatum, vel bicorne raſtrum.* Hæc *Iſidorus.*
Figuram aſciæ referunt Inſcriptiones nonnullæ. Cel. Autor
148. formulam *ſub aſcia* exponit per vulgare illud: *ſit tibi terra*
*levis,*

Digitized by Google

*levis*, quaſi in inſcriptione ſepulcrali fuerit monitum, ut ſpi-
næ, ſentes, rubi, gramina, e ſepulcri ſuperficie diligenter
debeant removeri ac exſtirpari. Mirum ſane, ad *ſecespitam*
haud reſpexiſſe quemquam, qua ſacerdotes uſi inter ſacrifi-
candum, atque ad opera dedicanda. Si ſecespitam in ſubſi-
dium vocaverimus, difficultas formulæ evaneſcit. Aſciæ ſi-
gnum, quod ſupra in *pag. 140* exſtat expreſſum, haud eſt
aliud ac ſecespitæ. Vide *Huberti Golzii de re nummaria an-
tiqua Tom. II Tab. 25 Fig. 1, 3, 5, Tab. 27 Fig. 10, Tab. 72 Fig.
19*, inter numismata, *Tiberio* priora. Prætereundæ nunc ſunt
nobis Diſſertationes aliquot, tanta diligentia exaſciatæ, ut
præſtet nihil, quam pauca, dixiſſe. Nec tamen omitten- Pag. 193.
dum, Cel. *Antonium Cocchi* ex veteris mediæque hiſtoriæ mo-
numentis copioſe de aqua frigida, in uſum corporis humani
externum adhibita, diſſeruiſſe. Aqua illa, corpori admota, 199.
efficit preſſionem carnis verſus oſſa ob ſui gravitatem, & eam,
quam frigus invehit, condenſationem. Hæc condenſatio in
cauſa eſt, ut tubuli venarum & arteriarum minutiſſimi, qui
per cuticulam emittunt ſudorem, obſtruantur ad tempus, hu-
mores interni conſerventur, ac fibræ flexibilitatem conſuetam
retineant. *Antonius Muſa Auguſto* firmitatem corporis red- 207.
didit, balneis frigidis uſus. *Marcellum* idem dicitur a *Dione*
excepiſſe remedio eodem, at tum quidem exitioſo. At *Dio-
nis* teſtimonium Noſter repudiat, & *Muſæ* famam tuetur. De
templis, per jumenta hinc inde vectis, thenſis, plauſtris Deo-
rum, thecis geſtatoriis, Cel. *Philippus Venuti* expoſuit poli-
tiſſime pariter ac veteri Hiſtoriæ congruenter. Ignorant vul-
go Grammatici Ebræorum, quænam notio ſit jungenda cum
voce אַפֵּדֶן, quæ legitur *Dan. XI, 45*, ac in interpretatione
*Jonathanis Jer. XLIII, 10*, ubi in Ebraico vox occurrit שְׁפְרִיר.
At Rev. Canonicus effecit, ut ſponte ſua verus ſignificatus,
dudum deperditus, nobis denuo innoteſcat. Indicatur enim
templum Dei tutelaris, jumentis vehi portarique ſolitum. Pe-
nes Græcos reſtat vox Ἀπήνη, jam *Homero* trita. *Pauſanias*
in Eliacis eam adhibuit. Scholiaſtes *Pindari* hæc habet: Ἀπή-
νη ἅρμα ἐξ ἡμιόνων. *Harduinus* in *Numm. illuſtr. pag. 165*, &

P *Patinus*

*Patinus pag.* 412, poterunt conſuli omnino. Templum ejusmodi portatile ſuperius erat tectum, columnis nonnullis a fronte ac tergo Divi, in eo ſedentis, inſtructum, formam lecticæ ſuſtinens. Ex quo factum, ut vocetur אִיפָה penes *Zacharium. Julius Pollux* concinit, cujus *X*, 13, hæc ſunt: Τὰ εἴδη τῶν ὀχημάτων ἴςέον, εἴτε ἅρματα, εἴτε ὀχὸς, εἴτε ἁμάξας, εἴτε ἀπήνας αὐτὰ προσήκει καλεῖν. ἔςι δὲ τ᾽οὔνομα ἡ Ἀπήνη ἐν τῇ Σοφοκλέους Ναυσικάᾳ καὶ ἐν τοῖς Μενάνδρου ἁλιεῦσι. Vulgo legitur apud *Pollucem* Λαμπήνη, non Ἀπήνη. At facile patefcit, vocem Ἀπήνη ibi eſſe reſtituendam. Ἀπήνη carpentum erat, inſtar lecticæ factum. *Vaillantius* exhibuit numos aliquot, ab Epheſiis cuſos, ad *Commodum*, *Gordianum Pium*, ac *Erenniam Etruſcillam*, referendos, in quibus carpentum apparet, a multis tractum, cum epigraphe: ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. ΕΦΕCΙΩΝ (*thenſa ſacra Epheſiorum*). In Veteri Teſtamento occurrit veri etiam Dei currus, ab animalibus validis (ſeu Chrubhim) tractus. Dixit jam nonnulla, huc referenda, *Joannes Schefferus* in libro *de Vehiculis veterum*. Operæ tamen fuerit pretium, figuram ipſam lecticæ ejusmodi ſacræ inſpicere. En illam ex Baronis *Philippi de Stoſch* numo, *Fauſtinam* Imperatricem in thenſa repræſentante. In
TAB. I numo Sidoniorum thenſa eminet, currusve, duabus rotis
Fig. 3. inſtructus, cum epigraphe: Σιδῶνος Θεᾶς. Dea Syria, ſeu Aſtarte, indicatur. Addimus, de hac thenſa (אִיפָה) & Dea Syria agi *Zach. V*, 6-11. De thenſis ejusmodi *Dianæ Epheſiæ* fit mentio *Act. XIX*, 24. *Tibullus* de ædiculis ita ſacris *Lib. II El.* 10: *Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu Stabat in exigua ligneus æde Deus*. Inſcriptiones, quas *Juſtus Fontaninus* expoſuit, ſic habent: D. M. Q. CAECILIO. Q. F. MAECIA. MAXIMO. NEAPOLI. MILitum CoHOrtis VII. PRætoriæ SINGVLARIS. TRIBVNO. Altera eſt hæc:
Pag. 226. Saluti Auguſtæ Sacrum IN. HONOREm L. VALERI. NYMPHODOTi VIVIRi. ET. Decreto. Decurionum. AVGuſtalis. Et. C. STATI. PRIMIGenii. IN. MEMORIAm. ET. C. STATI. HEVRETis. VIVIRi. ET. Decreto. De-
228. curionum. AVGuſtalis ALYPVS LIBertus. Decuriones Augu-

Auguſtales in ſaxis leguntur innumerabiles, teſte Cardinale *Noriſio de Cenotaphiis Piſanis Diſſert. Cap. VI pag. 74.* Ac Imperator *Tiberius* in honorem *Auguſti* inſtituit ſacerdotium ſodalium, qui cognominantur *Auguſtales*, teſte *Tacito Ann. I, 54.* Horum munus partesque fuerunt, ut, *Auguſto* inter Divos relato, ſacra facerent. Mos iſte, per Romani Imperii terras coloniasque mox exceptus, redditus fuit multus ac frequentiſſimus. Hæc ſunt potiora cimelia, quæ in uſus publicos ex hoc theſauro voluimus deduci. Veneramur magnique facimus inſtitutum eximiæ Italorum gentis Academicæ, quæ ad notitiam antiquitatum regionis ſuæ ſedulo excubat, atque ſoliditatem cum elegantia ubique quam feliciſſime conjungit.

*DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA DE SAluberrimo Nuceriæ in Umbria erumpenti latice. Accedunt complures practico-medicæ Obſervationes ac Sanationes, Autore* FLORIDO DE PLUMBIS, *Concive Nuceriano, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore.*

Venetiis, apud Joſephum Corona, 1745, 8.

Plag. 9.

Quas obſervationes de Nucerianis aquis *Plumbus*, Vir Cl. ab A. 1720 Italica lingua conſcriptas, emiſit in lucem, cum in officina deſiderarentur, & vellet Autor earum novam editionem parare, paſſus eſt ſibi ab amicis perſuaderi, ut in Latinam linguam eas converteret, &, ut videtur, multum augeret. Quod igitur inde enatum opuſculum eſt, *tribus Partibus* conſtat, quarum *prima* in *quatuor*, *altera* in *tria*, *Capita* diviſa eſt, *tertia* ſexaginta ſex obſervationes continet. Cum in *prima Parte* de interno aquæ Nucerianæ uſu, aut ejus potatione, agatur; præmiſſa ſunt pauca de ſalina humorum acrimonia, quæ omnium fere morborum cauſa ſit, cumque, contra eam non niſi ab alcalicis præſidium duci poſſe, inter omnes conveniat, de quo nobis vehementer dubitare liceat, optime Pag. 1 ſeq.

corrigi per Nucerianam aquam poſſit. Tum primo loco Nu-
Pag. 4 ſeq. ceriani laticis hiſtoria proponitur. Erumpit is leni ſtrepitu ex radice fere & inter lapideas ſtrias montis, duriſſimo compacti lapide, ſubrubeſcentis ex albido coloris. Spectat fons orientem ſolem, a meridie inumbratus, & e quatuor, aut quinque, modico intervallo diremtis, rivulis ſcaturientes aquas apta lacuna cogit, omnes peregrinas aquas excludens, efficiensque, ut nulla tempeſtate vel quantitas, vel limpidus Nuceria-
6 ſeq. næ aquæ color, mutetur. Quo loco oſtendit Autor, *Vallisnierium* deceptum fuiſſe, quando, Nucerianas aquas, referat, pluviales eſſe, per montis illius albam, puram, & inſipidam
9. terram, tanquam per ſpongiam, delapſas. Demonſtratur deinde, centum circiter aquæ uncias perenniter a fonte fluere. Epocham inventi fontis ſe conſtituere nullam poſſe, fatetur
11 ſeq. *Plumbus*, cum ejus duo tantum manuſcripta monumenta invenire potuerit, quorum alterum *Bernardini de Spoleto*, alterum *Bern. Venantii de Terra Corinaldi*, ex quibus is A. 1510, hic 1591, medicinam Nuceriæ exercuerit. Meminit deinde *Octaviani Mariani de Aſſiſio*, qui A. 1599 de Aqua Nuceriana Tractatum Peruſiæ ediderit, & *Annibalis Camilli*, cujus Italico idiomate concinnatum Tractatum, qui Peruſiæ A. 1607 editus ſit, etſi maximopere laudat, tamen ſe dicit neque in hoc, neque in reliquis, aliquid de inventione ſalutaris hujus aquæ inveniſſe. Quare, ex ruſticorum relatione traditioneque, putat, ejus virtutem fuiſſe ex hoc cognitam, quod animalia, venenatis morſibus læſa, ubi cum hauſerint, tum ſe immerſerint in eam, ſervata ſint; magis tamen inclaruiſſe, ubi ex ruſticis unus, a vipera mortifere ſauciatus, ea ſanatus fuerit. Hinc Sancta Virgo, *Angelica*, nominata hæc aqua, quam jumenta ita praeferre aliis dicuntur, ut malint vehementiſſi-
14 ſeq. mam ſitim pati, quam illas haurire. Et, perfectiſſimam ſaluberrimamque eam eſſe, autoritate plurium Medicorum oſtenditur hoc, quod ad ſolis exortum erumpat, & inter lapides & ſaxa, quodque pura ſit, exilibusque ac mollibus, leviſſi-
16. misque, moleculis conſtet. Quam molecularum exilitatem pariter ac bezoardicas particulas, quæ aquæ inſint, ad infi-

nitas

nitas propemodum annorum ſeries incorruptibilem aquam fa-
cere, *Plumbus* contendit. Probat etiam, confutatis aliorum Pag. 19 ſeq.
ſententiis, veram aquæ Nucerianæ mineram terram Samiam
eſſe, a plerisque bolarem dictam. Quæ vero experimenta
ſunt ad qualitates hujus terræ inveniendas, ab *Aloyſio a Fa-
bra* inſtituta, & in peculiari Tractatu A. 1700 expoſita, ea *Plum-
bus* repetiit, ex iisque terram illam affirmat puriori alca-
lino ſale conſtare, nihilque differre a Samia *Galeni*, & prin-
cipem locum obtinere inter cruſtacea, ſemimineralia, & edul-
corantia. Capta etiam in brutis experimenta ſunt, iisque, 25.
poſtquam hæc terra data fuit, inciſis, deprehenſum fuit, eam in
ventriculo non ſubſediſſe, ſed cito fuiſſe in inteſtina delatam,
unde per lactea quoque vaſa profluere poſſe, colligitur. Eun- 27 ſeq.
dem *Fabrum* Autor ſequitur in iis, quæ per experimenta co-
gnovit, expoſuitque de Tartari quapiam ſpecie, ex implica-
tione craſſiorum ac ſubtiliorum per ignem effectarum parti-
cularum terræ exorta, quæ in lebetum fundo lateribusque
inveniatur, in quibus aqua continuo fervens ſervatur. Qui 31.
autem morbi deprehenſi ſunt Nucerianæ terræ cedere, hi
quidem ſunt: Febris peſtilentialis, putrida & maligna, in-
termittens, venenata, indigeſtiones ventriculi, ab acido ortæ,
diarrhoeæ bilioſæ & ſeroſæ, tormina, & vomitus, fluxus
mulierum tum albi, tum ſanguinei immodici, gonorrhoeæ,
hypochondriacæ affectiones, ſanguinis ſputum, affectiones
pituitoſæ, ambuſta, porrigo, & tibiarum ulcera. Cum ve- 34 ſeq.
ro plerisque ex his, tum quoque ſeorſim ictero, cachexiæ,
febribus bilioſis, ſterilitati, abortibus frequentioribus, lien-
teriæ, dyſenteriæ, ſanguinis ſputo & vomitioni, viarum uri-
næ variis vitiis, contuſionibus, cutaneisque affectionibus qui-
busque, mederi dicitur; tumque ſeorſim oſtenditur, aquæ 38.
Nucerianæ potationem lue venerea affectis convenire, in qua
tamen nonnulla occurrunt, quæ *Plumbum* pauciſſimis meden-
tium probaturum eſſe exiſtimamus, ex quibus & hoc eſt, con-
juges interdum lue infici, antea omnis venereæ labis exper-
tes, quia naturalis quæpiam ſanguinis diſcordia, & heteroge-
nea ſalium acidorum ſtructura, ſit. Excipit hanc diſputatio- 41-43.

P 3 nem

Digitized by Google

Pag. 35. qui fines ſint concepto lumini conſtituti, ultra quos emittere
hi phoſphori non ſoleant, citra quos ſenſum commovere non
poſſint; quamdiu hauſtum lumen corporibus inhæreſcat; quæ-
40. nam convenientia inter hæc omnia intercedat. Hæc de phoſ-
phoris naturalibus. Tum vero ad *artificiales* diſquirendos
Autor ſe accingit, quorum principatum tenent, qui nonnul-
larum ſtirpium maceratione fiunt. Et charta phoſphorus eſt.
In hac experimentum feliciter Autori ſucceſſit haud unum, ſed
multiplex. Qua ratione ignis phoſphoris efficiendis fiat aptus,
52. ſolide docet. Ad carnes aſſatas ſe confert, ad gummoſa, ad
panem, ad Colophoniam, & alia, ad res torrefactas, ad recens
77. exuſtas, ad Cadmiam. Tandem vero in rationes phyſicas ex-
quirit horum phænomenorum, & addit, rem omnem hanc
plus diligentiæ ac temporis exigere, quam ſibi fuerit con-
ceſſum.

## SAGI DI DISSERTAZIONI ACCADEMICHE, &c.

hoc eſt,

## *SPECIMINA DISSERTATIONUM ACADEMI-carum, publice lectarum in nobili Academia Etruſca antiquiſſimæ civitatis Cortonæ.*

## *Tomus II.*

Romæ, impenſis Palliarinorum, 1738, 4 maj.

Alph. 1 plag. 4, Tab. æn. 8.

Cum *Tomi primi* ſummam proderemus, ſupprimere haud valuimus id, quo *Tomos* conſecuturos proſecuti ſumus, deſiderium, cui quidem nunc factum ſatis, magnopere gaudendi anſam nobis exiſtimamus ſuppeditatam. In fronte apparet *Diſſertatio prima Annibalis* Abbatis *Olivieri*, nobilis Peſarenſis, de nonnullis Monumentis Pelasgis. Cum vero Academiæ ejusdem ſodalis, *Ludovicus Burgetus*, Profeſſor Neo-Comenſis, ab eo hinc inde diſſentiat, ac Duumvirorum exſtent eam ob cauſam Epiſtolæ, ultro citroque ſcriptæ, is, qui Academiæ

Academiæ Cortonenſis eſt a ſecretis, ſuum eſſe duxit, hic quoque inſerere opuſcula nonnulla *Burgeti*. In *Diſſertatione ſecunda* idem Abbas *Olivierius* expoſuit illuſtravitque *duos Samniticos numos* nova plane ratione. *Diſſertatio tertia*, profecta e Muſeo equitis *Laurentii Guazzeſi*, Aretini, occupata eſt in *Inſcriptione Etruſca*. *Quarta* eodem exiit Autore, inſcripta de *Amphitheatris Tuſcanicis, præcipue Aretino*. *Quinta* eſt *Petri Franciſci Foggini*, Florentini, *de quadam Patera Etruſca*. *Sexta* debetur diligentiæ *Balii Gregorii Redi*, Aretini, qui *de Diis Adhærentibus* fuit commentatus. *Septimam* elaboravit *Ludovicus Antonius Muratorius*, Bibliothecæ Præfectus Sereniſſ. Ducis Mutinenſis, *de Aſcia ſepulcrali*. *Octavam* dedit *Joannes Franciſcus Baldini*, conſcriptam *de quibusdam vaſculis ex creta*, copioſe inventis in fornice ſepulcrali intra vineam S. *Cæſarii* Romæ. *Nonam* edidit P. *Joſephus Roccus Vulpius*, Societatis Jeſu, *de villa Tiburtina Manlii Vopiſci, ejusque ſitu & magnificentia*. Produxit idem multas ibi recens repertas Inſcriptiones. *Decima* Autor eſt *Antonius Cocchi*, Florentinus Medicus, *de uſu externo aquæ frigidæ ſuper corpore humano apud antiquos*. *Undecimam* Canonicus *Philippus Venuti*, Cortonenſis, *de Ædiculis antiquorum* adornavit. *Duodecimam* ſcripſit *Juſtus Fontaninus*, Archiepiſcopus Ancyranus, *de Inſcriptionibus nonnullis*. Hoc *Tomi* hujus eſt argumentum, hæc ejus eſt ſumma. At, quantum attinet ad primam, monumenta tria Etruſca expoſuit iam Cel. *Burgetus*. Principatum in eis tenet tabula ahenea, cuius figuram evulgavit jam *Sponius Miſcell. erud. antiq. pag. 87 ed. Lugd*. Expoſitionem ejus fuerat aggreſſus Marchio *Maffæus* in Diſſ. *de Italis primitivis*, nec tamen ultra tres voces primas progreſſus. Eas, quæ ſequuntur, enodare tentavit *Burgetus*. Nec minus tamen expoſitio *Burgeti* ſuſpecta videtur Ven. Abbati *Olivierio*, immo tabula ipſa. In hac enim Numina duo ſupra Inſcriptionem apparent efficta, additis vocibus: APOLLINI CLATHRAE. Inſcriptio ſic habet: LERPIRIOR. SANTIRPIOR. DVIR. FOR. FOVFER. DERTIER. DIERIR. VOTIR. FARER. VEF. NARATV. VEF. PONI. SIRTIR.


Pag. 2.

3.

*Oſiridis Iſidis*que imagines te vidiſſe putes. Modius enim
impoſitus eſt capiti *Apollinis*. Siſtrum tenet Clatra manu
dextra, lothi caulem ſiniſtra. Geſtamen hoc in *Iſidem* qua-
drat. Romani omnino antiqui Deos peregrinos horruere.
Et quis credibile exiſtimabit, *Romuli* ætate jam Numina Ægy-
ptia Romæ fuiſſe culta? Anno U. C. 701, teſte *Dione Lib.*
*XL*, *Serapidis Iſidis*que fana, quæ privatim nonnulli exſtru-
xerant, Senatus deſtrui juſſit, quod eos Divos non magno-
Pag. 4. pere inter Numina numerabat. *Cuperus* curate oſtendit id
temporis, quo cultus Numinum Ægypti Romæ fuit introdu-
ctus publica autoritate, in libro de *Harpocrate pag.* 149. *Vi-*
*ctor* utique tradidit, ſuo tempore in ſexta regione Romæ tem-
plum exſtitiſſe, de ætate *Romuli* addidit nihil. *Romulus*, *Li-*
*vio* teſte, una *Herculis* ſacra ex omnibus peregrina ſuſcepit.
Ecquis putabit veriſimile, jam *Romuli* ætate ſimulacra Deo-
6. rum Romæ fuiſſe conſtituta? *Varro* certe apud *Auguſtinum*
*Lib. IV Cap. 36 de Civ. Dei: Plus quam annos centum & ſeptua-*
*ginta ſine ſimulacro Deos coluit. Plutarchus* in *Numa* haud
diſſentit. Adde, quod imaginum, de quibus paulo ante dixi-
mus, forma exterior ad ætatem vetuſtiſſimam, ejusque rudi-
tatem, haud admodum quadrat. Nec omittendum, in utraque
7. conjungi ſymbola complurium Deorum. Quæ conſuetudo
ſacra *Romulo* omnino eſt longe recentior. Ita rationes ſuas
ſubducit Vir venerabilis. Progreditur ipſe ad tabulam,
21. quam cognominant *Clavermiur*. Hanc non de contractu
venditionis, ſed edicto collegii ſacri, exponit, ratus, voces
tres *Eſuc frater Atiieriur* notare idem ac *edictum fratrum*
13. *Pontificum. Uracu* ipſi eſt *orcus*, *ute cueſtur* vero *uti quæ-*
*ſtor*, *tertiame* ex *τεϱέω*, vulnero, *vulneratos* &c. Diſſer-
tationi huic ſubjuncta eſt *Epiſtola de duabus ſic dictis Inſcri-*
23. *ptionibus Etruſcis ad Dominum Marchionem Scipionem Maf-*
*feum*, jam inſerta *Bibliothecæ Italicæ Tom. III Art.* 8. Hanc
*Burgetus* ſub nomine *Philalethis* A. 1728, 22 Dec. con-
33: ſcripſit. Ejusdem ſuccedunt *Litaniæ Pelasgæ antiquorum po-*
*pulorum Italiæ* ex *Biblioth. Ital. Tom. XIV Art.* 1. Pars prima
pertinet

Digitized by Google

pertinet ad tabulas *Eugubinas*, quæ legitur in *Theſauro Inſcriptionum Gruteri pag.* 143 *ſeq.* In alphabeto Etruſco condendo deſudarunt *Baldus*, *Coſmus de Arena*, ac ipſe poſt alios *Burgetus*. Autor Epiſtolæ hujus ſecundæ negat, tabulas *Eugubinas* ſermone Etruſco proprie ſic dicto concinnatas eſſe & exaratas. Ipſe autem exiſtimat, contineri eis memorabilem hiſtoriam quatuor antiquæ Italiæ gentium primariarum, Tarſinatum, Turſcorum, Naharkiorum, & Jabuskiorum. Duos Numos Samniticos, qui *Diſſertatione ſecunda* exponuntur, de- Pag. 36. 38. TAB. I Fig. 1, 2.




ex gente ra

ciſſe, idea non una, apud *Livium* obvia, ſatis ſuperque declarant. *Bellona*, aut *Minerva*, ornatæ caput eminet in numo priori; *Martis* in poſteriori. Galeæ criſtatæ ſpeciem magnitudini corporum addiderunt, *Livio* teſte *Lib. IX, X.* Samnites inprimis eis delectati. In poſtica prioris legitur ad dextram 65.

tram

Digitized by Google

*Oſiridis Iſidis*que imagines te vidiſſe putes. Modius enim impoſitus eſt capiti *Apollinis*. Siſtrum tenet, Clatra manu dextra, lothi caulem ſiniſtra. Geſtamen hoc in *Iſidem* quadrat. Romani omnino antiqui Deos peregrinos horruere. Et quis credibile exiſtimabit, *Romuli* ætate jam Numina Ægyptia Romæ fuiſſe culta? Anno U. C. 701, teſte *Dione Lib. XL*, *Serapidis Iſidis*que fana, quæ privatim nonnulli exſtruxerant, Senatus deſtrui juſſit, quod eos Divos non magno-

Pag. 4. pere inter Numina numerabat. *Cuperus* curare oſtendit id

... unum *Maſ-*

*ſæum*, jam inſerta *Bibliothecæ Italicæ Tom. III Art. 8.* Hanc *Burgetus* ſub nomine *Philaletbis* A. 1728, 22 Dec. con-

33: ſcripſit. Ejusdem ſuccedunt *Litaniæ Pelasgæ antiquorum populorum Italiæ* ex *Biblioth. Ital. Tom. XIV Art. 1.* Pars prima

pertinet

Digitized by Google

pertinet ad tabulas *Eugubinas*, quæ legitur in *Theſauro Inſcriptionum Gruteri pag.* 143 *ſeq.* In alphabeto Etruſco condendo deſudarunt *Baldus*, *Coſmus de Arena*, ac ipſe poſt alios *Burgetus.* Autor Epiſtolæ hujus ſecundæ negat, tabulas *Eugubinas* ſermone Etruſco proprie ſic dicto concinnatas eſſe & exaratas. Ipſe autem exiſtimat, contineri eis memorabilem hiſtoriam quatuor antiquæ Italiæ gentium primariarum, Tarſinatum, Tuſcorum, Naharkiorum, & Jabuskiorum. Duos Numos Samniticos, qui *Diſſertatione ſecunda* exponuntur, denuo dedimus hic cum Lectore communicatos. Capita galeata oculis ſat patent. Inſcriptio prioris numi eſt hæc: C. MVTIL. poſterioris deinde: MVTIL. EMBRATVR. Literæ ſunt Etruſcæ, certe admodum antiquæ. *Quintilianus I*, 13: *Vetuſtiſſimis temporibus pauciores literæ fuerunt, nec ſimiles his noſtris, earum formæ & vis quoque diverſa.* Antiquas quoque literas Latinas meminit *Plinius XXXV*, 10. *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, ab Arcadibus literas in Italiam illatas, credit. *Plinius* ac *Solinus* Pelasgis eam volunt gloriam tribuendam. Etruſcas fuiſſe originis Græcæ, autor eſt *Tacitus Ann. XI*, 14. Plinius *veteres Græcas easdem pæne, quæ* tunc *Latinæ*, retulit *VII*, 56. In Samnitibus linguam Oſcam obtinuiſſe uſum, intelligitur ex *Livio Dec. I Lib. X.* Hæc vero Sabinæ fuit affinis. Utraque vero Italicæ dialectus. Ludos Oſcos intelligere novit Roma, teſte *Cicerone Ep. ad Fam. Lib. VII Ep.* 1. Nec tamen lingua Oſca fuit ipſa Latina, teſte *Gellio XVII*, 17. De reliquo deſignatur in numis iſtis *Cajus Papius Mutilius*, quem Samnites in confœderatione octo Italiæ populorum ſibi præfecerant *Imperatorem*, teſte *Appiano Alexandrino de Bello civili pag.* 375, *Vellejo Paterculo Lib. II*, ac *Oroſio V*, 15. Μυτίλος dicitur is *Appiano pag.* 381, ὁ τῶν Σαμνιτῶν ςρατηγὸς, ex gente *Papia* oriundus. Samnites ſibi Imperatorem præfeciſſe, idea non una, apud *Livium* obvia, ſatis ſuperque declarant. *Bellona*, aut *Minerva*, ornatæ caput eminet in numo priori; *Martis* in poſteriori. Galeæ criſtatæ ſpeciem magnitudini corporum addiderunt, *Livio* teſte *Lib. IX, X.* Samnites inprimis eis delectati. In poſtica prioris legitur ad dextram

Marginal notes: Pag. 36. — 38. — TAB. I Fig. 1, 2. — Pag. 52. — 53. — 57. — 60. — 65.

Digitized by Google

tram A, ad ſiniſtram *Saſinim.* Hanc vocem Ven. Abbas exponit ex Græca *σαφέω, σαφηνίζω, manifeſto, declaro*, at fluctuatione plenus. *Burgetus* vocem Etruſcam *Sabinio* deduxit
Pag. 68. ex Ebraica *Sakin*, quæ cultellum notat, unde vox *Saſinim* denotet *jugulationem*, A illud *Amerthones*, ſeu Amerinos, Camertas, Cluſinos. At, ſi quid videmus, in tenebris micantes, *Saſinim*, ſeu *Sabinim*, vox eſt truncata, denotans *Sabinimites*, ſeu *Sammites*. Litera A, ſeorſim poſita, videtur ſignum eſſe *aſſis*. Vir galeatus, ſupra nudus, dextram tridenti innixam allevans, ſiniſtra trahens bovem, heroem notat terra marique for-
70. tem. In poſtica numi poſterioris inter milites duos ſimiliter armatos fecialis, in genua ſeſe demiſſurus, porcam tenet, ſignum fœderis percuſſi. Inſcriptio ſubjecta ſubindicat vocem *C. Paapi.* Veteres ſolebant geminare in ſcribendo vo-
73. cales longas. Inſcriptionem Etruſcam, quam *Laurentius Guazzeſi* expoſitione illuſtrat, putant ſic legendam: *Lar Cilnius Junonis ſacerdos. Lar* ipſi eſt Rex ac Dominus; *Atitur*, *Atieur*, *Atiteur*, & *Atienſir*, ex *ἱερεύς*, ſacerdos. Autor idem de amphitheatri *Aretini* reliquiis conciſe quidem, ſolide tamen, egit. *Diſſertationi quintæ* anſam, & originem ſuppeditavit Inſcriptio, inventa in oppido *Cajazzo*, ſeu Calatia, prope Capuam, aræ adjuncta: DEIS ADHAERENTIBVS SACRVM. Per
128. hoſce intelligi credit Deos, qui alibi vocantur *σύνναοι, σύνβωμοι, σύνθρονοι*. *Diſſertatione ſeptima* Ven. *Muratorius* in-
135. quiſivit in formulam: *Sub aſcia dedicavit. Aldus Manutius* ad legem XII Tabularum: *Rogum aſcia ne polito*, formulæ hujus ſenſum voluit divinare. Aſcia certe fuit inſtrumentum, quo utuntur fabri murarii, quemadmodum innoteſcit ex *Vitruvio VII, 2.* Ill. *Maffei* opinionem alibi jam exhibuimus, quam dedit in *Ep. 11 Galliæ Antiquitatum quarundam ſe-*
138. *lectarum.* Aſcia, *Iſidoro* teſte *de Orig. XIX, 19, ab aſſulis dicta, quas a ligno eximit, cujus diminutivum nomen eſt Aſciola. Eſt autem manubrio brevi, ex adverſa parte referens vel ſimplicem malleum, aut cavatum, vel bicorne raſtrum.* Hæc *Iſidorus.* Figuram aſciæ referunt Inſcriptiones nonnullæ. Cel. Autor
148. formulam *ſub aſcia* exponit per vulgare illud: *ſit tibi terra levis*,

Digitized by Google

*levis*, quaſi in inſcriptione ſepulcrali fuerit monitum, ut ſpinæ, ſentes, rubi, gramina, e ſepulcri ſuperficie diligenter debeant removeri ac exſtirpari. Mirum ſane, ad *ſeceſpitam* haud reſpexiſſe quemquam, qua ſacerdotes uſi inter ſacrificandum, atque ad opera dedicanda. Si ſeceſpitam in ſubſidium vocaverimus, difficultas formulæ evaneſcit. Aſciæ ſignum, quod ſupra in *pag. 140* exſtat expreſſum, haud eſt aliud ac ſeceſpitæ. Vide *Huberti Golzii de re nummaria antiqua Tom. II Tab. 25 Fig. 1, 3, 5, Tab. 27 Fig. 10, Tab. 72 Fig. 19*, inter numiſmata, *Tiberio* priora. Prætereundæ nunc ſunt nobis Diſſertationes aliquot, tanta diligentia exaſciatæ, ut
præſtet nihil, quam pauca, dixiſſe. Nec tamen omitten- Pag. 193.
dum, Cel. *Antonium Cocchi* ex veteris mediæque hiſtoriæ monumentis copioſe de aqua frigida, in uſum corporis humani
externum adhibita, diſſeruiſſe. Aqua illa, corpori admota, 199.
efficit preſſionem carnis verſus oſſa ob ſui gravitatem, & eam, quam frigus invehit, condenſationem. Hæc condenſatio in cauſa eſt, ut tubuli venarum & arteriarum minutiſſimi, qui per cuticulam emittunt ſudorem, obſtruantur ad tempus, humores interni conſerventur, ac fibræ flexibilitatem conſuetam
retineant. *Antonius Muſa Auguſto* firmitatem corporis red- 207.
didit, balneis frigidis uſus. *Marcellum* idem dicitur a *Dione* excepiſſe remedio eodem, at tum quidem exitioſo. At *Dionis* teſtimonium Noſter repudiat, & *Muſæ* famam tuetur. De templis, per jumenta hinc inde vectis, thenſis, plauſtris Deorum, thecis geſtatoriis, Cel. *Philippus Venuti* expoſuit politiſſime pariter ac veteri Hiſtoriæ congruenter. Ignorant vulgo Grammatici Ebræorum, quænam notio ſit jungenda cum voce אַפַּדְן, quæ legitur *Dan. XI, 45*, ac in interpretatione *Jonathanis Jer. XLIII, 10*, ubi in Ebraico vox occurrit שַׁפְרִיר. At Rev. Canonicus effecit, ut ſponte ſua verus ſignificatus, dudum deperditus, nobis denuo innoteſcat. Indicatur enim templum Dei tutelaris, jumentis vehi portarique ſolitum. Penes Græcos reſtat vox Ἀπήνη, jam *Homero* trita. *Pauſanias* in Eliacis eam adhibuit. Scholiaſtes *Pindari* hæc habet: Ἀπήνη ἅρμα ἐξ ἡμιόνων. *Harduinus* in *Numm. illuſtr. pag. 165*, &

*Patinus pag. 412*, poterunt conſuli omnino. Templum ejusmodi portatile ſuperius erat tectum, columnis nonnullis a fronte ac tergo Divi, in eo ſedentis, inſtructum, formam lecticæ ſuſtinens. Ex quo factum, ut vocetur אֵיפָה penes *Zachariam*. *Julius Pollux* concinit, cujus *X, 13*, hæc ſunt: Τὰ εἴδη τῶν ὀχημάτων ἰστέον, εἴτε ἅρματα, εἴτε ὄχους, εἴτε ἁμάξας, εἴτε ἀπήνας αὐτὰ προσήκει καλεῖν. ἔστι δὲ τοὔνομα ἡ Ἀπήνη ἐν τῇ Σοφοκλέους Ναυσικάᾳ καὶ ἐν τοῖς Μενάνδρου ἁλιεῦσιν. Vulgo legitur apud *Pollucem* Λαμπήνη, non Ἀπήνη. At facile pateſcit, vocem Ἀπήνη ibi eſſe reſtituendam. Ἀπήνη carpentum erat, inſtar lecticæ factum. *Vaillantius* exhibuit numos aliquot, ab Epheſiis cuſos, ad *Commodum*, *Gordianum Pium*, ac *Erenniam Etruſcillam*, referendos, in quibus carpentum apparet, a multis tractum, cum epigraphe: ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. ΕΦΕCΙΩΝ (*thenſa ſacra Epheſiorum*). In Veteri Teſtamento occurrit veri etiam Dei currus, ab animalibus validis (ſeu Chrubhim) tractus. Dixit jam nonnulla, huc referenda, *Joannes Schefferus* in libro *de Vehiculis veterum*. Operæ tamen fuerit pretium, figuram ipſam lecticæ ejusmodi ſacræ inſpicere. En illam ex Baronis *Philippi de Stoſch* numo, *Fauſtinam* Imperatricem in thenſa repræſentante. In

TAB. I Fig. 3. numo Sidoniorum thenſa eminet, currusve, duabus rotis inſtructus, cum epigraphe: Σιδώνος Θεᾶς. Dea Syria, ſeu Aſtarte, indicatur. Addimus, de hac thenſa (איפה) & Dea Syria agi *Zach. V, 6-11.* De thenſis ejusmodi *Dianæ Epheſiæ* fit mentio *Act. XIX, 24.* *Tibullus* de ædiculis ita ſacris *Lib. II El. 10*: *Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu Stabat in exigua ligneus æde Deus.* Inſcriptiones, quas *Juſtus Fontaninus* expoſuit, ſic habent: D. M. Q. CAECILIO. Q. F. MAECIA. MAXIMO. NEAPOLI. MILitum CoHOrtis VII. PRætoriæ SINGVLARIS. TRIBVNO. Altera eſt hæc:

Pag. 226. Saluti Auguſtæ Sacrum IN. HONOREm L. VALERI. NYMPHODOTi VIVIRi. ET. Decreto. Decurionum. AVGuſtalis. Et. C. STATI. PRIMIGenii. IN. MEMORIAm. ET. C. STATI. HEVRETis. VIVIRi. ET. Decreto. De-

228. curionum. AVGuſtalis ALYPVS LIBertus. Decuriones Augu-

Digitized by Google

Auguſtales in ſaxis leguntur innumerabiles, teſte Cardinale *Noriſio de Cenotaphiis Piſanis Diſſert. Cap. VI pag. 74.* Ac Imperator *Tiberius* in honorem *Auguſti* inſtituit ſacerdotium ſodalium, qui cognominantur *Auguſtales*, teſte *Tacito Ann. I, 54.* Horum munus parteſque fuerunt, ut, *Auguſto* inter Divos relato, ſacra facerent. Mos iſte, per Romani Imperii terras coloniaſque mox exceptus, redditus fuit multus ac frequentiſſimus. Hæc ſunt potiora cimelia, quæ in uſus publicos ex hoc theſauro voluimus deduci. Veneramur magnique facimus inſtitutum eximiæ Italorum gentis Academicæ, quæ ad notitiam antiquitatum regionis ſuæ ſedulo excubat, atque ſoliditatem cum elegantia ubique quam feliciſſime conjungit.

## *DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA DE SAluberrimo Nuceriæ in Umbria erumpenti latice. Accedunt complures practico-medicæ Obſervationes ac Sanationes, Autore* FLORIDO DE PLUMBIS, *Concive Nuceriano, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore.*

Venetiis, apud Joſephum Corona, 1745, 8.

Plag. 9.

Quas obſervationes de Nucerianis aquis *Plumbus*, Vir Cl. ab A. 1720 Italica lingua conſcriptas, emiſit in lucem, cum in officina deſiderarentur, & vellet Autor earum novam editionem parare, paſſus eſt ſibi ab amicis perſuaderi, ut in Latinam linguam eas converteret, &, ut videtur, multum augeret. Quod igitur inde enatum opuſculum eſt, *tribus Partibus* conſtat, quarum *prima* in *quatuor*, *altera* in *tria*, *Capita* diviſa eſt, *tertia* ſexaginta ſex obſervationes continet. Cum in *prima Parte* de interno aquæ Nucerianæ uſu, aut ejus potatione, agatur; præmiſſa ſunt pauca de ſalina humorum acrimonia, quæ omnium fere morborum cauſa ſit, cumque, contra eam non niſi ab alcalicis præſidium duci poſſe, inter omnes conveniat, de quo nobis vehementer dubitare liceat, optime Pag. 1 ſeq.

 corrigi

corrigi per Nucerianam aquam poſſit. Tum primo loco Nu-
Pag. 4 ſeq. ceriani laticis hiſtoria proponitur. Erumpit is leni ſtrepitu ex radice fere & inter lapideas ſtrias montis, duriſſimo compacti lapide, ſubrubeſcentis ex albido coloris. Spectat fons orientem ſolem, a meridie inumbratus, & e quatuor, aut quinque, modico intervallo diremtis, rivulis ſcaturientes aquas apta lacuna cogit, omnes peregrinas aquas excludens, efficiensque, ut nulla tempeſtate vel quantitas, vel limpidus Nuceria-
6 ſeq. næ aquæ color, mutetur. Quo loco oſtendit Autor, *Valliſnierium* deceptum fuiſſe, quando, Nucerianas aquas, referat, pluviales eſſe, per montis illius albam, puram, & inſipidam
9. terram, tanquam per ſpongiam, delapſas. Demonſtratur deinde, centum circiter aquæ uncias perenniter a fonte fluere. Epocham inventi fontis ſe conſtituere nullam poſſe, fatetur
11 ſeq. *Plumbus*, cum ejus duo tantum manuſcripta monumenta invenire potuerit, quorum alterum *Bernardini de Spoleto*, alterum *Bern. Venantii de Terra Corinaldi*, ex quibus is A. 1510, hic 1591, medicinam Nuceriæ exercuerit. Meminit deinde *Octaviani Mariani de Aſſiſio*, qui A. 1599 de Aqua Nuceriana Tractatum Peruſiæ ediderit, & *Annibalis Camilli*, cujus Italico idiomate concinnatum Tractatum, qui Peruſiæ A. 1607 editus ſit, etſi maximopere laudat, tamen ſe dicit neque in hoc, neque in reliquis, aliquid de inventione ſalutaris hujus aquæ inveniſſe. Quare, ex ruſticorum relatione traditioneque, putat, ejus virtutem fuiſſe ex hoc cognitam, quod animalia, venenatis morſibus læſa, ubi cum hauſerint, tum ſe immerſerint in eam, ſervata ſint; magis tamen inclaruiſſe, ubi ex ruſticis unus, a vipera mortifere ſauciatus, ea ſanatus fuerit. Hinc Sancta Virgo, *Angelica*, nominata hæc aqua, quam jumenta ita praeferre aliis dicuntur, ut malint vehementiſſi-
14 ſeq. mam ſitim pati, quam illas haurire. Et, perfectiſſimam ſaluberrimamque eam eſſe, autoritate plurium Medicorum oſtenditur hoc, quod ad ſolis exortum erumpat, & inter lapides & ſaxa, quodque pura ſit, exilibusque ac mollibus, leviſſi-
16. misque, moleculis conſtet. Quam molecularum exilitatem pariter ac bezoardicas particulas, quæ aquæ inſint, ad infi-

nitas

nitas propemodum annorum ſeries incorruptibilem aquam fa-
cere, *Plumbus* contendit. Probat etiam, confutatis aliorum Pag. 19
ſententiis, veram aquæ Nucerianæ mineram terram Samiam ſeq.
eſſe, a plerisque bolarem dictam. Quæ vero experimenta
ſunt ad qualitates hujus terræ inveniendas, ab *Aloyſio a Fa-
bra* inſtituta, & in peculiari Tractatu A. 1700 expoſita, ea *Plum-
bus* repetiit, ex iisque terram illam affirmat puriori alca-
lino ſale conſtare, nihilque differre a Samia *Galeni*, & prin-
cipem locum obtinere inter cruſtacea, ſemimineralia, & edul-
corantia. Capta etiam in brutis experimenta ſunt, iisque, 25.
poſtquam hæc terra data fuit, inciſis, deprehenſum fuit, eam in
ventriculo non ſubſediſſe, ſed cito fuiſſe in inteſtina delatam,
unde per lactea quoque vaſa profluere poſſe, colligitur. Eun- 27 ſeq.
dem *Fabrum* Autor ſequitur in iis, quæ per experimenta co-
gnovit, expoſuitque de Tartari quapiam ſpecie, ex implica-
tione craſſiorum ac ſubtiliorum per ignem effectarum parti-
cularum terræ exorta, quæ in lebetum fundo lateribusque
inveniatur, in quibus aqua continuo fervens ſervatur. Qui 31.
autem morbi deprehenſi ſunt Nucerianæ terræ cedere, hi
quidem ſunt: Febris peſtilentialis, putrida & maligna, in-
termittens, venenata, indigeſtiones ventriculi, ab acido ortæ,
diarrhoeæ bilioſæ & seroſæ, tormina, & vomitus, fluxus
mulierum tum albi, tum ſanguinei immodici, gonorrhœæ,
hypochondriacæ affectiones, ſanguinis ſputum, affectiones
pituitoſæ, ambuſta, porrigo, & tibiarum ulcera. Cum ve- 34 ſeq.
ro plerisque ex his, tum quoque ſeorſim ictero, cachexiæ,
febribus bilioſis, ſterilitati, abortibus frequentioribus, lien-
teriæ, dyſenteriæ, ſanguinis ſputo & vomitioni, viarum uri-
næ variis vitiis, contuſionibus, cutaneisque affectionibus qui-
busque, mederi dicitur; tumque ſeorſim oſtenditur, aquæ 38.
Nucerianæ potationem lue venerea affectis convenire, in qua
tamen nonnulla occurrunt, quæ *Plumbum* pauciſſimis meden-
tium probaturum eſſe exiſtimamus, ex quibus & hoc eſt, con-
juges interdum lue inſici, antea omnis venereæ labis exper-
tes, quia naturalis quæpiam ſanguinis diſcordia, & heteroge-
nea ſalium acidorum ſtructura, ſit. Excipit hanc diſputatio- 41-48.



Digitized by Google

nem alia de tempore, modo, & quantitate, potandæ aquæ, ex quibus iſte potiſſimum variare debet pro diverſa natura
Pag. 49. morbi. In eaque nihil adeo ſingulare deprehendimus. Pati autem ægri varias vexationes ſolent, vel quod cibo minus idoneo utuntur, & aquæ nimis magnum modum aſſumunt, vel quod cœna uberiore utuntur, aut noctes fere inſomnes ducunt. Et his quomodo medentes ſuccurrere debeant, facile patet; ſi vero graciles ac delicati de ſtomachi imbecillitate querimonias habent, minorem aquæ vim hauriant, priusque juſculum ſorbeant, vel in priori aquæ poculo ligni Saſſafras pauxillum macerent. Et, quibus urinæ meatus minus aperti ſunt, dare convenit ſal Prunellæ, vel Tartarum vitriolatum, ſimiliaque. In *altera Parte* de externo aquæ Nucerianæ uſu agitur. Notiſſima ſunt, quæ *Plumbus* de uſu bal-
53. neorum in univerſum habet. Abſtinere igitur a balneis jubet ſecundum *Hippocratem*, qui diarrhœis & rarefactis intimis corporis partibus laborant, quibus alvus nimis dura eſt, vires languent, quos nauſea vexat, qui bilioſum eructant, quibus ſanguis e naribus fluit, & qui a rheumaticis, ſive a
58 ſeq. venereis, aut errantibus articulorum doloribus, urgentur. Cum balneis vero conjunctus eſſe debet internus aquarum uſus, & conveniunt balnea potiſſimum æſtivo tempore, neque æſtuantia, neque frigida, & oportet ægros per unam horam in balneo, per alteram in lecto, morari, tumque prandium, vel cœnam, ſumere. Præter balneum frequens ſtillicidii vul-
60. go Ducciæ uſus eſt, cum aquæ ſorbitionibus balneisque copulandus. Isque et ad externa vitia, ut tumores, exulcerationes, capitis dolorem, &c. tumque ſeorſim ad interna ſolidarum partium, valet, præcipue uteri, veſicæ, inteſtini recti;
67 ſeq. & maxime neceſſarius delectus ciborum eſt in uſu aquarum adhibendus. Conveniunt enim carnes volatilium, vitulinæ, hœdorum lactantium, ac vervecum, quæ vel elixæ, vel toſtæ, ſint, pultes, ſive ex pane, ſive ex oleribus, ſive ex utrisque, confectæ, ex fructibus pepones & pira ac pruna, vinum autem generoſum ac vetuſtum & minus dulce, aqua dilutum.
71 ſeq. Nocet varietas epularum & ſimultanea carnium piſciumque comeſtio,

comeſtio, ac nimia omnium quantitas. Nocent præterea ex rebus non naturalibus intempeſtus aer, ſudor vi expreſſus, ſomnus pomeridianus, ex cibis acetaria, ſalſugines, cupediæ fere omnes, lacticinia, bellaria, & acriora aromata, curæ omnes, contentiones animi, & ſollicitudines, potiſſimumque venus. Ex obſervationibus, quæ *tertiam* totius opuſculi *Partem* conſtituunt, quindecim priores deſumtæ ſunt ex ſcriptis *Bernardini*, *Octaviani Mariani*, & *Annibalis Camilli*. Reliquæ *Plumbum* Autorem habent, qui eas ex magno aliarum numero ſelegit. Sunt fere de omni morborum genere, tum externorum, tum internorum, neque paucæ ad venereos morbos ſpectant. Nonnullæ etiam accurate, aliæ obiter adeo, perſcriptæ ſunt, ut, præter nomen ægri, pauciſſima de morbi natura, ſæpe nomen tantum, neque plura de curandi ratione, dicta eſſe inveniantur. In Præfatione de ædificiis agitur ac viis, Pontificum & *Albani* Cardinalis cura, cui hic libellus inſcriptus eſt, ad ægrorum commodum, Nuceriæ exſtructis.

## A TREATISE OF FLUXIONS &c.
id eſt,
## *DE FLUXIONIBUS LIBRI DUO, AUtore COLINO MACLAURINO, A. M. Profeſſore Matheſeos Edenburgenſi, & Societatis Regiæ Socio.*

## *Volumina II.*

Edenburgi, ex officina T. W. & W. Ruddimannorum, 1742, 4. Alph. 4 plag. 5, Tab. æn. 40.

Ad eximium hoc Opus ſcribendum animum appulit doctiſſimus Autor, excitatus Cel. *Berkeleji* libello, *The Analyſt* inſcripto, in quo methodus Fluxionum tanquam incomprehenſibilis, & paralogiſmis innixa, traducitur. Cum enim hujus reprehenſionis non aliam cauſam eſſe intelligeret Cel. *Maclaurinus*, niſi hanc, quod ea methodus, cujus præcepta huc uſque nimis breviter tradita fuerant, Viro illi ceteroquin

quin non indocto ſatis intellecta & perſpecta non eſſent; operæ pretium ſe facturum ratus eſt, ſi principia & fundamenta hujus artis clarius exponeret, & more veterum Mathematicorum demonſtraret. Sed, cum, cœpto hoc labore, animadverteret, nonnulla præcepta hujus artis parum limate & exacte tradita fuiſſe, quædam etiam Problemata per fluxiones ſecundi altiorisve gradus fuiſſe ſoluta, quibus ſolvendis fluxiones primi gradus ſufficere potuiſſent, & alia Problemata ſolutionem eſſe per approximationem nacta, quorum exacta potuiſſet dari ſolutio; fines operis ſui extendere, & non ſolum principia utriusque methodi fluxionum demonſtrare, ſed & uſum ejusdem methodi in ſingulis illis theoriis, in quibus ea adhiberi ſuevit, perſpicuis commentariis declarare, conſtituit. Natum inde eſt hoc Opus, in *duos Libros* diviſum, quorum *primus* theoriam methodi Fluxionum, uſumque ejusdem in ſolvendis Problematibus geometricis & mechanicis, tradit, *alter* computi regulas & artificia copioſe exponit. His autem *Libris* præmiſit Cel. Autor introductionem, in qua primo in veterum Mathematicorum, præſertim ſummi *Archimedis*, artificia inquirit, quorum ope illi jam dudum multarum figurarum curvilinearum dimenſionem ſcite perfecerunt, & evidentiſſime demonſtrarunt. Ex hac Autoris inveſtigatione apparet, curvas ab antiquis non ut polygona infinite multorum laterum ſpectatas, neque hypotheſin infinite parvorum elementorum, in quæ figuras hodie reſolvimus, ab illis admiſſam, ſed potius ſtudioſe evitatam, fuiſſe, quanquam, ejus hypotheſeos auxilio demonſtrationes nonnunquam multo breviores redditum iri, ignorare non potuerunt. Conſiderarunt autem veteres Geometræ areas curvilineas tanquam limites, ad quos aliæ figuræ ſimpliciores illis inſcriptæ, vel circumſcriptæ, laterum, vel angulorum, biſectione non in infinitum, ſed ad libitum, continuata, ſic appropinquarent, ut differentia minor data quavis magnitudine fieri poſſet, & ex theoria harum figurarum dimenſionem, vel proportionem, ipſorum illorum curvilineorum limitum demonſtrationibus apogogicis deduxerunt. Poſtquam hæc omnia doctiſſimus Autor ſatis declaravit, pergit ad methodos, a junioribus Mathematicis in Geometria

metris curvarum excogitatas, & primo quidem de *Cavalerii* methodo indiviſibilium breviter exponit, deinde de analyſi infinitorum, quæ *Cavaleriana* methodo ſucceſſit, ſententiam fuſius pronuntiat. Non equidem negat, analyſi infinitorum limites Geometriæ mirum in modum fuiſſe promotos, neque eam methodum, quæ tot eximia inventa genuit, omni fundamento deſtitutam dicere audet; attamen inter ejus principia hypotheſes eſſe dicit adeo parum evidentes, quin imo evidentiæ adeo incapaces, ut in Geometriam admitti nullo pacto queant. Diſputat hoc loco præcipue contra eos, qui quantitates infinite parvas & infinite magnas, quibus hæc methodus utitur, pro realibus habent; & Celeberrimi Autoris *Elementorum Geometriæ infiniti* argumenta, quibus realitatem infinitarum quantitatum evictam dare ſtuduit, copioſe refutat. Tandem ad *Neutonianam* methodum fluxionum Autor tranſit, quam, methodo infiniteſimalium, licet eum ea computandi modum communem habeat, quoad certitudinem & evidentiam principiorum longe ſuperiorem prædicat.

*Liber primus* hujus Operis in *XIV Capita* diviſus eſt. *Primum Caput* tradit principia methodi fluxionum. Initium facit Cel. Autor a definitionibus ſpatii, temporis, motus uniformis & variati, velocitatis, fluxus quantitatum, quo eæ generari intelliguntur, & fluxionis, quam dicit eſſe velocitatem, quam quantitas fluens habet in quovis temporis, in quo generatur, termino; hinc infert, fluxionis menſuram eſſe incrementum, vel decrementum, quod dato tempore illa velocitate generari poſſet, ſi poſt illum temporis terminum motus uniformiter continuaretur. Sequuntur quatuor Axiomata, & tredecim Theoremata, quæ ſingula ex theoria motus uniformis, vel variati, petita ſunt. Quibus Theorematibus præmiſſis, demonſtrat *Neutoni* rationem comparandi fluxiones quantitatum variabilium, determinando limitem rationum, in quibus ſunt earum quantitatum incrementa, vel decrementa ſimultanea. Equidem, demonſtrata hac methodo fluxiones inveniendi, ejus ope plurimæ regulæ methodi fluxionum directæ expedita & brevi via demonſtrari potuiſſent, quemadmodum



Digitized by Google

id a *Neutono* plurimis in locis factum eſſe conſtat; ſed, evidentiæ magis conſultum iri, ratus eſt Cel. Autor, ſi eas regulas ex ipſis axiomatibus, longioribus licet demonſtrationibus, oſtenderet. Ergo, adjectis nonnullis, quæ ad realitatem ſecundarum fluxionum evincendam, & modum eas determinandi, faciunt, progreditur in *ſecundo Capite* ad demonſtrationem regularum pro figurarum planarum & rectilinearum fluxionibus definiendis. Tria hoc *Caput* Theoremata complectitur, quorum primum docet, parallelogrammi, cujus altitudo invariabilis eſt, fluxionem ſemper menſurari parallelogrammo ejusdem altitudinis, & deſcripto ſuper recta, fluxionem baſis metiente; alterum, ſi fluxio baſis *AD* trianguli *ADE* exponatur per rectam *DG*, fluxionem trianguli exacte menſurari, ſeu exponi, parallelogrammo *EG*; tertium, rectanguli, cujus & altitudo & baſis variabilis eſt, fluxionem exacte exponi aut per ſummam rectangulorum contentorum ſub unoquoque latere & incremento, vel decremento, alterius lateris, ſi nimirum ambo rectanguli latera ſimul creſcant, vel ſimul decreſcant, aut per differentiam iſtiusmodi rectangulorum, ſi, altero latere creſcente, alterum decreſcat. Cum ſecundum & tertium horum Theorematum fundamenta ſint tantum non omnium operationum in methodo fluxionum directa, adeo, ut nulla ratio dubitandi de earum certitudine ſupereſſe queat, hiſce Theorematibus conceſſis; omnem operam Autor impendit, ut hæc duo Theoremata quam evidentiſſimis demonſtrationibus confirmaret; quod etiam, noſtro quidem judicio, ex voto effeciſſe dicendus eſt. Jam, quia noſtrarum partium eſt, exhibere Lectoribus ſpecimen quoddam, quod indolem earum demonſtrationum, quibus Autor utitur, declarare poſſit; age, ſeligamus ſecundi Theorematis demonſtrationem. Huic ab Autore præmiſſum eſt hoc lemma: Baſi creſcente uniformiter, triangulum creſcit motu continue accelerato, &, baſi uniformiter decreſcente, triangulum motu continue retardato decreſcit, ſi nimirum reliquorum laterum trianguli alterum maneat poſitione, alterum motu parallelo feratur. Hujus lemmatis demonſtrationem nos hic brevitatis cauſa omittemus.

TAB. I Fig. 4.

Demon-

Digitized by Google

Demonſtrationem autem ipſius Theorematis Autor ab hac præparatione orditur. Dum punctum *P* deſcribit baſin *AO*, & recta variabilis *PM* motu parallelo generat triangulum *APM*, recta invariabilis *pm* motu parallelo juxta rectam *ao* lata gignat parallelogrammum *am*, perpetuo æquale triangulo *APM*. His poſitis, motus, quo baſis fluit, ſeu fluxio ejus, ſemper menſurabitur celeritate puncti *P*, & fluxio trianguli ubique exponetur per velocitatem rectæ *pm*. Perveniat *p* in *d*, eodem momento, quo *P* venit ad *D*: ergo rectæ *PM*, *pm*, eodem illo momento temporis in *DE*, *de*, pervenient. Ponamus, punctum *P*, ſi ejus motus inde ab hoc termino uniformiter continuaretur, deſcribere poſſe dato tempore rectam *DG*; & rectam *pm*, motu ejus ab eodem termino uniformiter continuato, deſcribere parallelogrammum *ek* eodem dato tempore; oſtendetur parallelogrammum *ek* æquale parallelogrammo *EG*. Cum autem plures caſus ſint Theorematis, oſtenditur illud primo in hac hypotheſi, quod baſis uniformiter creſcat, ſeu motus puncti *P* ab *A* verſus *O* uniformis ſit. In hoc caſu motus rectæ *pm* ab *a* verſus *o* eſt per lemma præcedens continue acceleratus. Deſcribat punctum *P* ſpatia *BD*, *DG*, temporibus æqualibus continuis, & iisdem æqualibus temporibus *pm* deſcribat parallelogramma *be*, *dh*. Sint *BC*, *DE*, *GH*, parallelæ ad *PM*, & occurrant rectæ *AH* in *C*, *E*, *H*. Ergo *be* = trapezio *BDEC*, & *dh* = *EDGH* (per hyp.). Sed, quia *pm* motu continue accelerato fertur, patet per Axioma I, *ek* fore minus parallelogrammo *dh*, propterea ſcilicet, quod *dh* ſpatium eſt a recta *pm* motu accelerato deſcriptum, *ek* autem ſpatium eodem tempore deſcriptum uniformiter celeritate ea, quam *pm* habuit in *d*. Per Axioma II idem *ek* majus eſt ſpatio *be*, quod æquali tempore deſcriptum erat, antequam *pm* eum gradum celeritatis acquiſiverat, quem in *d* habet. Ergo parallelogrammum *ek* minus eſt trapezio *DGHE*, majus autem trapezio *CBDE*, quemadmodum parallelogrammum *EG* minus eſt trapezio *DGHE*, & majus trapezio *CBDE*. Nunc, ſi negas, *ek* præciſe æquale eſſe ipſi *EG*; ſit *ek* majus, quam *EG*, & producatur



Digitized by Google

tur *DE* in *R*, ut *DR* major fiat, quam *DE*, in ratione *ek* ad *EG*. Completo ergo parallelogrammo *DRLG*, erit hoc *Pgr. RG* ad *Pgr. EG* = *DR*:*DE* (Elem. 1, VI,) = *ek*: *EG* (hyp.), ideoque *ek* = *RG*. Secet autem *RL* rectam *AH* in *N* puncto, per quod rectæ *DE* parallela ducatur *NQ*. Ponamus, rectam *pm*, motu uniformiter inde a termino *d* continuato, deſcribere poſſe ſpatium *ex* eodem tempore, quo *P* uniformi motu deſcribit *DQ*. Cum ſpatia motu uniformi deſcripta ſint ut tempora; erit *Pgr. ek*, ſeu *RG*:*ex* = *DG*: *DQ* = *RG* : *RQ*, & idcirco *Pgr. ex* = *RQ*. At interea, dum *P* deſcribit *DQ*, recta *pm* deſcribit ſpatium æquale trapezio *DQNE* (hyp.) motu continue accelerato. Ergo (Ax. I) ſpatium *DQNE* majus eſt ſpatio *ex*, quod eodem tempore motu uniformi, celeritate in *d* acquiſita, deſcribi potuiſſet. Hinc, cum *DR* major poſita ſit, quam *DE*, ideoque *Pgr. RQ* majus ſit trapezio *DQNE*, erit *Pgr. RQ* majus, quam *ex*; ſed eidem *ex* æquale, quod eſt abſurdum. Non ergo eſt *ek* majus ipſo *EG*. Sit itaque, ſi fieri poteſt, *ek* < *EG*; & capiatur *Dr*: *DE* = *ek*:*EG*, & compleatur *Pgr. GlrD*, quod ergo erit ipſi *ek* æquale. Producta *lr* ad occurſum rectæ *AH* in *n*, agatur *nq* ad *DE* parallela. Intelligatur ſpatium *ex* deſcribi poſſe a *pm* uniformiter, celeritate in *d* acquiſita, eo tempore, quo punctum *P* deſcribit *qD*. Ergo *Pgr. ek*, ſeu *rG*:*ex* = *DG*:*qD* = *rG*:*rq*, & hinc *Pgr. rq* = *ex*. Verum, dum punctum *P* incedit per *qD*, recta *pm* deſcribit ſpatium æquale trapezio *nEDq* (hyp.) motu accelerato, antequam accedit ad terminum *de*. Quare *nEDq* minus eſt ſpatio *ex* eodem tempore deſcripto uniformiter celeritate in *de* acquiſita; ideoque *Pgr. rq* a fortiori minus erit, quam *ex*, cui tamen & æquale oſtenſum eſt. Quæ cum repugnent ſibi invicem, patet, nec eſſe *ek* minus, quam *EG*. Ergo *ek* ipſi *EG* præciſe æquale eſt. Simili ratione demonſtratur Theorema in reliquis caſibus: ſcilicet ſi baſis uniformiter decreſcat, ſi baſis motu variato fluat, ſic tamen, ut triangulum uniformiter creſcat, vel decreſcat, & denique ſi tam baſis, quam area, trianguli motu continue utcunque variato fluat.

Digitized by Google

ſuit. Ex his autem perſpicua redditur ratio, cur, baſi uniformiter fluente, in determinanda fluxione areæ *AED* partem incrementi alteram, triangulum nempe *EHI*, omnino rejicere & negligere oporteat. Hæc enim pars incrementi non illi celeritati, quam recta, deſcribens triangulum *PM*, habet in *DE*, ſed accelerationi motus poſt terminum *DE* debetur, ergo ad menſuram fluxionis areæ *ADE* non poteſt adhiberi. Et generatim, ſi baſis motu fluat quovis; quicquid incrementi, vel decrementi, generatur, præter *Rgr. EG*, eo tempore, quo *P* deſcribit *DG*, debetur ſoli accelerationi, vel retardationi, fluxus trianguli. Ex ejusdem Theorematis duobus prioribus caſibus, Autor oſtendit, derivari poſſe doctrinam de motu uniformiter variato ſine quantitatum infinite parvarum ſuppoſitione. In *tertio Capite* demonſtrat regulas de fluxionibus figurarum planarum curvilinearum determinandis, cum earum, quæ ordinatas habent parallelas, tum harum, quæ revolutione radii circa punctum fixum deſcribi intelliguntur. In *quarto Capite* fluxiones ſolidorum definit, quæ vel rotatione figuræ planæ circa axem, vel motu parallelo figuræ planæ juxta axem in eam rectum, generantur. Sub finem hujus *Capitis* ex contemplatione trium partium, in quas dividi poteſt incrementum pyramidis fluentis, occaſionem ſumit, notiones ſecundarum tertiarumque fluxionum illuſtrandi. *Caput quintum* inſcriptum eſt de fluxionibus quantitatum, quæ ſunt in progreſſione geometrica, cujus primus terminus conſtans eſt; & oſtendit ex geometricis principiis, fluxiones duorum terminorum ejusmodi progreſſionis eſſe in ratione, quæ componitur ex ratione illorum ipſorum terminorum, & ratione numerorum, qui multitudinem terminorum, illos præcedentium, indicant. In *ſequenti Capite* Cel. Autor univerſam doctrinam de logarithmis & fluxionibus quantitatum logarithmicarum eleganter exponit. Fundamenti loco præſtruit eam logarithmorum definitionem, quam dedit eorum inventor *Neperus*, paulo tamen generaliorem redditam, ſcilicet quod logarithmus ſit linea (ſeu quantitas quævis), quæ æquabiliter crevit, interea dum quantitas, ad quam illa ut logarithmus refertur,



Digitized by Google

fertur, proportionaliter in eam, quæ nunc eſt, decrevit, vel excrevit, exiſtente utroque motu ſynchrono, atque ab initio æque veloce. Proportionaliter autem *Nepero* creſcere dicitur quantitas variabilis, ſi ſinguli ejus valores ſucceſſivi progreſſionem geometricam efficiunt, æquabiliter, ſi arithmeticam. Deductis ex hac definitione vulgatis logarithmorum proprietatibus, ob quas in computorum compendium adhiberi ſueverunt, pergit Autor ad fluxiones quantitatum, quæ proportionaliter creſcunt, vel decreſcunt, conſiderandas. Oſtendit ex theoria motus uniformis & variati eo, quem ſupra indicavimus, demonſtrandi modo, fluxiones iſtarum quantitatum ſemper variare in eadem ratione, in qua ipſæ quantitates illæ variant, & e converſo, quantitatem, cujus fluxiones in eadem ratione variant, in qua ipſa variat, proportionaliter creſcere, vel decreſcere. Ex his ſponte exſurgit determinatio fluxionis logarithmi; quod nimirum fluxio logarithmi ſit ad fluxionem ipſius quantitatis variabilis, ſicut unitas ad ipſam quantitatem variabilem. Porro demonſtrat Cel. Autor hocce Theorema: Si duarum quantitatum variabilium logarithmi perpetuo ſint in eadem invariabili ratione; fluxiones earum erunt in ratione, quæ componitur ex illa conſtanti ratione, & ex ratione ipſarum quantitatum. Cujus Theorematis duplex præcipue in ſequentibus uſus eſt. Primo per illud maxime evidens fit diſcrimen inter incrementum quantitatis variabilis & eius fluxionem primam, ſecundam, &c. Oſtenditur enim incrementum quantitatis, quæ tertia proportionalis eſt ad quantitatem uniformiter decreſcentem & quantitatem conſtantem, componi ex partibus, quarum hæc eſt relatio ad fluxiones omnium ordinum ejusdem quantitatis, ut prima & maxima parte exponatur fluxio prima, duplo ſecundæ partis fluxio ſecunda, ſextuplo tertiæ partis fluxio tertia, 24plo quartæ partis fluxio quarta, & ſic porro. Alter uſus prædicti Theorematis eſt hic, ut per illud evincatur nota illa formula, cujus ope logarithmus numeri $1+y$ approximando inveniri poteſt: $l(1+y) = y - \frac{1}{2}yy + \frac{1}{3}y^3 - \frac{1}{4}y^4 + \&c.$; nec non hæc altera iſti affinis $l(1+y) = x + \frac{1}{2}xx$

$+ \frac{1}{2} xx + \frac{1}{3} x^3 + \frac{1}{4} x^4 +$ etc. in qua $x = y : (1 + y)$. Quæ omnia poſtquam Autor cum nonnullis aliis, quorum brevitatis ſtudio mentionem non fecimus, ſolide demonſtravit, exponit tandem notiones curvæ logarithmicæ, quantitatum exponentialium, moduli ſyſtematis logarithmici, & rationis modularis, *Coteſio* ſic dictæ. Nunc ad Geometriam curvarum accedens, *Capite VII* de tangentibus curvarum agit. Tangentis hanc definitionem ponit, quod ſit recta curvæ in puncto ſic occurrens, ut inter illam & curvam per illud punctum nulla alia recta duci queat. Sequuntur definitiones curvaturæ continuæ, flexus contrarii, & puncti duplicis. His præmiſſis, Autor fundamenta præcipuorum caſuum methodi tangentium directæ exponit, licet ipſam hanc methodum data opera hic non tradat. Et primo quidem demonſtrat Cel. Autor Theorema, cui methodus, tangentes ad curvas parallelarum ordinatarum ducendi, innititur, ſcilicet quod fluxiones curvæ ordinatæ & abſciſſæ exponantur per tria latera trianguli, quod ſub parte tangentis, parte ordinatæ uſque ad tangentem, ſi opus, productæ, & recta per punctum contactus abſciſſæ parallela, continetur. Similiter fundamentum ejus caſus methodi tangentium, qui curvas ſupponit relatas ad rectas ex uno puncto exeuntes, evidentibus demonſtrationibus patefacit. Poſthæc caſum quoque ſingularem hujus methodi attingit, quem ab aliis Autoribus non meminimus tractatum eſſe, ſi ſcilicet curva, ad quam tangens ducenda eſt, datur per datam relationem, quam ad ſe invicem habent velocitates angulares duarum rectarum, quæ circa duo puncta fixa revolvuntur, & quarum interſectione curva deſcribitur. Tandem ſuperioribus Theorematibus generalibus nonnulla alia addit, quæ etiam uſum habent ad tangentes curvarum in particularibus caſibus determinandas. *Caput VIII* doctrinam de fluxionibus ſuperficierum curvarum complectitur. Fundamenta hujus theoriæ ponuntur partim Lemmata nonnulla de ſuperficierum conicarum dimenſione, partim hoc Axioma: quod, baſi ſeu parte axis curvæ per continuam biſectionem in æquales portiones diviſa, & ex punctis ſectionum actis ordinatis

natis parallelis, & arcuum, in quos ſic curva dividitur, ductis chordis & tangentibus, ſuperficies, per rotationem figuræ circumſcriptæ & figuræ inſcriptæ circa eundem axem genitæ, ſemper magis magisque appropinquent ſuperficiei per rotationem figuræ curvilineæ, circa eandem baſin oriundæ. Exinde methodo ſibi conſueta Cel. Autor evincit notam regulam, pro fluxione ſuperficiei conoidis menſuranda. Huic corollarii inſtar ſubiicit dimenſionem ſuperficiei, ex rotatione arcus circuli circa chordam fixam oriundæ. Denique ex praecedentibus theoriis regulam *Guldini* de centro gravitatis derivat. In *nono Capite* methodi de maximis & minimis, & doctrinæ de punctis flexus contrarii atque regreſſus determinandis, principia eleganter ac ſolide exponit & demonſtrat. Quoniam Autores, qui hæc argumenta attigerunt, non ſatis conveniunt in notis earum ordinatarum, quibus maximi minimive nomina aſſignanda ſint; Noſter, ut omnem ambiguitatem evitaret, primo generalem definitionem maximæ minimæve ordinatæ exhibuit, deinde duo maximorum minimorumve genera conſtituit. Cum ex quovis curvæ puncto duo ſaltem crura curvæ exire intelligantur; ordinata ad aliquod curvæ punctum *maximum*, vel *minimum*, Noſtro dicitur, ſi major ſit, vel minor, ordinatis parallelis, ad ambo crura puncto illi continua ductis. Si curvæ duo ex illo puncto egreſſa crura ſint ad partes diverſas ordinatæ; ordinatam ad illud punctum *maximum minimumve primi generis* appellat; ſin curva ab illo puncto regrediatur, & ambo ejus crura ad easdem partes ordinatæ ſita ſint; *ſecundi generis* vocat. Si contingat, ut ex illo puncto quatuor, vel plura, curvæ crura exeant; ordinata illius puncti non niſi cum ordinatis eorum duorum crurum comparanda eſt, quorum alterum tanquam alterius immediata continuatio per naturam curvæ ſpectari poteſt. Ordinatas autem evaneſcentes, easque, quæ infinitæ fieri dicuntur, e minimorum maximorumve numero Cel. Autor excludit. Hiſce definitionibus exhibitis, exponit vulgatas regulas, per quas punctum curvæ, maximi minimive proprietate præditum, & punctum flexus contrarii, determinantur; ſimul autem oſtendit,

regulas

Digitized by Google

regulas has limitationibus obnoxias eſſe, quibus neglectis, earum uſus facile in errorem inducere poſſit. Ut ergo certiores regulas ſuppeditaret, demonſtravit primo ſequens Theorema: Si, data fluxione abſciſſæ, aut ſola fluxio prima alicujus ordinatæ evaneſcat, aut 2, vel 4, vel quotcunque, numero pari, fluxiones ſequentium ordinum ejusdem ordinatæ ſimul evaneſcant; & curva habeat arcus, ad utrasque illius ordinatæ partes ſitos, erit ea ordinata maximum, vel minimum; ſin autem numerus fluxionum ſequentium ordinum, quæ ſimul evaneſcunt, ſit impar, ordinata illa per punctum flexus contrarii tranſibit. Ex his porro oſtendit, ſi fluxio ordinatæ prima alicubi fiat maximum, vel minimum, & ea ordinata curvam ſecet, fore ibidem punctum flexus contrarii; & ergo in ejusmodi curvis univerſaliter de puncto flexus contrarii certos nos eſſe poſſe, ſive fluxio prima ordinatæ evaneſcat, ſive minus, ſi modo nobis conſtet, ſequentium ſucceſſivorum ordinum fluxiones, numero impari, evaneſcere ad quoddam curvæ punctum. Conſiderat poſt hæc etiam conditiones punctorum curvæ, in quibus tangens ſit axi perpendicularis, ſeu fluxio abſciſſæ, data fluxione ordinatæ, evaneſcit; docetque, qua cautione opus ſit, ſi quis dijudicare velit, num illa puncta ſint maximi minimive proprietate, an flexu tantum contrario, prædita. Quemadmodum autem hactenus contemplatus eſt maxima & minima in curvis, quæ arcus habent ad diverſas partes ejusdem ordinatæ ſitos; ita nunc etiam de maximis & minimis ſecundi generis agit, quæ dantur, ubi curva ad eandem partem ordinatæ alicujus ſita eſt. Si tangens in extremo illius ordinatæ diverſa ſit ab ordinata hac; curva ibidem habet punctum regreſſus, ſeu cuſpidem. Quorum punctorum duo genera Autor conſtituit, Ill. *Hoſpitalium* ſecutus; qui primi generis punctum regreſſus appellat, in quo junguntur duo arcus, quorum convexitates ſibi invicem obverſæ ſunt, ſecundi generis, ubi convexitas alterius arcus concavitati alterius adverſa eſt. Quæ de conditionibus eorum punctorum Cel. Autor habet, ad ſequentes propoſitiones reduci poſſunt: Si fluxio ſecunda ordinatæ ad fluxionem

abſciſſæ rationem aſſignabilem habet, & arcus curvæ ad easdem partes alicujus ordinatæ extenſi ſunt; curva ibi habet punctum regreſſus ſecundi generis: id quod ſemper etiam contingit, ſi ratio illa aſſignabilis non ſit, modo ratio tertiæ fluxionis ordinatæ ad fluxionem baſis aſſignari queat; ſin autem neque hæc ratio aſſignabilis ſit, punctum regreſſus primi ſecundive generis adeſſe poterit. Ordinatam denique in puncto regreſſus utriusque generis Cel. Autor ſemper pro maximo, vel minimo, habet, eo ſolo caſu excepto, in quo punctum regreſſus primi generis datur, ad quod tangens abſciſſæ parallelæ pertinet. Tandem determinationem maximi minimive radii, qui ad curvam ex dato puncto duci poteſt, & aliquot regulas pro maximis minimisve in caſibus quibusdam ſpecialibus definiendis, docet. *Decimum Caput* varia complectitur argumenta, inter quæ primum eſt aſymptotorum theoria. Principio tradit Autor aſymptotorum definitionem, earumque realitatem evincit, quod occaſionem ipſi præbet, de infinita diviſibilitate omnis magnitudinis geometricæ diſputandi. Oſtendit autem, hanc phraſin non alio ſenſu accipiendam eſſe, niſi hoc, quod omnis magnitudo finita intelligi queat diviſa in partes æquales, quarum numerus cuilibet numero utcunque magno æqualis ſit. Secundo areas contemplatur, quæ inter curvam, aſymptotum, & ordinatam, intercipiuntur, atque demonſtrat, nonnullas earum limites habere, ſeu ad data ſpatia continue approximare, eaque nunquam excedere; alias autem eſſe omni dabili area finita majores. Similiter de ſolidis, e rotatione illarum arearum genitis, oſtendit, ea ſub certis conditionibus habere limites, quos transgredi nequeant, ſub aliis autem conditionibus fieri omni dabili ſolido majora. Poſthæc de aſymptotorum rectilinearum determinatione exponit; & primo quidem, cum tangens ad punctum curvæ, infinite ab axe diſtans, ad axem obliqua plerumque (non autem ſemper, quod & Noſter bene monet,) pro aſymptoto ejusdem curvæ haberi poſſit, principium caſus illius ſingularis methodi tangentium, cujus ſupra mentionem fecimus, ad aſymptotorum determinationem applicat,

longa

Digitized by Google

longa ſerie elegantiſſimorum & ſelectiſſimorum exemplorum oſtendens, quo modo curvarum, per rectarum vel angulorum revolutionem deſcriptarum, tam tangentes, quam aſymptoti, ducendæ ſint. Deinde varia exhibet Theoremata, per quæ judicare licet, utrum curva propoſita aſymptotum habeat, qualis illa ſit, & quam ea poſitionem habeat, item num area inter curvam & aſymptotum infinite productas limitem habeat, an omni dabili ſpatio major ſit. Regulas, quas hac de re Cel. *Fontenellius* in *Geometria infiniti* §. *950 ſeq.* ſuppeditavit, Lector hic non ſolum eleganter demonſtratas, ſed & continuatas, & uni maxime generali Theoremati incluſas, reperiet. Quod porro ad ſolida, quæ rotatione arearum, curvæ & aſymptoto interjectarum, circa aſymptotum gignuntur, horumque ſolidorum ſuperficies, attinet; nihil eorum, quæ ad limites horum ſolidorum harumve ſuperficierum cognoſcendos faciunt, Cel. *Mac-Laurinus* prætermiſit. Poſt hæc aſymptotiſmum, in ſpiralium familia regnantem, ſingulari contemplatione dignatus eſt. Poteſt nimirum ſpiralis curva ad datum punctum continue ſic appropinquare, ut tamen, quamvis multis revolutionibus peractis, illud non attingat; præterea & rectis, & circulis, & ſpiralibus ſimplicioribus, poſſunt ſpirales productæ continue ſic approximare, ut tamen nunquam eas contingant. Itaque oſtendit Cel. Autor eas conditiones, ſub quibus in caſu aſymptotiſmi ſpiralis cujusdam vel area, vel longitudo, limites habet; &, hæc dum agit, in tranſitu definitiones & notabiles proprietates ſpiralis reciprocæ, ſpiralis logarithmicæ, & tractricis complicatæ *Coteſii*, tradit. Tandem huic *Capiti* coronidem imponit tractatione de ſerierum convergentium ſummis. Quod argumentum præcedentibus argumentis adeo affine eſt, ut ejus tractatio hoc in loco jure exſpectari poſſit. Conſtat enim, quemadmodum linea recta, vel area, continue produci poteſt, & datam tamen finitam rectam, vel aream, nunquam exæquare, ita & ſeriem fractionum poſſe ſic continuari, ut ſummæ ejus ſucceſſivæ continue quidem creſcant, ſed dato tamen finito numero ſemper ſint minores. Hic numerus, ſi differentia inter eum & ſummam

ſeriei ſic decreſcat, ut qualibet data fractione fieri poſſit minor, jure ſuo *limes ſummæ illius ſeriei* appellari poteſt; & analogia inter ejusmodi limites atque limites arearum in curvis tam manifeſta eſt, ut facile intelligatur, inter varias methodos dijudicandi, utrum data fractionum ſeries limitem habeat, dari etiam aliquam, quæ iisdem principiis, quibus theoria de limitibus arearum innititur, utatur ad detegendum, num datæ progreſſiones limites habeant, ſeu num, ut alii loquuntur, in infinitum continuatæ ſummas dent finitas. Sane hanc methodum in ipſo hujus tractationis limine doctiſſimus Autor exponit. Eſt autem illa in eo fundata, quod termini ſeriei convergentis exponi poſſint ordinatis parallelis & æquidiſtantibus alicujus curvæ, cui linea abſciſſarum pro aſymptoto eſt. Si area hujus curvæ limitem agnoſcit, progreſſionis quoque illius ſumma limitem habet, &, cognito limite areæ, approximare licet ad limitem ſummæ progreſſionis, ſicut hoc cognito ad illum. Quod qua ratione fieri debeat, oſtenditur quidem hic ab Autore; uberior tamen ejus argumenti explicatio & demonſtratio in *ſecundum Librum* differtur. Interim hic duæ methodi exponuntur, quotvis progreſſiones fractionum inveniendi, quarum ſummæ aſſignabiles numeros pro limitibus habeant. Altera earum methodorum illi affinis eſt, quam *Jacobus Bernoullius* in Diſputationibus de ſeriebus infinitis docuit; altera, æque ſimplex, elegans, & fœcunda, ſupponit duo mobilia in eadem recta inæqualibus velocitatibus lata, & ex conſideratione ſpatiorum, ab illis eodem tempore deſcriptorum, & finem, ſeu terminum, communem habentium, progreſſionem fractionum deducit, quæ, ſive ad certum terminum, ſive in infinitum, continuata, ſummam habet finitam & datam. Ope harum methodorum Cel. Autor Theoremata quædam de ſeriebus demonſtrat, ad quadraturam curvarum utilia, & alia, quæ a *Jaç. Bernoullio*, *Tayloro*, *Nicolio*, *Stirlingio*, Viris celeberrimis, diverſis rationibus oſtenſa fuerant. In *XI Capite* de linearum curvarum curvatura ſic exponit, ut, præmiſſis definitionibus terminorum, primo novam elegantemque exhibeat methodum, in curvis geometricis determinandi centrum

vel

Digitized by Google

vel radium curvaturæ, ſeu oſculi, nec non variationem curvaturæ metiendi, atque diverſos gradus contactus inter curvam & circulum oſculantem ad ſe invicem comparandi. Tanquam exempla hujus methodi, Theoremata de radiis oſculi in ſectionibus conicis, tam ab aliis varie jam demonſtrata, quam nonnulla non obvia, ſubjicit, quæ ſingula ſynthetice ad modum veterum demonſtrat. Hac etiam data occaſione, quid ſibi velit curvatura infinite parva & infinite magna, docet, & utriusque poſſibilitatem evincit. Secundo generalem pro curvis tam geometricis, quam mechanicis, methodum determinandi earum curvaturam demonſtrat, & tertio duas particulares methodos indicat, per quas in iis potiſſimum curvis, quæ revolutione rectarum, vel angulorum, generari intelliguntur, radios oſculi facilius invenire licet. Denique doctrinam de evolutis, earumque rectificatione, attingit. Quibus omnibus ſcite peractis, varia Problemata phyſica & geometrica ſynthetice tractat, ad quæ ſolvenda theoria de curvatura linearum utilis eſt. Scilicet primo proprietates cycloidis, & notam legem deſcenſus corporis gravis per arcus hujus curvæ, demonſtrat; deinde cauſticas radiorum, tam reflexorum, quam refractorum, conſtruere docet; porro rationem determinandi poſitionem radiorum, qui interiorem & exteriorem efficiunt iridem, oſtendit; poſtea theoriam univerſam virium centralium, & trajectoriarum, tam in vacuo, quam in medio reſiſtenti, ſive unicum ſit centrum virium, ſive plura ponantur, copioſe explicat, inter hæc reſiſtentiam & denſitatem medii e data trajectoria invenire docens, & omnem motuum lunæ theoriam data opera illuſtrans; denique de figura fluidi, cujus particulæ aut in diverſa centra, aut in unum centrum, gravitant, ſed ſimul circa axem revolvuntur, pauca ſubjungit. Hoc *undecimo Capite* clauditur *primum* hujus Operis *Volumen*, de quo hæc dixiſſe ſuffecerit. De *altero Volumine* proxime ſumus dicturi.

*MARMOR ESTONIANUM, SEU DISSERTATIO*



Digitized by Google

*de Sella marmorea votiva, Eſtoniæ in agro Northamptonienſi conſervata, Autore J. NIXON, A. M.*

Londini, typis J. Bettenham, exemplaria proſtant apud R. Manby & H. S. Cox, 1744, 4.
Plag. 4½, cum Tabula æri inciſa.

Quamvis marmoris, quod explicandum ſibi ſumſerat Cl. Autor, inſcriptionem *Seldenus*, *Reineſius*, ac *Tomaſinus*, dudum vulgaverint; tamen, ut de ſellæ figura, cujus illi deſcriptionem non ſatis accuratam dediſſe videbantur, antiquitatum curioſis magis conſtaret, votivum hoc marmor, una cum inſcriptione delineatum, ærique inciſum, in fronte Diſſertationis ſpectandum propoſuit. En ipſam Inſcriptionem:

Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΦΙΛΑΙΝΕΤΟΥ ΙΣΙΔΙ
ΟΣΙΡΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

Cl. *Nixon*, hoc donarium & hunc titulum illuſtraturus, præmittendam ſibi putavit brevem *de donariorum antiquitate atque uſu* commentationem. Tunc, præeunte *Pottero* in *Archæologia Græca*, dona hæc diſtribuit in ΙΛΑΣΤΙΚΑ, ΑΙΤΗΤΙΚΑ, ΚΑΙ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ. Uberius deinde cum χαριςήρια explicaſſet, ad χαριςήριον Eſtonianum accedit, *Archidamumque*, cujus nomen exhibet lapis, *Iſidis*, vel *Æſculapii*, apud Smyrnæos ſacerdotem fuiſſe, ſuſpicatur. Nec diſplicet ipſi Cl. *Meadii* conjectura, qui, Numinibus iſtis, medicæ arti divinos honores debentibus, medicos etiam ſacerdotes electos, & hunc ipſum *Archidamum* Medicum fuiſſe, conjecerat. Exſpectandum tamen priſci alicujus monumenti ſuffragium cenſet, antequam hæc ſententia eruditorum virorum calculos mereri debeat.

Pergit inde ad monumenti ætatem, &, quia in eo nullam temporis deſignationem deprehendit, ex ſellæ materia ac ſimplicitate figuræ antiquitatem colligit non contemnendam. Præterea, ex formis literarum Σ & Ε manifeſtum eſſe, oſtendit, hoc

hoc donarium recentioris ætatis monumentis annumerari plane non poſſe, quia, *Montfauconio* obſervante, quinto poſt Chriſtum natum Seculo priſci ductus harum literarum plane exoleverint.

Progreditur Cl. *Autor* ad narrandam monumenti ſui recentiorem hiſtoriam, oſtenditque, eſſe id unum e marmoribus *Arundelianis*, quorum plurima, Græca præſertim, Cl. *Peireſcii* ſtudio per *Samſonem* quendam, qui *Peireſcii* negotia Smyrnæ geſſerit, comparata eſſe. Sed Turcarum fraude marmora iſta detenta fuiſſe, donec Illuſtriſſ. *Thomas*, Arundeliæ Comes, per *Guil. Pettæum*, Anglum, A. 1627 iſta redemta in Angliam transtulerit. Inde, ortis in Anglia civilibus diſcordiis, marmora, quæ neglecta jacuerint, alia furto ablata, alia a lapicidis, parum ſentientibus, nec curantibus, quam capitale facinus admitterent, ad ædes reficiendas adhibita eſſe. Vix dimidiam partem, numerum tamen plus quam CXXX, marmorum, *Arundeliæ* Comiti collectorum, ab ejus nepote, *Henrico*, Comite Mareſchallo, (poſtea Norfolciæ Duce,) Oxonienſi Academiæ donatam eſſe. Partem aliquam, quam cum ſella, de qua hic agitur, votiva, tum alia pretioſiſſima monumenta, inſignem faciant, a Ducis, quem diximus, Norfolciæ vidua Baroni de *Lempſter* venditam, ab ejus filio, Comite *de Pomfret*, hodie conſervari.

Sellam autem Smyrnæ conſecratam fuiſſe, Cl. *Nixon* ex eo veriſimile facit, quod Smyrnæ reperta, & inde ſit allata. *Iſidis* cultus apud Smyrnæos, atque templum, quod in hac urbe Deam illam habuiſſe, ex *Ariſtide* docet, faciunt, ut conjectura probabilis videatur.

Materia monumenti (hoc ordine procedit Cl. Autor,) eſt Græcum marmor candidum, latis bracteis interlucens. Formam ſimplicis ſellæ refert, nec ulla parte continuus lapis perterebratus eſt. Hinc Vir doctus ſellam ſuam, cum regalibus ſoliis, augurum ac Pontificis maximi ſellis, comparatam, & *Archidami* perſonæ conveniens, nec Diis, quibus dicata ſit, alienum, munus arbitratur. Plura addit de ſellis varii generis, quæ Diis conſecratæ ſint. *Iſidi*, quæ eadem ac Tellus

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, adeoque motus expers, credita, in nummis etiam ſedens exhibeatur, huic Deæ ergo non male ſellam oblatam eſſe contendit. Nec *Oſiridi* ſellam inconveniens donum fuiſſe, inde concludit, quia hujus Dei thronus ex hieroglyphicis notus ſit. Gryphos duo, qui utrinque in lapide conſpiciuntur, ſatellites *Oſiridis* pronuntiat, & in rationem, cur hæc animalia huic Deo ſacra fuerint, breviter inquirit. Dein *Iſidi, Oſiridi*, & *Anubidi*, ut Diis παρέδροις, commune donarium recte oblatum eſſe evincit.

Occaſionem, qua dedicatum ſit χαριστήριον, quia ex Inſcriptione intelligere non licebat, conjectura ſe aſſecuturum putavit. Et, quamvis ea ſit horum Numinum natura, ut variis & innumeris beneficiis ejusmodi donarium mereri potuiſſe videantur, tamen ſingularis erga periclitantes in mari favor *Iſidis*, ejusdemque in ſanandis morbis credita præſentia, faciunt, ut aut ob itineris pericula & labores terra marive ſuperatos, aut ob valetudinem ex gravi morbo receptam, hoc munus ab *Archidamo* conſecratum Cl. *Nixon* ſuſpicetur. Nos vero ejusmodi hariolationes plane non probamus. Si autor doni ob peculiare beneficium, ab his Diis impetratum, id obtuliſſet, in Inſcriptione hujus rei ipſe mentionem facturus fuiſſe videtur. Etiamſi largiremur, ſingulari gratia ab his Diis adjutum hominem, hanc ſellam poſuiſſe, quis ſperare poſſit, cum his Numinibus ſexcentæ potuerint eſſe occaſiones bene faciendi, fidem ſibi futuram, ſi aliis perſuadere velit, ſe vigilantem cognoviſſe, quam bene merendi materiam in *Archidamo* Dii illi ſint nacti. Quodſi omnino divinare libeat, longe propiore vero conjectura ex ſilentio monumenti poſſemus ſuſpicari, *Archidamum* non ob unum aliquod benefactum, ſed pro omnibus, quibus per totam vitam his Numinibus devinctum ſe crediderit, meritis, & fortaſſe, quod eſt in aliis Inſcriptionibus, ἐκ μεγάλων κινδύνων πολλάκις σωθέντα, hanc Diis gratiam retuliſſe.

Supereſt, ut Cl. Antiquario ſuadeamus, ne, ſi in poſterum de ſimilibus monumentis bene mereri ſtudeat, tam confuſo ordine, qualem in hoc ſcripto deprehenſum de induſtria



Digitized by Google

ſtria in noſtra commemoratione ſervavimus; lectoribus politis tædium afferat. Idem magis etiam antiquitatis amantibus ſatisfaciet, ſi orthographiæ præceptis obtemperans, a prava ſcriptione vocabulorum *Author, Egyptus*, & ſimilium, ſe abſtinuerit, nec ſtilum tot barbariſmis ac ſolœciſmis deformaverit. Ut alia mittamus, *pag. 7* dedit: *adeo - ut - remanſit.* Et hæc ſtructura ipſi adeo placuit, ut eadem *pag. 25* repetita ſcripſerit: *adeo ut - exiſtimata eſt.*

*CONATUS CHRONOLOGICUS AD CATALOGUM Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Cancellariorum, Archi-Cancellariorum, & Electorum, Coloniæ Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium, Autore MICHAELE MOERCKENS, Carthuſiæ Agrippinenſis Presbytero.*

Coloniæ Ubiorum, ſumtibus Joannis Wilhelmi Krakamp, & hæredum Chriſtiani Simonis, 1745, 4.

Alph. 1 plag. 7.

Jam dudum in votis habuit orbis literatus, ut *Germania ſacra*, uno opere, pro dignitate argumenti exculta, a viro quodam docto conſcriberetur, & tela, quam R. P. *Martinus Hanſitzius* incepit, pertexeretur. Quamvis autem nemo adhuc exſtiterit, qui tam arduum & laboris plenum in ſe opus ſuſciperet; ſperare tamen fortaſſis licet, aliquando voti ſui damnatum iri eruditos, ſi peculiares Epiſcopatuum deſcriptiones prodeant, per quas obſcuriſſimis Germanorum Eccleſiæ rebus lux aliqua poſſit affundi. Hinc maximopere ſe nobis commendavit Rev. hujus libri Autoris inſtitutum, qui origines Colonienſes, vel negligentia, vel inſcitia temporum ſuperiorum, penitus ſepultas, in lucem protrahere anniſus eſt. Maximi autem facienda, & ſummis laudibus celebranda, eſt Sereniſſimi Principis, *Clementis Auguſti*, Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, de conſtituenda hac Præſulum ſerie ſollicitudo, quippe cujus Principis autoritate hoc Opus confectum eſſe, ex epiſtola dedicatoria cognoſcimus. Propoſuerat ſibi Rev.



Digitized by Google

Autor, omnia, ad antiquitates Colonienſes pertinentia, ediſſerere.
Cum autem votis religioſis adſtrictus ſit, ea, quæ ad religionem
proxime ſpectant, primo loco merito excuſſit, a ſuſcepto
Chriſti evangelio Pontificum Agrippinenſium memoriam re-
petens. Nonnulla tamen de origine & nomine iſtius urbis
præmittit. De conditoribus ejus, Ubiis, ante *Julium Cæſarem*
nemini ſcriptorum quidquam memoriæ proditum, obſervat.
Eorum vero ſocietatem, cum Romanis initam, & auxilia, eis
contra Suevos præſtita, ex *Cæſare* & *Tacito* deſcribit. Ædi-
ficationem Coloniæ Ubiorum, quæ, cum *Agrippa* eam gen-
tem, Germanicis quippe armis exercitatam, ac Romanis fide-
lem, *Auguſteis* auſpiciis in citeriorem Rheni ripam traduce-
ret, ut Germanos a tranſitu in fines Romanorum arceret, con-
Pag. 2. tigit, Rev. Autor fuſe enarrat. Accidiſſe hoc quatuordecim
ante nativitatem Chriſti annis, ſibi perſuadet, eodemque anno
B. *Mariam* natam eſſe, atque adeo Ubiorum oppidum B.
Virgini merito coævum ſtatui, aſſeverat. Cum poſtea *Ger-
manicus Cæſar* in eo oppido ex conjuge *Agrippina* filiam
ejusdem nominis ſuſciperet, honoris cauſa illa urbs non am-
plius *oppidum*, ſed *civitas Ubiorum*, a *Tacito* dicta eſt. Ipſa
hæc *Agrippina*, uxor poſtea & Auguſta a *Claudio* declarata,
colonos eo transmiſit, unde *Coloniæ Agrippinenſis* compella-
tio urbi eſt indita, quam minus accurate *Coloniam Agrippi-
nam* in *Antonini* Itinerario dici, *Lipſii* veſtigiis inſiſtens, Rev.
3. Autor ſtatuit. Cognomen interim *Agrippinæ* uſque ad *Chil-
dericum*, Francorum Regem, urbi inhæſiſſe, obſervat, quem
novam Francorum coloniam eum in locum duxiſſe, & ſimpli-
citer *Coloniam* appellaſſe, *Otto Friſingenſis* oſtendit. Primis
jam poſt Chriſtum natum temporibus a *Creſcentio* & *Mater-
no* religionem Chriſtianam per illa loca fuiſſe diſſeminatam,
eamque inconcuſſa annorum ſerie ibi ab incolis retentam eſſe,
5. fuſe Rev. Autor demonſtrat. Sub perſecutione paganorum Im-
peratorum pacem Eccleſias ab ethnicis pretio redemiſſe, adeo-
6. que veriſimile eſſe, Colonienſes idem feciſſe, dictitat. Nos
interim miramur, probationis loco *Dextri Chronicon* ad-
duci, cum, illud opus adulterinum eſſe, ſatis ſuperque in-

ter

Digitized by Google

ter eruditos conſtet. Nec minus miramur, centies ex-
ploſas fabulas, de undecim millibus virginum, juxta Colo-
niam per *Maximinum* trucidatis, nec non de legione The-
bæa, lectoribus ad nauſeam uſque obtrudi. De metropo-
litico poſtea Colonienſium Epiſcoporum jure verba faciens,
multa, quamvis ſat vulgaria, de etymo vocis Autor præmit-
tit, &, ante Concilii Nicæni tempora nulla ſe metropolita-
rum iſtius loci veſtigia reperiſſe, fatetur. Ab eo autem tem- Pag. 8.
pore Colonia, quæ in provinciarum diviſione Germaniæ
primæ metropolis facta eſt, eccleſiaſtica etiam fuiſſe videtur,
id quod ex quamplurimis documentis probare Rev. Autor an-
nititur. Archicancellariatus honorem S. *Heriberto*, Colo- 9.
nienſium Archiepiſcopo, conceſſiſſe *Ottonem III*, obſervat; an
autem & ſucceſſores ſtatim poſt eum eodem dignitatis gradu
gaviſi fuerint, certo definire non audet. Electoratus itidem 11.
Colonienſis initia exponit, & multa hac occaſione de inſtitu-
to Electorali Collegio affert, quibus tamen varia inſunt, quæ
nimiam erga Romanam ſedem reverentiam produnt, quibus-
que adeo fides habenda non eſt. His autem præmiſſis, ipſa 14.
Archiepiſcoporum Colonienſium ſequitur ſeries. S. *Clemen-
tem*, Apoſtoli *Pauli* diſcipulum, primum Ubiis verbum Dei
prædicaſſe, innuit Rev. Autor, neſcimus, quo fundamento,
ſeque mirari dicit, quod majores eum non ſcripſerint pri-
mum Eccleſiæ ſuæ Epiſcopum. Interim tamen ſine duce pro
certo id ſumere ſibi religioni duxit; qua quidem in re ad-
modum prudenter egit, cum longiſſime a vero abhorreat,
*Clementem*, qui Romæ ſedit, Colonienſium ſimul ſacrorum
curam egiſſe. *Maternum* igitur primum iſtius loci Præſu-
lem fuiſſe, ponit, eumque unicum illum viduæ Naimiticæ
filium, a Chriſto ſuſcitatum, fuiſſe, ſibi perſuadet. A D.
*Petro* eum, una cum *Euchario* & *Valerio*, ad Germanos miſſum
eſſe, ut eis Evangelium prædicaret, eumque, diſſeminato per
omnem iſtius loci tractum verbo Dei, Eccleſiam Colonien-
ſem fundaſſe, aſſeverat; quamvis privatis in ædibus homines
ſacrorum cauſa, metu perſecutionum, coiviſſe videantur.
Tot vero nugis atque fabulis hæc vitæ *Materni* deſcriptio

ſcatet, ut eas hic repetere nos pudeat. Plenæ ſunt harum rerum veteres illæ legendæ, vitas Sanctorum continentes, quæ tamen noſtro ſeculo merito faſtidiuntur. A *Materni I* temporibus uſque ad *Maternum II*, per ducentorum ferme annorum ſeriem, nihil certi de Epiſcopis Colonienſibus ex antiquitate conſtitui poſſe, Rev. Autor monet, cum eorum nomina Seculo II & III barbarorum incurſionibus fuerint obliterata, imo tota regio, quæ Belgica dicebatur, adeo devaſtata, ut nec, qui Eccleſiis præfuerint, pronum ſit definire. Nihilo tamen ſecius ſcriptores recentiores, v. g. *Crombachius* in *Serie Epiſcoporum Colonienſium*, nec non *Stangefolius* in *Annalibus Weſtphalici circuli*, Præſules iſtius ævi recenſere, eorumque nomina & vitas deſcribere, tentarunt. Dubitat Rev. Autor, an hodiernis Criticis inventa horum ſcriptorum ad palatum futura ſint. Ne tamen lectores ea neſcirent, illisque occaſio deeſſet, de his rebus judicandi, verba iſtorum ſcriptorum integra appoſuit, neque, quæ in contrarium dici poſſint, reticuit.
Pag. 18-21. 22. Certiora de Epiſcopis, qui inde a *Conſtantini M.* temporibus vixerunt, dici poterant, inter quos *Maternus II* agmen ducit. Quæ igitur a priſcis ſcriptoribus monumentisque varie & ſparſim de Præſulibus Colonienſibus ſunt tradita, ea hic, ſervato temporis ordine, compoſuit, & in ordinem digeſſit, Rev. Autor, multaque, in antiquis horum Epiſcoporum catalogis non obſervata, ſupplevit. Perducitur iſta ſeries uſque ad *Joſephum Clementem*, Bavarum, qui anno Seculi præteriti octavo & octogeſimo, conceſſione Pontificis Maximi *Innocentii XI*, & Imperatoris *Leopoldi I* beneficio, a clero Colonienſi primario, per novem ſuffragia electus eſt Archiepiſcopus, contra *Wilhelmum*, Cardinalem, & Epiſcopum Argentinenſem, per tredecim ſuffragia poſtulatum. Inde bellum, archi-diœceſi valde exitioſum, exſtitiſſe, dum Galli *Wilhelmum* per vim intrudere conarentur, *Joſephum Clementem* tamen viciſſe, eumque tandem, ſecundum leges pacis Ryswicenſis, A. 1697 poſſeſſione quieta potitum eſſe, Rev. Autor obſervat. Ulterius ei progredi non licuit, ob religionis, quod ſuſcepit, votum. Nimirum in Cartuſiæ Colonienſis

lonienſis eremo per quinque & quinquaginta jam annos inclufus, de rebus eo tempore geſtis, certi quid ſcribere non potuit. Ut vero omnia hujus libri contenta uno intuitu cognoſcere poſſint lectores, indicem chronologicum adjecit, in quo ſecundum temporis ordinem omnia, in eo expoſita, annotantur, numeris paginarum e regione ſemper appoſitis. Laudanda utique eſt Rev. Autoris hoc in Opere adhibita diligentia. Inſignem illud utilitatem afferet iis, qui in cognoſcenda Germanarum Eccleſiarum hiſtoria laborant, dummodo a narrationibus abſonis, quæ non parce in libro alias præclaro occurrunt, diſcedas. Optandum etiam eſſet, ut majori cura opus fuiſſet impreſſum. Cum enim impreſſio cœpta fuerit ex apographo, Autore prorſus ignaro, innumerabiles fere in textum irrepſerunt errores, qui ſenſum maximopere turbant; imo quamplurima, eaque notatu digna, omiſſa ſunt, quæ Rev. Autor poſt primam deſcriptionem addiderat. Ex avtographo quidem hæc ad calcem Operis emendata ſunt, & addita; verum hac ratione nondum lectoribus ſatis proſpectum eſt, Pag. 177.
qui, quotiescunque dubii hærent, ad iſtos indices debent confugere, quæ res tædio non caret. Quodſi nova aliquando & curatior prodierit libri editio, commodior longe ejusdem uſus, jucundior ejus evolutio, evadet.

*JOANNIS JACOBI SORBER, J. U. D. Commentatio de Comitiis veterum Germanorum antiquis, ex Hiſtoria, monumentis, Diplomatibus, & ſcriptoribus fide dignis, eruta, qua conventuum qualitas & forma tum ante Caroli M. ævum, tum ſub illius & priorum ſucceſſorum regimine, demonſtratur.*

Jenæ, ex officina Ritteriana, 1745, 4.
Alph. 1 plag. 4.

Miſcent utile dulci, qui antiquitates, nominatim patrias, prudenter & curioſe ſcrutantur. Quid eſt tam jucundum, quam priſcos majorum ritus, tot vel hodiernarum conſuetudinum incunabula, penitius noſſe? Et nonne plura

ſcatet, ut eas hic repetere nos pudeat. Plenæ ſunt harum rerum veteres illæ legendæ, vitas Sanctorum continentes, quæ tamen noſtro ſeculo merito faſtidiuntur. A *Materni I* temporibus uſque ad *Maternum II*, per ducentorum ferme annorum ſeriem, nihil certi de Epiſcopis Colonienſibus ex antiquitate conſtitui poſſe, Rev. Autor monet, cum eorum nomina Seculo II & III barbarorum incurſionibus fuerint obliterata, imo tota regio, quæ Belgica dicebatur, adeo devaſtata, ut nec, qui Eccleſiis præfuerint, pronum ſit definire. Nihilo tamen ſecius ſcriptores recentiores, v. g. *Crombachius* in *Serie Epiſcoporum Colonienſium*, nec non *Stangefolius* in *Annalibus Weſtphalici circuli*, Præſules iſtius ævi recenſere, eorumque nomina & vitas deſcribere, tentarunt. Dubitat Rev. Autor, an hodiernis Criticis figmenta horum ſcriptorum ad palatum futura ſint. Ne tamen lectores ea neſcirent, illiſque occaſio deeſſet, de his rebus judicandi, verba iſtorum ſcriptorum integra appoſuit, neque, quæ in contrarium dici poſ-
Pag. 18- ſint, reticuit. Certiora de Epiſcopis, qui inde a *Conſtan-*
21. *tini M.* temporibus vixerunt, dici poterant, inter quos *Ma-*
22. *ternus II* agmen ducit. Quæ igitur a priſcis ſcriptoribus monumentiſque varie & ſparſim de Præſulibus Colonienſibus ſunt tradita, ea hic, ſervato temporis ordine, compoſuit, & in ordinem digeſſit, Rev. Autor, multaque, in antiquis horum Epiſcoporum catalogis non obſervata, ſupplevit. Perducitur iſta ſeries uſque ad *Joſephum Clementem*, Bavarum, qui anno Seculi præteriti octavo & octogeſimo, conceſſione Pontificis Maximi *Innocentii XI*, & Imperatoris *Leopoldi I* beneficio, a clero Colonienſi primario, per novem ſuffragia electus eſt Archiepiſcopus, contra *Wilhelmum*, Cardinalem, & Epiſcopum Argentinenſem, per tredecim ſuffragia poſtulatum. Inde bellum, archi-diœceſi valde exitioſum, exſtitiſſe, dum Galli *Wilhelmum* per vim intrudere conarentur, *Joſephum Clementem* tamen viciſſe, eumque tandem, ſecundum leges pacis Ryswicenſis, A. 1697 poſſeſſione quieta potitum eſſe, Rev. Autor obſervat. Ulterius ei progredi non licuit, ob religionis, quod ſuſcepit, votum. Nimirum in Cartuſiæ Co-

lonienſis

lonienſis eremo per quinque & quinquaginta jam annos inclusus, de rebus eo tempore geſtis, certi quid ſcribere non potuit. Ut vero omnia hujus libri contenta uno intuitu cognoſcere poſſint lectores, indicem chronologicum adjecit, in quo ſecundum temporis ordinem omnia, in eo expoſita, annotantur, numeris paginarum e regione ſemper appoſitis. Laudanda utique eſt Rev. Autoris hoc in Opere adhibita diligentia. Inſignem illud utilitatem afferet iis, qui in cognoſcenda Germanarum Eccleſiarum hiſtoria laborant, dummodo a narrationibus abſonis, quæ non parce in libro alias præclaro occurrunt, diſcedas. Optandum etiam eſſet, ut majori cura opus fuiſſet impreſſum. Cum enim impreſſio cœpta fuerit ex apographo, Autore prorſus ignaro, innumerabiles fere in textum irrepſerunt errores, qui ſenſum maximopere turbant; imo quamplurima, eaque notatu digna, omiſſa ſunt, quæ Rev. Autor poſt primam deſcriptionem addiderat. Ex avtographo quidem hæc ad calcem Operis emendata ſunt, & addita; verum hac ratione nondum lectoribus ſatis proſpectum eſt, Pag. 177.
qui, quotiescunque dubii hærent, ad iſtos indices debent confugere, quæ res tædio non caret. Quodſi nova aliquando & curatior prodierit libri editio, commodior longe ejusdem uſus, jucundior ejus evolutio, evadet.

*JOANNIS JACOBI SORBER, J. U. D. Commentatio de Comitiis veterum Germanorum antiquis, ex Hiſtoria, monumentis, Diplomatibus, & ſcriptoribus fide dignis, eruta, qua conventuum qualitas & forma tum ante Caroli M. ævum, tum ſub illius & priorum ſucceſſorum regimine, demonſtratur.*

Jenæ, ex officina Ritteriana, 1745, 4.
Alph. 1 plag. 4.

Miſcent utile dulci, qui antiquitates, nominatim patrias, prudenter & curioſe ſcrutantur. Quid eſt tam jucundum, quam priſcos majorum ritus, tot vel hodiernarum conſuetudinum incunabula, penitius noſſe? Et nonne plura

hinc in linguam, in jura, in mores, emolumenta redundant? Apti ſunt potiſſimum ad illud oſtendendum Jureconſulti accuratiores. Illorum itaque labor, argumentis antiquitatum impenſus, prima ſtatim fronte ſpem oſtendit tanto majorem. Talem etiam, Conſ. *Sorberi* Commentationem luſtraturi, concepimus, nec omnino falſam fuiſſe, Operis monſtrabit conſpectus. Habet Opus *duas* poſt Procemium *Partes*, quarum *prior* de conventibus Germanorum ante *Carolum M.* agit; *poſterior* ſtatum comitiorum Teutonicorum ſub imperio *Caroli M.*, & paulo poſt ipſius obitum, proponit. In Prooemio barbariæ maculam a majoribus noſtris abſtergere laborat pie ſatis & facunde, neſcimus autem an ab omni ſuſpicione λογομαχίας remote. *Partis prioris Caput primum* agit de

P. I Cap. 1. modo comitia coercendi in campis, & ſub dio, ante regimen *Caroli M.* Confirmatur idem formulis variis, exemplis, ac teſtimoniis. Ad poſtrema ſpectant eo pertinentes ſcriptores, *Aimoinus Lib. IV Cap. 74, Eckhartus* in *Comment. de rebus Franciæ Orientalis Tom. I Lib. 24 §. 26 pag. 548, Struvius* in *Corpore Juris publ. Imp. Rom. Germ. Cap. 23 §. 4 pag. 820, Frid. Brummerus de Scabinis Cap. 4 §. 3 ſeq. Heineccius* in *Elem. Juris Germ. Lib. I §. 108, Schottelius de Juribus ſingularibus Germ. Cap. 4 pag. 114, Gryphiander de Weichbild. Saxon. Cap. 66 n. 2, Herm. Adolph. Meinders de Judiciis centenariis*

2. *& centumviralibus veterum Germ. Cap. 4 §. 45*, & alii. Quæ ſequuntur, tangunt conventus gentium Germanicarum in lucis ad arbores, lapides, montes, & fontes. Unde dictæ *Hage-Spracken* collocutiones in lucis, quæ deinceps corrupte efferebantur *Hagelſpracken*, docet *Jo. Georg. Keyſlerus* in *Antiquit. Septentrional. & Celt. Sect. I Cap. 4 §. 11.* Non autem videmus, quare tempora ante *Carolum M.* percenſens Autor, nonnulla

3. depromat exempla ætatis *Carolo* recentioris. Memorantur porro tempora, quibus conventus inſtituti, & quoties anno quoque Germani convenerint. Fiebat id potiſſimum noctu, cum nox diem ducere putaretur, quippe quam die priorem eſſe, majorum ex traditione acceperant; cujus rei cauſam ex rerum omnium fabricæ hiſtoria derivare nititur *Hugo Grotius de Veritate*

*ritate religionis Chriſt. Lib. I* §. *16.* Bis autem potiſſimum anno. Inde *Hincmarus Epiſt. XIV Cap. 24* ex *Adelhardi* libello de ordine palatii: *Conſuetudo autem tunc temporis talis erat, ut non ſæpius, ſed bis in anno, placita duo tenerentur; unum, quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium* (ſc. menſe Martio); *quod ordinatum nullus eventus rerum niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabatur.* Conf. *Wildvogelii* Diſſert. *de Statibus provincialibus* §. *41, Burchardus Gottb. Struvius* in *Corpore Juris publ. Cap. 23* §. *2 ſeq.* & *du Freſne* in *Gloſſar.* voc. *Placitum.* Perſonæ, qui- Cap. 4.
bus liberum fuit, populum convocare, poſtquam paulisper a rigidiore libertatis ſtudio receſſerunt, fuere Reges, vel Comites, potiſſimum. Signa, quæ locum congregationis demonſtra- 5.
runt, erant arbores, ſtatuæ, cruces, &c. ſub dio poſitæ, atque notatæ. Ab ejusmodi ſigno *Mabl* nonnulli vocabulum *mallus* derivant, quod alii a *Mabl*, convivio, tunc potiſſimum celebrari ſolito, deducunt; qua occaſione in mentem nobis venit, vocabulum Germanicum in ſenſu priore cum Græco & Latino μῆλος, *malus*, cum arbores & perticæ eſſent ſigna, comparare, atque a priore poſteriorem ſenſum deducere, dum ad illud ſignum, ut jusjurandum erecta manu a judicibus dicebatur, unde *Handmabl*, ita convivia, de quibus & *Tacitus* loquitur, habebantur. Forma diætarum erat paulo 6.
confuſior, dum nec accurate conveniebant, nec ordinem obſervabant in loquendo. Fuerunt quoque ſpeciales illi vete- 7.
rum Germanorum conventus, dum varias in civitates, nullo communi vinculo nexas, Germania dividebatur. Frequenta- 8.
bant ergo Concilia, ferebantque ſuffragia in majoribus univerſi, neque mulieribus excluſis. His ſanctum aliquid ineſſe arbitrati, multa illarum arbitrio commiſerunt. Sic Celtæ & Galli, quicquid erat contentionis atque inteſtinorum odiorum, per fœminarum interventum compoſuerunt. Vid. *Jodocus Willichius* ad *Tacitum P. I Cap. 16,* & *Plutarchus de virtutibus mulierum.*
Placita ipſa præcedere ſolebant ſuperſtitiones variæ, unde & 9.
ſacerdotes intererant, ſummamque adminiſtrabant poteſtatem.

Adhæc

Adhæc autem penes Principes etiam ante negotia tractaban-
Cap. 10. tur, ac penes ceteros in conviviis. Eligebantur etiam in
ejusmodi comitiis, adhibitis ſingularibus ſolennitatibus, Reges,
Duces, Comites, Principes, quorum dignitates tunc neuti-
11. quam hæreditatis jure obtinebantur. Negotia, quorum ergo
comitiis intererant, publica maxime fuerunt & graviſſima. Ac-
cuſationes pariter ibidem inſtituebantur, pœnæque ſumeban-
tur. Antequam autem aliquis duceretur, explorationem præ-
cedere oportebat accuratiſſimam, propriamque vulgo confeſ-
ſionem. In iisdem comitiis arma tradebantur juvenibus,
P. II atque leges ferebantur. Sed opus eſt, ut & *Partem poſte-*
Cap. 1. *riorem* vel obiter tangamus. Agitur hic initio de modo,
placita, mallos, vel comitia, coercendi ætate *Caroli M.* &
2. priorum in regno ſucceſſorum; de translatione conciliorum
e campis in curtes, vel domos, iis conſecratas, aut villas
3. publicas, aut palatia Regum; de terminis, quibus majores
tunc temporis ad conventus confluxerunt, & quoties con-
4. veniebant; quod bis, ter, quater, anno factum eſt; de iis, qui-
bus populum convocare licebat, Comitibus ſcilicet atque aliis:
Comites quippe ſinguli uni primum pago, poſt pluribus, tan-
5. dem & civitatibus, jus dicebant; de notis, quarum ope locum
conſultationibus deſtinatum indicare conſueverunt Teutones,
6. arboribus præſertim & crucibus ligneis; de forma comitio-
rum, quæ antiquiorem imitabatur, præterquam quod ordo
7. eſſet adſtrictior. Porro demonſtratur, comitia ſub ævo *Caro-*
8. *lino* pariter communia & generalia exſtitiſſe. Hinc dicitur de
perſonis, quibus concilia viſitare licuit, nempe tam ſacris,
9. quam civilibus, in claſſes ſuas diſtributis. Examinantur, quæ
conventus præcedere conſueverunt: nempe deliberationes
exactiſſimæ, quas inter non erant ultimæ ſacri ordinis partes.
10. Denique agitur de electionibus Regum, Principum, Comitum,
11. aliorum, in comitiis facta, deque cauſis reliquis ejusmodi con-
ventuum, magni non tunc f[illegible] in republica momenti, ſed
hodieque ponderis, dum jura non pauca, conſuetudines
non paucæ, inde derivantur.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Martii Anno MDCCXLVII.*

*Pars II.*

## CODICE DIPLOMATICO DEL SACRO MILITARE Ordine Geroſolimitano, &c.

hoc eſt,

*CODEX DIPLOMATICUS SACRI MILITARIS Ordinis Hieroſolymitani, hodie Maltenſis, ex variis ejus documentis collectus, ad hiſtoriam illius Ordinis illuſtrandam, cum ſerie chronologica magnorum Magiſtrorum, qui ei præfuerunt; opera SEBASTIANI PAULI, Congregationis B. Virginis.*

*Tomi II.*

Luccæ, apud Salvatorem & Joannem Dominicum Mareſcandoli, 1733 & 1737, fol.

Tom. I Alph. 6 plag. 1, Tom. II Alph. 6 plag. 22.

Celebratiſſimus utique eſt Equitum Hoſpitalis S. *Joannis in Hieruſalem* Ordo, qui & ob ſummam antiquitatem, de qua jure ſuo gloriatur, & ob illuſtriſſimos, qui nunquam non ei nomen dederunt, homines, & ob res in toga ſagoque præclare geſtas, ſingulos merito in ſui admirationem convertit. Quamvis autem quamplurimi ex eruditis Ordinum militarium hiſtoriam conſcripſerint; neutiquam tamen adhuc Ordinis *Joannitici* fata ſatis accurate eſſe expoſita, Rev. hujus Operis Autor, qui, uti ex epiſtola nuncupatoria,

 ad

ad magnum Ordinis Magiſtrum data, intelligitur, in hocce ſodalitium receptus eſt, judicat. Illos etiam, qui de ſacris expeditionibus egerunt, adeo parce, & quaſi per tranſennam, horum Equitum mentionem injicere, dictitat, ut eorum facinora adhuc maximam partem oblivionum tenebris manſerint ſepulta. Defectum hunc ex documentis, quæ in ſcriniis horum Equitum repoſita ſunt, ſupplendum cenſuit. Nemini ante ipſum ſcrinia hæc licuit excutere. Per Cyprum enim, Ptolemaidem, Rhodon, aliaque loca, iſtæ chartæ cum Ordine ipſo migrarunt, tandemque in Cancellaria Maltenſi ſedem ſtabilem fixerunt, ubi cum omnibus ſcriptis, ad Ordinem pertinentibus, ſumma diligentia cuſtoditæ, ſatis diu eruditis incognitæ manſerunt, neque ullus eorum, qui hiſtoriam Ordinis concinnarunt, eas perquirere, & in rem ſuam convertere, potuit. Succeſſu temporis ſeries magnorum ſodalitii hujus Magiſtrorum, qui in Palæſtina ei præfuerunt, ope horum documentorum, quorum nonnulla lucem adſpexerant, cœpit conſtitui, cum antea valde confuſe, & minus accurate, ea a ſcriptoribus expoſita fuerit. Cum autem Rev. Autor in inſula Malta degeret, plurimas, quas ibi reperit, huc facientes chartas diligentiſſime deſcripſit, easque evulgare apud animum conſtituit. Communicavit hocce conſilium cum Viro his in rebus verſatiſſimo; *Fontanino*, qui, cum ea, quæ Rev. Autor jam ipſe deſcripſerat, legiſſet, & examinaſſet, conſilium ipſi præbuit, ut reliqua etiam documenta a viris non ineruditis deſcribi, atque cum prioribus junctim excudi, curaret. Perfecit igitur nunc illud opus, ad cujus editionem a tanti nominis viro excitatus eſt. Et, quamvis, nonnulla ex illis Diplomatibus a ſe omiſſa eſſe, profiteatur, hoc tamen præſtantiæ operis nihil omnino detrahit, cum ea partim res non adeo magni momenti contineant, adeoque notatu vix digna videantur, partim eorum contenta jam in aliis documentis eisdem pæne verbis deprehendantur. Inſignem vero utilitatem præbet hæc ipſa Diplomatum antiquorum editio. Hinc enim dignoſcuntur incrementa & opum acquiſitio, quam Ordo *Joannitícus* fecit. Nomina & ſedes multorum

Præſulum,

Præſulum, eorumque continua, nec tempore belli ſacri interrupta, ſeries, ex eis intelligitur. Geographia, per hæc obſcura & barbara ſecula, inſignem accipit lucem. Stirpes atque res geſtæ Regum & Principum Hieroſolymitanorum, nec non leges & conſuetudines Ordinis, familiæque eorum, qui hoc in ſodalitium recepti ſunt, his ex monumentis poſſunt indicari. Hinc recte judicavit, cum ſpecimen hujus collectionis ipſi offerretur, Cel. *Muratorius*, eam & Italiæ, & Autori, & Ordini *Joannitico*, inprimisque Gallis, qui ſtirpes majorum ſuorum hic illuſtratas deprehenſuri ſint, inſignem honorem allaturam eſſe. In *duos* autem Opus hocce *Tomos* abit. *Prior Tomus* complectitur Diplomata, res Ordinis inde ab anno Chriſti 1088 usque ad annum 1290 ſpectantia. Ordine chronologico maximam partem eadem diſpoſita ſunt, utque eo facilius & celerius inveniri, &, quid contineant, intelligi poſſit, indicem eorum Rev. Autor appoſuit, qui & annum, quo confecta ſunt, & libri, in quo exſtant, paginam, oſtendit. Seriem quoque chronologicam magnorum Ordinis Magiſtrorum conſtituit, atque recenſuit, eamque a *Gerbardo*, qui anno Chriſti 1099 huic muneri præfuiſſe dicitur, usque ad *Joannem de Villers*, qui A. 1289 eundem honoris gradum conſcendit, perduxit. Regum etiam Hieroſolymitanorum, & Principum Chri- Pag. 329.
ſtianorum, qui tunc temporis in Syria imperitarunt, genealogiam & hiſtoriam operoſiſſime expoſuit & enarravit, atque tabulam geographicam, regni Hieroſolymitani ſitum exhibentem, curavit confici. Obſervationes inſuper geographicas, 346.
illuſtrandis hiſce documentis & hiſtoriæ Ordinis egregie inſervituras, addidit. Notis denique Diplomata hæc inſtruxit 415 ſeq.
ampliſſimis, quæ ad Ordinis fata cognoſcenda itidem haud parum conferunt. Appoſiti etiam ſunt indices Legatorum Apo- 451 ſeq.
ſtolicorum, Patriarcharum Hieroſolymitanorum & Antiochenorum, nec non Archiepiſcoporum Tyri, Cæſareæ, Nazareti, Petræ, una cum inſigni aliorum Præſulum, qui circa ea tempora per Syriam floruerunt, & quorum mentio in hiſce Diplomatibus injicitur, numero, paginis libri, in quibus de eis agitur, ſemper annotatis. Eadem ratione alii viri celebres, 557.



Digitized by Google

qui belli ſacri tempore vixerunt, & quorum hoc opus me-
Pag. 561. minit, enarrantur. Et, ut nihil eſſet, quod lectores morare-
tur, vocabula etiam, noſtris auribus paulo inſolentiora, quæ
tamen ſæpius in hiſce chartis occurrunt, excerpſit, atque ſe-
569. paratim propoſuit, Rev. Autor. *Alter* hujus Collectionis *To-
mus*, *prioris* continuationem continens, quadriennio ſerius de-
mum evulgatus eſt. Varia enim negotia a labore, quem
cœperat, abſolvendo Rev. Autorem retraxerant, inſuperque,
cum ab inſula Malta eſſet remotior, aliquot ſæpe menſes
præterlapſi ſunt, priusquam ipſi de rebus ſcitu neceſſariis re-
ſponſa darentur. Neque omnino ad umbilicum hocce Opus
perducere potuiſſet, niſi quorundam illuſtrium virorum dex-
teritas ipſi aditum ad ſcrinia, hujus generis chartas continen-
tia, muniviſſet. Laudat eo nomine Lib. Baronem *de Scha-
dt*, Ordinis *Joannitici* ad Sedem Apoſtolicam Legatum, cu-
jus interceſſione apud ſummum Pontificem effectum eſſe pro-
fitetur, ut, quæ in Bibliotheca Vaticana ad rem ſuam per-
tinentia inveniret, ea deſcriberet. Nec minus Comitis *de
Marcolini* liberalitas Rev. Autori, hanc Collectionem ad-
ornanti, profuit, cujus quippe autoritas effecit, ut ex Bi-
bliotheca monaſterii S. *Paterniani* inſignis documento-
rum, ad hunc Ordinem ſpectantium, apparatus, ab Abbate
*Cennio*, cum in inſula Malta quondam moraretur, deſcriptus,
cum Rev. Autore communicaretur. Ab alio inſuper amico,
equite Luccenſi, varia non ſolum accepit ex libris jam evul-
gatis Diplomata, verum is etiam Operis hujus impreſſionem
procuravit, cum Rev. Autor a loco, ubi imprimebatur, lon-
gius abeſſet. Varios ſcriptores, qui de rebus Ordinis diſſerue-
runt, documenta quædam citaſſe & attuliſſe, quæ fruſtra hoc
in Opere quisquam quæſiverit, profitetur. Verum, iſtos
homines ſenſum & contenta eorum minus accurate ex-
poſuiſſe, ſeque, quamvis nulli pepercerit diligentiæ, genui-
num eorum textum ex inſula Malta obtinere non potuiſſe,
queritur. Quamobrem ea penitus omittere, quam lectori-
bus fucum facere, & hiſtoriam Ordinis obſcurare, maluit.
Documenta, obſidionem Rhodi illuſtrantia, admodum pauca
allata

Digitized by Google

allata ſunt. Cum enim illo tempore in tanta rerum perturbatione res ab hiſce Equitibus geſtæ non in ſcripturam redactæ fuerint, verum, obtenta demum victoria, bellum illud a *Wilhelmo Caurſino*, qui Ordini ab actis erat, fuerit deſcriptum, nemo certe mirabitur, documenta illius temporis deſiderari. Ceterum hic *alter Tomus* eodem ordine, quo *prior*, eſt diſpoſitus, ut adeo, fuſius de eo hic differere, nihil attineat. Statuta Ordinis, Seculo decimo ſexto condita, non quidem addidit Rev. Autor, fortaſſis quoniam in aliis Collectionibus, v. c. apud *Lunigium*, ea jam comparent; at Conſtitutionem *Sixti V*, qua eadem confirmantur, exhibuit. Gratulamur de hac Collectione omnibus, qui fata Ordinis *Johannitici* penitius cognoſcere deſiderant. Nihil enim dubitamus, varia iſtius hiſtoriæ capita ope horum documentorum conſtitui & emendari, multa etiam, nondum obſervata, egregie ſuppleri, poſſe. Pag. 246.

Verſuch einer Kirchen-Hiſtorie, ſofern ſolche als eine Einleitung zur geiſtlichen Rechts-Gelahrheit kan angeſehen werden, im dritten Jahrhundert, ꝛc.

id eſt,

*SECULUM TERTIUM HISTORIÆ ECCLESIAſticæ, introductionem ad Juriſprudentiam eccleſiaſticam complexæ; Autore JOANNE GEORGIO PERTSCHIO, JCto, Conſiliario aulico Regio Britannico, Aſſeſſore Judicii aulici Wolferbuttelenſis, Syndico primo ac Directore Conſiſtorii ſacri Palæo-Hildeneshemenſium. Accedit in fine Index.*

Wolferbuttelæ, impenſis Joannis Chriſtophori Meiſneri, 1738, 4.

Alph. 3 plag. 8.

Illuſtri ac Conſultiſſimo Autori nullæ terrori, vel impedimento, ſunt cenſuræ, quo minus ſtadium, quod iniit, intrepidus decurrat. In Præfatione, ſeſe omnem Novi Teſt. hi-

ſtoriam eccleſiaſticam 7, vel 8, conſimilibus *Voluminibus* complexurum eſſe, liberaliter promittit. Seculum quartum & decimum ſextum majori cura digeret, edetque copioſius elaboratum. Reliqua, vel obſcuriora, vel notiora, penicillo minutiori adumbrabit. Faxit modo Deus, ut vita ei ad colophonem deſtinationi addendam ſuppetat! Minatur eis reſponſionem, qui acerbis ipſum, ac inprimis Seculi primi hiſtoriam, ſalibus exceperunt. In hiſce *Novis Eruditorum Actis* paucula non tam refellendi animo, quam ut ejus attentionem provocaremus, notavimus, quæ quidem non penitus improbat, admonitionibus tamen & ſtricturis diluet nonnullis; quam ipſius ingenuam promiſſionem, ſub initio Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Vet. Teſt. effectui dandam, tantum abeſt, ut moleſte feramus, ut, ab humanitate ejus non niſi elimata & probe exculta profectura, ſperemus, id unum ægre ferentes, vocem *perperam* nobis invitis in recenſionem noſtram irrepſiſſe. In poſterum vero, ne diligentiam & inſtitutum ejus moremur, vix ultra recenſionis legem in operibus ejus ad epitomen adſtringendis progredi, fas eſſe exiſtimamus. Atque, ut rem ipſam ordiamur, methodo eadem, qua antea, Autorem eſſe uſum, ſignificamus. *Caput primum* de ſtatu Chriſtianæ religionis & eccleſiæ generatim exponit, qui inter varias adverſariorum inſultationes ſemper exſtitit amplior ac diductior, incrementisque indies exſplenduit lætioribus. Pacis ſtudium, & religionis puræ progreſſus, Chriſtianis erant remoræ ac inſectationi externæ. Chariſmata, vitæ puritas, & religionis
Pag. 5. propagandæ ardor, latiſſime per Arabiam, Gallias, Armeniam, Helvetiam, Scotiam, Romanique imperii orbem, Chriſtianis progreſſum ſuppeditabant. Adjuvabat amplificationem Chriſtianæ doctrinæ conſtantia in perferendis calamitatibus ac martyriis truculentis, vita doctorum intaminata, eruditio, amor
6 ſeq. omnibus patens, favor ſummatum. In numero librorum canonicorum referri tum, credit Noſter, etiam *duos Esdræ libros*, *librum Judith*, *tres Maccabæorum libros*, *Clementis Epiſtolas*, *conſtitutiones*que *Clementis*. Ignoſcat Autor, ſi hæc nobis minus probentur. Nos enim hoſce libros non videmus

in

in canonem ſacrum relatos a *Melitone*, Epiſcopo Sardenſi, apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ. IV, 26, ad A. 171*, nec ab *Origene ad A. 230*, apud eundem *Euſebium Hiſt. Eccleſ. VI, 25*, & *in Pſ. I. Gerhardus van Maſtricht Canonem S. Scripturæ ſecundum ſeriem Seculorum Novi Teſt. collectum, notisque illuſtratum*, edidit, recuſum a *Theodoro Haſæo Biblioth. Bremenſ. Cl. VII Faſc. I pag. 1 ſeq.* ac ab ipſo juvene doctiſſimo *Baratiero*, pauciſſimis adjectis, repetitum in *Conſpectu Canonis Scripturæ Sacræ eccleſiaſtici*. Contendi cum his oportet ea, quæ *Humfredus Hodius*, Profeſſor Oxonienſis, A. 1707 defunctus, ad calcem egregii libri *de Bibliorum textibus originalibus* habet. Sed procedimus in inſtituto. Traditiones Apoſtolicas fuiſſe Seculo Pag. 7.
III laudatas, Autor oſtendit, ſed quæ a ſcriptis Apoſtolicis haud diſcreparint. *Cyprianus Epiſt. 74* non traditioni, ſed ſacris literis, doctrinas rei Chriſtianæ eſſe ſuperſtruendas, monuit curate. In ritibus eccleſiaſticis ſolebat ad regulam ca- 8.
tholicam reſpici & provocari; id eſt, ad conſuetudinem in eccleſia propagatam. Conſuetudines ejusmodi appellatas fuiſſe *canones*, ac ex earum privatis collectionibus exſtitiſſe Canones Apoſtolicos, Conſtitutionesque Apoſtolicas, Noſter oſtendit. *Sacramentum fidei* tunc idem erat ac Chriſtiana fides, *ſacramenta divinæ traditionis* notabant ſacras literas, *ſacramenta cœleſtia* deſignabant veritates divinas. Ii, qui ſenſum ſacri 9.
Codicis abditum exponebant, dicebantur *ſacramenta occulta nudare*. Crux Chriſti vocabatur *ſacramentum ſalutis*. Sacramentum vocabatur quodcumque ſanctum, inviolatum, pretioſum, & præſtantiſſimum. Via examinis patebat eis, qui norant ſcientiam ratiocinandi, doctrinasque expendendi, autore *Origene*. Philoſophiæ vocem haud faſtidiebant Chriſtia- 10.
ni. *Cyprianus* in libro *de Lapſis* vitam Clericorum jam notavit & reprehendit. Nævos ipſos recenſet Autor. Unitatem 15.
eccleſiæ poſuit *Cyprianus* in conſenſu orthodoxo eccleſiæ externæ, ad quam ſalutem duntaxat pertinere exiſtimavit, & quæ dici cœpit *catholica*. *Cyprianus* eccleſiam externam con- 17.
fœderatam vocavit matrem, extra quam ſalus nulla ſit ſperanda. Eccleſia, Romæ collecta, autoritate excellere cœpit.

Nihilo-

Digitized by Google

Nihilo minus Chriſtus a *Cypriano* vocatus fuit *petra*, & ipſe non monarchiam eccleſiaſticam, ſed ariſtocratiam, Epiſcopis
Pag. 18. innixam, ſtatuit. Symbola fidei, extrinſecus conſignata, exſtitiſſe tum ætatis, Noſter inficiatur, & loca, id præferre viſa,
19 ſeq. aliter exponit. Chriſtiani credidere, doctrinam ſuam non novam religionem, ſed repurgatam reformatamque Judaicam religionem, exiſtere. *Capite ſecundo* diſſeruit Autor de doctoribus ac celeberrimis eccleſiæ Chriſtianæ viris, de *Narciſſo*
23. & *Alexandro*, de *Minucio Felice*, quem cauſarum patronum fuiſſe exiſtimat, de *Hippolyto*, quem pro Epiſcopo & Martyre, Cel. *Heumannum* haud ſecutus, habet, de *Julio Afri-*
26. *cano*, de *Ariſtide*, ad quem *Julius Africanus* epiſtolam con-
29. ſcripſit, de *Cajo*, chiliaſmi impugnatore, de *Ammonio Sacca*, Philoſopho Chriſtiano, ad gentes fortaſſis regreſſo, ſectæ *Platonicæ* junioris ac eclecticæ hyperaſpiſta, de *Patroclo*, ac *Ori-*
34. *gene*, adamantinam diligentiam comprobante, de diſcipulis *Ori-*
47. *genis*, de *Origenianis* ſcriptis, de ejus *Tetraplis*, *Hexaplis*, & *Octaplis*, de erroribus, ei poſt exceſſum impactis, de judicio
50. ejus non ſatis magno, de amore ejus in Philoſophiam *Platonicam*, & myſticas ſacri Codicis expoſitiones, de *Origenianis*, de *Demetrio*, de *Heracla*, *Plutarchi* fratre, de *Pionio*, Presby-
55 ſeq. tero Smyrnenſi, de *Dionyſio*, Alexandrino Epiſcopo, conjugii haud exſorte, & *Apocalypſin Joanni* denegante, de *Grego-*
63. *rio Thaumaturgo*, *Origenis* diſcipulo, quem *Gregorius Nyſſe-*
74. *nus* deſcripſit, fabuliſque nonnullis maculavit, de *Felice Nolano*, miraculis fortaſſe effictis celebri, de *Cypriano*, unitatis externæ & ariſtocratiæ promacho, quem fuſe ac copioſe, nec
97. immerito, Autor deſcripſit, de ejus ſententia rebaptizandi baptizatos ab hæreticis ac imbecillitate, qua laboravit, domina-
102. tus epiſcopalis, de *Laurentio*, Romæ Diacono, cujus acta fabulis exornata, de *Ambroſio*, de *Alexandro* carbonario, de
108. *Euſebio* & *Anatolio*, de *Dionyſio* Pariſino, de *Arnobio*, Afri-
111. cano Rhetore, de *Theona*, Epiſcopo Alexandrino, de *Pierio*,
114. Presbytero ac Philoſopho, atque *Achille*. Expoſuit porro de *Methodio*, Epiſcopo, varie in *Origenem* animato, ac ſublimitatem dictionis affectante, qui, *Mariam* utero aperto peperiſſe,

credidit,

credidit, ac millenarium Chriſti regnum ſuo aſſenſu comprobavit. Progreditur deinde ad *Aſterium Urbanum*, virum diſertum, qui adverſus Montaniſtas ſcripſit; ad *Cajum*, Pag. 116.
*Irenæi* diſcipulum, Athenis tandem Epiſcopum; ad *Archelaum*, Carchæ in Meſopotamia Epiſcopum; ad *Tryphonem & Geminium*; ad *Heſychium*, Gloſſarii Græci autorem; ad 118.
*Theognoſtum* Alexandrinum, 7 Libris *Hypotypoſes* complexum, e quibus Synodus Nicæna puriorem doctrinam fuit mutuata, licet *Photius* in eis deprehendere ſibi viſus fuerit formulas, Arianis ac Macedonianis faventes. Hinc ſe- 119.
riem Romanorum Pontificum Seculi tertii percurrit, nominatim *Zephyrini*, *Calixti I*, *Urbani I*, *Pontiani*, *Anteri*, *Fabiani*, poſt cujus obitum cathedra aliquantiſper vacavit, *Cornelii I*, *Lucii I*, *Stephani I*, ſub quo de rebaptizandis eis, qui 129.
ab hæreticis fuerant baptizati, controverſia in nervum erupit, & quem affectati in Epiſcopos reliquos principatus Noſter inſimulat, *Sixti II*, *Dionyſii*, *Felicis I*, *Eutychiani* Italica origine. Epiſtolæ decretales, quibus nomen eorum fuit præfixum, ſunt ſuppoſititiæ. Decreta, quæ ipſi ſanxiſſe traduntur, ſunt efficta. Mortes eorum, martyrio plenæ, teſtimoniis veterum nequeunt comprobari. *Capite tertio* Autor de ſtatu hierarchiæ expoſuit, ratus, Seculo III Epiſcopos Presbyteris antecelluiſſe & autoritate & potentia ac prin- 135.
cipatu. *Cyprianus*, ut oſtenderet unitatem eccleſiæ, in ſenſus incurrentis, docuit, eccleſiam ſuper *Petrum* eſſe fundatam, *Epiſt*. 73, ſingulis Epiſcopis eandem autoritatem largitus, licet Romano Pontifici principatum ordinis, non jurisdictionis, 136.
attribuere haud fuerit dedignatus. Ipſe, unicum in eccleſia dari Epiſcopatum, docuit, qui in concordiam Epiſcoporum, eadem ſentientium, reſolvatur, ſiquidem unicus duntaxat ſit grex Chriſti. Si argumenta expenderis, quibus id *Cyprianus* ſeſe confecturum credidit, ea deſtinationem fallere, ſcopoque excidere, haud difficulter animadvertas. Eadem ratione *Cyprianus* exiſtimavit, unicam duntaxat dari eccleſiam adſpectabilem, qua contineantur ſinguli externi conſpicuique 137.
cœtus ſacri. Quæ de eccleſia Chriſti minus conſpicua in



Digitized by Google

Novi Teſtamenti tabulis leguntur, *Cyprianus* ad unitatem
eccleſiæ externæ ſtabiliendam traxit. Quare *Origenes*, eadem
ſentiens, ac *Cyprianus* hierarchiæ eccleſiaſticæ ſemina & fun-
damenta prima protulerunt, quibus Romana deinceps eccleſia
complexum poteſtatis ſuæ ſuperſtruxit. *Eccleſia* adhuc nota-
vit quidem *omnium Chriſtianorum multitudinem*, ſed *Cypria-
nus* addidit, eam Epiſcopo eſſe debere ſubjectam & adhæ-
Pag. 138. rentem. Eum enim, qui Epiſcopo haud obſequebatur, ab
eccleſia extorrem eſſe credebat. Unum Epiſcopum alteri eſſe
obnoxium, vel ad rationem alii, ac Deo, reddendam obſtri-
141. ctum, *Cyprianus* negavit. Literas, quæ *Formatæ* diceban-
tur, Autor habet pro eis, quæ ſcriptura, literæ ductu, ge-
nere papiri, inſcriptionisque formula, potuerint diſtingui ab
143. aliis cœtibus, Deo ſacratis. Literas *communicatorias*, *pacifi-
cas*, *paſchales*, quibus dies celebrandi Paſchatis ab Epiſcopo
Alexandrino proximis Epiſcopis & per hos aliis rurſum de-
nuntiabatur, *commendatorias*, *dimiſſorias*que, explanat idem.
147. Nec omittit ſignificare, Seculo tertio viros, gregis divini do-
ctores, dictos fuiſſe *Clerum*, *Clericos*que, ſchema Leviticum
fuiſſe propugnatum, ſacrificia proprie dicta Clericis fuiſſe at-
tributa, *Laicos* vilipendio fuiſſe affectos, quippe inter quos
148. pœnæ loco illi in ſacris conſiſtere debuerint, qui ab hæreti-
cis fuerant Epiſcopis ordinati. De Epiſcopis, Presbyteris,
150 ſeq. Diaconis, ac recens inventis hominibus, Subdiacono, Le-
ctore, Acolutho, Exorciſta, & Oſtiario, idem diſtincte com-
mentatur, ſuſpicatus, per *Clero proximos Cypriani* intelligen-
da eſſe *Seminaria theologica*. De prærogativis & autoritate
154 ſeq. Epiſcoporum copioſius pro ejus ætatis natura exponit Vir Il-
luſtris. Hi enim clavem ſolventem & ligantem ſingulari &
eminenti ſenſu, immo jus gladii ſpiritualis, id eſt, poteſtatem
immorigeros ſibi ex eccleſia ejiciendi, ſibi attribuebant. *Cy-
prianus*, ſalutem hominum a valida Epiſcopi electione pen-
dere, ac electionem illam pondus a vitæ ejus illibata purita-
157. te trahere, ſibi perſuaſerat. Epiſcopis olim ſingulis ſingulas
paruiſſe parochias, idem commemoravit, ratus, Epiſcopos
non niſi Deo ſubeſſe. In pagis habitaſſe Epiſcopos, Noſter

collocat

Digitized by Google

collocat extra dubitationem. Presbyteri, abſente Epiſcopo, ea obierunt ac perfecerunt omnia, quæ ipſe ſolebat coram curare & agere, teſtibus *Firmiliano* apud *Cyprianum Epiſt.* 75, & Pag. 160.
*Cypriano* ipſo *Epiſt.* 5, 6. Præſentibus Epiſcopis, Presbyterorum erat, nutum epiſcopalem ſequi. Presbyterorum alii docebant gregem ſacrum, alii, ut ſingula ordine curarentur, providebant. Epiſcopi Presbyterorum ſuorum conſilia ſæpius 163.
exquirebant in conſeſſu, qui *presbyterium* appellabatur. Diaconi ſolebant vocari *Levitæ* ab eis, qui Epiſcopis ac Presbyteris nomen *ſacerdotum* imponebant. Diaconi vicem lectorum ſuſtinuere, ac vinum conſecratum præbuerunt bibendum, ex arbitrio Epiſcopi baptizarunt alios, ac, urgente neceſſitatis telo, abſente Presbytero, eis, qui in gradibus pœnitentiæ profecerant, graviterque ægrotabant, interventu impoſitæ manus aperiebant reddebantque reconciliationem & commercium cum eccleſia. Ipſi eleemoſynaria dona diſtribuebant 164.
egenis, vinctis & captivis ſuppeditabant adminicula, ab eccleſiis collecta, fidelibus varias doctrinas impertiebant, ac conſilia ſubminiſtrabant. Sacerdotium eis haud tribuitur, ad ſacrificandum haud admiſſis. *Archidiaconis* Seculum tertium caruit. *Hypodiaconorum* contra frequens fit mentio. *Lectorum* 166.
primus meminit *Tertullianus*. *Catechetarum* peculiaris haud exſtitit ordo, ſiquidem e Presbyteris, vel Diaconis, optimum quemque & aptiſſimum Epiſcopum infirmioribus inſtituendis deſtinavit. *Acoluthos* memorat *Cyprianus*, Græcis & poſthæc 169.
diu incognitos. Ipſorum fuit, captivis Chriſtianis ea, quibus viverent, alimenta perferre, ac literas ultro citroque portare. *Exorciſmi* formulæ aberant a recens baptizatis. Exorciſmum exercebant & Clerici & Laici, quotquot ea dote ac virtute divinam per gratiam erant inſtructi. Chariſmate ſenſim exſtincto, *Exorciſtarum* peculiaris exſtitit ordo, qui catechumenos elementis doctrinæ cœleſtis imbuerunt, ac fortaſſis, ab eis, dum baptizati fuere, cacodæmonem profligaturos ſeſe, crediderunt. In literis *Cornelii*, quarum *Euſebius Hiſt. Eccleſ. VI*, 43, partem conſervavit, fit de *Oſtiariis* mentio. *Cyprianus* eos ignorat. Canones Apoſtolici *Cantores* me- 171.

U 2 morant,

Digitized by Google

morant, quos tamen ubique fuiſſe rebus ſacris obeundis adhibitos, probabile non eſt. *Notariorum*, qui & Exceptores, Οξυγράφοι, Ταχυγράφοι, dicti, non una videntur fuiſſe munia. *Cyprianus* aluit unum, *Ambroſius*que *Origeni* quen-
Pag. 173. dam adſcivit. Literas ab una ad alteram eccleſiam tulerunt
176. Diaconi, Subdiaconi, Confeſſores, alii. *Diaconiſſæ* erant ſenes, vel viduæ, vel cœlibes, a docendo excluſæ. Uxores Epiſcoporum *Epiſcopiſſæ*, Presbyterorum *Presbyteriſſæ*, Diaconorum *Diaconiſſæ*, dictæ. Viduæ ſenes, uno marito orbatæ, certis muniis deſtinatæ, audierunt *Presbytides*. Concilii Laodiceni Canone XI ipſæ memorantur. Virgines ſanctæ cœlibesque elogiis ornatæ. *Monaſteria* earum nondum erant nota. Grex univerſus *eligebat* Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos,
181. niſi extraordinarii quiddam incideret. *Paulus Thebæus* fuit anachoreta, ſed minime ſtilo ætatis noſtræ. Virgines, quæ perpetuam voverant virginitatem, commercia aliorum hominum non abhorrebant. Vota illa poterant tolli & revocari.
180. Precibus ipſarum alii aliæque ſeſe commendarunt. Electionem ſequebatur ordinatio, quam Epiſcopus impoſitione manus ad modum Apoſtolorum perficiebat, quibus credidit ſeſe
188. ſucceſſiſſe. *Ordinatio*, ab orthodoxo Epiſcopo peracta, non debuit iterari, quo ipſo via ad doctrinam de charactere ſacer-
191. dotum indelebili fuit ſtrata. Ambire & expetere munus eccleſiaſticum haud licuit. Ambitus crimen faſtidiri ſolitum. *Translationes* perſonarum eccleſiaſticarum ab una eccleſia ad
193. alteram non niſi ſuadente neceſſitate permittebantur. Clerici haud dignoſcebantur peculiari *veſtitu;* nonnulli pallium phi-
195. loſophicum geſtarunt. *Baronius*, ab Autore ſecus ſtatuens, merito refutatur. *Matrimonia Clericorum* ſatis erant frequentia, licet eorum cœlibatus prædicaretur. *Nuptiis ſecundis* qui ſeſe addixerant, negotiorum eccleſiaſticorum partem non
200. poterant ſuſcipere. Epiſcoporum autoritas cœpit ſplendore
203. urbis, cui ipſi præſidebant, æſtimari. *Clerici Romæ* habebantur eximii ac ſingularis pretii. Epiſcopi tamen adhuc pro paribus reputati. Sacerdotibus cœpit *ſacrificatio* proprii ſen-
213. ſus adſcribi. Cenſuræ & proſcriptiones eccleſiaſticæ creve-

runt

Digitized by Google

rant & numero & autoritate. De ſuſpenſione & depoſitione Clericorum quæ ſolide diſſeruit Ill. Autor, cum eis, quæ ſequuntur, in compendium redigere, nobis non eſt integrum. Ex fimbria exhibita de texto judicare licebit Lectori. *Capite quarto* exponitur de locis temporibusque ſacris, *quinto* de cultu religionis externo, *ſexto* de baptiſmo, *ſeptimo* de Agapis, ſacra cœna, & pœnitentia, *octavo* de excommunicatione & pœnitentia graviſſima, *nono* de bonis eccleſiaſticis, *decimo* de judiciis eccleſiaſticis & Conciliis, *undecimo* de hæreſibus, *duodecimo* de perſecutionibus, *decimo tertio* de ſtatu conjugali & domeſtico, *decimo quarto* de cura pro ægrotis & defunctis, *decimo quinto* de ſtatu Judæorum & gentium. Sequuntur addenda, & Index, longe elaboratiſſimus, qui aliis exempli loco eſſe poſſit. Lubet ex capitibus, quæ ſummatim deſignavimus, ea, quæ nobis videntur quam maxime ſingularia, decerpere, ut aliorum vel ſuffragia tentemus, vel diligentiam acuamus, & ad argumenta nonnulla penitius perpendenda accendamus. Diviſionem provinciarum politicam fuiſſe anſam,
ut Epiſcopi urbium primariarum Epiſcopos urbium minorum Pag. 205
ad nutum ſuum ac arbitrium converterent, ſolide Autor demonſtrat. seq.
Huic certe ſeculo natales illius epiſcopalis parochiarum determinationis debentur, licet *Orlendius* haud vereatur, eam ab ortu Chriſtianæ doctrinæ derivare. An tem-
pla plane ſeparata, morem hujus ætatis referentia, Chriſtianis 229 ſeq.
fuerint Seculo tertio, ipſe copioſe diſquirit, ac ad quæſtionem reſpondet negando, ſolide excuſſis *Ciampini* ac aliorum argumentis. Poſt *Decianam* perſecutionem in domibus deſignatis certisque Epiſcoporum ac ditiorum acti fuerunt conventus ſacri. Domus hæ non erant diverſæ ab aliis ædibus privatorum. Templa publica, Romanis ſimilia, deerant Chriſtianis uſque ad Seculi hujus limen & decurſum ex-
euntem. In cœmeteriis ipſi coire conſueverant, id eſt, in 237.
ſpecubus & antris, in quibus defunctos ſuos terræ mandarant. Noctu & clanculum conveniebant, ſacris operaturi, fervente inſectationum æſtu; auram tolerabiliorem nacti, halcyoniisque
recreati, interdiu coibant. *Conventiculorum* nomen honeſtum 239.
hiſce



Digitized by Google

hiſce conventibus attributum. Diem dominicum, hebdoma-
dam magnam, ſabbatum paſchæ inſtanti proximum, diem pa-
raſceves, vigilias paſchæ, feſtum paſchale, pentecoſten, Mar-
tyrum dies emortuales, ſolennius ipſi celebrarunt. De na-
Pag. 245. tivitatis Chriſti die res eſt in incerto. Jejunia, alias frequen-
tiora, ceſſarunt diebus ſabbati, ſolis, eisque, qui Paſcha in-
ter & Pentecoſten intercedunt. Quadrageſimale jejunium a
248. 40 horis potius, quam diebus, dictum. Libertas Chriſtiana in
jejuniis obſervata. *Stationes* dicebantur, quando nonnulli die
Mercurii & Veneris ad horam tertiam pomeridianam mane-
252 ſeq. bant impranſi. Formulas precum determinatas jam tum in
cultu publico præter orationem dominicam exſtitiſſe, Autor
inficiatur, ratus, Epiſcopos, Presbyteros, & Chriſtianos, pre-
ces extemporales & ex animo expreſſas amaſſe. *Proceſſiones*
deſignabant precum obſervationes, procedendo recitatarum,
254. quibus ſeſe exonerabant ii, qui ſtationibus erant perfuncti.
256. Deum unum ac trinum nemo non coluit. Angelos, cœlites-
que & ſanctos, nemo invocavit, vel adoravit. Crux, admo-
dum frequens ſignum, viſa habere vires ſingulares, nempe
in animo eorum & devotione, quibus ea uti placuit. Ho-
ræ ſtatæ cultui publico nondum ſemper præſtitutæ, niſi intra
ædes privatæ religionis. Lectio Sacræ Scripturæ frequenta-
ta, cantilenæ *Davidicæ* decantatæ, *homiliæ* & *allocutiones* ad
260. populum expromtæ a ſedentibus. Epiſcopi laicis nonnun-
quam permittebant poteſtatem docendi cœtum publice con-
gregatum. Dona, a coeuntibus pro arbitrio collata, cedebant
inſpectioni Epiſcoporum, eisque abſentibus curæ Presbytero-
rum, ut inde agapæ & ſacra cœna adminiſtrarentur, & egeni
265. reficerentur. Nomina eorum, qui munera obtulerant gratui-
ta vel ſuo, vel defunctorum, nomine, publice recitabantur.
Miſſæ Pontificiorum nondum auditæ. Nomina defunctorum,
qui in fide Chriſtiana de vita deceſſerunt, publice recitata ad
266. diem, quo obierant, & quo alii nomina eorum obtulerant, id
eſt, nomine ipſorum munera ad menſam ſacram adduxerant.
Pro eorum ſalute oravit Deum nemo. Pro Martyribus eadem
ratione oblatum, quos nemo non ad amplexus & glorioſam

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti in cœlis præſentiam acceſſiſſe affirmabat. De repe-
titione baptiſmi variæ ſententiæ fuerunt agitatæ, quæ penes Pag. 270
Autorem copioſe poſſunt legi. Chriſma baptiſmo adjectum ſeq.
pro neceſſaria acceſſione. Pædobaptiſmus ubique floruit, ac 272 ſeq.
objectiones eorum, qui contra ſenſerunt, infirmiores viſæ.
*Baptiſmum neceſſitatis* conferre licebat viris, fœminis haud 281.
æque. An baptizati ſimul nomina fuerint indepti, haud adeo
certum. Ea, quæ ad conficiendas agapas & ſacræ cœnæ epu- 286.
las in menſam ſacram offerebantur, dicta fuerunt *ſacrificia* ra-
tione laicorum potiſſime. Ii ſinguli, qui ſacra cœna uteban-
tur, vocabantur *ſacrificantes*. *Sacrificia dominica* vocaban- 288.
tur panis & vinum in uſu ſacræ euchariſtiæ, quia hiſce ſym-
bolis ſumtis ſacrificium paſſionis mortisque Chriſti repræſen-
tetur ac repetatur. Menſæ ſacræ vocabantur aræ & altaria,
ſchemate Levitico, quod inprimis *Cyprianus* urgebat, ita
exigente. De ritu *offerendi nomina* Ill. Autor diſtincte ſo- 290.
lideque exponit. De tempore celebratæ euchariſtiæ, de 293.
conſecratione ſymbolorum, de uſu orationis dominicæ, ac
hiſtoria inſtitutionis ſacræ cœnæ, copioſe differit, de-
monſtrans, eccleſiam tunc ignoraſſe dogma tranſſubſtantia- 296 ſeq.
tionis, ratam, panem & vinum precibus & gratiarum actione
conſecratum manere panem & vinum, quod comprobat ex
*Origene ad Matth. XV*, Autore apud *Cyprianum de Cœna Do-* 297.
*mini*, ac *Cypriani Epiſtola 63*. Symbola euchariſtica tunc ad-
oravit nemo. Panis euchariſticus probabiliter fractus, & ita
diſtributus fuit; vinum aqua temperatum. A jejunis æque
ac pranſis ſacra cœna adhibita, ab univerſis quidem ſub ſpe-
cie utraque. Ægrotis ac infantibus datus panis conſecratus, 299.
vino imbutus. Laicis, urgente neceſſitatis momento, per-
miſſum, ſacram aliis adminiſtrare cœnam, fœminis haud æque, 302.
ſed ſpecies utraque jam ab Epiſcopo, ſeu Presbytero, erat con-
ſecrata, quam domum ſecum ferre, ac ob inſtantia periculo-
ſiora tempora aſſervare, ſolebant. Infantibus ſacra cœna data,
ſimul ac fuerant ſacro fonte tincti, ut in communione ſancto-
rum verſarentur, hæredesque vitæ ſempiternæ conſtituerentur.
Utraque eis præbita ſpecies. Diſciplina arcani in ritibus non- 305.
nullis

Digitized by Google

nullis viguit, verum doctrinæ ipſæ neminem celatæ, [illegible] ca-
Pag. 307 techumenis haud initio proponerentur, vel inſtillarentur, my-
ſeq. ſteria, ſed cibi facilioris alimenta. Qui ſecus ſtatuunt, eluſum eunt argumenta, quibus ipſorum religio arguitur convinciturque immutationis ac novitatis. Confeſſio auricularis, & abſolutio a peccatis, quam miniſter eccleſiæ vice Dei impertit confeſſis pœnitentibusque, Seculo tertio nondum audita, quo exiſtimabatur ſolus Deus male actorum facere gra-
309. tiam, ac Epiſcopus, vel Presbyter, nomine eccleſiæ impertiit eis remiſſionem peccatorum, qui eccleſiæ pravis exemplis fuerant offendiculo, & ad frugem redierant bonam. Presbyter pœnitentiarum Conſtantinopolitanus non ad ſtantes, ſed ad lapſos, ac pœnitentiam male actorum præ ſe ferentes, perti-
311. nuit. Eum fuiſſe ſublatum, imperante *Theodoſio I*, ſatis conſtat. Ante ſacræ cœnæ uſum quotidianum confeſſionem peccatorum a ſtantibus haud editam, Noſter it demonſtratum.
312. Abſolvi credebantur homines a peccato per baptiſmum, per martyrium, veluti baptiſmum ſanguineum, per eleemoſynas, per condonationem peccati inter fratres mutuam, per emendationem vitæ, per exercitia operum bonorum, per pœnitentiam ſeveram, autore Deo. Qui in diſciplinam eccleſiaſticam, qua actiones externæ dirigi ſolitæ, peccaverat, a juribus cœtus ſacri remotus, & a communione excluſus fuit, nec receptus, donec eccleſiæ ſuam teſtatus fuiſſet ac approbaſſet pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem, cujus interventu *merebatur*, id eſt, conſequebatur remiſſionem peccatorum ab eccleſia, ac in communionis uſum recipiebatur. In ejectione & ſegrega-
317 ſeq. tione hac Epiſcopi ſuum *jus gladii* poſitum eſſe credide-
320 ſeq. runt, ſæpius eo abuſi. *Philippum* Cæſarem Chriſtiano cœtui ſeſe aggregaſſe, ac excommunicationis ſententiam pertuliſſe, Autor merito inficiatur. Reliqua legantur apud Autorem, qui veteres recuſat ad modulos noſtræ ætatis interpretari, ſed Hiſtorici menſuram fidemque, licet haud queat uſquequaque ſectatoribus certorum rituum probari, implere ſtudet. De confeſſione peccatorum denuo commentatur *pag. 341 ſeq.* Bona eccleſiæ conſtiterunt tum ex oblatis, primitiis præcipue, decimis,

aliisque

Digitized by Google

aliisque libere donatis, quæ aſſervabat Epiſcopus, ut inde Clerici ſtipendia obtinerent laboriſque mercedem, egeni ſolatia, captivi alimenta. Eleemoſynis expiari peccata, crediderunt plerique, quod omnino de pœnis temporalibus valet. Pag. 347.
*Paulus Samoſatenſis*, primus judicium & tribunal ſibi vindicare auſus in modum magiſtratus civilis, eam ob cauſam munere ſuo fuit exutus. Epiſcopi ex compromiſſo primum lites dirimere ſolebant, exeunte ſeculo, tribunalia & judicia ſibi tribuenda, arbitrati. Synodorum recenſionem hiſce ſubjunxit 351 ſeq.
Autor. Qui Epiſcopo & Presbyterio minus gerere morem 358 ſeq.
viſus, facillime Schiſmatici, vel Hæretici, notam incurrit. Schiſmaticis nomen *fratris* datum, eiſque *Novatus* & *Novatianus* adſcribendi, quos Noſter ex hæreticorum albo expunxit. *Cypriani* opinionem de rebaptizandis eis, qui ab hæreticis fuere baptizati, refellere non poſſunt ii, qui, nullam dari remiſſionis peccatorum gratiam, exiſtimant, extra eccleſiæ ſuæ externæ ſepem, & eam ob rationem *Auguſtinus* neſciit, quomodo 397.
*Cyprianum* refelleret ſolide. Quæ enim affert adverſus fidem Epiſtolarum *Cypriani*, ea ſua ruunt infirmitate. *Firmiliani* epiſtolam, *Joannes Clericus*, a *Cypriano* fuiſſe ad arbitrium 398.
ſuum elicitam, ſibi perſuaſit, quem Noſter aſſectatur. Quam vellemus, ipſe vidiſſet ac refelliſſet ſcriptorem nuperum, qui *Firmiliani* literas pro ſuppoſititiis nobis venditare, remis veliſque allaboravit. Gnoſticos Philoſophis ſectæ cujuſdam 400.
*Platonicæ* Noſter adjungit, qui ad dogmata ſua illuſtranda ſacras ſubinde literas adhibuerint. *Noëti* ſententias erroneas non ſatis innotuiſſe, tradit. De *Artemone* omnia fere ignorari, demonſtrat. Valeſiani ab *Epiphanio* memorantur, 403.
quos ortos eſſe in *Dacatha*, vico Arabiæ juxta Philadelphiam, ille memoriæ prodidit. Hoſce Autor credit nusquam exſtitiſſe. Animadvertimus obiter, legendum eſſe apud *Epiphanium Bacatha*, non *Dacatha*. Vid. *Hadriani Relandi Palæſtina Lib. III pag. 612. Sabellium*, Autor ſuſpicatur, noluiſſe tres 408.
in una Dei eſſentia admittere *hypoſtaſes*, ne in polytheiſmum prolaberetur, & inde exſtitiſſe diriſſimam logomachiam.

Pag. 412. *Paulus Samoſatenus* ei videtur docuiſſe, Chriſtum eſſe nudum hominem, viribus divinis inſtructum, de reliquo arrogan-
416. tiam & faſtum amaſſe. Chiliaſmum Seculo tertio plurimi doctores impune docuerunt. De *Mane* & Manichæiſmo, *Beauſobrium* ſecutus, fuſe diſputat, ejusque doctrinam genuinam plane exequitur. Ubi de hæreticis certa nos literarum monumenta deſtituunt, ipſe pronuntiat in gratiam reorum. Si qui paucula ſuffragiis ſuis indigna cenſuerint, eis tamen pleraque non poſſunt non eſſe ad palatum. Univerſa tractatio exquiſitam ſpirat diligentiam, lucernamque olet, Criticum demonſtrat, ingenio ſectario minus reſpondet, at Hiſtoricum præfert, qui in hac parte homines de eccleſia verbis in factum temperatis ita delineat, ut ordinem eccleſiaſticum dimittat intactum, nævos & vitia temporis nonnullorumque hominum labeculas candide, licet modeſte, notet & deſcribat. Noſtrum eſt, adjicere illud unicum: *Plaudite.*

## *OPERIS DE FLUXIONIBUS, A CEL. MAC-LAURINO editi, Recenſio continuata.*

Subſtitimus nuper in fine *primi Voluminis*: *Alterum* hujus egregii Operis *Volumen* incipit a *Capite XII*, cujus triplex eſt argumentum. Scilicet primo oſtendit doctiſſimus Autor harmoniam methodi infiniteſimalium & methodi fluxionum, cujus certitudinem, per ſingulas ejus partes eundo, evidentiſſimis demonſtrationibus hactenus evicit. Conſiſtit autem illa harmonia in hoc, quod quantitatum variabilium differentialia, ſeu elementa infinite parva, ſint præciſe in eadem ratione, in qua ſunt earundem fluxiones. Nam, ſi magnitudo variabilis uniformiter fluit, fluxio ejus exponitur & menſuratur incremento, vel decremento, quod dato tempore gignitur; &, ſi magnitudo motu variato fluit, incrementum ejus, dato tempore genitum, in duas partes, uti ex ſuperioribus conſtat, diſtinguendum eſt, quarum altera fuiſſet genita, ſi per datum tempus motus generans uniformis fuiſſet, altera autem accelerationi, vel retardationi, motus debeatur, &

hac

hac parte rejecta, illa ſola exponit fluxionem magnitudinis variabilis. Jam in hypotheſi incrementorum infinite parvorum accidit, quod hic ab Autore generatim oſtenditur, ut ea pars incrementi, quæ ſecundum methodum fluxionum rejicienda eſt, altera parte infinities minor ſit. Hinc vera elucet ratio, cur in expreſſione elementi is terminus, qui in relatione ad reliquum ſit infinite parvus, omnino rejiciendus ſit, ut differentiale primi ordinis habeamus; & ſimul apparet, methodo infiniteſimalium ad concluſiones non prope veras, ut quibusdam viſum eſt, ſed exacte veras, perveniri. Hiſce præmiſſis, doctiſſimus Autor ad aliquas objectiones contra methodum infinite parvorum reſpondet. *Secundo* harmoniam inter methodum fluxionum, & methodum rationum primarum, vel ultimarum, incrementorum naſcentium, vel evaneſcentium, qua *Iſaacus Neutonus* frequenter uſus eſt, demonſtrat; & uſum hujus methodi inſignem ad quantitatem fluxionum brevi & expedita via definiendam pluribus exemplis propoſitionum, quæ in ſuperioribus per longiores demonſtrationes evictæ fuerant, oſtendit. *Tertium* hujus *Capitis* argumentum ſolutionibus aliquot Problematum mechanicorum abſolvitur. His quædam de motu centri gravitatis theoremata, tanquam fundamenta, ſubſternit, ſcilicet, in ſyſtemate corporum ſummam motuum in data directione æqualem eſſe corporis, quod ſummæ illorum corporum æquale, & velocitate communis centri gravitatis præditum ſit, motui ad eandem directionem reducto; & commune centrum gravitatis duorum pluriumve corporum ab actionibus eorundem in ſe mutuo, excluſis omnibus externis actionibus, non mutare ſtatum ſuum motus, vel quietis; item, ſummam motuum, juxta eandem directionem æſtimatorum, non mutari ſolis actionibus corporum in ſe mutuò. Ex his principiis deducit notas leges communicationis motus inter duo corpora, directe ſibi mutuo illiſa, tam elaſtica, quam elaſticitate deſtituta; & *Hugenii* Theorema de celeritate ultimi plurium corporum continue proportionalium, quam a primo, mediantibus reliquis, accipit. Monet autem Cel. *Maclaurinus*, eam velocitatem, etiamſi eo

major ſit, quo plura corpora in continua proportione inter primum & ultimum interponantur, nunquam tamen fieri poſſe infinitam, ſed ultimo habere ad velocitatem primi corporis rationem ſubduplicatam primi corporis ad ultimum. Eadem illa principia, eaque ſola, adhibet ad determinandum generaliter plurium corporum, in aliquo plano datis celeritatibus & directionibus incedentium, quorum unum in reliqua omnia juxta horum directiones ſimul impingit, motus poſt collíſionem; cujus paulo difficilioris Problematis caſus quosdam ſpeciales jam olim excellentiſſimus Geometra, *Jo. Bernoullius*, in eleganti Diſſertatione *ſur le Mouvement*, ſed ope Theorematis de conſervatione vis vivæ, ſolutos dedit. Autor vero, poſtquam illud Problema alia ſolverat methodo, oſtendit demum, in hujus quoque Problematis conditionibus obtinere conſervationem virium vivarum, ſeu æqualitatem ſummæ productorum ex maſſis & quadratis celeritatum tam ante, quam poſt, colliſionem; ſic enim potius, e Cel. Autoris mente, loquendum eſſet, quippe qui, ut jam ex aliis ejus ſcriptis inter Geometras conſtat, *Leibnitianæ* virium vivarum menſuræ minime eſt addictus, & in hoc ipſo hujus Operis *Capite* aliquas hujus menſuræ reprehenſiones paſſim attulit. Poſtea conſiderat motus corporum, a corpore incurrente ſimul percuſſorum, ſed juxta directiones, in quibus progredi per obſtacula externa ipſis non licet; & in hoc quoque caſu, ſi corpora ſint perfecte elaſtica, ſummam productorum ex quadratis celeritatum & maſſis ante & poſt conflictum eandem eſſe demonſtrat, licet ſumma motuum, ad eandem directionem reductorum, hoc in caſu non conſervetur. Nihilo tamen ſecius quammaxime alienus eſt ab eorum ſententia, qui conſervationem ſummæ iſtorum productorum ante & poſt conflictum pro lege motus univerſali habent. Negat, hanc legem univerſalem eſſe, propterea quod ea tantum de corporibus perfecte elaſticis valeat; & monet, plurimorum Problematum, quæ ope hujus principii ſoluta fuerunt, dari poſſe ſolutiones alias generales & directas, principiis evidentibus innixas, ſi primo corporum non elaſticorum motus determinentur, & inde definiatur,

tur,

Digitized by Google

tur, quid in hypotheſi velocitatum relativarum, ante & poſt colliſionem æqualium, vel datam rationem ad ſe invicem habentium, obtineat. Pergit ad determinandos motus corporum gravium, quæ, dum deſcendunt, in ſe mutuo vel immediate, vel mediantibus vectibus, agunt; & in ſingulis caſibus, qui ſub hoc Problemate continentur, demonſtrat hanc legem ſervari, ut ſumma productorum ex ſingulis maſſis & earum, quas reſpective ſic acquirunt, celeritatum quadratis æquetur aut ſummæ productorum ex ſingulis maſſis & quadratis reſpectivarum celeritatum, quas deſcenſu libero verticali per easdem altitudines acquirere potuiſſent, ſi omnia corpora deſcendant; aut, ſi quædam adſcendant, differentiæ inter ſummam productorum ex maſſis deſcendentibus multiplicatis per quadrata celeritatum, deſcenſui libero per easdem altitudines reſpondentium, & ſummam maſſarum adſcendentium multiplicatarum per quadrata reſpectivarum celeritatum altitudinibus, per quas adſcendunt, in libero deſcenſu debitarum. Ex his facile deducit legem *Hugenianam* de conſervatione vis adſcendentis, quod ſcilicet, ſi plura corpora celeritatibus, quas ex gravitate & mutuis in ſe invicem actionibus acquiſiverunt, iterum adſcendant, ſoluto eorum ſyſtemate, per eandem altitudinem adſcendere queat commune gravitatis centrum, per quam antea deſcenderit. Sed, etſi his poſterioribus legibus omnis generis corpora tenentur, tamen, eas pro univerſalibus habendas eſſe, quæ nonnullorum Autorum ſententia fuiſſe videtur, negat Cel. *Maclaurinus*. Supponunt enim illæ leges, mutuas corporum actiones cum ipſo deſcenſu ex gravitate initium capere; hinc, ſi grave unum jam per quoddam ſpatium lapſum eſt ante, quam in reliqua corpora agere incipit, ſeu generatim, ſi motus corpori alteri ab altero ſubito communicatur, & relativæ eorum velocitates in ſuis reſpective directionibus poſt illam actionem ſtatim minores fiunt, quam ante actionem fuerant, tunc neque ſumma productorum ex maſſis & quadratis celeritatum, neque altitudo, ad quam centrum gravitatis commune eorum corporum ſolutorum adſcendere poteſt, tanta erit, quanta per illas leges eſſe debebat:




Digitized by Google

id quod per exempla facilia & obvia hic declaratur & confirmatur. Hæc autem omnia ab Autore eo potiſſimum fine prolata ſunt, ut appareret, nullam in mechanicis doctrinam alicujus momenti obnoxiam eſſe incertitudini, in quam æſtimatio virium vivarum per lites, quæ ob illam huc uſque inter Mathematicos fuerunt, adducta eſſe videtur; & ſic redargueretur ea quoque criminatio, quam nonnulli ex hoc capite in Mathematicos conjecerunt. Pergit Cel. Autor ad tradendam theoriam de centro oſcillationis, quam, methodo *Hugenii* utens, breviter proponit. Sequitur theoria de motu aquæ ex vaſe cylindricæ, imo cujuslibet, figuræ, per foramen in fundo effluentis; quod difficilius argumentum ſatis copioſe duplici modo pertractat, primo adhibens cataractam *Neutonianam*, (quo ipſo totam *Neutoni* methodum in *Princip. Phil. Nat. Lib. II Pr. XXXVI* præclare illuſtrat,) deinde in auxilium vocans principium de conſervatione virium vivarum, & methodum Cel. *Danielis Bernoullii* in *Comment. Petropol. Tom. II* imitatus, qui, ex Autoris ſententia, primus recte docuit modum, quo motus aquæ, ex aliquo vaſe effluentis, acceleratur. Hac theoria abſoluta, quasdam generales obſervationes in argumenta *Capitis X* & *XI* ſuppeditat: primo aliquot propoſitiones *Capitis X* brevius per methodum limitum rationum demonſtrans, & his nonnulla theoremata de angulo contactus & curvatura in lineis curvis adjiciens; poſthæc nonnullas generales, & ſibi mutuo valde affines, proprietates trajectoriarum, curvæ celerrimi deſcenſus, catenariæ, & curvæ, quam mobile breviori tempore, quam aliam iſoperimetricam & inter eadem extrema contentam, deſcribere poteſt, exponens. Sed, ut de variorum horum argumentorum tractatione plura dicamus, non permittit recenſendi brevitas; tranſeamus potius ad ſequens *Caput*, in quo multa ſe nobis offerunt notatu digniſſima. In hoc enim *XIII Capite* celebratiſſima inter Mathematicos Problemata novis, iisque elegantiſſimis, methodis ſoluta videmus. Celeberrima ſunt Problemata de curvis, quæ maximum minimumve producunt, quibus ſub initium hujus Seculi principes Geometrarum magno animi ardore operam de-

derunt,

Digitized by Google

detunt; & conſtat, illos ita inſtruxiſſe plerorumque hujus generis Problematum analyſes, ut ad differentialia ſecundi tertiive ordinis ipſis deveniendum eſſet, elemento curvæ in duas, vel tres, partes infinite parvas reſoluto. Hoc autem in loco Cel. *Maclaurinus* ejusmodi methodos exhibet, quæ in fluxionibus primi ordinis ſubſiſtere permittunt, & una ſyntheticas




ſolvit eadem methodo, & ſimilem dat Problematis de ſolido minimæ reſiſtentiæ analyſin. Dignitas rei exigere videtur, ut earum methodorum, quæ a ſe invicem parum diſcrepant, ſpecimen quoddam Lectoribus noſtris exhibeamus. Quem in finem huc tranſcribemus analyſin ſecundi Problematis iſoperimetrici generalis. Præmittitur lemma: Datis puncto *A*, rectaque *AG* poſitione, rectis autem *AE*, *b* & *u* magnitudine, ducatur in *AG* perpendicularis *EK*; &, ſi tangens anguli *AEK* TAB. II Fig. 1.

fuerit

id quod per exempla facilia & obvia hic declaratur & confirmatur. Hæc autem omnia ab Autore eo potiſſimum fine prolata ſunt, ut appareret, nullam in mechanicis doctrinam alicujus momenti obnoxiam eſſe incertitudini, in quam æſtimatio virium vivarum per lites, quæ ob illam huc uſque inter Mathematicos fuerunt, adducta eſſe videtur; & ſic redargueretur eo quoque [illegible]

[illegible] ut de variorum horum argumentorum tractatione plura dicamus, non permittit recenſendi brevitas; tranſeamus potius ad ſequens *Caput,* in quo multa ſe nobis offerunt notatu digniſſima. In hoc enim *XIII Capite* celebratiſſima inter Mathematicos Problemata novis, iisque elegantiſſimis, methodis ſoluta videmus. Celeberrima ſunt Problemata de curvis, quæ maximum minimumve producunt, quibus ſub initium hujus Seculi principes Geometrarum magno animi ardore operam dederunt;

derunt; & conſtat, illos ita inſtruxiſſe plerorumque hujus generis Problematum analyſes, ut ad differentialia ſecundi tertiive ordinis ipſis deveniendum eſſet, elemento curvæ in duas, vel tres, partes infinite parvas reſoluto. Hoc autem in loco Cel. *Maclaurinus* ejusmodi methodos exhibet, quæ in fluxionibus primi ordinis ſubſiſtere permittunt, & una ſyntheticas ſolutionum demonſtrationes facile ſuppeditant. Ordo, quem in hiſce Problematibus tractandis tenet, hic fere eſt. Principio methodo directa tradit analyſin Problematis de linea brachyſtochrona, primo poſita gravitate uniformi, & in directionibus parallelis agente, ſecundo in hypotheſi gravitatis, ad datum centrum tendentis. Utriusque caſus ſolutiones ſyntheticis demonſtrationibus confirmat. Porro ſolvit Problema de linea brachyſtochrona datæ longitudinis, in quacunque gravitatis hypotheſi invenienda. Poſthæc omnia iſoperimetrica Problemata ad duo generalia revocat, quorum primum eſt: Inter omnes curvas, æquales perimetros habentes, per data duo puncta tranſeuntes, invenire eam, quæ producat maximam minimamve aream, ſi ſuper ejusdem curvæ abſciſſis erigantur ordinatæ, quæ ſint quibusvis functionibus ordinatarum curvæ quæſitæ æquales; ſecundum: Inter omnes curvas ejusdem longitudinis, & data duo puncta pro terminis habentes, eam invenire, quæ producat curvam maximæ minimæve areæ, poſito, quod ordinatæ hujus curvæ exprimant functiones arcuum curvæ quæſitæ. Utriusque horum duorum Problematum analyſes ſeorſim tradit, non niſi primi ordinis fluxionibus utens; ſolutionem prioris Problematis ſynthetice demonſtrat, denique idem Problema, magis univerſaliter conceptum, ſolvit eadem methodo, & ſimilem dat Problematis de ſolido minimæ reſiſtentiæ analyſin. Dignitas rei exigere videtur, ut earum methodorum, quæ a ſe invicem parum diſcrepant, ſpecimen quoddam Lectoribus noſtris exhibeamus. Quem in finem huc tranſcribemus analyſin ſecundi Problematis iſoperimetrici generalis. Præmittitur lemma: *Datis puncto $A$, rectaque $AG$ poſitione, rectis autem $AE$, $b$ & $u$ magnitudine, ducatur in $AG$ perpendicularis $EK$; &, ſi tangens anguli $AEK$* TAB. II Fig. 1.

fuerit

fuerit ad ſinum totum, ſicut $u$ ad $b$, erit $EK \times b + AK \times u$ maximum. Quod lemma ſic demonſtratur. Centro $A$ intervallo $AE$ deſcriptus ſit circulus, rectam $AG$ ſecans in $G$. Erigatur $Gg$ perpendicularis in $AG$, ſic, ut $Gg$, $KE$, ſint ad diverſas partes rectæ $AG$. Ponatur $Gg : AG = u : b$, & jungatur $Ag$, quæ ergo data erit poſitione. Huic $Ag$ producta $EK$ occurrat in $O$. Et, cum ſit $KO : AK = gG : GA$, erit $AK \times u = KO \times b$, ideoque $EK \times b + AK \times u = EO \times b$, quod rectangulum ſit maximum, ubi $EO$ eſt maxima. Tunc autem maxima eſt $EO$, cum tangens circulum $ET$ parallela eſt rectæ $Ag$, ſeu cum angulus $EAg$ rectus eſt. Ergo, ſi fuerit $AK$ tangens anguli $AEK$ ad ſinum totum $EK$, ut $u$ ad $b$, erit $AK \times u + EK \times b$ maximum. Similiter apparet, datis magnitudine rectis $Ee$ & $v$, & ducta $ek$ perpendiculari ad $AG$, fore $ek \times b + AK \times u + Kk \times v$ maximum, ubi tangens anguli $AEK$ ad ſinum totum fuerit, uti $u$ ad $b$, & ſimul tangens anguli [illegible]$k$ ad ſinum totum, uti $v$ ad $b$. Nam in hoc caſu $AK \times u + EK \times b$ maximum eſt; &, ducta $Em$ ad $AG$ parallela, $Em \times u + em \times b$ etiam eſt maximum. Hinc univerſaliter, ſi rectæ quotcunque $AE$, $Ee$, $ef$, $fD$, magnitudine datæ, ita juxta ſe diſponantur, ut, ductis in datam poſitione rectam $AG$ perpendiculis $EK$, $ek$, $fl$, $DL$, & in his ſumtis partibus $Ku$, $kv$, $lx$, $Lz$ datis totidem rectis æqualibus, ſint tangentes angulorum $AEK$, $Eek$, $efl$, $fDL$, reſpective æquales rectis $Ku$, $kv$, $lx$, $Lz$, poſito ſinu toto $= b$: completis parallelogrammis $AruK$, $Ksvk$, $klxt$, $lLzy$, erit ſumma rectanguli $LD \times b$, & areæ $Arusvtxyz L$ major, quam in alio quovis ſitu rectarum $AE$, $Ee$, $ef$, $fD$.

TAB. II Fig. 2. Sint nunc $AEDL$ & $ABMIL$ duæ figuræ curvilineæ, ad communem axem $AL$ conſtitutæ, & ſint $PE$, $PM$, duæ ordinatæ in directum poſitæ, quarum hæc $PM$ ſit data functio arcus $AE$, ſitque ubique in curva $AED$ anguli $AEP$ tangens ad ſinum totum $= PM : b$. Fac, $Aed$ aliam eſſe lineam æqualem ipſi $AED$, & arcum $Ae = AE$, & ducta ubique recta $epm$ ad $DL$ parallela, quæ $AL$ ſecet in $p$, fiat ſemper $pm = PM$, ex quo generetur area $ABmil$: ergo, per modo oſtenſa, erit $DL \times b$

$+ ABMIL$

Digitized by Google

$+ABMIL$ ſemper major, quam $dl \times b + ABmil$. Quare, ſi ſit $dl = DL$, erit area $ABMIL$ major, quam $ABmil$. Et coincidentibus $d$ & $D$, $il$ & $IL$, ſumtaque $AH$ datæ magnitudinis in $AB$, & ducta $HqQG$ parallela ad $AL$: area $HBMIG$, genita per ordinatam $QM$, major erit, vel minor, quam area $HBmIG$, genita per ordinatam $qm$, prout $HG$ & $AL$ vel ad eaſdem, vel ad diverſas, partes curvæ $MNI$ fuerint poſitæ. Ergo, cum ſit $QM = PM \mp AH$, apparet, lineæ $AED$, quæ inter omnes iſoperimetricas, per $A$ & $D$ tranſeuntes, det maximam minimamve aream $HBMIG$, cujus ordinatæ $QM$ determinatis functionibus arcuum $AE$ æquales ponuntur, hanc eſſe proprietatem, ut tangens anguli $AEP$ ad ſinum totum, ſeu fluxio abſciſſæ ad fluxionem ordinatæ, ſit in ratione ſummæ, vel differentiæ ordinatæ $QM$, & conſtantis $AH$, ad conſtantem $b$. Initio *Capitis XIV*, quod *Libri primi* ultimum eſt, Autor, illuſtris *Hoſpitalii* veſtigia legens, bene multas, & ad ea, quæ ſequuntur, demonſtranda utiles, proprietates ellipſis breviter demonſtrat, hancce curvam tanquam ſectionem cylindri conſiderans. Deinde aliquot Theoremata de ſectionibus conicis, nominatim de earum per data quinque puncta deſcriptione, compendioſa methodo oſtendit, quæ in hoc conſiſtit, ut illa prius de circulo evincantur, & poſtea ad ſectiones conicas transferantur, ſpectatas tanquam circuli projectiones in planum oblique poſitum per radios, e dato puncto divergentes. Reliqua hujus *Capitis* argumenta omnia tendunt ad accuratius determinandum quædam conſectaria theoriæ gravitatis *Neutonianæ*, de figuris puta planetarum, & de fluxu refluxuque maris. Et primo quidem Autor doctiſſimus brevem, ſed idoneam, tradit theoriam gravitationis verſus ſphæras & corpora ſphæroidea, in hac hypotheſi, quod particulæ eorum ſolis ipſarummet mutuis attractionibus afficiantur, & vires attractrices ſint in duplicata inverſa ratione diſtantiarum; ex qua theoria definit & directionem & magnitudinem vis, qua particula in ſuperficie ſphæroidis poſita attrahitur. Quibus præmiſſis, ponit, in omnes ſphæroidis fluidi particulas agere novas vires, in directionibus,



Digitized by Google

aut perpendicularibus axi vel plano æquatoris, aut partim parallelis axi, partim in eundem normalibus, viresque ſingulas variare in ratione diſtantiarum ab axe, vel æquatore, cui perpendiculares ſunt: & demonſtrat 1.) vim, ex attractione ſphæroidis & externis iſtis viribus compoſitam, ſemper agere in directione ſuperficiei ſphæroidis normali, 2) ſingulas columnas fluidas ſe mutuo ſuſtinere in centro ſphæroidis, 3) unamquamque ſphæroidis particulam quaquaverſus æqualiter urgeri. Ex quibus conſequitur, ſi particulæ ſphæroidis fluidi uniformiter denſi ſe mutuo attrahant viribus, quadratis diſtantiarum reciproce proportionalibus, & eædem particulæ aliis præterea viribus afficiantur, quæ aut directiones habeant vel axi, vel æquatori, perpendiculares, & in ratione diſtantiarum ab axe, vel ab æquatore, varient, aut ſaltem reſolvi poſſint in ejusmodi vires; ſit autem vis totalis in polo ad vim totalem in peripheria æquatoris, ut diameter æquatoris ad axem; fluidum fore in æquilibrio ubique, & ſuperficies ſimiles ac concentricas extremæ ſuperficiei fore horizontales in qualibet profunditate, & vires, quæ æquales particulas in illis ſuperficiebus verſus ſphæroides trahunt, exponi rectis in illas ſuperficies normalibus, & ad planum æquatoris, vel ad axem, terminatis. Ante, quam hoc theorema ad ſpecialia applicet, determinat gravitatem in polo ſphæroidis, & oſtendit, ejus menſuram requirere quadraturam hyperbolæ, ſi ſphæroides ſit oblongum, circuli vero, ſi ſit latum. Ex hac gravitate eleganter deducit gravitatem in circumferentia æquatoris, in cujuslibet paralleli peripheria, in plano æquatoris producto, & in axe producto, per formulas tam ſimplices, ut nullis novis quadraturis, vel computis, opus ſit. His peractis, demonſtrat fundamenta diverſarum methodorum determinandi rationem axis ad diametrum æquatoris in planeta uniformis denſitatis & figuræ ſphæroidis, ſed a ſphærica haud multum diſcrepantis. Si notæ eſſent gravitas verſus planetam in æquatore $D$, & vis centrifuga ibidem $V$, dictis ſemidiametro æquatoris $= b$, & rectangulo ſub ſumma & differentia ſemidiametri & ſemiaxis $= cc$, determinari poſſet quam proxime ratio

Digitized by Google

ratio inter illam diametrum & axem per hanc analogiam $cc : bb = 5V : 2D + \frac{12}{7}V$. Sed abſque obſervationibus, ſub æquatore inſtitutis, eadem ratio definiri etiam poterit, primo menſurando gradum meridiani in aliqua latitudine, & longitudinem penduli, quod ibidem dato tempore datum numerum oſcillationum abſolvit. Nam ex magnitudine gradus dimenſi innoteſcit vis centrifuga $v$ in æquatore ſphæræ, in cujus circulo maximo gradus æqualis eſſet gradui dimenſo, & quæ eodem tempore, quo planeta ille, circa axem volveretur; & longitudo penduli manifeſtat gravitatem $g$, quacum corpus in illa latitudine verſus planetam deſcendit. Dicto nunc ſinu latitudinis $s$, erit quam proxime $cc : bb = 5v : 2g + 5ssv - \frac{9}{7}v$. Secundo poteſt etiam hæc ratio $cc$ ad $bb$ erui, comparando gravitatem ſatellitis, in plano æquatoris moti, ad vim centrifugam in peripheria æquatoris planetæ. Etenim, ſi $m$ ſit exponens rationis, quam habet diſtantia ſatellitis a centro planetæ ad ſemidiametrum æquatoris, $n$ vero ſit ad unitatem in ratione compoſita ex triplicata ipſius $m$ ad 1, & ex duplicata temporis revolutionis planetæ circa proprium axem ad tempus periodicum ſatellitis; erit $cc : bb = 1 : \frac{2}{5}n - \frac{3}{10\,mn} + \frac{9}{14}$ proxime. Si ſecundum haſce duas methodos exquiritur ratio diametri telluris ad axem, adhibendo dimenſiones graduum meridiani terreſtris, a *Picarto* in Gallia, & a Cel. *Maupertuiſio* in Lapponia, factas, & lunæ diſtantiam, tempusque periodicum, omnes computi, ſecundum modo traditas regulas inſtituti, ſatis bene conſpirant in rationem diametri ad axem terræ $= 230 : 229$, a *Neutono* jam traditam. Sed præter haſce methodos dantur pro telluris dimenſione duæ aliæ, in quibus longitudines pendulorum iſochronorum, vel magnitudines graduum in meridianis, diverſis in latitudinibus obſervatæ, ſecum invicem comparantur. Si duorum iſtiusmodi pendulorum longitudines ſint $L$, $l$, & ſinus latitudinum reſpective $S$, $ſ$; erit in hypotheſi, quod tellus a ſuperficie uſque ad centrum uniformiter denſa ſit, $cc : bb = LL - ll : LLSS - ll\,ſſ$. Poſitis vero longitudinibus duorum graduum $G$ & $g$

in latitudinibus, quarum ſinus ſint $S, ſ$: erit ſemper, & ſine reſpectu ad ullam gravitatis, vel denſitatis, hypotheſin, $cc : bb = G^{\frac{2}{3}} - g^{\frac{2}{3}} : G^{\frac{2}{3}} SS - g^{\frac{2}{3}} ſſ$. Jam per haſce methodos differentia inter diametrum æquatoris & axem terræ inventa notabili exceſſu ſuperat eam, quæ illis prioribus methodis debetur. Nam ex comparatione longitudinum *pendulorum, Pellone in Lapponia & Pariſiis minuta horæ ſecunda indicantium, prodit apud Autorem $cc : bb = 1 : 102, 8$; & ex aliis ejusmodi pendulorum obſervationibus dicta ratio adhuc major colligitur. Comparatio autem graduum, ſub polari & in Gallia dimenſorum, dat $cc : bb = 1 : 89\frac{1}{3}$, adhibita Cel. *Maupertuiſii* correctione menſuræ, a *Picarto* peractæ. Cum ex hac diſcrepantia juſta enaſcatur ſuſpicio, ſatis magnam eſſe varietatem in denſitate internarum partium telluris; progreditur Cel. Autor ad tractationem hujus Problematis, quales proportiones diametri ad axem, & gravitationis in polo ad gravitationem in æquatore, e diverſis hypotheſibus denſitatis variabilis internarum partium terræ oriantur; per gravitationem intelligendo exceſſum gravitatis ſupra vim centrifugam. Ex iis, quæ hac de re ſubtiliter diſputat, elucet, 1) ſi denſitas tantum prope centrum aucta ponatur, intelligi quidem poſſe, cur gravitatio inde ab æquatore verſus polos magis creſcat, quam in caſu denſitatis uniformis, non autem, cur differentia inter diametrum & axem major ſit; 2) ſi denſitas prope centrum minor ponatur, magis quidem creſcere debere gradus in meridiano ab æquatore verſus polos, quam in ſphæroide uniformiter denſo, ſed inde non explicari poſſe majus incrementum gravitationis verſus polum; 3) eadem obtinere, ſi denſitas a ſuperficie ad centrum continue creſcere, vel decreſcere, ponatur; item ſi tellus in plures orbes ſimiles & concentricos diviſa eſſet, quorum ſinguli quidem eſſent uniformis denſitatis, ſed centro propiores altioribus denſiores; 4) ſi vero tellus fingatur ſolidum ſphæroides cavum, intus nucleum, ſive ſphæricum, ſive ſphæroidem, continens, & exterior cruſta duabus ellipticis ſuperficiebus ſimilibus terminata uniformis denſitatis, nec non gravitatio columnæ fluidæ

in

Digitized by Google

in æquatoris diametro gravitationi columnæ in axe æqualis ſupponatur; tunc explicari poſſe, cur & pondera & gradus meridiani terreſtris verſus polos magis creſcant, quam in terra uniformiter denſa. Notatione dignum videtur, hanc Telluris figuram cum ea convenire, quam dudum *Hallejus*, acus magneticæ phænomena explicaturus, propoſuit. Verum enim vero, cum in hac hypotheſi quædam precario aſſumta videantur, hanc theoriam de gravitatione verſus ſphæroides variabilis denſitatis noluit doctiſſimus Autor latius extendere. Tunc enim, inquit, certius demum conſtare poterit, quodnam cuique hypotheſi de interna telluris conſtitutione pretium ſit ſtatuendum, ſi quando plures gradus meridiani terreſtris fuerint accurate dimenſi, & longior ſeries obſervationum, de gravitationis ab æquatore verſus polos incremento omni cura inſtitutarum, exſtiterit. Pergit ad inveſtigationem figuræ Jovis ſecundum præcedentes theorias, & oſtendit, probabile eſſe, quod ejus denſitas a ſuperficie ad centrum uniformiter creſcat, donec in centro quadrupla ſit denſitatis in ſuperficie; monet etiam, periodica tempora ſatellitum Jovis ad ſe invicem ſecundum haſce theorias in majori eſſe debere ratione, quam ſecundum legem *Kepleri*; cum gravitas in plano æquatoris planetæ ſphæroidis, axem diametro minorem habentis, variet in majori, quam duplicata, reciproca diſtantiarum ratione; verum hanc diſcrepantiam inter theoriam & *Kepleri* legem adeo exiguam eſſe, ut, per obſervationes eam detectum iri, nulla ſpes relinquatur. Tandem Cel. Autor ſuperius Theorema de æquilibrio particularum ſphæroidis fluidi ad theoriam de æſtu maris applicat, & *Neutonianam* hac de re doctrinam egregie illuſtrat. De univerſo hoc *Capite* dicere poſſumus, id illuſtrem eſſe commentarium in duas poſtremas *Sectiones Libri I* & multas propoſitiones *Libri III Principiorum Philoſophiæ naturalis mathematicorum*. Aliquot earum propoſitionum, quæ in hoc *Capite* continentur, Autor jam dederat in *Diſſertatione de cauſa phyſica fluxus & refluxus maris*, quam illuſtris Academia Regia Scientiarum Pariſiis A. 1740 edendam curavit; ſed plura hic adjecta reperiuntur.



Digitized by Google

Hactenus enarravimus argumentum *Libri primi*, qui quidem tres fere quartas hujus Operis occupat, ſed eam tamen Analyſeos recentiorum Mathematicorum partem, cui & Geometriæ & Phyſicæ eximia incrementa maxime debentur, intactam relinquit. Hanc partem, algebraicam puta, Cel. Autor *ſecundo Libro* ſervavit, & a parte geometrica conſilio ſeparavit: ut ne vi ac evidentiæ demonſtrationum, quibus principia hujus artis in *Libro primo* munire voluit, apud ſciolos Analyſeos obtrectatores obeſſet uſus ſymbolorum, quibus pars algebraica, quippe methodos computandi tradens, carere nequit, & quæ tamen iſtis hominibus ad celandum artis defectus tantum inventa eſſe videntur. Sic quidam ſignum — & ſignum quantitatum imaginariarum myſterioſæ obſcuritatis accuſarunt, quos Autor ſub initium hujus *Libri* meliora edocet. Orditur autem alteram hanc Operis ſui partem a demonſtrationibus primarum regularum calculi differentialis, ſeu methodi fluxionum directæ, indoli algebraicarum quantitatum adaptatis, quæ non æque ac geometricæ motu genitæ concipi poſſunt. Et, quanquam ex regulis methodi fluxionum pro quantitatibus geometricis, *priori Libro* demonſtratis, facile potuiſſent regulæ ejusdem methodi pro quantitatibus algebraicis tanquam corollaria deduci, tamen, cum ad hanc viam ineundam nulla impellat neceſſitas, maluit doctiſſimus Autor aliud genus demonſtrationum hic adhibere, ut methodi bonitas & certitudo, pluribus modis oſtenſa, eo clarius eluceret. In quantitatibus algebraicis variabilibus nihil conſiderare licet, niſi quod augeantur, vel minuantur, quod quædam per variabiles differentias creſcant, vel decreſcant, aliis interea uniformiter creſcentibus, vel decreſcentibus, & quod aliæ aliis magis augeantur, vel minuantur. Sic, creſcente *A* per ſucceſſiva incrementa æqualia *a*, 2 *A* creſcit per æquales differentias 2 *a*, ideoque interea, dum quantitas *A* augetur, quantitas 2 *A* duplo magis augeri cenſenda eſt. Eſt itaque aliquis gradus αὐξήσεως, vel diminutionis, in variatione quantitatis non conſtantis; & propterea Autor hic definit fluxiones quantitatum per menſuras reſpectivorum graduum auctionis,

vel

vel diminutionis, earundem, dum ſimul variant. Si duæ quantitates ſimul variant per incrementa, vel decrementa, ſibi mutuo ſemper proportionalia; manifeſtum eſt, fluxionum menſuras in hoc caſu ipſa illa eſſe incrementa, vel decrementa, aut quantitates quasvis, iis incrementis proportionales. Sin autem, altera quantitate uniformiter variante per differentias *a*, altera *B*, quæ functio ſit ipſius *A*, per differentias continue creſcentes, vel decreſcentes, variat, difficilior eſt fluxionum determinatio. Autor ad eam demonſtrandam hoc utitur Axiomate: poſitis iisdem, quæ modo diximus, ſint radicis *A* ſucceſſivi valores $A-a$, $A$, $A+a$ &c. & radicis *B* ſimultanei valores $B-\beta$, $B$, $B+b$ &c. & creſcentibus continue incrementis $\beta$, $b$ quantitatis *B*, ipſa *B* magis augebitur, quam quantitas uniformiter creſcens per differentias minores, quam $\beta$, minus autem augebitur, quam quantitas uniformiter creſcens per differentias majores, quam *b*; contra, differentiis $\beta$, *b* continue decreſcentibus, *B* magis augebitur, quam quantitas uniformiter creſcens per incrementa minora, quam *b*, minus autem, quam quantitas creſcens uniformiter per incrementa ipſo $\beta$ majora; ſimiliter, decreſcente variabili *B*, & poſitis ſucceſſivis valoribus $B+b$, $B$, $B-\beta$, ſi $b < \beta <$ &c., magis diminuetur *B*, quam ſi uniformiter decreſceret per decrementa minora, quam *b*, minus autem, quam ſi variaret per decrementa majora, quam $\beta$. Hinc prona eſt conſequentia, ſi fluxio quantitatis *A* exponatur per *a*, in caſu creſcentis *B* per incrementa continue creſcentia, fluxionem ipſius *B* non poſſe eſſe minorem, quam $\beta$, nec majorem, quam *b*; ſi *B* creſcat per incrementa continue decreſcentia, fluxionem ejus non fore $> \beta$, nec $< b$; &, *B* diminuto per decrementa continue creſcentia, fieri non poſſe, ut ejus fluxio ſit $< b$, vel $> \beta$; &c. Ex his principiis Cel. Autor oſtendit, expoſita fluxione radicis *A* per *a*, eſſe fluxionem quadrati $= 2 A a$, & fluxionem potentiæ $A^n$ exponi per $n A^{n-1} a$, denique fluxionem logarithmi quantitatis *N* eſſe ad fluxionem ipſius *N*, ut modulus ſyſtematis logarithmici ad quantitatem *N*. Ex his vero Theorematibus reliquas regulas calculi differentialis per deductiones.

Digitized by Google

ctiones algebraicas demonſtrat. En ſpecimen illarum demonſtrationum in exemplo Theorematis primi, quod fluxio quadrati $A^2$ ſit $2\,Aa$, ſi fluxio ipſius $A$ exponatur per $a$. Sint nimirum tres ſucceſſivi valores radicis $A-u$, $A$, $A+u$; & reſpondentes valores quadrati erunt $A^2-2\,Au+u^2$, $A^2$, $A^2+2\,Au+u^2$. Ergo $A^2$ augetur incrementis continue creſcentibus, $2\,Au-uu$, $2\,Au+uu$, &c. Igitur vi præcedentis Axiomatis, expoſita fluxione radicis per $u$, fluxio quadrati non poterit exponi per quantitatem $>2\,Au+uu$, nec per quantitatem $<2\,Au-uu$. Jam, ſi negas, fluxionem quadrati exponi per $2\,Aa$, exponatur primo per quantitatem majorem, velut hanc $2\,Aa+oa$, & ſit $o$ incrementum ipſius $A$ majus, quam $u$: &, quia eſt $a:u=2\,Aa+oa:2\,Au+ou$, ſequitur, ut, ſi fluxio ipſius $A$ exponatur per $u$, fluxio quadrati $A^2$ exponenda ſit per $2\,Au+ou$, ideoque per quantitatem ipſa $2\,Au+uu$ majorem. Quod antea oſtenſis repugnat. Si ponas, fluxionem quadrati minorem eſſe quantitate $2\,Aa$, ſit ea $=2\,Aa-oa$. Ergo, quia $a:u=2\,Aa-oa:2\,Au-ou$, quæ minor eſt, quam $2\,Au-uu$; expoſita per $u$ fluxione radicis, fluxio quadrati nunc exponeretur per quantitatem minorem, quam $2\,Au-uu$. Quod etiam repugnat. Sub finem hujus *Capitis* Autor de fluxionibus altiorum ordinum exponit, & indicat viam demonſtrandi prædicta Theoremata tam ſecundum *Neutoni* methodum rationum ultimarum, quam ſecundum methodum infiniteſimalem *Leibnitii*. In *II Capite*, explicatis ſignis algebraicis fluxionum, & repetitis regulis methodi fluxionum directæ, per hæc ſigna expreſſis, fundamenta ponit methodi inverſæ. Primo ea monet, quæ in fluentis ex fluxione inventione de conſtantis adjectione tenenda ſunt. Poſtea, traditis omnium primis regulis calculi integralis, quæ ex regulis differentialis immediate fluunt, docet fluxionem hujus formæ $(a+z)^m z^n dz$, in qua $m$ eſt numerus, negativus, vel fractus, uſitata methodo transformare in aliam, cujus fluens in terminis finitis aſſignabilis eſt; & porro conditiones integrabilitatis formæ $(e+fx^n)^r x^m dx$ explicat. Inde pergit ad methodos, quarum uſus eſt in inveniendis fluentibus,

tibus,

Digitized by Google

tibus, quæ terminis algebraicis accurate nequeunt exprimi. Et primo quidem tradit modum, eas inveniendi reſolutione fluxionis in ſeriem infinitam convergentem. Huc potiſſimum faciunt Theoremata *Neutoni* & *Moivræi* de potentiis binomiorum & infinitinomiorum; quæ propterea hoc in loco Cel. Autor non ſolum proponit, ſed & eorum elegantem analyſin, ex regulis calculi differentialis petitam, ſuppeditat. Simili methodo demonſtrat Theorema *Taylori* $y = E + \frac{z\,dE}{dz} + \frac{z^2\,ddE}{1.2\,dz^2} +$ &c. ubi $dz$ eſt conſtans, & $E$, $dE$, $ddE$, ſunt valores ipſarum $y$, $dy$, $ddy$, poſita $z = 0$, nec non Cel. *Jo. Bernullii* Theorema, in his *Actis A.* 1694 exhibitum, $\int y\,dz = yz - \frac{z^2\,dy}{1.2\,dz} + \frac{z^3\,ddy}{1.2.3\,dz^2} -$ &c. quæ duo Theoremata etiam permagnum uſum in hoc negotio habent, ut hic multis ſelectisque exemplis declaratur. Præter hæc Theoremata, quædam, etiam huc ſpectantia, ex Tractatu *Neutoni* de Quadratura curvarum, & Commercio epiſtolico, laudat. Sequitur explicatio ſecundi artificii, quo uti ſolent Analyſtæ iis caſibus, in quibus fluens in terminis finitis algebraicis inveniri nequit, reductionis puta ad fluentes ejusdem quidem conditionis, ſed formæ ſimplicioris ac notioris, quæ per approximationes facilius & exactius haberi poſſunt, cujusmodi ſunt inprimis areæ circulares, hyperbolicæ, ellipticæ, & arcus omnium ſectionum conicarum. Hanc doctrinam, quæ in *Capite III* proponitur, inchoat Cel. *Maclaurinus* ab expoſitione analogiæ inter ſectores ellipticos & hyperbolicos, ex qua varia deducit Theoremata generalia pro multiplicatione & diviſione arcuum, vel ſectorum, circuli. Deinde docet, quomodo elementa arearum reducenda ſint ad rectificationem arcuum circuli & elementa logarithmica, tum ſi ordinatæ exprimantur quantitatibus rationalibus, tum ſi earum valores binomium, vel trinomium, irrationale contineant. Poſt hæc conſiderat elementa, quæ a rectificatione ellipſis & hyperbolæ pendent; & de



Digitized by Google

nonnullis aliis caſibus, in quibus fluens altioris generis ad fluentem ſimplicioris formæ reduci poteſt, pauca ſubjungit. Theoremata maxime utilia & fœcunda, quæ in hac parte calculi integralis a Cel. Viris, *Leibnitio, Bernoulliis, Newtono, Coteſio, Moivreo*, paſſim tradita fuere, laudatis ubique eorum Autoribus, hic collecta, & apte inter ſe connexa, reperiuntur. Sed, quemadmodum hactenus Autor de ejusmodi tantum curvarum areis egit, quarum & ordinatæ & abſciſſæ ſunt functiones algebraicæ cujusdam quantitatis variabilis $z$: ita, cum præter tales curvas ſint multæ, in quibus hæc conditio locum non invenit, in *Capite IV*, quæ de harum quoque areis quadrandis notanda ſunt, proponit, contemplatus primo aream, cujus ordinata datur per aream alius curvæ, ſecundo aream, cujus & abſciſſa & ordinata per areas aliarum curvarum determinantur. Reliqua pars hujus *Capitis* doctrinæ de ſummatione & interpolatione ſerierum impenditur. Habentur hoc in loco quædam Theoremata valde generalia, ex methodo fluxionum deducta, pro approximationibus ad ſummas ſerierum per areas curvarum, & converſim, pro computandis areis, ſi communis methodus ſeries nimis tarde convergentes ſuppeditet, nec non pro ſolvendis variis Problematibus, quæ ad *Newtoni* methodum differentialem referri ſolent. In ſpecie traduntur hic Theoremata, quæ faciunt ad inveniendam ſummam quarumvis potentiarum terminorum progreſſionis arithmeticæ, & ſummam logarithmorum talium terminorum; & reſolvitur Problema de invenienda ratione, quam habet uncia medii termini in binomio, ad altiorem dignitatem evecto, ad ſummam omnium unciarum, per methodum a methodis Cel. Virorum *Stirlingii* & *Moivræi* diverſam; denique ratio computandi aream ex aliquot ordinatis æque diſtantibus, & interpolandi terminos intermedios datæ ſeriei, ex iisdem principiis generalibus, deducitur. Hactenus traditis generalibus regulis methodi fluxionum, pergit doctiſſimus *Maclaurinus* in *quinto Capite*, quod hujus Operis ultimum eſt, ad uſum earum in ſolutionibus Problematum geometricorum & phyſico-mathematicorum oſtendendum. Traditis formulis generalibus,

Digitized by Google

ralibus, quæ tangentibus & normalibus curvarum ducendis inſerviunt, exponit regulas methodi maximorum & minimorum, & exemplis illuſtrat. Quas Vir doctiſſimus in *nono Capite Libri primi* dederat regulas de puncto curvæ, ad quod ordinata eſt maxima, vel minima, a puncto flexus contrarii diſcernendo, eas hic repetit, & brevi demonſtratione derivat ex Theoremate *Tayleri*, quod data fluxione abſciſſæ $dx$, & poſito $E$ valore ordinatæ, ubi $x=o$, ſit $y=E+\frac{xdE}{dx}+\frac{x^2ddE}{2dx^2}+\frac{x^3d^3E}{6dx^3}+$ &c.; nam, iisdem poſitis, erit ad æqualem abſciſſam negativam $y=E-\frac{xdE}{dx}+\frac{x^2ddE}{2dx^2}-\frac{x^3d^3E}{6dx^3}+$ &c. & ex his duabus formulis prædictæ regulæ prona conſequentia fluunt. His nonnulla hic addit Autor, quæ digna ſunt, ut in ipſo hoc Opere evolvantur. Deinde ſuppeditat formulas pro radiis oſculi, & cauſticarum conſtructionem docet. Progreſſum facit ad theoriam trajectoriarum, ſolvitque tum directum Problema de lege vis centripetæ, data trajectoria, invenienda, tum inverſum, de trajectoria ex lege vis centripetæ determinanda. Inhæret potiſſimum exemplo trajectoriæ, quæ deſcribitur viribus, in reciproca ratione quintuplicata diſtantiarum exiſtentibus, qui caſus hoc ſingulare habet, ut corpus poſſit quidem deſcendere ad centrum perpetuo, neque tamen intrare circulum, iſto centro intervallo determinato deſcriptum, vel a centro perpetuo recedere, & circuli tamen peripheriam, circa idem centrum radio determinato deſcriptam, nunquam transgredi. Hæc ſpecies trajectoriarum generatim per arcus ſectionum conicarum, & in quibusdam particularibus caſibus per logarithmos, conſtrui poteſt; quæ Vir Cel. ſeorſim oſtendit. Porro tradit regulas pro computando tempore deſcenſus per arcus datarum curvarum, easque præcipue applicat ad deſcenſum in

 cycloide,

Digitized by Google

cycloide, & ad deſcenſum per datum arcum circuli, cujus tempus determinare docet ſuppoſita rectificatione arcuum ſectionum conicarum, nec non per ſeries infinitas. Sequuntur regulæ pro determinandis motibus in mediis reſiſtentibus, pro figuris catenariæ & brachyſtochronæ definiendis, pro cubandis ſolidis, rectificandis arcubus curvarum, & quadrandis ſuperficiebus curvis. Inter hæc occurrit methodus facilis, determinandi ope logarithmorum partes meridionales, ſeu arcus meridianorum in Mappis nauticis *Mercatoris*, non ſolum in hypotheſi telluris ſphæricæ, ſed etiam in hypotheſi terræ ſphæroidis, ſive oblongæ, ſive ad polos complanatæ. Exinde ſimplex hæc & facilis regula exiſtit, pro partibus meridionalibus in hypotheſi terræ ſphæroidis, complanatæ ad polos, computandis, ſuppoſita tabula partium meridionalium pro tellure ſphærica: ſcilicet, poſita ratione diſtantiæ focorum meridiani elliptici ad diametrum æquatoris $= 1:n$, & poſito ſinu datæ latitudinis $= u$, evolvantur in tabula partes meridionales pro latitudine, cujus ſinus $= \frac{u}{n}$, quibus per numerum $n$ diviſis, quotus ſubtrahatur a partibus meridionalibus, datæ latitudini in tabula reſpondentibus; numerus reſiduus erit quæſitus. Pro tellure figuræ ſphæroidis oblongæ æque ſimplex hic reperitur regula. Poſt tractationem hujus Problematis, Cel. Autor reſumit materiam de attractione verſus corpus ſphæroides, & calculo determinat gravitationem tum in polo, tum in æquatore, per arcus circuli, vel logarithmos, in hypotheſi attractionis, verſus quamvis particulam cuilibet poteſtati diſtantiæ reciproce proportionalis. Poſtea, breviter expoſito computo centri gravitatis, centrique oſcillationis, aliquot quæſtiones de maximis, vel minimis, ſolvit; quarum 1) eſt de ratione potentiæ ad onus idonea ad hoc, ut machina dato tempore maximum effectum præſtet, non ſolum abſtrahendo a frictione, ſed & hujus ratione habita; 2) qualis eſſe debeat poſitio plani, motu parallelo in data directione & data celeritate lati, ut flumen, data celeritate in id incurrens, maxima vi idem impellat; 3) de optima poſitione

alarum

Digitized by Google

alarum molendini, a vento moti, de qua Autor monet, alam, ſic poſitam, ut cum directione venti angulum 54° 44′ comprehendat, initio tantum motus maximum impulſum pati, ſed, producto jam motu, commodiſſimam alæ poſitionem per majorem angulum determinari; 4) de maxime idonea poſitione veli, ut navis, cujus data eſt celeritas, a vento datæ velocitatis in data directione maxima vi impellatur; 5) de arcu circuli ſic dividendo, ut productum ex quibuslibet potentiis ſinuum ſingularum partium ſit maximum; 6) denique de optima directione navis, & commodiſſima veli poſitione, ut navis in data recta incedat, vel a data recta recedat, quam fieri poteſt velociſſime. Harum quæſtionum ſolutiones excipiunt quædam præcepta de reductione æquationum differentialium ſecundi gradus ad primum, & hac occaſione Autor de curva elaſtica, quam in omni caſu per rectificationem conicarum ſectionum conſtrui poſſe docet, nec non de vibrationibus chordæ tenſæ, agit. Denique methodum ſuam pro ſolvendis per primas fluxiones Problematibus iſoperimetricis, quam ex *primo Libro* in ſuperioribus deſcripſimus, applicat ad ſolvendas alias quæſtiones de maximis, vel minimis, in quibus curvæ quæſitæ ſub certis limitationibus arearum, ſolidorum inde genitorum, &c. ſpectantur; cujus generis eſt quæſtio de inveniendo ſolido, quod inter omnia æqualis voluminis, & æqualibus ſuperficiebus terminata, minimam in fluido reſiſtentiam patiatur.

Vernünfftige und Schrifftmäßige Gedancken von der Heiligen Schrifft, ꝛc.

id eſt,

*DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA, EX RAtionis, & rei Chriſtianæ, fundamentis propoſita a JOANNE ERNESTO SCHUBERTO, Conſiſtorii Ducalis Vinarienſis & Iſenacenſis Aſſeſſore, & Facultatis Philoſophicæ Jenenſis Adjuncto.*

*Pars I.*



Digitized by Google

Jenæ, ex taberna libraria Melchoriana, 1746, 4.
Alph. 2 plag. 8.

Pergit nunc Cl. Autor interrupta ſerie id perſequi opus, quod ante aliquod tempus aggreſſus eſt, cum *Doctrinam de veritate Chriſtianæ religionis, naturæ & gratiæ lumine perluſtratam*, librum doctum & lectu dignum, cum orbe communicaret literato. Omnis ejus labor atque opera, quam in hoc ſtadio percurrendo ſibi mente propoſitam habuit, utilitatem lectorum, ſalutaris doctrinæ cupidorum, ſpectat. Hinc factum eſt, ut & vernacula ſcribendi ratione, & plano facilique dicendi genere, uteretur. In *duas* vero *Partes* hanc tractationem de Scriptura Sacra diſtinguit, quarum *prior quinque* continet *Capita*, ad res hiſtoricas potiſſimum pertinentia; *poſterioris* deinde *Partis* totidem daturum ſe *Capita* promittens, quæ dogmati-
Pag. 1. cas fere res omnes in ſe contineant. In *Capite* itaque *primo* de divina Scripturæ Sacræ inſpiratione agit, ubi ſub initio ſtatim illam deſcribit ita, quod ſit liber, continens Prophetarum, Evangeliſtarum, atque Apoſtolorum, monumenta, literis conſignata, & qui a Chriſtianis pro divina revelatione habeatur. Hæc hujus libri ſancti ipſi eſt finitio. Ex quo ad ea Autor progreditur, quibus confirmari poſſit, librum hunc ex divina revelatione eſſe enatum. Indicat hic præcipua tantum rerum momenta, lectorem ad ea ablegans, quæ in ſuperiori ab ipſo ſunt enucleata libro. Ampliorem vero ſibi dicendi ſegetem propoſitam eſſe Noſter exiſtimat in definienda & di-
4. ſtincte tractanda doctrina de inſpiratione divina. Duo ad hoc negotium perficiendum argumenta requiri oſtendit, quorum prius ad mandatum refertur divinum, poſterius autem ad res ipſas, quas perſcribere juſſi ſunt autores ſacri, omnino pertinet. Utrumque neceſſario ad conſtituendam inſpirationis divinæ formam pertinere ait, licet prius momentum ob pauci-
6. tatem adverſariorum minus a Theologis urgeatur. Quia vero revelare nihil aliud ſignificat, quam occultam & ignotam rem notam atque celebriorem reddere; hinc, quale intercedat diſcrimen inſpirationem inter & revelationem, probe tenendum eſſe monet, nec utrumque ſub revelationis vocabulo com-

com-

Digitized by Google

comprehendendum eſſe, niſi a vera vocis poteſtate recedere velimus, clarius docet. *Muſæum* hac de re a Theologis Vitebergenſibus eſſe accuſatum, quam tamen *Calovius* & *Quenſtedius* liberrimo ore profiteantur, in tranſcurſu Noſter miratur. Per mandatum divinum ad ſcribendum neceſſarium intelligitur omnis Spiritus Sancti operatio, ex qua ſcriptores ſanctiores fuerunt certiores redditi de voluntate Dei, literis aliquid conſignandi. Repetuntur hic teſtimonia quædam, ſatis nota, ex tabularum ſacrarum autoritate, quibus humanæ quædam adduntur ſententiæ. Nec deſunt mandata, conceptis formulis a Deo data, nec ſenſiones internæ, & externæ quædam occaſiones, quæ ad ſcribendum excitarunt viros divino flamine tinctos. A mandato divino pergit ad res, ſanctiſſimis hominibus vel revelatas, vel inſpiratas, quarum ad priores referuntur myſteria fidei, ad poſteriores omnes aliæ, quæcunque ex rerum geſtarum memoria cognitæ fuerunt, ſed tamen ea ratione, quæ Deo placuit, a viris ſanctis in tabulas ſunt relatæ. Quod niſi concedatur, ratio reddi nulla poteſt, quare non omnia, quæcunque geſta ſunt, ſed ea tantum, quæ ad religionis ſive directa, ſive indirecta, capita, & arbitrium divinum, reduci debent, ſcriptis ſuis prodiderint. His plenius paulo pertractatis, objectiones quasdam ſtrenue remotas legimus, quibus altera de verbis, quæ viris ſanctis ſuggeſta ſunt, aſſerta atque confirmata redditur veritas, ubi tamen quæſtio omnis de linguis originalibus eſt capienda, quarum ſingularum annectitur adhibita a Deo ratio. Diverſa poſtea Noſter profert genera, quibus ſe Deus manifeſtavit hominibus, inter quæ primo ponitur inſpiratio, ſenſu ſtrictiori ſumta, qua inter meditationes ſacras hominibus ſe appropinquavit Deus, atque univerſales religionis doctrinas illis conſcribendas ſuggeſſit, nec tamen immediata voce uſus. Ad hanc rem conficiendam teſtimonia afferuntur divina ex *2 Sam. XXIII, 2, 3,* & *1 Petr. I, 11.* Alterum genus divinæ manifeſtationis dicit ecſtaſin, quæ vigilantibus contingit hominibus, qui, externo ſenſuum uſu privati, in ſtuporem vertuntur. Hic ex *Pauli* exemplo demonſtratur, Deum [illegible] auditu, & viſu, quod

Marginal page references: Pag. 7 (line "tur. Per mandatum…"), 9 (line "tis nota…"), 13 (line "quædam occaſiones…"), 19 (line "tabulas ſunt relatæ…"), 23 (line "His plenius…"), 27 (line "tamen quæſtio…"), 32 (line "rum ſingularum…"), 34 (line "qui, externo…"), 36 (line "ex Pauli exemplo…").

quod *Petri* teſtatur autoritas, uti, ita, ut res auditæ & viſæ
videantur, licet corporis ſenſibus nihil tale percipiatur atque
Pag. 37. ſentiatur. Ex eo pergit ad ſomniorum divinorum & ſugge-
ſtionem, & interpretationem, in quo utroque immediata
38. quædam obtinet locum ſuggeſtio divina. Alloquium, quo
immediate Deus ſe hominibus manifeſtum reddidit, ad quar-
41. tum genus divinæ refertur manifeſtationis. His de Bathkol
46. Judæorum, eorumque Urim & Thummim, ſubnexas Autoris
legimus cogitationes, inter quas in locos quosdam, ſpeciem
repugnantiæ præ ſe ferentes, incidit, *Actuum* ſcilicet *Cap. IX,*
*4,* & *Cap. XXII, 9,* quos recte conciliat, diſtinguendo inter
ſonum vocis, & vocem ipſam, diſtincte auditam. Non dubi-
tamus, quin Cl. Autor, ſi verba Græca inſpexiſſet, hoc ple-
nius potuiſſet confirmare, licet per ſe ipſius ſententia omni
49. aſſenſu digna ſit. Præter hæc denique adduntur aliæ
ſpecies, quibus Deus uſus eſt, hominibus voluntatem ſuam
declaraturus, quales fuerunt apparitiones angelorum viſibiles,
externæ objectæ imagines, quo urbs Babylonica, *Ezechieli* per
imaginem repræſentata, & conſeſſus Dei, temporibus *Achabi*
51. a *Micha* viſus, refertur. Denique, per ſortem, & alios cor-
poris ſenſus, Deum voluntatem ſuam cum hominibus com-
municaſſe, docetur. Accedimus nunc ad quæſtionem, ab Au-
tore expeditam, de inſpirationibus & ſuggeſtionibus diabolicis.
Sed, ut cautius atque curatius ea, quæ proferuntur, eſſent per-
56. tractata, quam maxime vellemus. Qua ratione enim diabolo
omnes fere inſpirationis divinæ modi poſſint adſcribi, non ſa-
tis intelligimus, &, quid ſibi velit Noſter per ſubtile corpus
diabolicum demonſtrare, non videmus. Nec facile admit-
tendæ ſunt omnes ſpecies diabolicæ, a *Wiero* viſæ. Denique,
quomodo malus ex orco genius, mediante corpore ſuo pro-
prio, pro lubitu aliam induere queat formam, non ſatis expli-
58. catum legimus. Hac occaſione Sibyllarum contexuit fata
Cl. Autor, monumenta earum ſcripta recenſens, &, quale ſit
judicium de illis ferendum, docens, ita, ut, caute admodum
64. ipſum in hoc enarrandi & diſputandi genere verſatum fuiſſe,
non negari poſſe. Concludit denique hoc *Caput* Noſter,

ſigna

ſigna recenſendo, quæ ſuggeſtionem divinam a diabolica ſecernunt, tum ex parte eorum, quorum miniſterio utitur Deus, tum aliam ex parte aliorum, quibus concreditur revelatio di- Pag. 68.
vina cuſtodienda & propaganda. *Secundum Caput* diviſio- 72.
nem librorum, in Codice ſacro comprehenſorum, tradit, quorum alii ante, alii poſt, natum Chriſtum in vulgus editi fuerunt. Vulgarem hanc diſtinctionem amplius declarans, de utroque Autor agit Teſtamento, & differentiam utrius-
que breviter oſtendit, indicem ſubnectens librorum Vet. 74.
Teſt. quos ex ordine LXX interpretum *Lutherus* recenſuit, qui diverſus eſt ab ordine & diviſione ſpeciali, quam Judæi
uſu receptam habent, licet, Chriſtianorum diſtinctionem fir- 81.
miori niti fundamento, unicuique appareat. Pari ratione
libri Novi Teſtamenti recenſentur in univerſum, &, quæ 84.
Capitum ac verſuum ſit origo atque autoritas, breviſſimis docetur. Pergit deinceps Noſter ad enarrandas ſcriptorum
ſacrorum vitas, inter quos ſub *Capitis tertii* initium *Moſes* 85.
agmen ducit, cujus origo, nativitas, educatio, & reliqua
vitæ fata, ex Codicis ſacri & *Joſephi* teſtimoniis dilucide 87.
recenſentur. Demonſtratur deinde, *Moſen* eſſe antiquiſſi- 90.
mum ſcriptorem, eundemque vere autorem ſuorum librorum eſſe dicendum. Tempus ſcriptionis circa tempora
exitus populi Iſraelitici ex Ægypto ab Autore ponitur, ubi 97.
non omittendam quæſtionem proponit, quare Deus non ante
ea tempora revelationem literis conſignatam hominibus ex- 99.
hibuerit, quæ facile ex orali traditione, ante ea tempora ſufficiente, poſt *Moſis* vero ætatem minus commoda, expeditur. Accedebat etiam, *Moſis* ætate maximas mutationes cum populo Iſraelitico factas eſſe, quæ omni poſterorum
memoria dignæ erant. Hinc conſpectus rerum, a *Moſe* per- 100.
ſcriptarum, uno intuitu exhibetur, & rationes ex prioribus dictis redduntur, quare *Moſes* ad ſcribendum a Deo fuerit
excitatus. Hinc ad *Joſuam* fit progreſſus, qui *Moſi* ſuc- 103.
ceſſit, & autor libri eſt, qui ſub nomine ipſius circumfer-
tur, licet alii ſine gravi cauſa de eo dubitarint, pluribus re- 106.
futati ab Autore, qui tres inprimis potiores dubitandi ra- 109.
tiones, a libro juſtorum, a loquendi quibuſdam formu-

lis, & a rebus poſt mortem *Joſuæ* geſtis, deſumtas, facile
Pag. 112. ſolvit. Contenta deinde hujus libri breviter adducun-
tur, interpoſitis cauſis, & civilibus, & religioſis, quæ *Jo-*
*ſuam* ad ſcribendum librum ſuum ex Dei mandato impule-
117. rant. De libro *Judicum* varii enarrantur Autores, inter quos
*Samuel* veriſimiliter verus fuit, & deinde uſus ipſius libri,
& finis conſcriptionis, oſtenditur. Sequitur ordine libellus
*Ruth*, & *Samuelis* libri, eadem ratione, qua ceteri, pertractati;
127. ubi ſub finem monet Autor, & *Nathanem*, & *Gadum*, hi-
ſtoriæ a *Samuele* perſcriptæ contexuiſſe filum. Libros *Regum*,
& annales Iſraeliticos Judaicoſque, ab autore eſſe perſcriptos,
qui vel ſub captivitate Babylonica, vel poſt eam, vixerit, No-
ſter ex eo conjicit, quoniam plurimi fere interpretes ad au-
torem *Eſdram* hos libros retulerunt, quem *Chronicorum* ſaltem
eſſe ſcriptorem, ex ſententia Judæorum, non ſolum non ne-
gat Noſter, ſed ex allatis quibusdam rerum argumentis et-
130. iam confirmare ſtudet. In recenſione libelli *Eſdræ* contra
*Huetium* pugnat, trepide affirmantem, quin imo duabus ex
rationibus negantem plane, libri omnis autorem fuiſſe
137. *Eſdram*, quod quidem ſine multis ambagibus facili negotio
confutatur. Eandem diligentiam, & commendandam brevi-
tatem, in enarrandis opuſculis *Nehemiæ* & *Eſtheræ* poſuit, & de
horum autore, qui *Mardochai* putatur, cum *Huetio* non infeli-
140. citer pugnavit. *Jobi* perluſtrans fata Cl. Autor, tria expe-
dit in limine de exiſtentia, tempore, & patria, hujus vexa-
tiſſimi viri. De prioribus confidenter, & ſatis tute, profite-
tur, *Jobum* vere fuiſſe, quod vel ex teſtimoniis divinis pa-
142. teat, & tempora ipſius incidere in ea, quæ mortem *Joſephi*
ſequuntur, & *Moſis* originem antecedunt. De gente vero
*Jobi* dubie pronuntiat Noſter, *Jobum* forte ex poſteris *Na-*
143. *horis* eſſe natum exiſtimans, quod vel ex regione, quam in-
colebat, appareat. Ad ipſum librum quod ſpectat, nihil hic
memoratu dignum videmus ab Autore allatum, niſi quod pu-
146. tet, *Moſen* eſſe ſcriptorem hujus libri, & teſtimonia, pro reſur-
rectione mortuorum in *Jobi* libro inventa, ad hanc doctrinam
152. nullo modo pertinere. Ex hoc ad *Davidis* cantiones, & *Sa-*
*lomonis* opera, pedem refert Autor, ſuccincte omnia pertra-
ctans,

ctans, & diligentis ſcriptoris laudem ſuſtinens. In *Propheticis* Pag. 160.
libris enarrandis ita verſatum Noſtrum videmus, ut in fronte
hujus tractationis ea ponat, quæ ad vates divinos omnes, ratio-
ne muneris legationisque ſuæ, ut & doctrinarum & oratio- 161.
num ſuarum, pertinent. Tempora deinde, docet Autor, eſſe
diſtinguenda, quæ ſcriptis & concionibus ſuis perluſtrarint Pro-
phetæ; ſimul etiam docens, quanto intervallo Propheta re-
rum geſtarum ſcriptorem poſt ſe relinquat. Omnium optima
hic nobis videtur obſervatio, qua declaratur, vaticinia Prophe-
tarum res modo futuras declarare, & non amplius, quam ad
tempora Chriſti, pertingere, eo tamen probe dijudicato, quod,
his etiam ſtantibus, nihilo minus de vita beata, & æternis
pœnis, quamplurimæ inter Prophetarum libros doctrinæ oc-
currere poſſint. Ceterum hanc ſuam ſententiam alii occa- 163.
ſioni plenius deducendam reſervat. His prælibatis, *Jeſaiæ*,
*Jeremiæ*, *Ezechielis*, atque *Danielis*, percurrit fata, & tempo-
rum ſimul reipublicæ Judaicæ continuam injicit mentionem, 177.
quorum enarrationem reliqui minores, qui dicuntur, Pro- 192.
phetæ excipiunt. Quæſtio ſub finem additur de Prophetis
poſt *Malachiam* ſuperſtitibus, quæ ita affirmatur, ut facile ex
teſtimoniis quibusdam librorum Novi Teſt. & *Joſephi* auto-
ritate pateat, inter populum Judaicum poſt *Malachiæ* fata ex-
ſtitiſſe Prophetas, quorum ſcriptis tamen non opus fuerit, cum
omnia jam prædicta eſſent, quæ ad venturum referebantur 198.
Meſſiam. Circa ſcriptores Novi Teſt. vita Chriſti primo tan-
gitur, & deinde ad *Matthæum*, reliquosque Evangelicæ hi-
ſtoriæ præcones, tranſitur. Illud modo hic notatu neceſſa-
rium ducimus, teſtimonia, quæ vulgo traduntur, & ab Autore 199.
noſtro repetuntur, ſcilicet *Marc. II*, *13*, *14*, *Luc. V*, *27*, *28*, *29*, de
*Matthæi* vocatione plane agere non poſſe, cum nulla omnino 210.
ibi hujus mentio fiat. Ad dogmaticos libros accedens Noſter,
primo recenſet vitam *Pauli*, cujus enarratio ex Epiſtolis ipſius,
ad cœtus Chriſtianos perſcriptis, ut & ex *Lucæ* Actibus Apo- 215.
ſtolorum, ſatis vulgari diligentia eſt contexta. In definiendis
temporibus, quibus ille gentium doctor literas ſuas ad diver-
ſos ſanctiores dedit cœtus, *Uſſerii* & *Ludovici Capelli* adopta-
tur temporum ratio, quo, quid certi ſit, quidve veri habeat

 ſimili-

Digitized by Google

Pag. 217. ſimilitudinem, ex illorum ſententia apparet. Ipſæ Epiſtolæ
deinde ex eo, quem inter nos obtinent, ordine pertractan-
tur, ita, ut de regione, incolis, occaſione, & argumentis
primariis, ſuccincta exhibeatur expoſitio. Epiſtolam ad Ebræos
231. *Paulo* eſſe aſſignandam, vel hanc ob cauſam Noſter putat, quia
ab hac antiqua ſatis opinione non recedendum ſit, niſi gravis-
237. ſimæ, quæ tamen deſint, cauſæ proferantur. In gente *Ja-*
*cobi* perluſtranda, tres *Jacobi* dicuntur fuiſſe, alius ſcilicet *Al-*
*phæi*, alius *Cleophæ*, alius *Zebedæi*, filius. Illum, qui *Cleopham*
patrem habuerit, fratrem Chriſti plerumque dici, quoniam
conſanguinitate cum illo fuerit conjunctus, docet Autor.
Sed vel hanc ob cauſam affirmare debuiſſet unum eundem-
que eſſe *Jacobum*, qui *Cleopha* & *Alphæo* prognatus dicitur,
ſiquidem inter doctos viros abunde conſtat, nomen *Alphæi* &
*Cleophæ* uni perſonæ, ob ſimilitudinem vocabulorum, eſſe
140. attribuendum. *Quartum Caput* de autoritate Scripturæ S.
divina agit, quæ illa eſt dignitas, atque inſignis excellentia,
quæ nos obligat, ut omnia, quæcunque in ea continentur, ac-
142. cipiamus, & in iis aequieſcamus. Dupliciter vero autoritas
poteſt conſiderari, quatenus eſt vel normativa, ſeu canonica,
vel imperativa; & deinde, quatenus abſoluta, & reſpectiva,
147. intelligenda eſt. Hinc etiam fit, ut rationi repugnare nequeat;
quia hoc modo autoritas ipſius facile everti poſſet, licet hic
probe tenendum ſit, quod Cl. Autor de veritatibus neceſſariis,
155. & contingentibus, ſcite diſſerit. Reliqua, quæ ſequuntur, ad
majeſtatem ſtili, ad veritatem & ſanctitatem Scripturæ, & de-
nique ad ea, referri poſſunt, quæ circa reſpectivam Scripturæ
autoritatem ſunt notanda, in quibus plurima e majorum ſcri-
284. ptis repetuntur, quædam etiam illuſtrantur. Præter ea hic
etiam occurrit diſputatio de libris apocryphis, &, quid vere de
306. iis ſit ſtatuendum, dilucidius docetur, quamque verſiones
318. habeant virtutem, ſub finem hujus *Capitis* exponitur. Per-
fectionem Scripturæ *Caput quintum* profert, ubi ſub initio
ſtatim oſtenditur, hanc perfectionem tum ad ipſam eſſentiam
ſcriptæ revelationis, tum etiam ad partes ejus ſingulas integras-
319. que, reſpicere. Ex his omnia, quæ in hoc *Capite* occurrunt,
facile dijudicanda ſunt, dum primo oſtenditur, Scripturam S.

partibus

Digitized by Google

partibus gaudere eſſentialibus revelationis ſcriptæ; deinde, nullum librum eſſe deperditum, qui Deum autorem habuerit, & ad libros ſanctiores pertinuerit; tum Codicem utrumque, & Hebraicum, & Græcum, manſiſſe incorruptum; denique Scripturam eſſe ſufficientem ad ea in hominibus efficienda, ob quorum cauſam illa a Deo fuit tradita. Omnia hæc plane & ample ſunt pertractata, ita tamen, ut nihil fere habeamus, quod potiſſimum hinc excerpamus, quodve novitatis ſpecie ſe commendet. Interim hanc Cl. Autori gloriam non invidemus, quam ob verborum ſuorum & ſententiarum perſpicuitatem, ut in aliis ejus libris, ſic in hoc etiam volumine, prorſus inſignem, ab omnibus lectoribus facile impetrabit. In fine demum affirmat, Deum nihil in civilibus rebus revelare hominibus, & *Danielem* ea exhibere, quæ ad mutationes rerum publicarum noſtris temporibus ſint referenda; quo modo vero hæc poſterior ſententia cum alia ſuperiori, *pag.* 101 prolata, poſſit conciliari, jam non inquirimus. Pag. 404.

Herrn D. Fried. Andr. Hallbauers, hochverordneten Kirchenraths, und berühmten Lehrers der Theologie in Jena, kurtze Vorſchläge zu nöthiger Verbeſſerung des Schulweſens, ꝛc.

hoc eſt,

***D. FRID. ANDR. HALLBAUERI, RERUM SAcrarum Conſiliarii, & Doctoris diſciplinæ ſanctioris celeberrimi in Academia Jenenſi, Conſilia breviora, ſeu deſideria neceſſariæ ſcholaſticarum rerum emendationis, ex Latina lingua in Germanicam translata, & annotationibus aucta, a J. G. H.***

Jenæ & Leucopetræ, apud Jo. Chriſtoph. Crœckerum, 1746, 8.
Plag. 6.

Laudabilis æque ac deplorandæ cœtus ſacri & civilis conditionis fundamentum eſt educatio juventutis. Non igitur contemnendum, quin magni potius æſtimandum, quicquid ad pravam extirpandam, accuratam vero promovendam ac ſtabiliendam, pertinet. Inde & hos labores haud indignos judicamus, in commentariis qui noſtris commemorentur. Immo vero hoc digniores ſunt commendatione, quod paſſim, magno rei pu-

blicæ detrimento, labi res ſcholaſtica videatur & corrumpi. Queritur hac de re in Præfatione Clariſſ. Editor; quem eſſe *Jo. Gotbofr. Hauptmannum*, eloquentiæ atque elegantiorum literarum in Gymnaſio provinciali Ruthenico Profeſſorem, ex fine Dedicationis, qua Nobili *de Freiesleben*, Mæcenati ſtudiorum ac promotori, opus conſecravit, apparet. Idem tamen ſimul vindices humanitatis in Germania alios laudat, eosdemque primarios. Adulationis vitium peroſus, tacet, quos Lipſia fovet, quosque doctores ac patronos coluit, per ſeſe jam notiſſimos. Nominat vero *Stemmleros*, *Kæcheros*, *Winckleros*, *Reinbardos*, inter rei ſacræ nunc antiſtites, ſcholarum antea magiſtros; in Academiis autem *Bergeros*, *Leyſeros*, *Hoffmannos*, *Baumgartenios*, *Mosbemios*, *Heumannos*, *Geſneros*, atque alios, prædicat. Inprimis ipſi commemorandi videntur, in Academia Jenenſi, *Walchius* & *Hallbauerus*. Poſterior eſt, cujus tractationem de præparatione ad recte formandam juventutem in Academiis inſtituenda, & deſideria ſcholaſtica, quæ collectionis operum *Sturmianorum* de inſtitutione ſcholaſtica, Præfationi ſubjuncta reperimus, dictorum, inter alia, documenta profert. Mandato ac deſiderio Autoris ſatisfaciens, poſteriora, noſtram in linguam converſa, ſingula, & ampliſſimis partim annotationibus, confirmavit, explicuit, auxit, illuſtravit. Neque enim omnino imparatus ad iſtam occupationem acceſſit, qui, continuare ſe huc ſpectantium librorum lectionem atque diſquiſitionem, ipſe profitetur; aliis jam eo ſpectantibus Commentationibus innotuit; novem propemodum annos gymnaſticæ juventuti præfuit; atque ultra biennium totam Rectoris & Conrectoris provinciam ſimul adminiſtravit; nec raro, ad triginta per hebdomadem horas, recitationes ſimul privatiſſimas inſtituens, quid proſit juventuti, quid obſit, perſpexit, ut alia taceamus. Atque omnino ipſa deſideria ita ſunt comparata, ut expendi mereantur. Unum ſaltem & alterum ſpectemus. Cura ſcholarum inſtituendarum & conſervandarum Principibus ac magiſtratibus quam maxime injungitur. Inſpectores flagitantur, qui poſſint ac velint ſalutem ſcholarum promovere. Doctores ſacri per cathedram ad ſuggeſtum debent adſcendiſſe. Scholaſticum ad munus præparatio debet in Academiis ſuſcipi ſingularis. Ad has ex ſcholis & Gymnaſiis

nemo

Digitized by Google

nemo niſi linguis, artibus, ſcientiis, eo pertinentibus, rite inſtructus, & poſt acceptam vitæ Academicæ laudabiliter degendæ inſtitutionem, dimittatur. Omnibus ſcholæ ordinibus idonei tantum præficiantur doctores, pii ſcilicet, eruditi, humani, patientes, diligentes, docendi præditi dono, fideles, prudentes, autoritate pariter & corporis viribus pollentes; itemque plures, ne tædio capiantur tam pauci. Majore honore ac præcedendi dignitate gaudeant iidem, atque lautioribus etiam reditibus, ſpeque ampliore. Nihilo minus, tædio qui capiuntur, aliis, quibus apti, muneribus præficiantur; ſeniores rude donentur, ac honeſte cum ſuis ſuſtententur; removeantur indigni. Superioribus præſertim magiſtris major relinquenda eſt poteſtas, ea, quæ ad ſalutem ſpectant juventutis, in doctrinæ ac diſciplinæ ratione, dirigendi. Omnium doctorum ſumma ſit concordia; eademque omnibus auxiliis ac modis promoveatur. Omnes ordines vel hebdomade ſemel viſitentur, ad doctorum & diſcipulorum diligentiam ac dexteritatem explorandam, confirmandam, excitandam. Omne doctoribus auxilium, quatenus poſſunt, parentes ferant & cives. Emendatio animi, voluntatis non minus, quam intelligentiæ, ſcholarum ſit primarius ſcopus. Nec vero corpus negligatur; quodque ad externam pertinet commendationem, ac totius vitæ bonam directionem. Ingenium potius & judicium, quam ſola memoria, ſpectetur ac juvetur. Non ſcholæ, ſed vitæ, diſcendum. Cognitio linguarum & ſcientiarum, verborum ac rerum, conjungatur. Ratio docendi ad rerum naturam, diſcentium facultatem, numerum, ſcopum, accommodetur. Confuſio, nimia varietas & feſtinatio, cane pejus atque angue fugiantur. In linguis addiſcendis uſus potius atque exercitatio, quam nugæ ac minutiæ grammaticæ, ſpectentur. Repetitio ſit anima ſtudiorum. Audita reddere & proponere ipſi jubeantur alumni. Exercitationes eloquentiæ ſint crebriores. Nihil diſcatur, vel in infimis ordinibus, in ſpem venturæ oblivionis; ſed diſcendorum legitimus ſit ordo, ut pergat alter magiſter, ubi antecedens deſiit. Nemo niſi aptus & idoneus recipiatur, aut in ſuperiorem ordinem promoveatur. Singulis artibus potius, quantum fieri poteſt, ſingulæ claſſes conſtituantur, tractandisque

Digitized by Google

ſtandisque & abſolvendis certum temporis ſpatium definiatur. Publice non niſi omnibus utilia doceantur; cetera privatim. Attentio ſtudioſe ſuſcitetur. Diligentia promoveatur ac ſuſteintetur præmiis, beneficiis, atque aliis auxiliis. Et quæ hujus generis alia monita, maxime ſalutaria, reſtant; quæ ſi quis, judicio pollens, & præconceptis opinionibus carens, legerit, facile conſentiet, multum ad optatam ſcholarum emendationem collatura.

*HERMANNI FRIDERICI TEICHMEYERI, HÆREditarii in Camsdorff & Wenigen-Jena, Phil. & Med. Doct. Anat. Chirurg. & Botan. P. P. O. Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Vinarienſ. & Iſenacenſ. Conſil. Aul. & Archiatri, Academ. Nat. Curioſ. Imperial. Leopold-Carolinæ & Reg. Societat. Scient. Boruſſicæ Sodalis, Inſtitutiones materiæ medicæ, ſive introitus apertus ad materiam medicam, & methodum medendi, in uſum auditorum conſcriptæ. Accedit PAULI HERMANNI, Medici & Profeſſoris Lugduno-Batavi, dum viveret, Celeberrimi, Lapis materiæ medicæ Lydius, a D. CHRIST. LUDOV. WELSCHIO antea editus.*

Jenæ, ſumtibus Jo. Adami Melchioris, 1737, 4.

Alph. 1 plag. 12.

Valet maxime de *Teichmeyeri* libris, quod, ſi unum noris, omnes noviſſe videaris. Omnes enim ad eandem normam compoſuit, quoniam ubique eundem finem, auditorum ſcilicet ſuorum emolumentum, quibus, ut alios ſuos libros, ita & hunc, in recitationibus ſuis Academicis explicare conſtituerat, reſpicere ſolebat. Breviter ſcilicet nervoſeque omnia complexus eſt, quæ ad diſciplinæ ſuæ argumentum pertinere intellexerat. Eodem enim modo & hic de medicamentorum, e. g. emeticorum, ſudoriferorum, &c. definitione, elementis & particulis conſtitutivis, morbis, quibus conveniunt, uſuque practico, iis, quæ uſum vetant, ſive, ut vocantur, contraindicantibus, abuſu, regimine, & cautionibus, agit, & deinceps ſyllabum remediorum, cuivis claſſi adſcribendorum, longo ordine, ſed ſolis nominibus, percenſet, qui, quoniam more in formulis medicinalibus conſueto contextus fuit, maximum libri ſpatium conficere videtur. Neque enim in omni medicamentorum claſſe textus æqualiter amplus reperitur, quoniam momenta, quæ jam commemoravimus, non omnia perſtringuntur, ſed nunc plura, nunc pauciora. *Caput* de Salivatione reliqua amplitudine ſuperat. Nonnulla alia *Capita* vix decem duodecimve lineis conſtant.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXLVII.

**PROSPERI CARD. LAMBERTINI, POSTEA BENEDICTI XIV, P. M. Commentarii duo, de D. N. Jeſu Chriſti, matrisque ejus, Feſtis, & de Miſſæ ſacrificio, retractati atque aucti. Ex Italico in Latinum ſermonem vertit MICHAEL ANGELUS DE GIACOMELLIS, ex intimis Autoris Capellanis.**

Patavii, typis Seminarii, apud Joannem Manfré, 1745, fol. maj. Alph. 6 plag.

Quæ A. 1740 Italico ſermone prodierunt Cardinalis *Lambertini Annotationes* cum *in Feſta Jeſu Chriſti et Mariæ*, tum *in Miſſæ ſacrificium*, novo nunc et Autore, ad ſummum Romanæ Eccleſiæ faſtigium evecto, plane digno conſpiciuntur habitu, ita adornatæ, ut, cum ampliſſimum Autoris Opus *de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione*, ab eodem typographo paulo ante *quatuor Tomis* evulgatum ſit, iſtæ *Tomum quintum* Operum B. Patris conſtituere poſſe videantur. Cave autem, credas, præter externum habitum, et Latini ſermonis cum Italico factam commutationem, nihil in opere ipſo fuiſſe immutatum. Hujus enim conſcribendi laborem Autor, qui tunc Bononienſem regebat eccleſiam, hanc potiſſimum ob cauſam ſuſceperat, ut partim iis ſubveniret, quorum eſt, diebus feſtis commiſſum ſibi populum de illis myſteriis pro concione docere, partim, qui in Bononienſi diœceſi ſeſe Deo et Eccleſiæ voverant,



Digitized by Google

ſant, Fratres excitaret, animum ut ad dogmata Theologiæ converterent, nec, Scholaſticæ Theologiæ ſpatio decurſo, ceſſarent, ſed ad ſacras hiſtorias, et controverſias, quæ in iis diſceptantur, cognoſcendas tranſirent. Continebantur itaque in libro Italice edito *Annotationes ad Acta Sanctorum eccleſiæ Bononienſis*, nunc plane ſummotæ, tum ne præter modum creſceret voluminis magnitudo, tum quod illa Acta non ad univerſalem, cujus uſibus nova hæc verſio accommodata eſt, ſed ad Bononienſem tantum, eccleſiam pertinebant. In earum locum varia ſucceſſerunt additamenta, quæ Autor ſubciſivis paravit temporibus, cum ipſi a publicis curis, in domeſtica Bibliotheca ſecluſo, paulum licuit reſpirare.

His præmiſſis, ad argumentum novi hujus Operis cum Lectoribus breviter communicandum noſmet accingimus. *Voluminibus duobus* conſtat, quorum prius, de *Feſtis Jeſu Chriſti, matrisque ejus*, poſterius *de Sacrificio miſſæ*, tam copioſe, tam docte, tam luculenter, agit, ut, quæcunque apud veteres recentioresque ſcriptores ad illas res pertinentia reperit *Lambertinus*, ea fere omnia congeſta, et bene diſpoſita, huc conjeciſſe videatur. *Voluminis prioris Partes* ſunt *duæ*. *Prima* Jeſu Chriſti Feſta ſecundum Calendarium, ſeu Eccleſiæ Romanæ
Pag. 1. faſtos, ſolerter pertractat, a nobis quoque enumeranda. 1) *Feſtum circumciſionis, & Octava nativitatis* ejusdem, quæ Cal. Januarii celebrantur. Expoſitis, quæ et de inſtitutione circumciſionis, et de illius effectibus, et de circumciſione Chriſti ſpeciatim, opportuna videbantur, de ipſo feſto dicitur, quo fit Sacramenti commemoratio, & circumciſum Dominum ado-
2. ramus. Inter alia, circumciſionem non ab Ægyptiis ad Hebræos, ſed ab his ad Ægyptios, profectam eſſe, contra *Marshamum* & *Spencerum*; neque eandem ut Sacramentum Vet. Teſtamenti per ſe gratiam juſtificantem contuliſſe, contra illos
3. diſputatur, qui Sacramentis Vet. Teſtamenti eandem cum his, quæ Chriſtus in Novo inſtituit, virtutem tribuunt. Ante finem Seculi quarti videtur hoc Feſtum cœpiſſe celebrari. 2)
11. *Feſtum Epiphaniæ*, quod poſtridie Nonas Januarii celebratur.
12. Tres hac die recoluntur Chriſti apparitiones ab Eccleſia. Comme-

Digitized by Google

Commemoratio fit *adorationis Magorum*, qua Dominus commonſtratus eſt gentibus; *baptiſmatis*, quod a *Joanne* ſuſcepit, cum, voce delapſa de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus*, Judæis innotuit; et *converſionis* denique *aquæ in vinum*, qua factus eſt manifeſtus diſcipulis. Sed, num terna hæc miracula eodem anni die contigerint, apud ipſos Pontificios ita adhuc diſceptatur, ut *Baronius*, quocum Autor noſter et plurimi magni nominis Theologi faciunt, cum litem dirimit, bina priora tantum iſti diei vindicet, ultimum autem eodem quidem anno, at diverſo plane die, factum eſſe, contendat. Variæ circa tres illas apparitiones quæſtiones notantur & explicantur, v. g. quænam ſtella magorum fuerit; quot magi; quæ horum nomina; qualis titulus & conditio, & patria; ubi Chriſtus a Magis repertus ſit; quo cultu ipſum adoraverint; num Chriſtus ante baptiſmum *Joannem* Baptiſtam, & hic Chriſtum, de facie noverit; an baptiſmus *Joannis* ejusdem virtutis fuerit cum baptiſmo Chriſti; quanam ratione Judæi uſi ſint, confitendi apud *Joannem* peccata; quæ virtus fuerit remiſſionis peccatorum, ſeu abſolutionis, a *Joanne* factæ; cur Chriſtus baptizari voluerit; utrum per immerſionem, an vero per perfuſionem, in capite factam; an aqua in nuptiis in rubrum vinum converſa; quis ſponſus fuerit; quæ hydriæ; cur *Herodes* infantum cædem diſtulerit, eosque a bimatu interfici jusſerit; quæ Feſti Epiphaniæ origo, celebritas, et vetuſtas; quibus miraculis illud feſtum in eccleſia illuſtratum ſit; quænam conſuetudo illud celebrandi, tum apud Orientales, tum Occidentalis Eccleſiæ, Chriſtianos ſervata ſit, et hodie ſervetur; reliqua. Nimis quidem operoſum foret, cujuslibet diſcuſſionis indicare ſummam; pauca tamen delibare, & ſpeciminis inſtar lectoribus allegare, juvabit, ut & inſtituti ratio, & dicendi materia, et methodus, qua uſus eſt *Lambertinus*, eo pateant luculentius. De *ſtella magorum*, inquit, nihil aliud nobis exploratum eſt, quam, ut ſapienter monet *Lamy*, inſolitum quendam fulgorem eorum in ſe oculos convertiſſe, qui ſideribus contemplandis operam dabant, eorumque animos monuiſſe, ut de re aliqua magna, inuſitata, nova, inaudita,

Pag. 27.

31

 cogita-

cogitarent, quæ tum temporis accidiſſet. Tres fuiſſe Magos,
neque plures, neque pauciores, recepta, & multis recentiorum
Pag. 14. teſtimoniis hic confirmata, docet eccleſiæ ſententia. Quæ vero
nomina ipſorum fuerint, de hoc nihil nobis eſſe compertum,
15. prudenter cum affirmat Autor, id tamen non eo vult dictum,
ut Colonienſis eccleſiæ piæ traditioni quidquam detrahatur,
quæ Magos ſub nominibus *Melchioris*, *Caſparis*, et *Balthaſaris*,
16. veneratur. Reges fuiſſe Magos, ſaltem Dynaſtas, opinione
quidem creditur valde probabili, ſed nuſpiam habetur in Ec-
30. cleſia Catholica articulus fidei. Ex Arabia Bethlehemum pro-
18. fecti tres illi ſancti, tredecim poſt diebus a nativitate Chriſti
ad præſepe hujus aderant, & puero, ut Deo thus, ut Regi
19. aurum, ut homini myrrham, offerebant, Deum et hominem
in una eademque perſona deveneratì. Quæſtionem de virtute
baptiſmi *Joannis* dijudicaturum, tria baptiſmata, quorum Scri-
22. ptura meminit, bene oportet diſtinguere. Primum erat *Ju-
daeorum*, nimirum ſacra quædam cerimonia, qua vel ſe præ-
parabant, ſi quid inceptarent, vel ad aliquam legalem ma-
culam eluendam utebantur. Alterum eſt *Baptiſma Joannis*,
quo homines ad ſanctificationem per Chriſti baptiſmum ſuſci-
piendum præparabantur. Diſponebat enim hoc tantummodo
ad gratiam, non conferebat; neque ejus effectus, ſed tantum
ritus, a Deo fuit. Tertium denique eſt *Jeſu Chriſti Baptiſma*,
vi ſanctificandi, et remittendi peccata, præditum. Judæis con-
feſſio peccatorum *Joanni* facta neque Sacramentum erat, neque
per *Joannem* ita remittebantur peccata, ut per confeſſionem
24. a Chriſto inſtitutam fieri, Eccleſia novit. Chriſtus baptizandus
omnino in aquam immerſus eſt, cum Spiritus ſanctus non
25. phantaſticæ, ſed veræ, columbæ forma delaberetur. Vinum
in nuptiis Canæ Galilææ in vinum rubrum converſum fuiſſe,
negatur, propterea quod, architriclinium mutationem aquæ in
26. vinum demum guſtando deprehendiſſe, conſtat; qua re opus
non fuiſſet, ſi in oculos incurriſſet color mutatus. Sponſus
in his nuptiis non fuit *Joannes* Evangeliſta, ſed vel *Simon* Ca-
nanæus, vel *Nathanael*. Cum non defuerunt, qui religionis
impulſu hydrias illas nuptiales conſervarent, quæ Lutetiæ

Pariſio-

Digitized by Google

Pariſiorum, Coloniæ, Bononiæ, et alibi, aſſervantur, in ſuæ ve-
nerationis profeſſione poſſunt relinqui. Stella non ante illu- Pag. 28.
xit, quam Chriſtus Jeſus natus eſſet; Magis autem, non e Per-
ſide, ſeu Chaldæa, ſed ex Arabia, profectis, tredecim poſt dies
Bethlehemum venire, perquam facile erat. Fuga Chriſti in 29.
Ægyptum non niſi poſt quadraginta dies a nativitate ejusdem
contigit. Proinde, qui ex mandato *Herodis* de infantibus tru- 31.
cidandis alia ac plane diverſa colligunt, ex ipſa Evangeliſta-
rum narratione refelli poſſunt facili negotio. *Matthæus* enim
*Cap. II* ſcribit: *Cum ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in
diebus Herodis Regis*, *ecce Magi* &c. Vox autem *ecce* non 32.
adhiberi ſolet rebus indicandis, quæ longo poſt tempore con-
tigerunt, & certe duorum triumve annorum, quem ſcripto-
res quidam fingunt, interjectum prorſus excludunt; neque ex
Evangelio erui quidquam poteſt ſtabiliendæ ipſorum opinioni
idoneum, cum *Herodem* metu et pavore, veluti furiis, miſerri- 33.
me divexatum, ne in re, quam agitabat animo, ullus eſſet
errandi locus, in eam partem peccare maluit, ut furorem
ſuum, etiam ubi non eſſet opus, quam latiſſime funderet, et
ad bimulos etiam pueros crudelitatem ſuam proferret. Tanta 34.
hujus Feſti apud veteres ſemper fuit celebritas, ut illi vel im-
piiſſimi Imperatores, e. g. *Julianus* Apoſtata, *Valens*, &c. ad-
eſſe voluerint. Chriſtiani, teſte *Chryſoſtomo*, media nocte
ab Eccleſia, in memoriam baptiſmatis Chriſti, quo aquæ ſunt
conſecratæ, domum afferre ſolebant aquam, eamque ad annum
integrum, ſeu plures, incorruptam reſervare. Hujuſmodi mi-
racula aquæ benedictæ, per multos annos nullo vitio infectæ, in
Eccleſia plura contigerunt. Fontes varii hoc ipſo die vino ma-
narunt, uti *Epiphanius* memoriæ prodidit, neque *Caſaubonus*,
etſi ſecta Calvinianus, in dubium vocare auſus eſt. In orientali 35.
eccleſia Epiphania eodem cum Feſto nativitatis celebrabatur
quondam die; in occidentali autem feſta hæc dies ſemper ſex-
ta Januarii, at non una ratione, celebrata eſt. In quibusdam Ec-
cleſiis præibant Vigilia atque Jejunium; nunc vero tantum Vi-
gilia ſine Jejunio. In quarundam civitatum eccleſiis etiamnum
fit benedictio aquæ in Vigilia Epiphaniæ. Inter alia, quæ ad



Digitized by Google

Officium hujus diei ſanctum pertinere docet Autor, hoc prætereundum nobis non eſſe ducimus, quod hac die in Miſſa, quæ in Eccleſia Cathedrali ſolenniter celebratur, poſt Evangelium Archidiaconus, vel Canonicus, vel Beneficiarius, ſeu quivis alius, ſecundum locorum conſuetudinem, totius ineuntis anni Feſta mobilia populo e ſuggeſtu denuntiet.

Ex his cum facile judicare poſſit ſapiens Lector, quam & quibus rebus narratio ſingulorum Feſtorum in hoc Opere inſtructa ſit; huic Feſto diutius immorandi neque tempus, neque ſpatium, habentes, ad reliqua progredimur, id operam daturi, ut potiora Operis capita Lectores per tranſennam videant. 3)
Pag. 36. *Sanctiſſimi Nominis Jeſu Feſtum* celebratur ſecunda poſt Epiphaniam Dominica. Quamvis enim in circumciſionis die hu-
37. jus rei jam facta ſit mentio; pietas tamen fidelium poſtulare creditur, ut certa quadam et peculiari die idem Feſtum inſtauretur. Officium hujus Feſti, quod antea Franciſcanorum fa-
38. miliæ tantum ſolenne erat, *Innocentius XIII*, *Caroli VI* Imperatoris precibus inductus, A. 1721 univerſali eccleſiæ commendavit. 4) De officio, *Dominica Palmarum* inſtitui ſolito, acturus Autor, integram Evangeliſtarum narrationem *Matth. XXI*, *Marc. XI*, *Luc. XIX*, de ingreſſu Chriſti in urbem affert, explicat, & quæſtionibus cum utilibus, tum curioſis, nec injucundis, animos lectorum, ut per totum Opus, ſtudet recreare. Ritus eccleſiæ, quorum fit deſcriptio, præcipui ſunt, proceſſio
44. in memoriam triumphalis Chriſti ingreſſus, conſecratio palma-
46. rum, et præterea multa alia, quæ olim in hac Dominica, ſive apud Orientales, ſive apud Occidentalis Eccleſiæ Chriſtianos,
49. ſervabantur, nunc autem obſoleverunt. Tum 5) de *Matutinis tenebrarum* agitur, quæ *quarta*, *quinta*, et *ſexta*, feria magnæ hebdomadis veſperi recitantur. Præter ea, quæ ad officium ſacrum et varios ritus hoc luctuoſiſſimo eccleſiæ tempore ſpectare videntur, 6) ad *Feriam quintam in Cœna Domini*, & 7) ad *ſextam in Paraſceve*, de ultimo, quod Chriſtus celebravit, paſchate, de inſtituto Chriſti et Romanæ eccleſiæ, ab-
49-134. luendi pedes, de inſtitutione S. Cœnæ, de proditione *Judæ*, de paſſione & morte Servatoris, ponderoſas ſane, difficiles,

imo

imo plures, quæſtiones et ardui momenti res, non levi brachio, ſed operoſe, pertractatas deprehendimus. Chriſtum verum Pagſcha cum Judæis celebraſſe, legali cœna expleta pedes Apoſtolorum laviſſe, tum in vulgari cœna Sacramentum inſtituiſſe, ſuum ipſius corpus et ſanguinem ſumſiſſe, idemque tradidiſſe proditori *Judæ*, inter alia multis argumentis & ſuffragiis, quæ inſtar argumentorum plerumque eſſe ſolent, evincitur. Ultimis cruciatibus, dictis, factisque, Jeſu Chriſti ſolerter expenſis, quæ mortem ipſam inſecuta ſunt, allegantur prodigia et miracula, atque hæc tam e profanis, quam ex ſacris, ſcriptoribus vindicantur. Servatorem ſepultum 8) *Sabbathum ſanctum* excipit, feria hebdomadis ſeptima, quo quietem Chriſti in ſepulcro, deſcenſum ad inferos, et ea, quæ ad ſtatum animæ Chriſti a corpore ſeparatæ pertinent, recolit Eccleſia Romano-Catholica. Variis, quæ in controverſiam hic venire ſolent, excuſſis, cum in Sabbathi ſancti cerimoniis etiam reſurrectionis celebrari ſoleat myſterium, ſequentis Feſti argumentum præoccupatur, & de reſurrectione ipſa ſermo inſtituitur. Tractationem omnem in *quinque Capita* diviſam ita voluit Autor, ut *primo* veritatis reſurrectionem demonſtret; *ſecundo* de tempore & hora, qua Chriſtus revixit, diſſerat; *tertio* hujus rei circumſtantias afferat; *quarto* de qualitate agat corporis reſurgentis, & *poſtremo* de iis ſermonem habeat, qui reſurrexerunt cum Chriſto. Brevibus hæc expediuntur, quo & diſciplinæ, & cerimoniis, aliisque ritibus, cum vetuſtis, tum novis, enarrandis locus ſit, quæ in eccleſia hoc die in conſuetudinem abierunt. 9) *De Dominica Paſchæ*, ac de *duobus Feſtis*, quæ conſequuntur, jam non eſt, quod diſputet Autor præter originem feſti ac vocis, & diſſenſum Eccleſiarum Aſiæ a Romana de tempore celebrandi Paſchatis paucis memorandum. 10) *Feſtum Adſcenſionis* celebratur Feria quinta, quæ Dominicam quintam poſt Paſcha conſequitur. Hæc, quam ingreſſus eſt Autor, tractandi ratio cum poſtulet, ut, quæcunque de rebus Chriſti a reſurrectione ad adſcenſionem geſtis in Evangeliſtarum hiſtoria ultimam paginam faciunt, in diſquiſitionem veniant; nihil prætermiſſum eſt, quod de variis reducis Chriſti e ſepulcro

Pag. 56. 66. 70. 134. 149. 156. 167. 174. 176.

Pag. 164. ſepulcro apparitionibus, quarum prima B. Virgini facta eſſe
181. creditur, de qualitate corporis, de novis miraculis Chriſti,
de poteſtate *Petro* data, ut caput eſſet univerſæ eccleſiæ, quod
188. argumentum vix digito attingitur, de morte *Joannis* ad *Jo.*
*XXI, 22,* de baptiſmo Apoſtolis, qui & ipſi ante adſcenſionem baptizati eſſe perhibentur, demandato, de benedictione ſuper Apoſtolos ultima, de adſcenſione ipſa ſecundum ſingulas circumſtantias, & de variis denique, ad ſtatum exaltationis pertinentibus, videbatur memorabile.

196. Non minorem ad ſolennitatem 11) *Feſti Pentecoſtes* depingendam Autor induſtriam adhibet, monumentum rerum hoc die & ante geſtarum ex *Act. Apoſt. I, 15, II, 1-47,* multa & varia diſputatione illuſtrat, ac tandem, quos ritus Ro-
208. mana Eccleſia huic Feſto ſacros eſſe jubeat, edocet. 12) *Fe-*
211. *ſto Trinitatis* breviter immorato, & 13) ad *Feſtum Corporis Chriſti* progredienti, major dicendi, & cum de origine, variis Sanctorum viſionibus, & portentoſis narratiunculis, conſpicua, tum de cultu hujus Feſti rite inſtituendo, quidem ſe offerebat diſputandi materia, ſed, id cum indicaſſet *Lambertinus*, quod
214. ſumma cauſæ erat, modum orationi poſuit, 14) ad *Feſtum Inventionis S. Crucis* provolans, quod die 3 Maji ſolenne habetur. Hic cum non unius miraculi veritatem in dubium vocare audeant, quos dicit, hæretici, id ſibi potiſſimum negotii datum eſſe credidit, ut & iſta, quæ de forma Crucis in cœlo a *Conſtantino M.*, dum pararet exercitum, repente viſa memorant, & hæc, quæ de inventione crucis, qua Chriſtus affixus eſt, cum duabus aliis, S. *Helena* imperante effoſſis, fabulantur ſcriptores, ab audaciorum, uti vocantur, hominum vindicet ar-
220. gutiis. At majori longe fide digna ſunt, quæ 15) *Feſto transfigurationis Domini* die 6 Auguſti celebrando anſam præbuere, ex limpidiſſimis ſacri Codicis fontibus *Matth. XVII, Luc. IX,* hauſta, obſervationibus & interrogatiunculis hic docte am-
227. plificata. 16) *Feſtum Exaltationis ſanctiſſimæ Crucis*, quod die 14 Sept. in memoriam crucis hoſtibus ereptæ celebrant, eandem, quam *Feſtum Inventionis*, diligentiam flagitat; hoc autem, quod Eccleſia vere Catholica ubivis terrarum die 25

Decem-

Decembris ſolenne eſſe jubet. 17) *Natalis Domini Jeſu Chri-* Pag. 230.
*ſti* feſtum præ ceteris multis dignum erat, cujus originem, 250.
beneficia, & cultum, longa Diſſertatione, at docta, utili, ju-
cunda, Autor exponeret. Quicquid enim de Chriſto naſcente
Scriptura tradit, ſacri interpretes commentantur, alii diſpu-
tant, alii fabulantur, hic fere congeſtum, aut dijudicatum,
aut notatum, aut delibatum, inveniet lector.

Verum ad *prioris Voluminis Partem ſecundam* accedi- 251.
mus, qua *Beatæ Mariæ Virginis Feſta* recenſentur. Horum
notaſſe ſufficiet nomina, dies, &, ſicubi opus erit, piæ celebri-
tatis cauſam atque originem. 1) *Feſtum Deſponſationis B. Ma-*
*riæ cum S. Joſeph*, die 23 Januarii. Illa enim, quamvis perpe- 254.
tuam virginitatem Deo, primo *ſub conditione*, deinde abſo-
lute, voviſſe ſtatuatur, verum tamen cum *Joſepho* iniiſſe 252.
creditur matrimonium, antequam angelus ipſi naſciturum ex 263.
ipſa Dominum annuntiaret. 2) *Feſtum Purificationis*, die 2 Fe- 256.
bruarii. 3) *Feſtum Annuntiationis*, die 25 Martii. In utroque 262.
Feſto quarum rerum memoria ſit ſolennis, ex ipſis Evangeliis
notiſſimum eſt. 4) *Feſtum Dolorum* B. Virginis, feria 6 269.
Hebdomadis Paſſionis, ſeu die Paraſceves, quo Chriſtus cru-
cifixus eſt, ad *Luc. II*, 35. 5) *Feſtum Viſitationis* B. *Mariæ* 274.
*Luc. I*, 39 *ſeq.* 6) *Feſtum* B. *Virginis* de *Monte Carmelo*, die 278.
16 Jul. In eo monte, traditio eſt, adhuc vivæ B. Virgini
ædiculam eſſe exſtructam a piis quibusdam viris, qui eam no-
verant, quique *Joannis Baptiſtæ* prædicatione Chriſti adven-
tum ſatis cognitum habentes, Evangelium amplexati, quotidie
illuc convenire conſueverant, ex quo nomen Fratrum Mon-
tis Carmel illis inditum eſſe creditur. Huc, fabulari per-
gunt, veniſſe *Veſpaſianum*, percontatum, an, quod agitaret
animo, futurum eſſet, ſibi ut bene verteret, & fauſto re-
ſponſo a *Baſilide* ſacerdote dimiſſum. Sed fabula ipſi Autori
ita diſplicet, ut, hoc, quemadmodum alia plura, *pie tantum*
*creditum* eſſe, pronuntiet, & cum hoc ipſo, tum etiam alia oc-
caſione, monitos eſſe lectores velit, multa in Eccleſia Romano-
Catholica *pie credi*, & in ejusmodi Feſtis populo pie credulo 279.
proponi, quorum aut non conſtet veritas, aut falſitas in



Digitized by Google

aprico ſit. Alia tamen, neque minus miranda, celebrandi
hujus Feſti in promtu eſt ratio. Apparuit B. Virgo *Simoni Sto-*
*ckio*, Ordinis Carmelitarum Seculo XIII ineunte Generali, de-
ditque tanquam Ordinis Carmelitani teſſeram *ſcapulare*, in
præcipuæ protectionis ſuæ peculiare ſignum; deinde quinqua-
ginta poſt annis eadem *Joanni XXII*, Summo Pontifici, appa-
ruit, eumque monuit de plurimis indulgentiis, quas a Chri-
ſto, filio ſuo, Fratribus & Sororibus Carmelitani Ordinis impe-
Pag. 281. traſſet, addita promiſſione, ſe, quotquot Carmelitano *Mariæ*
cultui addicti fuerint, primo poſt eorum obitum Sabbatho a
purgatorii igne erepturam. Quas indulgentias cum Pontifex
die 3 Martii A. 1322 promulgaſſet, & *privilegium* ob eam
rem *Sabbathinum* diceretur, & de viſione *Stockii*, & de *Joan-*
*nis XXIII* Bullæ autoritate, diu vehementer et ancipite præ-
282. lio inter ipſos Romano-Catholicos dimicatum eſt, donec *Pau-*
*lus V*, rei Carmelitarum proſpiciens, novo decreto contentio-
nes diremit. Quod antea Carmelitarum Ordini tantum inſtu-
tum eſſe voluerunt Feſtum Pontifices, *Benedictus XIII* uni-
verſæ eccleſiæ paucis abhinc annis ſolenne eſſe juſſit. 7) *Fe-*
*ſtum dedicationis Eccleſiæ S. Mariæ ad Nives*, ſeu Baſilicæ S.
*Mariæ Majoris*, die 5 Auguſti. Templum, de quo ſermo eſt,
Romæ in Exquilino monte ſitum, perpetuæque Virgini *Mariæ*
conſecratum, inter alia, quæ ibi contigiſſe ferunt, miracula,
nomen propterea ad *Nives* nactum eſt, quod, *Liberio* Pon-
tifice, ipſis Nonis Auguſti, quo tempore graviſſimi Romæ eſſe
ſolent calores, precibus pii cujusdam *Joannis* noctu nix in
Exquilinum collem delapſa, & *Joannes* ipſe per ſomnium a
B. *Virgine* monitus, dicitur, ut in ea collis parte, quam nive
tectam videret, templum exſtrueret, ſuoque nomini dedica-
284. ret. Quod cum *Joannes Liberio* Pontifici nuntiaſſet, & hic
idem ſibi a B. *Virgine* per ſomnium ſignificatum eſſe affirma-
ret, templum *Joannis*, ejusque uxoris, ſumtibus exſtructum eſt.
287. Ex æſtivæ nivis miraculo igitur ſolennitas hujus Feſti tanta
eſt, ut iſta Dedicatio Romæ non ſolum, ſed in omnibus uni-
288. verſi orbis Eccleſiis, jam celebretur. 8) *Feſtum Aſſumtionis*
B. *Virginis*, ad diem 15 Auguſti. B. *Mariam* vere mortem
quidem

Digitized by Google

quidem obiiſſe, paulo poſt tamen quoad corpus & animam
in cœlum ſublatam fuiſſe, vera eſt eccleſiæ Romano-Catholicæ
ſententia. Chriſto *adſcenſionem*, Matri ejus *aſſumtionem*, tri-
buunt. Hanc autem Deiparæ aſſumtionem, quanquam non Pag. 294.
inter articulos fidei referatur, qui tamen negaverit, eum te-
meritatis ſummæ notandum Autor ſtatuit; quid? quod longa 294-298.
diſputatione ſtudet comprobare. 9) *Feſtum Nativitatis B.* 300.
*Virginis*, die 8 Septembris. Ubi cum de die ſoloque natali
*Mariæ* diſquiritur, etiam parentum B. *Mariæ* & Feſtorum, 304.
quæ in honorem ipſorum Eccleſia inſtituit, injecta eſt men-
tio. 10) *Feſtum Nominis Mariæ*, Dominica infra Octavam 306.
Nativitatis. Quanta nominis *Mariæ* ſit in Eccleſia veneratio,
vel ex eo apparet, quod non ſolum haud pauci perhibent,
ex angelica revelatione hoc nomen ipſi inditum fuiſſe, ſed
etiam, idem nomen mirabiliter conferre ad æternam ſalutem
etiam ex opere operato, ſicut valent aliqua alia ſacramenta-
lia, Theologi quidam exiſtimant. 11) *Feſtum B. Mariæ de* 307.
*Mercede*, die 24 Septembris; quod originem ſuam novæ ap-
paritioni B. Virginis debet, qua Arragoniæ Regem, *Jacobum*,
aliosque Sanctos, monuit, ut in ſui honorem Ordinem religio-
ſorum hominum inſtituerent, cujus liberandorum e Turca-
rum ſervitute Chriſtianorum partes eſſent præcipuæ; a qui-
bus Sanctis deinde *Regularis Ordo ſub Invocatione B. Mariæ*
*de Mercede Redemtionis captivorum* primordia ſumſit. 12)
*Feſtum Roſarii Beatiſſimæ Virginis*, prima Dominica Octobris. 309.
Hujus cultum antequam exponeret Autor, ipſum Roſarium, ſive
formulam precandi, ab objectionibus vindicandam duxit, &,
morem, ad globulos ſalutationes angelicas recenſendi, perve-
tuſtum eſſe, ut lectoribus perſuaderet, allaboravit. 13) *Feſtum* 312.
*de Patrocinio B. Virginis*, in tertia Dominica Novembris; id
quod memoriam orationis & interceſſionis *Mariæ* pro homi-
nibus apud Deum celebrat, inſtitutum non univerſæ Pontifi-
ciorum Eccleſiæ, ſed eccleſiaſticæ tantum ditionis, provin-
ciis, & Hiſpaniarum Regi ſubjectis, eſt ſolenne. 14) *Feſtum* 313.
*præſentationis B. Virginis*, die 21. Novembris, in memoriam
myſterii, uti quidem hic appellatur, quo B. Virgo a ſuis



Digitized by Google

parentibus in templo præſentata eſt. Quo autem, quæ ad
imitationem Feſtorum Chriſti de cultu *Mariano* huc uſque
Pag. 316. ſancita videt Lector, perficiantur, additum eſt 15) *Feſtum
Conceptionis* B. *Virginis*, die 8 Decembris. Hanc enim cum
non ſanctificatam in utero, ſed a communi omnium hominum
contagione & originali labe, per gratiam, in primo conceptio-
nis momento infuſam, prorſus immunem factam fuiſſe, affir-
mant, merito cultu religioſo perſequuntur ejus rei memoriam.
322. Gravem ſatis igitur in ipſis eccleſiæ viſceribus ea de re agi-
tatam controverſiam ita dijudicat Autor, ut, Eccleſiam
ipſam immaculatæ conceptioni favere, nondum tamen Apo-
ſtolicam Sedem eandem tanquam fidei articulum definiiſſe,
326. ſtatuat. 16) *Feſtum Translationis ſanctæ Domus* Lauretanæ, die
330. 10 Decembris. 17) *Feſtum exſpectationis partus B. Virginis*,
die 18 Decembris. 18) *Officium S. Mariæ in Sabbatho*; cum
qualibet Sabbathi die non impedita Officium de S. *Maria* ſo-
leat recitari.

Vol. II. Ad *alterum Volumen* nunc properandum eſt paucis me-
morandum, ne Lectorem moremur juſto diutius. Commen-
tarium de ſacrificio Miſſæ continet, eorum in uſum conſcri-
ptum, quorum eſt, populum docere de ritibus, cerimoniis,
aliisque, quæ ad Miſſam pertinent, & ſacrificium facere. In
duas ille *Sectiones* diviſus eſt, quarum *prima* ſequentia com-
Pag. 4. plectitur capita: 1) de *loco*, in quo primis eccleſiæ ſeculis ac
6. medii ævi temporibus Miſſa celebrabatur, ubi templorum con-
ſecrationem ex Apoſtolica inſtitutione comprobatum it Autor;
8. 2) *de altari, quod lapideum eſſe debet & conſecratum, & or-
namentis*, quibus debet inſtrui, ut in eo Miſſæ ſacrificium
rite fieri poſſit; 3) *de vaſis ſacris*, aliisque, ad ſanctum Miſſæ
ſacrificium celebrandum neceſſariis, Calice, Patena, Corpo-
rali, Purificatorio, Palla, Velo, Burſa, Ampullis, Vino, &
14. Aqua; 3) *de veſtibus ſacerdotalibus*, coloribus, earumque
22. veſtium ſignificatu; 4) *de miniſtro, qui ſacerdoti celebranti in-
24. ſervit*, de ablutione manuum, antequam ſacerdos ſacras ve-
ſtes induat; de Pſalmis & Orationibus, in præparatione ad
36. Miſſam a ſacerdote recitandis; 5) *de etymologia Miſſæ*, &
qua

Digitized by Google

quâ lingua recitanda ſit; 6) *de Miſſa initio uſque ad introi-* Pag. 42.
*tum;* 7) de introitu Miſſæ uſque ad *Evangelium;* 8) de ea 46.
Miſſæ parte, quæ Evangelium inter & *Offertorium* interjici- 59.
tur: ubi & Symbolorum fit mentio; 9) de Miſſa *ab Offerto-* 67.
*rio* uſque ad manuum ablutionem; 10) de Miſſa ab *ablutione* 74.
*manuum* uſque ad Canonem; 11) de Canone Miſſæ; 11-16) 80.
de prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, *Oratione Ca-*
*nonis;* 17) de Miſſa ab iis verbis, *Oremus praeceptis* &c. uſque 84-119.
ad Communionem; 18) de *Communione Sacerdotis;* 19) de 130.
Communione *populi;* 20) de Orationibus, quæ *ſubmiſſa voce* 144.
dicuntur in Miſſa; 21) de Miſſa a Communione uſque ad 152.
finem.

*Sectio ſecunda* varios caſus circa ſacrificium Miſſæ con- 156-237.
tinet, qui proponuntur & reſolvuntur. Horum tam ingens eſt multitudo, ut deſcribendis nudis quæſtionibus tantum operæ & ſpatii tribuendum eſſet, quantum totius Operis enarratione vix conſumſimus. In utroque Commentario circa hæc, quæ leviter indicavimus, argumenta, imo longe plura, ita Autor Summus verſatus eſt, ut, utrum inſignem & Antiquitatum & Hiſtoriæ, tam ſacræ, quam profanæ, & univerſæ Theologiæ, & legum eccleſiaſticarum, notitiam, an vero lectionem Patrum, ſcriptorumque, qui inter Romano-Catholicos præcipui ſunt, quin & Proteſtantium, diffuſam, ordinem, dictionis genus grave, moderatum, luculentum, admireris, certe incertus ſis. Traditionum & doctrinarum, quas Eccleſia, cujus ſummas hodie tenet, conſtanter ſervat & propugnat, ingenuus amator & defenſor, nugas & quisquilias otioſorum in monaſteriis hominum, quarum *Baronios*, *Bellarminos*, alios-que emunctæ naris viros, puduit, haud raro refellit, præterit, aut unicuilibet ſua pie credenda relinquit; præclaris vero, quæ Gallia tulit, ingeniis, *Launojo*, *Nat. Alexandro*, *Tillemontio*, & ipſorum in re ſacra auſis, rariſſime favet, ſæpe alienum, aut offenſum, ſe præbet. E Proteſtantibus hi, quorum intereſt, noſſe Eccleſiæ Romanæ traditiones, adhuc vigentes, ſpeciales doctrinas, & domeſticas controverſias, iſto utantur Cornu copiæ. Utilia fructum, curioſa delectamentum, dabunt.



Digitized by Google

*THESES JURIS PUBLICI AD LEGES FOEDE-rati Belgii fundamentales, Præſide* CHRISTIANO HENRICO TROTZ, *JCto, Publ. & Priv. Jur. Anteceſſ. commilitonum diſputationi ſubjectæ.*

Franequeræ, excudit Gulielmus Coulon, Illuſtr. Friſiæ Ordinum atque eorundem Academiæ typographus ord. 1745 & 1746, 4.

Alph. 2 plag. 6.

Antiquus error eſt, qui non paucorum inſedit animis, ut res domeſticas atque patrias ſpernant, & peregrinis duntaxat cognoſcendis omne ſtudium atque operam impendant. Quo vero turpius, & viro docto indignius, eſt, patriæ res, inſtituta, & leges, ignorare, eo certe majorem laudem atque applauſum meretur Cel. *Trotzii* inſtitutum, qui ſingularem & egregiam, qua pollet in omni Jurisprudentia, peritiam ad illuſtrandas patriæ ſuæ leges fundamentales transtulit, juveneſque nobiliſſimos, qui ſub ipſius auſpiciis ad penitiorem legum cognitionem pervenire laborant, ad eandem patrii Juris cognoſcendi cupiditatem allexit. Loquuntur hoc duodecim Theſium ſpecimina, quæ cum erudito orbe communicavit, quibus ipſas Belgii leges fundamentales, patrio ſermone conſcriptas, & inter eas Privilegium *Mariæ* Burgundicæ, præmiſit, ad quarum illuſtrationem iſtæ Theſes, a juvenibus quibusdam optimæ ſpei, quorum etiam nomina ſingulis ſpeciminibus præfixa ſunt, ſub Cel. Autoris Præſidio in cathedra defenſæ, faciunt. Ut igitur, quale pretium hiſce lucubrationibus ſtatuendum ſit, Lector cognoſcat, ex illis quædam excerpta, exempli loco, nunc afferemus. Sub initium ſtatim ea proponit, quæ a Juris publici interprete requiruntur. Jus publicum adeo fœderati Belgii jure naturæ, ſive publico univerſali, jure patriæ privato, doctrina politica, quin & hiſtoria Comitum Hollandiæ & confœderatorum diplomatica, niti, neutiquam vero cum his ſtudiis confundendum eſſe, monet Cel. Autor. In officiis JCti non ſolum

ponit

Digitized by Google

ponit legum patriarum interpretationem, & ad facta applica-
tionem, verum etiam, nævos harum legum Juris interpretem
indicare debere, contendit. Conſilium Regis Angliæ *Hen-* Pag. 3.
*rici VIII* de ſeminario miniſtrorum publicorum, ſive ſchola
politica, inſtituenda ipſi egregie arridet, cum non ſemper
is, qui excellentius ſe in literarum ſtudiis gerit, ad publica
negotia ſit idoneus. Belgas, quamvis inæquali fœdere Ro- 4.
manis juncti fuerint, jus tamen majeſtatis retinuiſſe, ex *Gro-*
*tio* docet. Abuſos vero Romanos jure fœderis fuiſſe, ex
*Taciti Lib. IV Hiſtor. Cap. 14* comprobare ſatagit. Comi-
tes, qui, potentia nimium confiſi, regnum affectarunt, con-
tra leges patrias, & jus naturæ, peccaſſe, docet, hancque rem 5.
exemplo *Florentii V* illuſtrat, cujus res, & motus, per eum
excitatos, fuſius perſequitur. Majores Belgarum legibus
ſuis proœmia adjeciſſe, laude dignum cenſet. Errare illos,
conſtituit, qui, jubere ſolum, non ratiocinari, legislatoris eſſe,
putant. Immo hanc ipſam eſſe notam ſtatus popularis, in
quo leges, ratione & conſenſu ſuffultæ, civibus inſinuentur,
non obtrudantur, docet. Munus gubernatorum jam ante 11.
Burgundos cœpiſſe, neque tantum abſentibus Comitibus fuiſſe
gubernatores conſtitutos, ob Inſtrumentum, quod *Schrevelius*
in *Harlemo pag. 176* affert, Cel. Autori vero videtur ſimile.
Incolas regionis, in ſtatu libero conſtitutæ, minus recte ſub-
ditos dici, verum cives dicendos eſſe, dictitat, remque
exemplis, ex Inſtrumentis Comitum depromtis, ubi ſemper
cives, non ſubditi, memorantur, illuſtrat. Comitiſſas quon- 12.
dam matrimonium ſine conſenſu ordinum & agnatorum inire
haud potuiſſe, docet, idque nihil injuſti habere, ſtatuit. 14.
*Adam* tamen Comitiſſam contra jus ab imperio ideo fuiſſe re-
motam, ſimul profitetur. Sexus ſequioris imperium juri na- 16.
turæ neutiquam adverſari, pro certo ſumit. In maritatis idem
jus eſſe, contra *Grotium* atque *Thomaſium* evincit, præclare
monens, diſtinguendum eſſe inter imperium domeſticum &
publicum. Illi per pacta renuntiaſſe videri nubendo, mi-
nime huic, ſi regnum fuerit hæreditarium, legeque fundamen-
tali a ſucceſſione non fuerint remotæ. Succeſſionem fœmina-

rum

Digitized by Google

rum in Hollandia fuiſſe receptam, ex Inſtrumento pacis inter Amſtelii dominos & *Florentium V*, Comitem Hollandiæ,
Pag. 19. comprobat. Conſtitutionem de peregrinis ab officiis & muneribus publicis removendis utiliſſimam vocat, & quampluri-
24. rima decreta, in Belgio hac de re emiſſa, adducit. Majores Belgarum filiabus Comitum conditionem de peregrinis haud nubendis nunquam præſcripſiſſe, miratur, eoque magis miratur, quoniam familiæ illuſtriſſimæ illa ætate in patria floruerint, quibus jungere eas, dedecori non fuiſſet Comitibus. Hoc pacto nunquam peregrinorum imperio parere eos fuiſſe
28. coactos, aſſeverat. Legem, de pluribus muneribus in unam perſonam haud conferendis, quæ in Belgio obtinet, valde laudat, eamque apud Friſios, per Privilegium *Caroli V*, A. 1524 die 20 Decembris emiſſum, confirmatam eſſe, docet. Deprehenditur hoc Privilegium in libro legum Friſiæ, cui titulus eſt: *Landboeck van Friesland*, cujus MSto Codice ex liberalitate illuſtris *ab Aylva* uti ſe, Cel. Autor profitetur. Idem jus ad Clericos extenſum eſſe, tradit, &, recte ita factum
29. eſſe, ſtatuit. In curia Friſica ordinem judiciorum valde confuſum ubivis deprehendi, obſervavit jam olim *Jacobus van Stavelen*, Curiæ Friſicæ Senator, in *Relatione de forma proceſſus in Curia Friſica & minoribus judiciis emendanda*, quæ apud *Gabbemam* in *Verhaal van Leeuwarden* comparet, ejusque rei emendandæ cauſa conſilium ſuppeditavit, quod, Belgice conſcriptum, Cel. Autor apponit. Varia autem in illo conſilio reperiri, quæ nimis obſtrictum Imperatori prodant *Stavelenium*, quæque hodiernis Friſiis parum placere poſſint, dictitat. Moris antiquitus fuiſſe, ut litigantes ipſi cauſam ſuam in publico tuerentur, contendit. Hoc vero in tanta veterum innocentia, & felici vitiorum ignorantia, fieri potuiſſe
37. commodius, quam hodie, aſſeverat. Odium Germanorum
38. veterum erga advocatos Romanos, ex *Floro* monſtrat. Hodienum eos, qui studiorum fiduciam habentes, cauſas proprias in foro perorare volunt, a limine judicii apud Friſios
39. non arceri, tradit. De graphiariis (*greffiers*), eorum origine, & officio, fuſe diſputat. Officium nempe eorum in hoc conſiſtere,

ſiſtere, ut ſuffragia Senatorum accurate notent, quæ in conſilio agitata & concluſa ſunt, in ordinem redigant, mandata collegii literis conſignentur, in unum volumen colligant, atque tabulario perpetuo cuſtodiant, ſtatuit. Tempore Comitum ad Impe- Pag. 52.
ratorem ſæpius provocatum eſſe, fatetur. Immo & ipſos Comites ad aulam Imperatoris citatos eſſe, hancque ſequelam neceſſariam fuiſſe, ex quo facti fuerint imperii Principes, aſſeverat. Frequentes tamen fuiſſe ejusmodi provocationes, ne- 64.
gat, & raro, nec niſi a viris principibus, vel vicinis potentioribus, inſtitutas fuiſſe, dictitat. Incolæ & cives vix auſi ſunt potentioribus dicam ſcribere, neque facultates, & ſumtus, litiumque diuturnitates, permittebant, ut ad ſupremum Imperatoris tribunal provocarent. Inutilis etiam fuiſſe videtur Cel. Autori provocatio, cum res gravioris momenti in comitiis fuerint tractatæ, id quod ex verbis Inſtrumenti, ex Archivo depromti, comprobat. Hinc, neque mirum videri debere, conſtituit, ignotas, vel deſuetudine ſaltem adumbratas, fuiſſe provocationes, id quod teſtimonia adducta evincunt. Differentiam inter ſententiæ reformationem, & pro- 68.
vocationem ab illa, qualem leges Belgicæ conſtituant, accurate exponit. Reformatio nempe curiæ tantum demandata eſt, provocatio ad curiam Principis ſupremam unice ſpectavit. Ordinem quoque provocationum in patria ſua ediſſerit. A ſententia ſcilicet judicum paganorum primum in Hollandia provocatum eſt ad *Ballivum*, et tandem ad curiam 69.
Hollandicam. Antiquitus judices in Belgio libere judicaſſe ſecundum mores patrios & jura ſcripta, Cel. Autor obſervat. Jura enim antiqua manſerunt ſalva, quamvis forma judiciorum fuerit mutata. Confirmata hæc jura fuiſſe ſæpius, privilegia adducta declarant. Tempus et dies exercendi judicii pro lubitu Comitum videntur conſtituta fuiſſe. *Philippum* Regem per ſingulas ſeptimanas binos judiciis præfiniviſſe dies, ex privilegio ejus d. A. 1561 elucet; unde, diem Martis & Veneris a vocabulis juris *dingen* & *vryen* nomen traxiſſe, Cel. Autor judicat. Judicia oriente ſole exercenda, 107.
& eodem die finienda erant. Si cauſa occurreret gravior, &

altioris indaginis, peritiores in conſilium erant adhibendi. Honorarium pro tali inſtructione, quod jurium peritis ſolvendum erat, *Conſultatien Geld* dicebatur. Quamplurima inſuper, ad formam judiciorum apud Belgas cognoſcendam facientia, ex
Pag. 109. legibus patriis Cel. Autor adducit. Jura Academiæ Lovanienſis, ex privilegio Ducis Brabantini, & Comitis Hollandiæ, *Joannis*, A. 1426 edito, quod apud *Emandum Martene* in *The-*
110 ſeq. *ſauro Anecdotorum Tom. I p. 1766* exſtat, fuſe ediſſerit. Controverſias circa telonia publicas ſæpius vehementer agitari, dicit. Jus, ea conſtituendi, ad univerſum pertinere populum, pro certo ſumit. Belgas tamen, ad exemplum aliarum gentium, hoc fluminum publicorum emolumentum Comitibus
147. conceſſiſſe, obſervat. In quo ſatis prudenter ab illis actum, neutiquam ſibi perſuadere poteſt, exitum quoque populi votis non reſpondiſſe, contendens. Manſit enim onus, res illas publicas; v. c. aggeres, pontes, portus, conſervandi, penes populum, nec vectigalia inde minora, verum potius majora, exſtiterunt. Jus telonii conſtituendi ad Imperatorem pertinuiſſe, negat, &, de facto duntaxat, non item de jure, ejusmodi vectigalia per hos tractus conſtituiſſe Cæſa-
148. res, monet. Confutat *Philippi de Leyden* ſententiam, qui, in præjudicium fiſci exemtiones a telonio civitatibus olim conceſſas, improbat. Cum enim acquiſita territoria cum principatu Comitum conjungerentur, æquiſſimum Cel. Autori videtur, privilegiis illa devincire, & ad concordiam pacemque firmandam in unum corpus coadunare, iisdemque juribus copulare, præcipue cum novis illius territorii acquiſiti re-
149. ditibus damna fiſci facile potuerint compenſari. Quidnam *jus anchoræ*, cujus in Belgarum legibus mentio injicitur, ſibi velit, non ſatis in propatulo eſſe, profitetur. Jus gubernandi navem hac voce indicari, *Peckius* & *Vinnius* exiſtimarunt, quorum verba Cel. Autor adducit. At vero, minus recte eos ita ſenſiſſe, verum *jus anchoræ* fuiſſe jus, proprium Comiti in Zelandia, exigendi telonia pro carina navis, ſtatim ac navis mari, vel fluminibus, quibus Zelandia cingitur, commiſſa erat, pluribus oſtendit. In illis hoc telonii genus

nus unice ipſi videtur uſitatum, & a peregrinis navibus tan-
tum exactum per Balivum aquaticum, unde & inter præcipua
Comitis domania referri conſuevit. Vexatam quæſtionem Pag. 153.
circa amiſſionem privilegiorum Cel. Autor proponit. Diſce-
ptatum videlicet eſt, an Comes, propter culpam & delictum
commiſſum, pro arbitrio ſuo civitatibus pagisque eripere pri-
vilegia potuerit, an vero hoc prævio Ordinum conſenſu fie-
ri debuerit. Diſtinguendum Cel. Autori videtur inter illa,
quæ ex imperio ejus procedunt, vel domania ejus reſpiciunt,
& illa, quæ publici juris ſunt. De his dicit, non poſſe ad-
imi provinciæ, vel civitati, niſi omnium conſenſu. Particu-
laria autem, a Comite profecta, ob delicta civitatum ſæpius
ademta fuiſſe, ex quamplurimis exemplis docet. Amplius
tamen nonnunquam, & præter æquitatem, graſſatos eſſe Co-
mites, innuere ſimul videtur. Confutat quoque *Zypæum*,
qui in *Notitia Juris Belgici pag. 5* ſtatuit, ſucceſſores non
rite conceſſa in priſtinum ſtatum poſſe reducere, ut olim
multa, a *Maria* Burgundica, minorenni Principe, extorta, pri-
vilegia, multum domaniis derogantia, per ſucceſſores ſint
abolita. Res, in mari inventas, navesque ad littus appulſas, 199.
ad domania de Jure Belgico quondam pertinuiſſe, Cel. Au-
tor affirmat. Habebantur pro barbara ſeculi conſuetudi-
ne pro commodis & acceſſoriis littorum, cum & terra mari-
que praedari liceret, & latrocinia in honore & virtute pone-
rentur, uti quamplurimi veterum loci, ab Autore appo-
ſiti, declarant. Mature tamen Belgas ab inhumano more, eje- 210.
cta & expulſa ad littus ſibi vindicandi, receſſiſſe, niſi repreſ-
ſaliarum jure id facere cogerentur, ex quamplurimis teſtimo-
niis comprobat. *Carolus Audax* primum Hollandis ſepten-
trionalibus ad dies vitæ ſuæ conceſſit, ut bona, naufragio amiſſa,
vindicarent. Verum bona ſibi ſubjectorum tantum, non
æque peregrinorum, naufragio amiſſa, vindicare permiſit, eos-
que ſolos a pœna fiſco olim ſolvenda, ſi quis illa bona repe-
teret, liberavit. Quod ad dies vitæ indulſerat *Carolus*, il-
lud in legem æternam abire poſtmodum juſſit *Maria*, ſolos
tamen ſibi ſubjectos, non exteros, reſpiciens; cum his enim

 pactis

pactis de hoc juris articulo conventum eſt. Eo refert Cel.
Autor tractatum commerciorum *Maximiliani* & *Mariæ* cum
*Eduardo IV*, Rege Angliæ, cujus contenta ex *Jo. du Mont* ope-
re, quod inſcribitur *Corps diplomatique*, *Tom. III, P. II pag.
32* exhibet. Similia in fœdere cum *Henrico VII*, Rege An-
gliæ, ſanxiſſe *Philippum*, *Mariæ* filium, ex eodem Corpore di-
Pag. 212. plomatico apparet. De jure, monetam cudendi, varia lectu
digna Cel. Autor in medium profert. Ad tria potiſſimum
capita tractationem de jure illo, Comitibus Hollandiæ quon-
dam competente, revocat. Primo monet, jus, monetam no-
vam cudendi, relictum quidem fuiſſe Comiti, ſed cum re-
ſtrictione, ne valorem ejus ſine conſenſu & Ordinum, & Se-
natus magni, mutaret. Si his inſciis cuderetur moneta, pœnas,
in Brabantia & Flandria conſtitutas, contra monetæ magiſtros
decretas eſſe, obſervat. Officinam monetariam, ſecundum
morem antiquum Dordraci fuiſſe exercendam, notat. Ve-
terem querelam de corrupto nummi interno valore, in Bel-
gio ſæpius agitatam, adducit. Principes, monetæ va-
lorem lucri cauſa mutantes, maximos ſubinde motus & que-
relas provocaſſe, obſervat. Minores quoque dominos, jus
monetæ habentes, eoque jure abutentes, item civitates, mo-
netam adulterando quæſtum feciſſe, conqueritur. Hoc au-
tem perpenſo, ſummo jure Ordines jus monetam cudendi,
& ejus valorem mutandi, ſibi ex parte reſervaſſe, conſti-
220. tuit. Originem precariarum a decimis minus accurate
repetere nonnullos, contendit. Pinguiores enim fuiſſe con-
tributiones, relatione ad decimas habita, prout rationes an-
tiquæ paſſim oſtendunt, neceſſarium etiam tunc hoc
fuiſſe debitum, nec rogare illud debuiſſe Comitem, ſuo jure
utentem, nec pro lubitu negare potuiſſe ejus exactionem po-
pulum; quin Nobiles jus exigendi decimas, delato in Comi-
tem imperio, non potuiſſe retinere. Apud Friſios tamen
olim decimas loco precariarum Comitibus fuiſſe ſolutas, ex
Inſtrumento Epiſcopi *Dieterici* & *Wilhelmi*, Comitis Hollan-
251. diæ, oſtendit; quamvis, ex jure Friſiorum domeſtico & ſingu-
lari non eſſe ducendam concluſionem ad Hollandiæ preca-
rias,

Digitized by Google

tias, inculcet. Annuam fuiſſe & ordinariam hanc contributionem apud Friſios, monet, ejusque originem ex jure Epiſcoporum Trajectinorum, & decimis Cleri, ſub cujus patrocinio Friſii olim degebant, repetendam eſſe, contendit. Varia autem circa jus precariarum nova & ſingularia per privilegium *Maximiliani* & *Mariæ* A. 1480 fuiſſe introducta, obſervat. In præfatione nimirum dicti privilegii ipſi fatentur, tempore neceſſitatis majoribus ſuis conceſſas fuiſſe juſtas precarias in perpetuum & futurum. Has etiam ad tempus octo annorum conceſſas ſibi fuiſſe, ſcribunt. Creviſſe Statuum jura per Pag. 254. temporum intervalla, & caſuum haud cogitatorum olim raritatem, dein frequentiam, monet. Poſt *Mariam* nova precariarum facies, novæ etiam querelæ & lites, exſtiterunt. Semel ordinato jure, variæ difficultates circa diſtributiones illarum inter conferentes ſunt exortæ; quamobrem in privilegio *Philippi*, quod *Tom. IV Placit. Holl. pag. 6* habetur, cautum eſſe, ut Dordracenſes cum reliquis civitatibus ratione diſtributionum concilientur, Cel. Autor aſſeverat. Cum- 256. que civitates in precarias nollent conſentire, niſi diſtributio accurata ab Ordinibus inſtitueretur; idem *Philippus* in eodem privilegio conſtituit, precarias non prius eſſe exigendas, quam quotæ diſtributionum de novo eſſent formatæ. Alias adhuc limitationes, quas ultimus Comitum *Philippus II* addidit, Cel. Autor exponit. Res furto ablatas autoritate ſuperioris in 257. quolibet loco vindicare, dominasque manus illis injicere, ſine metu pœnæ in legibus Belgicis concedi, monſtrat. Fures etiam convictos pœna ſuſpendii olim jam affectos fuiſſe, docet. Neque mirum eſſe dictitat, materiam de furtis in jure 315. publico & lege fundamentali tractari, ejusque rei duas aſſertiones. Primo nempe obſervat, crimina omnia publici eſſe juris, inprimisque hoc maleficium, quod pacem publicam violat. Deinde, Comitem, ſeu ſuperiorem, accepiſſe Werigeldum, quod per Conſtitutionem criminalem poſtea ſublatum ſit. Paulo aliter *Mariam* Brabantinis proſpexiſſe, docet. Capiendi nempe jus, & ad judicem deferendi, indulſit *Maria*, ſi in domo deprehendatur fur. Sin etiam reſi-



Digitized by Google

ſtenti vulnera, aut mors, inferantur, impunitatem occiſori promiſit. Exceptionem tamen ſubjecit, ſi præter neceſſitatem defenſionis cædes perpetrata fuerit. Cavit etiam de vi, domumque, januam, & feneſtras, ſine ulteriori læſione effringentem, religioſam peregrinationem inſtituere juſſit. De rei vindicatione autem cum nihil ſtatuiſſet *Maria*, rem omnem
Pag. 316. *Philippus*, filius, uti Cel. Autor docet, abſolvit. Plura harum theſium contenta cum Lectoribus noſtris communicaremus, niſi jam ex illis, quæ dedimus, poſſet intelligi, quid de eis judicandum ſit. Nulli profecto dubitamus, Cel. Autorem apud cives ſuos multum reportaturum eſſe gratiæ, quod legibus patriæ evulgandis & explicandis tam præclaram impenderit diligentiam. Verum exteri quoque non ſine voluptate haſce Theſes legent, cum non injucundum eſſe poſſit, jura Belgii noſſe, cumque haud pauca etiam Juris publici univerſalis, & gentium, capita egregie a Cel. Autore pertractata hic deprehendantur.

*AUR. CORN. CELSI DE MEDICINA Libri octo, cum Notis integris JOANNIS CÆSARII, ROBERTI CONSTANTINI, JOSEPHI SCALIGERI, ISAACI CASAUBONI, JOANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, ac locis parallelis, cura & ſtudio TH. J. AB ALMELOVEEN, Med. Doct. & Profeſſoris. Accedunt J. RHODII vita C. Celſi, Variæ Lectiones ex tribus antiquis editionibus, itemque loci aliquot Hippocratis & Celſi, ab HENRICO STEPHANO* παραλλήλως *concinnati.*

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arn. Langerak, 1746, 8 maj. Alph. 2 plag. 7.

Ad viros bonorum librorum cupidos ſi fama pertulerit, nova & variorum annotationibus exornata *Celſi* exemplaria in Belgio nitide typis exſcripta ac publicata eſſe, procul dubio exſpectabunt nomen alicujus viri celebris, cujus

conſilio

Digitized by Google

conſilio & opera Medicorum Latinorum princeps ſplendida hac veſte indutus prodierit. Iidem vero, ſi intellexerint, omnia, quæ hac editione *Celſo Celſi*que lectoribus praeſtita ſint, beneficia unice bibliopolæ, hujusque lucrum ſuum augendi ſtudio, accepta ferenda eſſe, mirabuntur profecto, &, niſi nos fallit conjectura, indignabuntur, tam bonum omnibusque literarum amatoribus tam carum librum, & in quo poliendo, novaque luce perfundendo, dudum viri doctiſſimi deſudant atque elaborant, hunc librum, inquam, ſi *Joſephi Scaligeri* antea non editas obſervationes exceperis, nec ulla parte explicatiorem, nec emendatiorem, in Belgio emitti potuiſſe. Sed perſpexiſſe videtur catus & quæſtui ſuo ſerviens bibliopola vanitatem iſtorum hominum, qui ſæpe imparati, nonnunquam etiam ad ejusmodi opus rite peragendum inepti, cujuscunque ſcriptorum veterum editionem procurandam avide ſuſcipiunt, &, ſecuri admodum publicæ utilitatis, ſola variarum annotationum collectione officio boni editoris ſe ſatisfacturos, & abunde merituros eſſe, confidunt, ut nomina ſua, ſplendidis exemplaribus præfixa, per orbem terrarum innoteſcant, &, ſi fors juvet, gloriæ commendentur ſempiternæ. Satis gnarus bibliopola Lugdunenſis, ad talem librum hac ratione edendum nullam fere eruditionem requiri, & a ſe ſuique ſimilibus facili negotio tantum non omnia præſtari poſſe, quæ nonnulli populârium ſuorum in aliis ſcriptoribus præſtiterant, in nullius reprehenſionem incurſurum ſe putavit, ſi novam *Celſi* editionem ipſe adornaret. Unicum ſupereſt, ut hoc genus hominum diſcat artem ejusmodi annotationes ſcribendi, in quibus id unice agitur, ut illorum ſcripta, qui vocem, aut phraſin, in ſcriptore edendo occurrentem, illuſtrarunt, magno numero allegentur, & conſuetæ ac vulgares librariorum aberrationes annotentur. Hoc quoque callidi mangones librorum ſi didicerint, & ob facilitatem rei diſcere poterunt, actum erit de lucro & fama hominum, qui, ob talia in rem literariam merita elati, alios, ſe longe majore laude dignos, contemnunt ac deſpiciunt.

Nunc, ut novorum *Celſi* exemplarium emtores propius inſpicere

inſpicere queant, quid ab his commodi ſperare debeant, pro inſtituti ratione commemorabimus omnia, quæ hunc librum commendant, ornamenta. *Langerakius*, qui ſuis ſumtibus *Almèloveenianam* librorum *Celſi* editionem A. 1730 iteraverat, huic libro denuo exſcribendo cum animum adjeciſſet, deficeret autem (hæc ipſius verba ſunt in Præfatione,) homo eruditus, qui limam huic libro adhiberet, id ſibi negotium datum eſſe putavit, ut virorum doctorum, quorum *Almeloveenius* excerptas dederat, jam integras annotationes in fine libri adjiceret. Acceptis igitur a V. C. *Abr. Gronovio Joannis Cæſarii* & *Rob. Conſtantini* editionibus, horum virorum obſervationes omnes ſuis exemplaribus addidit. Cum vero nonnullas *Cæſarii* annotationes a *Conſtantino*, nulla facta *Cæſarii* mentione, totidem verbis repetitas videret, ea, quæ jam in *Cæſarianis* occurrunt, ne iterata nauſeam lecturis crearent, e *Conſtantinianis* ſuſtulit. Sed rectius lectoribus conſulturus fuiſſet, ſi paucis literis, vel ſignis ſaltem, indicaſſet, quæ *Cæſarii* annotationes *Conſtantino* ita placuerint, ut pro ſuis eas agnoverit. Sic judicare potuiſſent, quod jam, niſi priſcus liber ad manus ſit, facere non poſſunt, novorum exemplarium poſſeſſores, utrum talia ſint, quæ *Conſtantinus Cæſario* ſurripuiſſe dicitur, ut iſte merito a viris doctis plagii reus agatur. *Joſephi Scaligeri* obſervationes, quæ, nunquam ante publicatæ, huic editioni proprium decus conciliant, comparent variorum annotationibus inſertæ. Deſumtæ ſunt hæ non ex aliquo libro *Scaligeri* manu notato, ſed ex *Franciſci Vertuniani* exemplari, qui in Bibliotheca Lugduno-Batava inter *Voſſianos* libros aſſervatur. Hunc *Vertunianum*, *Scaligero* amiciſſimum, omnes hujus caſtigationes in ſuum librum tranſtuliſſe, affirmat *Langerakius*. Qua fide nobis bibliopola hæc confirmet, nos ignoramus. Ipſe enim profitetur, ſe exemplaris, A. 1554 forma minore exſcripti, & *Scaligeri* manu in margine notati, communicationem a poſſeſſore V. C. *Jo. Antonid. van der Linden* impetrare non potuiſſe. An igitur plura ac meliora ex *Lindenii* libro dari potuiſſent, nobis jam non licet judicare. Obſervationes tamen ante, quam ederet, *Scaligeria-*

*nas*

Digitized by Google

*nas* laudabili conſilio *Langerakius* perlegendas dedit V. C. *Tib. Hemſterhuſio*, ut ille videret, ne *Scaligeriano* nomine indigna exſcriberentur, adeoque tanti viri fama detrimentum caperet. Accidit tamen & his *Scaligeri* in *Celſum* meditationibus, quod plerisque omnibus virorum doctorum poſthumis ſcriptis accidere ſolet, ut nimirum bonis & abſolutis miſceantur nonnulla leviora, nec ſatis perfecta, quæ, ultimam limam abfuiſſe, arguant. Id ut Lectores noſtri magis ex ipſo conſpectu judicent, quam verbis noſtris credant, *Scaligeri* omnes in Præfationem *Celſi* annotationes excerpere, & huc transſcribere, non gravabimur:

Pag. 1 lin. 1 *A. Corn. Celſi Medicinæ Liber primus*) *Auli Cornelii Celſi Artium Liber ſextus, idemque Medicinæ primus.* Ad marginem adſcriptum: *Grammatica: Rhetorica: de re militari: de agricultura.* Pag. 1 lin. 3 *Ut alimenta*) Tranſitio ab agricultura ad Medicinam. Pag. 1 lin. 8 *Prompta*) Græci ἕτοιμα. Pag. 2 lin. 1 *Quos tamen Homerus*) Columella Lib. IX Cap. 177. Pag. 2 lin. 7 *Eſſe tentatas*) *Probatas*, id eſt, *expertas*, *quarumque facta ſit experientia.* Pag. 2 lin. 14 *Vitiarant*) *Tentarant* melius eſt. Pag. 2 lin. 23 *Agitari cœpit*) *Et mutas agitare inglorius artes.* Virgilius Æn. Lib. XII. Pag. 2 lin. 25 *Sic corpori inimica eſt*) Transpoſitio hic eſt. *Sic corpori inimica eſt, ſcilicet bis hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia, minuerant. Primoque medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio, ſub iisdem autoribus nata ſit. Ideoque multos* &c. Pag. 3 lin. 20 *Vendicaverunt*) *Vindicaverunt* melius eſt, licet idem. Pag. 3 lin. 26 *Aliqui non mediocres viri*) V. C. *Alii quoque non mediocres viri.* Utrumque bonum. Pag. 3 lin. 33 *Agitante*) V. C. *Cogitante.* Pag. 4 lin. 3 *Quædam in ſenectute deflexit*) Recte. Non, ut *Conſtantinus*, *ab iis in quibusdam deflexit.* Nam *deflexit aliquod ſpatium* Latine dicimus, quod ille ignorabat. Pag. 4 lin. 5 *Increvit*) *increbuit.* Pag. 4 lin 27 *Neque enim credunt, poſſe eum ſcire*) V. C. *Neque eum credunt poſſe ſcire.* Indifferens.



Digitized by Google

Pag. 5 lin. 15 *Non enim quidlibet*) V. C. *Nec enim quilibet.* Utrumque bonum. Pag. 5 lin. 18 *Quod ante conjectura aliqua duxiſſent*) R. V. C. *quo ante conjectura aliqua duxiſſet.* Pag. 6 lin. 5 *Digeruntur*) Hoc verbo nunquam pro concoctione utitur *Celſus*; at bene *Seneca*. Vide infra pag. 10 lin. 25. Pag. 6 lin. 6 *Venæ*) Male *Conſtantinus* pro *venæ* reponit *arteriæ*, cum Φλέβας etiam *Ariſtoteles* vocet ipſas arterias libro *de Reſpiratione*. Vide *Gellium*, qui ex profeſſo caput ea de re ſcripſit ex *Eraſiſtrato Lib. XVIII Cap. 10.* Vide infra pag. 10 lin. 28. Pag. 6 lin. 10 *Inter hæc naſcentibus*) Satius eſt, legere *internaſcentibus*, ſed non auſim mutare, quia conſtare poteſt, ac ſi *inter ea* dixiſſet. Pag. 6 lin. 10 *Ex quibus quam maxime*) V. C. *quia maxime.* Pag. 6 lin. 20 *In corpus omne diduci*) Græci διαφορεῖσθαι, διοικονομεῖσθαι. Pag. 6 lin. 24 *Teritur*) Autor Græcus, a quo hoc deſumpſit, ſcripſerat τρίβεται, id eſt, *teritur*, vel *atteritur*. Nec potuit aliter vertere. Pag. 6 lin. 34 *Perceperit*) *præceperit*. Unde *præcipere animo*, præſumere. Pag. 7 lin. 11 *Poſituram*) *poſitum*. Gr. θέσιν. Pag. 7 lin. 13 *Contactum*) Ruell. *contractum*. Σύμπτωσιν vocat *Hippocr. Aph. 3 Lib. 1* compreſſum, contracturam; *contractum* ergo legendum. Pag. 7 lin. 22 *Cujusquam*) Ald. *cujusque.* Utrumque bonum. Pag. 8 lin. 5 *Quoniam incomprehenſibilis*) C. Ven. *non ut comprehenſibilis.* Pag. 13 lin. 12 *Perfectum*) Gloſſema eſt. *Quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit. Verique ſimile &c.* Pag. 14 lin. 1 *Periclitari conjecturam ſuam*) Semper *periclitari* accuſativo jungit *Cicero* in *Lælio*, & omnes veteres. *Vires ingenii periclitari.* Pag. 14 lin. 8 *Rationabile*) *rationale*. Aliud tamen melius, ut videre eſt paſſim apud *Lucretium*. Pag. 15 lin. 9 *Unum adſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum*) ϛρυφνὸν, ῥοῶδες καὶ μικτόν. Pag. 15 lin. 16 *Digerendum*) id eſt, *fluidum reddendum*, quod familiare *Celſo*. Pag. 19 lin. 11 *Quod cælum, quod tempus anni ſit*) *Quod* potius, quam *quid*. Utrumque autem eodem modo ſcriptum eſt in veteribus Codicibus. Pag. 19 lin. 24 *Quoque aſſuetus*) Gloſſema eſt ineptum. Pag. 19 lin. 25 *Homo ſuſtinet*) Gloſſema eſt.

Jam

Jam pergamus in conſideranda *Langwrakii* cura, in *Celſi* editionem impenſa. Satis magna diligentia adhibita eſt, ne liber vitiis typothetarum deformis prodiret. Folia & verſus novorum exemplarium, quamvis majore forma exſcripta ſint, prioribus reſpondent. Nec reprehendendo conſilio variorum Codicum ſcripturæ, quæ in proxima editione ad finem libri rejectæ fuerant, nunc in margine infimo *Celſi* verbis, ſuo quæque loco, ſubjectæ ſunt. Imaginem *Celſi*, quæ ex iconibus, a *Sambuco* editis, præfixa erat prioribus exemplaribus, bibliopola majori ære, ut majuſculæ chartæ modum æquaret, inciſam novo *Celſo* adjecit. Ne tamen minor tabula ænea, quæ a prioribus editionibus hujus libri ſupererat, ipſi periret, iſtam imaginem typographicis figuris circumdatam & ampliatam vitæ *Celſi* præmiſit. Maluit igitur, ut agnoſcamus ingenium bibliopolæ, eandem imaginem bis exhibere emtoribus libri ſui, quam tabulæ ſuæ, antequam plane attrita foret, uſu carere.

Nos vero rogamus & adhortamur viros præſtantiſſimos, qui inſigni doctrina præclariſque ſubſidiis inſtructi ad hoc opus acceſſerant, & in perpurgando atque illuſtrando *Celſo* jam dudum operam collocarunt, ne credant, hac nova editione amatorum *Celſi* votis ſatisfactum, aut deſideria eorum lenita eſſe; ſed potius meminerint, quo ſæpius hæc crambe repetita fuerit, eo avidius novas ac lautas dapes, ſi quas ipſi daturi ſint, exceptum iri.

D. Johann Andreas Segners Einleitung in die Natur-lehre, ꝛc.

id eſt,

## D. JO. ANDR. SEGNERI INTRODUCTIO in Phyſicam.

Gottingæ, 1746, 8.

Alph. 1 plag. 12, Tabb. æn. 14.

Quod ad Compendia, quæ vocant, ſcientiarum conſcribenda animum plerumque illi appellant, qui ipſi tradendis elementis inſudant, nullaque alia fere de cauſa hunc laborem



ſuſci-

ſuſcipiunt, quam ut Scriptorum famam conſecuti, vel auditorum favorem, vel illorum, qui, cum in tuenda eruditi fortuna aliquid poſſint, eruditionem ejus tamen aliunde, quam ex voluminis, quod conſcribillavit, magnitudine, æſtimare ſæpius vix norunt, gratiam aucupentur. Inde effectum eſt, ut, infinitam ejusmodi libellorum multitudinem augere, dedecori fere ſibi ducant conſummati in aliquo doctrinæ genere viri. Eoque major gratia rependenda his eſt, qui, cum aliis modis ſcientiarum fines proferre, nomenque obtinere, poſſent, diſcentium tamen in gratiam minus glorioſum hunc, neque tamen propterea minus difficilem, laborem ſuſcipere dignantur. Facile vero ex ipſo libri intuitu dijudicari poteſt, utrum elementarius aliquis doctor omnia ſcientiæ ſuæ arcana in eum effuderit, an vere eruditus, quæ tironibus neceſſaria viderat, reſectis tamen ſuperfluis, commodo ordine, facillimaque, quam, niſi valde in vero inveſtigando tradendoque verſati, rarius aſſequuntur, methodo, digeſſerit, ita quidem, ut, multo plura illum ſcire, quam ſcripſit, ex opere, intelligens facile conjectare queat. Eam laudem libello, quem jam præ manibus habemus, lubentes meritoque tribuimus, quod, niſi aliunde jam Celeberrimus ejus Autor cognoſceretur, ſatis eſſet indicaturus, eum ad id ſcientiæ faſtigium perveniſſe, ut nova inveniendo, non repetendo antiqua, gloriam conſequi poſſit. In articulos diſpertitum eſt opus, quorum ſumma capita ſi a nobis enumerarentur, cum non niſi vulgatiſſimarum rerum nomina nobis eſſent ſcribenda, ne tædio ea res Lectoribus futura eſſet, vereremur. Igitur partem aliquam libelli ſeligendam nobis cenſemus, quæ, recenſita a nobis, ideam aliquam methodi Autoris ſententiarumque exhibere poſſit. Commodum vero videtur, ea proferre, quæ de vaporibus habet, quod diſcrepent inter ſe Phyſicorum de illorum natura ſententiæ, poſſitque adeo, quid Cel. Autor ſentiat, quæri. Vaporum vero originem *Art. 274* ab expanſione fluidorum, a calore orta, deducit, unde elater inſignis illorum proficiſcatur. Qui, cum tantus ſit, ut & fortiſſima vaſa, eum coercitura, diſrumpat, non poteſt expanſioni aeris, ad hoc efficiendum minime ſuffecturæ, adſcribi.

Vapores

Vapores igitur, præcipue ex aqua adſcendentes, pro ſeparato fluidi genere habet, cum aere non commixto, ſed plerumque omnem aerem ex loco, quem occupat, excludente; ut vaporis, in aere adſcendentis, eadem ſit ratio, quæ guttæ olei, in aqua adſcendentis. Partibus enim aqueis ab igne expanſis, fluidum aqua levius producitur, cui ſi calor decedat rurſus, parteſque ita rurſus ad ſe accedant, ut attrahere ſe mutuo poſſint, in guttas confluunt. Hi ipſi elaſtici vapores, ex aqua ſurgentes, ſi aqua undique vaſe aliquo, ut olla *Papiniana*, claudatur, agitationem partium augent, multumque conferunt ad majorem vim caloris aquæ conciliandam, quam in libero aere obtinuiſſet. Adſcenſum vaporum experimento ſatis noto explicat, quo, ſi vas, collo anguſtiore præditum, aqua repleatur, & inverſum vino rubro, aut ſpiritui vini tincto, immergatur, fluidum levius fumi ſpecie per gravius adſcendit. Ipſa antlia pnevmatica monſtrat, vapores in aere ut fluidum levius in graviore adſcendere, quia, ſubducto aere, decidunt. Si in vacuo *Guerikiano* ope lentis cauſticæ tus aut reſina, vaſculo amplo & aperto impoſita, incendantur, vapores ſe expandunt, hemiſphæriumque, in vaſculo poſitum, formant. Unde & vis elaſtica vaporum & attractrix perſpicitur, quæ ultima, ne omnino diſſipentur, impedimento eſt. Neque tamen omnia corpora ſolida in vaporem abeunt, cum alia & igne fortiſſimo vel plane non, vel non tota, in aerem agantur. Unde corporum in *fixa* & *volatilia* diſcrimen oritur. Retinent vero vapores corporum, unde orti ſunt, naturam, quatenus ea non ab aliis partibus, a quibus avulſæ ſunt, pendet. Ita vapores ſpiritus vini flammam concipiunt, acidorum vapores cum vapore ſpiritus urinæ uniuntur. Qui vero aeri inſunt vapores, ad tria potiſſimum genera *Art.* 594 referuntur, aqueos, ſalinos, & oleoſos, licet vix unum genus purum, neque alteri commixtum, in aere reperiatur, quod præcipue de ultimis duobus valet. Reliqua genera corporum, quæ vaporum modo elevantur, nimis incognita nobis ſunt, quam ut certi quidquam indicare de illis liceat. Calor autem præcipua quidem cauſa vaporum elevatrix, non tamen unica, exiſtit. Idem putredo & fermentatio



Digitized by Google

efficiunt, ex nive & glacie vapores adſcendunt, omnisque evaporatio vento multum promovetur. In putreſcentibus corporibus atque fermentantibus particulæ quædam ab aliis, quibus ante junctæ exiſtebant, avelluntur, inter alias transferendæ. Unde majores eorum corporum partes aliam nactæ magnitudinem, figuram, denſitatem, ad alia, quam ante, efficienda aptæ ſunt. Quæ dum peraguntur, ſi partibus a reliquis ſeparatis vis a ſe invicem recedendi inſit, elaſticus vapor oritur, animalibus hominibus plerumque inimiciſſimus. Is autem perinde, ac qui a calore elevatur, propter levitatem ſuam in aere adſcendit. Quo autem modo ex nive & glacie vapores procreentur, difficilius explicatu eſt, cum ipſius glaciei ortus fere adhuc nos lateat. Neque enim aqua paulatim, dum congelaſcit, inſpiſſatur, quod ceræ, dum calore, quo fluxerat, rurſus privatur, accidit, ſed unico momento a ſumma fluiditate ad ſummam duritiem tranſit, & quaquaverſum ſubito expanditur, unde etiam illa glacies, quæ ex aqua aere privata oritur, levior aqua exiſtit. Hæc parum ſe concipere, Cel. Autor fatetur. Ventos autem auferre vapores, qui ſupra aquam conſederant, aliisque locum facere, exiſtimat.

Jam de ordine, quo vapores in aere locentur, hæc conjicit: Aqueos, & ſpirituum ardentium, & alcalicos volatiles, qui magna copia ex putreſcentibus animalibus & plantis ſurgunt, leviſſimos eſſe. Graviores tamen, quos ultimo nominavimus, effici, ſi acidi quidpiam illis admiſceatur, quo propius ad ſalem ammoniacum accedant. Acidorum vapores graviores eſſe, interque hos graviſſimos, cum quibus ipſum acidum elevatur, ut eos ſulphuris vulgaris & vitrioli, qui ſæpius in ipſo aere libero fundum petant. Oleoſos inter ponderoſiores eſſe, ſaltem pondere plurimis acidis prævalentes. Igitur in ſumma aeris regione ſine dubio pauci vapores præter aquoſos reperiuntur, niſi illi, quibus cum ardentibus affinitas intercedit, copioſius adſcendant. Proximi ſub his poſiti videntur, qui ex ſale alcalico volatili, vel puro, vel leviſſimo acido mixto, ſurgunt. Oleoſi vero acidique, inprimis graviores, parum a terra recedere videntur, quod ipſa obſervatio vaporum vitrioli-

corum,

eorum, maxima copia in metallifodinis & cryptis ſimilibus repertorum, docet. Aquei vapores ex ſuperficie lacuum majorum ſurgunt, in quibus ipſum ſal ſuum, & paulo altius, quod oleoſum ipſis ab animalibus forte aquæ incolis inerat, derelinquunt. Eadem paludum ratio eſt, cum contra vapores fontium ſeparatione hac non indigeant. His copioſi vapores ex animalibus & plantis junguntur, heterogeneis, quæ ſibi admixta habebant, etiam utplurimum depoſitis. Quanta illorum ſit multitudo, inde patet, quod e mediocris magnitudinis ſpatio 24 hor. $1\frac{1}{2}$ libræ vaporibus decedant; homo vero pro regionum aliarumque circumſtantiarum diverſitate eodem tempore $2\frac{1}{2}$ uſque ad 5 lib. perdat; aqua neque ſoli, neque vento, nimium expoſita anni ſpatio ad altitudinem 29 dig. Rhen. evaporet. Aquei vapores aeri ſæpius adeo commixti ſunt, ut conſpici in illo non poſſint, neque in aliis corporibus ſentiantur, ſi hæc ejusdem cum aere caloris ſint, paucis exceptis, quæ attrahendo illos diffluunt, ut ſalia, ex plantis incineratis extracta, cum quibusdam aliis. Frigidis autem corporibus vapores hi ſpiſſius adhærent, magis quidem, ſi præterea illos attrahant, minus autem, ſi forte occulta quadam vi eos repellant. Inde hygrometrorum natura explicatur. De rore hæc habet: Paulo poſt occaſum ſolis, aere frigidiore reddito, terra autem maximam partem caloris ſui adhuc retinente, tenuia plantarum folia calorem ſuum mox & prius caule perdunt, radix vero diutius adhuc calorem retinet. Durat ergo circulus humorum, illique pro parte in vaporem commutantur, qui, cum ad extrema uſque foliorum defertur, ob frigus in guttas aqueas abit. Hoc genus roris & varias partes heterogeneas admixtas habet, quæ ex plantis vaporibus junctæ abire ſolent, adeoque diverſis in plantis diverſæ ſunt. Reperitur enim in plantis, ita tectis, ut nihil ex aere decidere in illas potuerit. Neque tamen omnes plantarum vapores ita in foliis confluunt, ſed ex terra adhuc calida alii elevantur, quæ partim confluunt & recidunt, partim altius aſſurgunt. Hi corporibus ſibi obviis adhærent, illaque tanto citius obvelant, quo propiora terræ ſunt. Vapo-

res,

res, altius adhuc aſſurgentes, a corporibus, ut dictum eſt, attrahuntur, & partim in illa recidunt. Vitri hoc in negotio maxima vis eſt, minima metallorum, ad ſplendorem uſque politorum. Colores etiam, corporibus inducti, phænomena hæc variant, ſine dubio ob ſingularem pulverum, aut liquorum, quibus conſtant, naturam. Pruina ex vaporibus, dum ad frigida corpora appellunt, congelaſcentibus naſcitur, imo, ſi ſatis frigidus ſit aer, in eo ipſo vapores in moleculas glaciales abeunt, quæ ipſæ ſplendente ſole conſpicuæ ſunt; neque enim, niſi magna copia aerem repleant, radiorum lucis tranſitum rectilineum impediunt. Nebula, dum ex particulis conſtat, lucem refringentibus, efficit, ut radii, ex objecto quodam per eam in oculum tranſituri, mirum in modum curventur, neque adeo diſtincte conſpici res poſſint.


Hæc, quam multa paucis in hoc libro dicantur, ſatis oſtendunt. Id adjicimus, iis, quos vidimus, Phyſicæ libris elementariis, (vidimus autem plurimos,) hunc, quem præ manibus habemus, ſoliditate, concinno ordine, rerum delectu, & quæcunque aliæ poſſunt eſſe talis libri virtutes, multum antecellere. Sententias habet aliquas particulares, ut, ignem fatuum non congeriem eſſe vaporum, qui tanta copia adeſſe, tantaque velocitate moveri, vix poſſint, ſed examen inſectorum lucentium. Ceterum, quæ ad Phyſicam proprie ſic dictam generalem ſpectant, hic ſaltem reperiuntur, pauca ex hiſtoria trium naturæ regnorum, a ſcopo ſcriptoris brevitateque ſine dubio excluſorum. Principia phyſica vera, id eſt, *Newtoniana*, Autor amplectitur. Matheſi, quo pluribus intelligi poſſit, parcius utitur, ſæpiusque rem ad naturalem Geometriam reducit, quod ipſum efficere, conſummati Geometræ eſt; cum alii ſcriptores phyſici, leviter Geometria tincti, exiguam ejus, quam habent, copiam ubique oſtentent. Sunt vero etiam in libro, quæ probant, ultra crepidam ſuam judicare eos, qui, ſublimioris Matheſeos uſum nullum in phyſicis exiſtere, ſibi perſuadent. Celeberrimus vero Autor ut Academiæ Georgiæ Auguſtæ, totique orbi literario, quam diutiſſime proſit, ex animo vovemus.


*CHRIST.*

Digitized by Google

TAB. III

Fig. I




Digitized by Google

Digitized by Google

## CHRIST. FRID. OECHLITZII, A. M. ANALYſis ſolutionis ſuæ Problematis Catoptrico-Analytici, in Nov. Act. A. 1746 Menſ. Mart. P. I pag. 134 traditæ.

Vix opus eſſe arbitror, ut de Problematis hujus cum difficultate, quam prima fronte præ ſe ferre videtur, tum præſtantia & utilitate, qualem in ipſis Analyſeos finibus ulterius proferendis habere poteſt, plura verba faciam; cum de utraque re jam ab ejus Autore, in ſublimioribus ſtudiis longe eminentiſſimo, in ſolutione ſua (vid. *Nov. Act. Erud. A. 1746 pag. 230*) dictum ſit, quod ad ejus commendationem abunde ſufficiet. Tres autem huc usque ejus in his *Novis Actis* comparuerunt ſolutiones, preſſa tamen Analyſi, quibus idem diverſiſſimis prorſus methodis tentatum eſt. Non igitur abs re eſſe judico, ſi ſolutionis, a me anno præcedente exhibitæ, integram Analyſin, qua ad ipſam deductus ſum, hic clare exponam; quo partim Viris, quorum in ſcientiis hiſce judicium veneror, qualiacunque mea hac de re cogitata ſiſtam, partim alios ad vires ſuas in eodem adhuc exercendas excitem. Ne autem ea in nimiam molem excreſcat, primo tantum caſum particularem paralleliſmi, ibidem ſeparatim conſideratum, hic explicare conſtitui; cum is & ſua ſe ſimplicitate imprimis commendet, & ex eo jam tota methodus, qua nititur Problematis generalis ſolutio, ſatis poſſit perſpici.

1. *Problema* igitur hoc in caſu hujus erit tenoris: *Invenire Curvam continuam MAm ejus indolis, ut, ſi radius quivis axi AB parallelus NM incidat in Curvam in M, ejusque reflexus Mm Curvæ denuo occurrat in m, hujus reflexus mn evadat iterum axi parallelus.* Sumto itaque initio abſciſſarum in A, ſit $AP = x$, $PM = y$, $MR = dx$, $R\mu = dy$; ponatur TAB. III Fig. 1.

facilitatis cauſa $\frac{dx}{dy} = p$, unde $p$ eſt *tang.* $PMT$ ad rad. 1; item, concurrente $Mm$ cum axe in $V$, dicatur $AV = u$, & *cotang. ang.* $MOV = v$.

2. Ad naturam Problematis æquationibus exprimendam ante omnia opus eſt, ut generatim pro Curva quavis definiatur poſitio radii reflexi $Mm$, ex dato $MN$ incidente in punctum quodvis $M$. Quod facile fiet, ducendo $MO$ tangenti normalem. Erit enim $TMV =$ (ex natura reflexionis) $\mu MR =$ (ob parall.) $MTV$; unde $VM = VT$. Pariter $VMO = OMN = MOV$; unde $VO = VM = VT$, ſeu $VO = \frac{1}{2}$ $TO$. Hinc $AV = AP + PO - VO = x + \frac{1}{2}\frac{ydy}{dx} - \frac{1}{2}\frac{ydx}{dy}$ $= x - \frac{1}{2}yp + \frac{1}{2}\frac{y}{p} = u$. Dein *tang.* $MVO = \frac{PM}{VP} = \frac{y}{x-u}$ $= \frac{2p}{p^2-1}$, ſeu *cotang.* $V = \frac{p^2-1}{2p} = v$; quæ proinde a ſola poſitione tangentis in $M$ pendet.

3. His poſitis, licebit nunc ipſam aggredi Problematis Analyſin. Siquidem quæſtio eſſet ita comparata, ut ex data Curva $AM$ quæratur altera ei adjungenda $Am$, talis, ut qualiſcunque radius axi parallelus $NM$, a Curva $AM$ in $M$ reflexus, & inde in Curvam $Am$ incidens, ab ea iterum parallele reflectatur; res expediretur per methodum talem, ut ſtatim daretur æquatio ipſius $Am$. Tunc vero non niſi in caſu ſpeciali, & forte fortuna, accideret, ut Curva $Am$ ſit ipſa $AM$ continuata. Contra Problema præſens requirit ſemper Curvas continuas, ideoque peculiarem prorſus methodum ſibi depoſcit. Quem in finem ponatur $MAm$ talis, qualis requiritur, & reflectatur parallelus aliquis $NM$ in $MV$, & cogitetur, $AV$, ſeu $u$, dari (ex §. 2) per $x$, vel $y$, vel $p$; pariter *cotang.* $V$, ſeu $v$, dari per easdem quantitates. Primo igitur neceſſe eſt, ut eidem $u$ aliud adhuc punctum $M$ reſpondeat; niſi enim hoc eſſet, radius $MV$ Curvæ haud amplius occurreret. Debet ergo æquatio inter $u$ & $x$, vel $y$, vel $p$, quam Curva præbet, ita eſſe comparata, ut pro quavis $u$ dentur duo valores ipſius $x$, vel $y$, vel $p$, ambigue prorſus eidem reſpondentes. Quod ſi in Curva quapiam locum habeat, gaudebit ea jam hac proprietate, ut, quovis parallelo $NM$ in $V$ reflexo, radius

radius aliquis, ex $V$ denuo in Curvam incidens $Vm$, reflectatur iterum in parallelum $mn$. Sed hoc ipſo Problemati nondum ſatis fit, quod ulterius deſiderat, ut $MV$ $Vm$ eandem rectam continuam conſtituant. Hac altera conditione definitur relatio, quam duo puncta $M$ $m$ inter ſe habere debeant, talem nempe, ut utrique idem ang. $V$, hoc eſt, eadem $v$, reſpondeat. Si ergo dicatur $tang.\ pmt = \frac{mr}{r\mu} = p'$, erit (§. 2) $\frac{p^2-1}{p} = 2v = \frac{p'p'-1}{p'}$, unde prodit $p' = -\frac{1}{p}$, (alter enim valor $p' = p$ inſtituto noſtro non ſatisfacit,); quod oſtendit, angulum $pmt$ eſſe complementum anguli $PMT$ ad rectum, ſeu tangentes $MT$ $mt$ concurſu ſuo efficere rectum, ut etiam ex natura paralleliſmi facile a priori demonſtrari poteſt.

4. Cum ergo relatio punctorum $M$ $m$ exprimatur per tangentes $p\,p'$, conſiderabo hunc æquationem, non inter $u$ & $x$, vel $y$, ſed inter $u$ & $p$. Hæc ergo habebit duas has conditiones, ut primo cuivis $u$ duæ $p\,p'$ ambigue reſpondeant, his autem vice verſa unica $u$ competat; dein ut harum relatio ſit talis: $pp' = -1$, ſeu $p' = -\frac{1}{p}$. Quia ergo duabus $p\,p'$ una eademque $u$ reſpondet, neceſſe eſt, ut $u$ ſit talis functio ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$; quo ipſo ex natura æquationum facile patet effici, ut, ſi vice verſa $p$ quæratur per $u$, habeantur ambigue duo valores $p$ & $-\frac{1}{p}$. Ne autem valor ipſius $u$ ambiguitatis ſit capax, requiritur, ut $u$ ſit functio rationalis ipſius $p$, vel tamen irrationales nullas, quarum exponens ſit par, contineat. Manifeſtum autem eſt, talem functionem ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$, generatim haberi, ſi ſumatur functio qualiscunque ipſius

$p - \frac{1}{p}$. Habebimus ergo ſolutionem generalem Problematis, hac conditione expreſſam, ut $u$ ſit functio quævis rationalis (vel irrationalis exponentis imparis) ipſius $p - \frac{1}{p}$, ſeu $\frac{p^2 - 1}{p}$. Ceterum potuiſſet ad eandem conditionem, quod nempe $u$ debeat eſſe functio rationalis ipſius $v$ (quæ, cum ſit $= \frac{1}{2}(p - \frac{1}{p})$, ex natura rei ita comparata eſt, ut ei duæ $p, -\frac{1}{p}$, ambigue respondeant,) aliis etiam ratiociniis, & forſan brevius, perveniri; ſed illud, quod & maxime perſpicuum, & ex ipſæ rei natura petitum eſſet, elegiſſe ſuffecerit.

5. Poſtquam itaque detecta eſt relatio inter $u$ & $p$, res eo redit, ut exinde inveniatur ipſa æquatio inter $x, y$. Quod facile per jam cognita methodi tangentium inverſæ artificia præſtabitur. Nam ex æquatione (§. 2) $2u = 2x - yp + \frac{y}{p}$ eliminetur $x$, differentiando & ſubſtituendo $pdy$ pro $dx$, & fiet: $2du = pdy - ydp + \frac{pdy - ydp}{p^2}$. Unde integrando prodit: 1) $y = 2p\int\frac{du}{p^2+1}$. Quoniam nunc $u$ per hyp. eſt functio ipſius $p$, dabitur $y$ per $p$. Ergo $x = \int pdy$ dabitur etiam per $p$. Imo ſecunda hac integratione ne quidem opus eſt. Nam 2) $x = u + \frac{1}{2}yp - \frac{1}{2}\frac{y}{p}$; unde, quia $u$ $y$ jam dantur per $p$, $x$ quoque per eam dabitur. Si ergo $\int\frac{du}{p^2+1}$ eſt integrabilis, erunt duæ æquationes pro $x$ $y$ & $p$ algebraicæ; unde eliminando $p$ ipſa æquatio inter $x$ $y$ reperiri poteſt. Vel, ſi ſumma iſta non ſit algebraica, conſtructio Curvæ ſemper in promtu eſt. His igitur formulis continetur Solutio

generalis

Digitized by Google

generalis Problematis, præbentque ex infinita Curvarum algebraicarum & tranſcendentium genera.

6. Conſiderabo nunc ſpeciatim varias Curvas algebraicas ſimpliciores, quæ ex formulis præcedentibus derivari poſſunt. Cum ergo $u$ debeat eſſe functio rationalis quævis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, ſeu $2v$, primo quidem ſimpliciſſimus ejus valor erit, ſi ſit functio ejus nulla, hoc eſt, conſtans $a$. Tunc autem eidem $a$ infinitæ $p$ reſpondent. Fit vero jam $\int \frac{du}{p^2+1} =$ conſtanti arbitrariæ $c$; unde 1) $y=2cp$, 2) $x=a+cp^2-c$, ſeu $y=\sqrt{4c(x+c-a)}$ pro Parabola quavis, cujus axis $AB$, focus $V$; qualem Problemati ſatisfacere abunde conſtat.

7. Sumatur nunc $u=a+bv$. Quare, cum ſit $dv=\frac{p^2+1}{2pp}dp$, erit $\int\frac{du}{p^2+1}=c-\frac{b}{2p}$, ubi conſtans $c$ arbitraria. Hinc fiet 1) $y=2cp-b$, 2) $x=a+cp^2-c$, unde $y=-b+\sqrt{4c(x+c-a)}$, quæ denotat Parabolam quamvis, cujus $AB$ eſt diameter aliqua; ut rei natura generatim exigit.

8. Ponatur porro $u=a+bv+cv^3$, fietque $\int\frac{du}{p^2+1} = C+\frac{3cp}{8}+\frac{3c-2b}{4p}-\frac{c}{8p^3}$. Fiat ſimplicitatis cauſa $C=0$, $2b=3c$; & pro $c$ ſcribatur $4c$, eritque 1) $y=3cp^2-\frac{c}{p^2}$, 2) $x=2cp^3-\frac{2c}{p}$, ac $u=\frac{1}{2}c\left(p^3+3p-\frac{3}{p}-\frac{1}{p^3}\right)$. Ex prima colligitur $p=\pm\sqrt{\left(\frac{y+\sqrt{(y^2+12c^2)}}{6c}\right)}$, unde in ſecunda datur $x$ per $y$. Cuivis ergo $y$ reſpondet duplex $p$, ac proinde duplex $x$. Exinde patet, Curvam habere ramos ſimiles & æquales circa $AC$ ipſi $AB$ normalem, quam TAB. III
ſecant in diſtantia $AC=2c$, ubi $p=1$, ſeu angulus ipſorum Fig. 2.

cum *AC* ſemirectus. Poſito $+y=\infty$, fit $p=\infty$, poſito $-y=\infty$, fit $p=0$, unde Curva habet formam, *Fig.* 2 delineatam, & conſtat duabus Paraboloidibus, ſe decuſſantibus ad rectos in *C*. Eliminato vero *p*, prodit æquatio quinti ordinis. In hac ergo, ſumta quavis $AQ=y$, ſi capiatur $Aq=-\frac{5y+4\sqrt{(y^2+12c^2)}}{3}$, radius *NMQ* reflexus in *m* inde denuo reflectetur in *qmn*. Nam dicatur $Aq=y'$, eritque $y'=8cp^2-3y=\frac{3c}{p^2}-cp^2$; unde, quia ex natura Curvæ $y'=3cp'p'-c:p'p'$, erit $p'=-\frac{1}{p}$, ſeu tangentes in *Mm* rectum efficiunt. Sed porro utrique puncto idem *u* respondet; quare radii *MVmu*, a parallelis *NMnm* reflexi, eandem rectam conſtituunt, ſeu vice verſa *MVm* reflectitur in *mn*.

9. Aſſumatur jam $u=\frac{a}{2v^2}=\frac{2ap^2}{(pp-1)^2}$, fietque $\int\frac{du}{p^2+1}=c+\frac{u}{(pp-1)^2}$. Ponatur conſtans $=0$, eritque 1) $y=\frac{2ap}{(pp-1)^2}$ 2) $x=\frac{(3pp-1)}{(pp-1)^2}a$. Exinde prodit $p=\sqrt{\left(\frac{2x+3a+\sqrt{a(8x+9a)}}{2x}\right)}$, unde ex prima datur *y* per *x*. Eliminato vero *p*, inveni æquationem hanc: $y^4-(2x^2+9ax+\frac{27}{4}a^2)y^2+x^4+ax^3=0$, quæ adeo denotat Curvam quarti ordinis valde ſimplicem, circa axem utrinque ſimiliter poſitam. Sunt autem 4 ordinatæ poſſibiles, ſi $+x$, aut $-x>a$, duæ tantum, ſi $-x<a$. Si $x=\infty$, fit $p=\pm1$ & $y=\pm x$; unde videtur quatuor cruribus hyperbolicis pergere in infinitum.

10. Ponatur generatim $u=2^n a v^n$, eritque $\frac{du}{p^2+1}=np$

$= n\alpha (p^2 - 1)^{n-1} p^{-n-1} dp$. Sit primo $n$ poſitivus, & quidem par, & in hac expreſſione ſemper occurret terminus aliquis $\frac{dp}{p}$, unde ſumma erit partim algebraica, partim a logarithmis pendens; ſin vero impar, erit hæc ſemper algebraica. Sit dein $n$ negativus, unde fiet $-n\alpha (p^2 - 1)^{-n-1} p^{n-1} dp$, cujus integralis fiet algebraica, quoties $n$ eſt par, logarithmica vero, quoties impar. Unde ex ſola hac formula alternatim determinari poſſunt infinitæ Curvæ algebraicæ & tranſcendentes. Quin imo ex duobus caſibus, logarithmos præbentibus, oriri poſſunt expreſſiones algebraicæ, conjungendo duas pluresve tales formulas, ut logarithmi ſe mutuo deſtruant.

11. Hoc quidem modo poſſent plures functiones pro $u$ aſſumi, atque inde Curvæ algebraicæ derivari. Sed, quoniam in hujusmodi Problematibus deſideratiſſimum eſt, exhibere formulam generalem, omnes poſſibiles Curvas algebraicas includentem, etiam hoc præſtabimus. Pendet autem totum negotium a $\int \frac{du}{p^2+1}$. Quæritur ergo, qualis pro $u$ functio aſſumenda ſit, ut ſit hæc ſumma algebraica. Ut ergo pro $du$ habeatur $u$, reſolvatur, ut conſtat, in $\int \left( \frac{du}{p^2+1} - \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2} + \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2} \right)$. Cujus integralis eſt $\frac{u}{pp+1} + \int \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2}$. Quare propoſita ſumma erit algebraica, ſi hæc poſterior ſit talis. Sit ergo ea $= P$, & erit $u = \frac{(pp+1)^2 dP}{2p\,dp}$. Si itaque ſumatur $P$ generatim functio quævis algebraica ipſius $p$, dabitur exinde $u$ per quantitates mere finitas, fitque ipſa $\int \frac{du}{p^2+1} = \frac{(p^2+1)\,dP}{2p\,dp} + P$. Sic quidem priori conditioni ſatisfit,

ſit, ut $\int \frac{du}{p^2+1}$ ſit algebraica; ſed reſtat ſpeciatim in Problemate noſtro altera conditio implenda, ut nempe $u$ ſit functio rationalis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, ſeu $2v$. Quo ergo pateat, qualis aſſumenda ſit $P$, ut etiam huic ſatisfiat, introducatur $v$ loco $p$ in valorem ipſius $u$, ſubſtituendo $v+\surd(v^2+1)$ pro $p$, & prodibit $\frac{2(v^2+1)^{\frac{3}{2}}dP}{dv}$, ubi $P$, quæ ponitur functio quævis ipſius $p$, denotabit etiam functionem quamlibet ipſius $v$. Quia nunc hæc debet eſſe functio rationalis ipſius $v$, neceſſe eſt, ut ipſa $P$ ſit irrationalis, atque irrationales diviſione ſe mutuo tollant. Ponatur ergo $P = \frac{Q}{\surd(v^2+1)}$, denotante $Q$ functionem rationalem ipſius $v$, & ſubſtituendo fiet $u = \frac{2(v^2+1)dQ}{dv} - 2Qv$; ſeu introducendo iterum $p$, $u = \frac{(p^2+1)dQ}{dp} - \frac{(p^2-1)}{p}Q$. Ipſa vero $\int \frac{du}{p^2+1}$ evadet $= \frac{dQ}{dp} + \frac{Q}{p}$. Quare, ſi nunc ſumatur $Q$ functio qualiscunque rationalis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, utrique conditioni ſatisfiet, & dabuntur (per §. 5) $y\,x$ per $p$ expreſſione mere finita.

12. Præcedentes formulæ poſſunt etiam aliter atque paulo ſimplicius concinnari, ſi coordinatæ $y\,x$ Curvæ noſtræ non quærantur, ut hactenus, per $p$, ſed per $v$, quo ipſo valores $Q$, $dQ$, ſtatim habentur ſimpliciſſime. Quem in finem introducatur in formulas illas ubique $v$ loco $p$, & ſcribatur facilitatis cauſa $R$ pro $2Q$, & valores ipſarum $u$, $y = 2p\int \frac{du}{p^2+1}$, & $x = u + vy$, prodeunt, qui ſequuntur:

$u =$

Digitized by Google

$$u = \frac{(v^2+1)\,dR}{dv} - vR$$

$$y = \frac{\surd(v^2+1)\,dR}{dv} + R$$

$$x = (v + \surd(v^2+1))\,\frac{\surd(v^2+1)\,dR}{dv}$$

$$\text{ſeu } (v^2+1+v\surd(v^2+1))\,\frac{dR}{dv}$$

In his formulis $R$ denotat functionem quamvis rationalem ipſius $v$, eæque proinde generaliſſime & facillime Problema ſolvunt. Quin & ipſæ ſtatim ſuam demonſtrationem præ ſe ferunt. Nam, quia (§. 2) $v$ eſt *tang.* $PMV$, ſeu *cot.* $PVM$, ac per eam exprimuntur $x\,y$ irrationaliter, ſequitur, uni eidemque $v$ duo puncta Curvæ reſpondere, hoc eſt, duos radios, a duobus parallelis reflexos, axi ſub eodem angulo $V$ occurrere; quia vero ulterius $u$ exprimitur rationaliter per $v$, duobus hiſce punctis unum tantum punctum $V$ reſpondet, proinde duo iſti radii unam eandemque rectam $MV$ in conſtituunt. Sit e. g. $R = \alpha + \beta v$, & fit $u = \beta - \alpha v$, $y = \alpha + \beta(v + \surd(v^2+1))$, $x = (v + \surd(v^2+1))\,\beta\surd(v^2+1)$, unde prodit $y = \alpha + \surd(2\beta x + \beta^2)$; ſimilique modo plures Curvæ algebraicæ pro lubitu determinari poterunt.

13. Sed & inter tranſcendentes ſilentio minime prætereunda eſt Curva ſimpliciſſima, Geometriſque dudum celebratiſſima. Ponatur nempe in formulis præcedentibus $R = a.\,A.$ *tang.* $v$ ad rad. 1; unde, ob $dR = \frac{a\,dv}{v^2+1}$, fiet $u = a - avA$, $y = \frac{a}{\surd(v^2+1)} + aA$, $x = a + \frac{av}{\surd(v^2+1)}$, ſeu, ſubſtituendo ex ultima valorem ipſius $v$, $y = \surd(2ax - x^2) + a\,A.$ *tang.* $\frac{x-a}{\surd(2ax-x^2)}$ ad rad. 1, ſeu, (quod eodem redit,) $-$

ſit, ut $\int \frac{du}{p^2+1}$ ſit algebraica; ſed reſtat ſpeci… AC
mate noſtro altera conditio implenda, ut … $x^2$),
rationalis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, ſeu 2 v. Qu… are arcus
menda ſit P, ut etiam huic ſati… $=$ arc. DQ,
valorem ipſius u, ſubſtituen… $x^2$) ambiguum
…ſitum, & habe-
dibit $\frac{2(v^2+1)^{\frac{3}{2}}dP}{dv}$, … æqualis, proinde
… AB habebit. Sed
p, denotabit etiam … ipſiſſimam *Cycloidem*.
hæc debet eſſe … $OM = AD + PQ -$
ſit irrational… o $Ab$ deſcribatur circu-
…que prodit Cyclois $aME$,
Ponatu… autem ſit $OP =$ quadran-
… Cycloidis $bE$. Quare Cy-
…enda erit in ſitum $bmF$, trans-
…a Curva propoſito ſatisfaciens.
Si ergo incidat radius quivis baſi normalis $NM$, is ex $M$ in $m$ reflexus evadet baſi iterum normalis $mn$. Quæ proprietas Cycloidis catoptrica haud ſane inferior videtur aliis bene multis, a Geometris jam pridem detectis. Cæterum eadem etiam à priori corroborari poteſt. Conſtat enim, Cauſticam Cycloidis $aME$ pro radiis baſi normalibus eſſe aliam Cycloidem $bCE$, cujus diameter generator ipſius $AB$ dimidius, quæ, cum circa axem $AB$ utrinque ſimiliter ponatur, reſpondebit eadem non minus alteri $bmF$; unde, quia radii $NM$ reflexus $ML$ tangit Cauſticam in $L$, is in $m$ productus omnino ab altera Cycloide reflectetur iterum in normalem $mn$. Hinc ſimul patet, reflexum $Mm$ radio circuli $CQ$ ſemper eſſe parallelum. Simili prorſus ratione poterunt infinitæ aliæ Curvæ tranſcendentes elici, a quadratura circuli, vel logarithmis, vel aliis quibuscunque integralibus, pendentes, ſi pro $R$ ſubſtituatur functio quævis, ex algebraicis & tranſcendentibus compoſita, modo & harum elementa ſint rationalia.

14. Atque

Digitized by Google

14. Atque hæc de Solutione præſentis Problematis ſufficiant. Sed, quo pateat, methodum, hic uſurpatam, ad alia ...oque reſolvenda cum ſucceſſu adhiberi poſſe, adjungam ... paucis ſolutionem Problematis, huic tam reſpectu obje... quam methodi, affinis. Quemadmodum enim ea pro...tas in ſola Parabola locum habet, ut radius quivis axi ...elus poſt duplam reflexionem ei iterum parallelus eva... quidem reflexus $Mm$ ſemper per punctum conſtans ...t; infinitis vero aliis lineis competere poteſt, ſi ea ...o omittatur, ut reflexus ſemper per idem punctum ...debeat: ita ſimili modo ſeries infinitarum linearum ...poterit, ſi nunc, ea conditione, ut radii ſint ſemper ...eli, neglecta, quæratur Curva talis, ut pro quovis ... detur radius incidens $NM$, cujus reflexus $MA$, per ...nſtans $A$ tranſiens, Curvæque denuo in $m$ occur... reflectatur in $mn$, ipſi $NM$ parallelum. Vel, ...redit, poterit etiam ſic enuntiari *Problema: In... continuam MCm ejus naturæ, ut, ſi e puncto in...* ... *nato A emanet radius quivis MAm, Curvæ in duobus punctis occurrens, duo ejus reflexi MN, mn, ſint inter ſe pa...ralleli.* Dicatur $AP = x$, $PM = y$, $\frac{dx}{dy} = p$, ut ante, & $\frac{x}{y} = q$, quæ ergo denotat *tang.* $AMP$. Inſtituendo jam ſimile ratiocinium, quale §. 3, 4, formatum eſt, patet, duo puncta $M$ $m$ habitura, ut ante, eam relationem, ut tangentes $MT$ $mt$ efficiant rectum. Cum ergo utrique unum idemque $q$ reſpondeat, debet $q$ eſſe talis functio ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$; unde elicitur $q =$ functioni cuivis rationali ipſius $\frac{p^2 - 1}{p}$, ſeu $2v$. Ut jam ex relatione inter $p$ $q$ eruatur æquatio inter $x$ $y$, differentietur æquatio $x = yq$, poſitoque $dx = pdy$, erit $pdy = ydq + qdy$.

TAB. III. Fig. 4.



Digitized by Google

TAB. III Fig. 3. *A. tang.* $\frac{a(a-x)}{\sqrt{(2ax-x^2)}}$ ad rad. $a$. Quodſi ergo radio $AC = a$ deſcribatur circulus $ADB$, erit $PQ = \sqrt{(2ax-x^2)}$, & ducta $CQS$, tangens $DS = \frac{a(a-x)}{\sqrt{(2ax-x^2)}}$, quare arcus ſupra dictus eſt ipſe $DQ$; unde, ſi capiatur $QM = arc. DQ$, erit $M$ in Curva. Cum vero ipſi $\sqrt{(2ax-x^2)}$ ambiguum ſignum tribui poſſit, tribuatur ei etiam negativum, & habebitur ad alteram partem ordinata ipſi $PM$ æqualis, proinde Curva partes ſimiles & æquales circa axem $AB$ habebit. Sed ex dictis jam intelligitur, Curvam eſſe ipſiſſimam *Cycloidem*. Nam, capta $PO =$ quadranti $AD$, erit $OM = AD + PQ - DQ = PQ + AQ$; unde, ſi diametro $Ab$ deſcribatur circulus $aqb$, erit $OM = Oq + aq$; ideoque prodit Cyclois $aME$, cujus radius generator eſt $a$. Cum autem ſit $OP =$ quadranti, liquet, axem $AB$ biſecare baſin Cycloidis $bE$. Quare Cyclois tantum circa eum convertenda erit in ſitum $bmF$, translato $E$ in $b$, ut habeatur integra Curva propoſito ſatisfaciens. Si ergo incidat radius quivis baſi normalis $NM$, is ex $M$ in $m$ reflexus evadet baſi iterum normalis $mn$. Quæ proprietas Cycloidis catoptrica haud ſane inferior videtur aliis bene multis, a Geometris jam pridem detectis. Cæterum eadem etiam à priori corroborari poteſt. Conſtat enim, Cauſticam Cycloidis $aME$ pro radiis baſi normalibus eſſe aliam Cycloidem $bCE$, cujus diameter generator ipſius $AB$ dimidius, quæ, cum circa axem $AB$ utrinque ſimiliter ponatur, reſpondebit eadem non minus alteri $bmF$; unde, quia radii $NM$ reflexus $ML$ tangit Cauſticam in $L$, is in $m$ productus omnino ab altera Cycloide reflectetur iterum in normalem $mn$. Hinc ſimul patet, reflexum $Mm$ radio circuli $CQ$ ſemper eſſe parallelum. Simili prorſus ratione poterunt infinitæ aliæ Curvæ tranſcendentes elici, a quadratura circuli, vel logarithmis, vel aliis quibuscunque integralibus, pendentes, ſi pro $R$ ſubſtituatur functio quævis, ex algebraicis & tranſcendentibus compoſita, modo & harum elementa ſint rationalia.

14. Atque

14. Atque hæc de Solutione præſentis Problematis ſufficiant. Sed, quo pateat, methodum, hic uſurpatam, ad alia quoque reſolvenda cum ſucceſſu adhiberi poſſe, adjungam hic paucis ſolutionem Problematis, huic tam reſpectu objecti, quam methodi, affinis. Quemadmodum enim ea proprietas in ſola Parabola locum habet, ut radius quivis axi parallelus poſt duplam reflexionem ei iterum parallelus evadat, & quidem reflexus *Mm* ſemper per punctum conſtans tranſeat; infinitis vero aliis lineis competere poteſt, ſi ea conditio omittatur, ut reflexus ſemper per idem punctum tranſire debeat: ita ſimili modo ſeries infinitarum linearum reperiri poterit, ſi nunc, ea conditione, ut radii ſint ſemper axi paralleli, neglecta, quæratur Curva talis, ut pro quovis puncto *M* detur radius incidens *NM*, cujus reflexus *MA*, per punctum conſtans *A* tranſiens, Curvæque denuo in *m* occurrens, inde reflectatur in *mn*, ipſi *NM* parallelum. Vel, quod eodem redit, poterit etiam ſic enuntiari *Problema: Invenire Curvam continuam MCm ejus naturæ, ut, ſi e puncto intra eam dato A emanet radius quivis MAm, Curvæ in duobus punctis occurrens, duo ejus reflexi MN, mn, ſint inter ſe paralleli.* Dicatur $AP = x$, $PM = y$, $\frac{dx}{dy} = p$, ut ante, & TAB. III. Fig. 4.

$\frac{x}{y} = q$, quæ ergo denotat *tang. AMP*. Inſtituendo jam ſimile ratiocinium, quale §. 3, 4, formatum eſt, patet, duo puncta *M m* habitura, ut ante, eam relationem, ut tangentes *MT mt* efficiant rectum. Cum ergo utrique unum idemque *q* reſpondeat, debet *q* eſſe talis functio ipſius *p*, quæ non mutetur, mutato *p* in $-\frac{1}{p}$; unde elicitur $q =$ functioni cuivis rationali ipſius $\frac{p^2 - 1}{p}$, ſeu $2v$. Ut jam ex relatione inter *p q* eruatur æquatio inter *x y*, differentietur æquatio $x = yq$, poſitoque $dx = pdy$, erit $pdy = ydq + qdy$.

2. Ad naturam Problematis æquationibus exprimendam ante omnia opus eſt, ut generatim pro Curva quavis definiatur poſitio radii reflexi $Mm$, ex dato $MN$ incidente in punctum quodvis $M$. Quod facile fiet, ducendo $MO$ tangenti normalem. Erit enim $TMV =$ (ex natura reflexionis) $NMR =$ (ob parall.) $MTV$; unde $VM = VT$. Pariter $VMO = OMN = MOV$; unde $VO = VM = VT$, ſeu $VO = \frac{1}{2} TO$. Hinc $AV = AP + PO - VO = x + \frac{1}{2}\frac{ydy}{dx} - \frac{1}{2}\frac{ydx}{dy} = x - \frac{1}{2}yp + \frac{1}{2}\frac{y}{p} = u$. Dein $tang.\ MVO = \frac{PM}{VP} = \frac{y}{x-u} = \frac{2p}{p^2-1}$, ſeu $cotang.\ V = \frac{p^2-1}{2p} = v$; quæ proinde a ſola poſitione tangentis in $M$ pendet.

3. His poſitis, licebit nunc ipſam aggredi Problematis Analyſin. Siquidem quæſtio eſſet ita comparata, ut ex data Curva $AM$ quæratur altera ei adjungenda $Am$, talis, ut qualiscunque radius axi parallelus $NM$, a Curva $AM$ in $M$ reflexus, & inde in Curvam $Am$ incidens, ab ea iterum parallele reflectatur; res expediretur per methodum talem, ut ſtatim daretur æquatio ipſius $Am$. Tunc vero non niſi in caſu ſpeciali, & forte fortuna, accideret, ut Curva $Am$ ſit ipſa $AM$ continuata. Contra Problema præſens requirit ſemper Curvas continuas, ideoque peculiarem prorſus methodum ſibi depoſcit. Quem in finem ponatur $MAm$ talis, qualis requiritur, & reflectatur parallelus aliquis $NM$ in $MV$, & cogitetur, $AV$, ſeu $u$, dari (ex §. 2) per $x$, vel $y$, vel $p$; pariter $cotang.\ V$, ſeu $v$, dari per easdem quantitates. Primo igitur neceſſe eſt, ut eidem $u$ aliud adhuc punctum $M$ reſpondeat; niſi enim hoc eſſet, radius $MV$ Curvæ haud amplius occurreret. Debet ergo æquatio inter $u$ & $x$, vel $y$, vel $p$, quam Curva præbet, ita eſſe comparata, ut pro quavis $u$ dentur duo valores ipſius $x$, vel $y$, vel $p$, ambigue prorſus eidem reſpondentes. Quod ſi in Curva quapiam locum habeat, gaudebit ea jam hac proprietate, ut, quovis parallelo $NM$ in $V$ reflexo, radius

Digitized by Google

radius aliquis, ex $V$ denuo in Curvam incidens $Vm$, reflectatur iterum in parallelum $mn$. Sed hoc ipſo Problemati nondum ſatis fit, quod ulterius deſiderat, ut $MV$ $Vm$ eandem rectam continuam conſtituant. Hac altera conditione definitur relatio, quam duo puncta $M$ $m$ inter ſe habere debeant, talem nempe, ut utrique idem ang. $V$, hoc eſt, eadem $v$, reſpondeat.

Si ergo dicatur $tang.\ pmt = \frac{mr}{r\mu} = p'$, erit (§. 2) $\frac{p^2 - 1}{p}$ $= 2v = \frac{p'p' - 1}{p'}$, unde prodit $p' = -\frac{1}{p}$, (alter enim valor $p' = p$ inſtituto noſtro non ſatisfacit,); quod oſtendit, angulum $pmt$ eſſe complementum anguli $PMT$ ad rectum, ſeu tangentes $MT$ $mt$ concurſu ſuo efficere rectum, ut etiam ex natura paralleliſmi facile a priori demonſtrari poteſt.

4. Cum ergo relatio punctorum $M$ $m$ exprimatur per tangentes $p$ $p'$, conſiderabo hunc æquationem, non inter $u$ & $x$, vel $y$, ſed inter $u$ & $p$. Hæc ergo habebit duas has conditiones, ut primo cuivis $u$ duæ $p$ $p'$ ambigue reſpondeant, his autem vice verſa unica $u$ competat; dein ut harum relatio ſit talis: $pp' = -1$, ſeu $p' = -\frac{1}{p}$. Quia ergo duabus $p$ $p'$ una eademque $u$ reſpondet, neceſſe eſt, ut $u$ ſit talis functio ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$; quo ipſo ex natura æquationum facile patet effici, ut, ſi vice verſa $p$ quæratur per $u$, habeantur ambigue duo valores $p$ & $-\frac{1}{p}$. Ne autem valor ipſius $u$ ambiguitatis ſit capax, requiritur, ut $u$ ſit functio rationalis ipſius $p$, vel tamen irrationales nullas, quarum exponens ſit par, contineat. Manifeſtum autem eſt, talem functionem ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$, generatim haberi, ſi ſumatur functio qualiscunque ipſius

$p - \frac{1}{p}$. Habebimus ergo ſolutionem generalem Problematis, hac conditione expreſſam, ut $u$ ſit functio quævis rationalis (vel irrationalis exponentis imparis) ipſius $p - \frac{1}{p}$, ſeu $\frac{p^2-1}{p}$. Ceterum potuiſſet ad eandem conditionem, quod nempe $u$ debeat eſſe functio rationalis ipſius $v$ (quæ, cum ſit $= \frac{1}{2}(p - \frac{1}{p})$, ex natura rei ita comparata eſt, ut ei duæ $p, -\frac{1}{p}$, ambigue reſpondeant,) aliis etiam ratiociniis, & forſan brevius, perveniri; ſed illud, quod & maxime perſpicuum, & ex ipſa rei natura petitum eſſet, elegiſſe ſuffecerit.

5. Poſtquam itaque detecta eſt relatio inter $u$ & $p$, res eo redit, ut exinde inveniatur ipſa æquatio inter $x, y$. Quod facile per jam cognita methodi tangentium inverſæ artificia præſtabitur. Nam ex æquatione (§. 2) $2u = 2x - yp + \frac{y}{p}$ eliminetur $x$, differentiando & ſubſtituendo $pdy$ pro $dx$, & fiet: $2du = pdy - ydp + \frac{pdy - ydp}{p^2}$. Unde integrando prodit: 1) $y = 2p\int \frac{du}{p^2+1}$. Quoniam nunc $u$ per hyp. eſt functio ipſius $p$, dabitur $y$ per $p$. Ergo $x = \int pdy$ dabitur etiam per $p$. Imo ſecunda hac integratione ne quidem opus eſt. Nam 2) $x = u + \frac{1}{2}yp - \frac{1}{2}\frac{y}{p}$; unde, quia $u\ y$ jam dantur per $p$, $x$ quoque per eam dabitur. Si ergo $\int \frac{du}{p^2+1}$ eſt integrabilis, erunt duæ æquationes pro $x\ y$ & $p$ algebraicæ; unde eliminando $p$ ipſa æquatio inter $x\ y$ reperiri poteſt. Vel, ſi ſumma iſta non ſit algebraica, conſtructio Curvæ ſemper in promtu eſt. His igitur formulis continetur Solutio

generalis

Digitized by Google

generalis Problematis, præbentque ex infinita Curvarum algebraicarum & tranſcendentium genera.

6. Conſiderabo nunc ſpeciatim varias Curvas algebraicas ſimpliciores, quæ ex formulis præcedentibus derivari poſſunt. Cum ergo $u$ debeat eſſe functio rationalis quævis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, ſeu $2v$; primo quidem ſimpliciſſimus ejus valor erit, ſi ſit functio ejus nulla, hoc eſt, conſtans $a$. Tunc autem eidem $u$ infinitæ $p$ reſpondent. Fit vero jam $\int \frac{du}{p^2+1}$ = conſtanti arbitrariæ $c$; unde 1) $y = 2cp$, 2) $x = a + cp^2 - c$, ſeu $y = \sqrt{4c(x+c-a)}$ pro Parabola quavis, cujus axis $AB$, focus $V$; qualem Problemati ſatisfacere abunde conſtat.

7. Sumatur nunc $u = a + bv$. Quare, cum ſit $dv = \frac{p^2+1}{2pp}dp$, erit $\int \frac{du}{p^2+1} = c - \frac{b}{2p}$, ubi conſtans $c$ arbitraria. Hinc fiet 1) $y = 2cp - b$, 2) $x = a + cp^2 - c$, unde $y = -b + \sqrt{4c(x+c-a)}$, quæ denotat Parabolam quamvis, cujus $AB$ eſt diameter aliqua; ut rei natura generatim exigit.

8. Ponatur porro $u = a + bv + cv^3$, fietque $\int \frac{du}{p^2+1} = C + \frac{3cp}{8} + \frac{3c-2b}{4p} - \frac{c}{8p^3}$. Fiat ſimplicitatis cauſa $C = 0$, $2b = 3c$; & pro $c$ ſcribatur $4c$, eritque 1) $y = 3cp^2 - \frac{c}{p^2}$, 2) $x = 2cp^3 - \frac{2c}{p}$, ac $u = \frac{1}{2}c\left(p^3 + 3p - \frac{3}{p} - \frac{1}{p^3}\right)$. Ex prima colligitur $p = \pm\sqrt{\left(\frac{y+\sqrt{(y^2+12c^2)}}{6c}\right)}$, unde in ſecunda datur $x$ per $y$. Cuivis ergo $y$ reſpondet duplex $p$, ac proinde duplex $x$. Exinde patet, Curvam habere ramos ſimiles & æquales circa $AC$ ipſi $AB$ normalem, quam ſecant in diſtantia $AC = 2c$, ubi $p = 1$, ſeu angulus ipſorum cum TAB. III Fig. 2.

cum $AC$ ſemirectus. Poſito $+y = \infty$, fit $p = \infty$, poſito $-y = \infty$, fit $p = 0$, unde Curva habet formam, *Fig. 2* delineatam, & conſtat duabus Paraboloidibus, ſe decuſſantibus ad rectos in $C$. Eliminato vero $p$, prodit æquatio quinti ordinis. In hac ergo, ſumta quavis $AQ = y$, ſi capiatur $Aq = -\frac{5y + 4\sqrt{(y^2 + 12c^2)}}{3}$, radius $NMQ$ reflexus in $m$ inde denuo reflectetur in $qmn$. Nam dicatur $Aq = y'$, eritque $y' = 8cp^2 - 3y = \frac{3c}{p^2} - cp^2$; unde, quia ex natura Curvæ $y' = 3cp'p' - c : p'p'$, erit $p' = -\frac{1}{p}$, ſeu tangentes in $Mm$ rectum efficiunt. Sed porro utrique puncto idem $u$ reſpondet; quare radii $MV\ mu$, a parallelis $NM\ nm$ reflexi, eandem rectam conſtituunt, ſeu vice verſa $MVm$ reflectitur in $mn$.

9. Aſſumatur jam $u = \frac{a}{2v^2} = \frac{2ap^2}{(pp-1)^2}$, fietque $\int \frac{du}{p^2+1} = c + \frac{a}{(pp-1)^2}$. Ponatur conſtans $= 0$, eritque 1) $y = \frac{2ap}{(pp-1)^2}$ 2) $x = \frac{(3pp-1)}{(pp-1)^2}a$. Exinde prodit $p = \sqrt{\left(\frac{2x + 3a + \sqrt{a(8x + 9a)}}{2x}\right)}$, unde ex prima datur $y$ per $x$. Eliminato vero $p$, inveni æquationem hanc: $y^4 - (2x^2 + 9ax + \frac{27}{4}a^2)y^2 + x^4 + ax^3 = 0$, quæ adeo denotat Curvam quarti ordinis valde ſimplicem, circa axem utrinque ſimiliter poſitam. Sunt autem 4 ordinatæ poſſibiles, ſi $+x$, aut $-x >$ $a$, duæ tantum, ſi $-x < a$. Si $x = \infty$, fit $p = \pm 1$ & $y = \pm x$; unde videtur quatuor cruribus hyperbolicis pergere in infinitum.

10. Ponatur generatim $u = 2^n a v^n$, eritque $\frac{du}{p^2+1}$ $= n$

$= n\alpha (p^2 - 1)^{n-1} p^{-n-1} dp$. Sit primo $n$ poſitivus, & quidem par, & in hac expreſſione ſemper occurret terminus aliquis $\frac{dp}{p}$, unde ſumma erit partim algebraica, partim a logarithmis pendens; ſin vero impar, erit hæc ſemper algebraica. Sit dein $n$ negativus, unde fiet $-n\alpha (p^2 - 1)^{-n-1} p^{n-1} dp$, cujus integralis fiet algebraica, quoties $n$ eſt par, logarithmica vero, quoties impar. Unde ex ſola hac formula alternatim determinari poſſunt infinitæ Curvæ algebraicæ & tranſcendentes. Quin imo ex duobus caſibus, logarithmos præbentibus, oriri poſſunt expreſſiones algebraicæ, conjungendo duas pluresve tales formulas, ut logarithmi ſe mutuo deſtruant.

11. Hoc quidem modo poſſent plures functiones pro $u$ aſſumi, atque inde Curvæ algebraicæ derivari. Sed, quoniam in hujusmodi Problematibus deſideratiſſimum eſt, exhibere formulam generalem, omnes poſſibiles Curvas algebraicas includentem, etiam hoc præſtabimus. Pendet autem totum negotium a $\int \frac{du}{p^2+1}$. Quæritur ergo, qualis pro $u$ functio aſſumenda ſit, ut ſit hæc ſumma algebraica. Ut ergo pro $du$ habeatur $u$, reſolvatur, ut conſtat, in $\int \left( \frac{du}{p^2+1} - \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2} + \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2} \right)$. Cujus integralis eſt $\frac{u}{pp+1} + \int \frac{2up\,dp}{(pp+1)^2}$. Quare propoſita ſumma erit algebraica, ſi hæc poſterior ſit talis. Sit ergo ea $= P$, & erit $u = \frac{(pp+1)^2 dP}{2p\,dp}$. Si itaque ſumatur $P$ generatim functio quævis algebraica ipſius $p$, dabitur exinde $u$ per quantitates mere finitas, fitque ipſa $\int \frac{du}{p^2+1} = \frac{(p^2+1)\,dP}{2p\,dp} + P$. Sic quidem priori conditioni ſatis-

ſit,

ſit, ut $\int \frac{du}{p^2+1}$ ſit algebraica; ſed reſtat ſpeciatim in Problemate noſtro altera conditio implenda, ut nempe $u$ ſit functio rationalis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, ſeu $2v$. Quo ergo pateat, qualis aſſumenda ſit $P$, ut etiam huic ſatisfiat, introducatur $v$ loco $p$ in valorem ipſius $u$, ſubſtituendo $v+\surd(v^2+1)$ pro $p$, & prodibit $\frac{2(v^2+1)^{\frac{3}{2}}dP}{dv}$, ubi $P$, quæ ponitur functio quævis ipſius $p$, denotabit etiam functionem quamlibet ipſius $v$. Quia nunc hæc debet eſſe functio rationalis ipſius $v$, neceſſe eſt, ut ipſa $P$ ſit irrationalis, atque irrationales diviſione ſe mutuo tollant. Ponatur ergo $P = \frac{Q}{\surd(v^2+1)}$, denotante $Q$ functionem rationalem ipſius $v$, & ſubſtituendo fiet $u = \frac{2(v^2+1)dQ}{dv} - 2Qv$; ſeu introducendo iterum $p$, $u = \frac{(p^2+1)dQ}{dp} - \frac{(p^2-1)}{p}Q$. Ipſa vero $\int \frac{du}{p^2+1}$ evadet $= \frac{dQ}{dp} + \frac{Q}{p}$. Quare, ſi nunc ſumatur $Q$ functio qualiscunque rationalis ipſius $\frac{p^2-1}{p}$, utrique conditioni ſatisfiet, & dabuntur (per §. 5) $y$ $x$ per $p$ expreſſione mere finita.

12. Præcedentes formulæ poſſunt etiam aliter atque paulo ſimplicius concinnari, ſi coordinatæ $y$ $x$ Curvæ noſtræ non quærantur, ut hactenus, per $p$, ſed per $v$, quo ipſo valores $Q$, $dQ$, ſtatim habentur ſimpliciſſime. Quem in finem introducatur in formulas illas ubique $v$ loco $p$, & ſcribatur facilitatis cauſa $R$ pro $2Q$, & valores ipſarum $u$, $y = 2p\int \frac{du}{p^2+1}$, & $x = u + vy$, prodeunt, qui ſequuntur:

u =

Digitized by Google

$$u = \frac{(v^2+1)\,dR}{dv} - vR$$

$$y = \frac{\sqrt{(v^2+1)}\,dR}{dv} + R,$$

$$x = (v + \sqrt{(v^2+1)})\,\frac{\sqrt{(v^2+1)}\,dR}{dv}$$

$$\text{ſeu } (v^2+1+v\sqrt{(v^2+1)})\,\frac{dR}{dv}$$

In his formulis $R$ denotat functionem quamvis rationalem ipſius $v$, eæque proinde generaliſſime & facillime Problema ſolvunt. Quin & ipſæ ſtatim ſuam demonſtrationem præ ſe ferunt. Nam, quia (§. 2) $v$ eſt *tang.* $PMV$, ſeu *cot.* $PVM$, ac per eam exprimuntur $x.y$ irrationaliter, ſequitur, uni eidemque $v$ duo puncta Curvæ reſpondere, hoc eſt, duos radios, a duobus parallelis reflexos, axi ſub eodem angulo $V$ occurrere; quia vero ulterius $u$ exprimitur rationaliter per $v$, duobus hiſce punctis unum tantum punctum $V$ reſpondet, proinde duo iſti radii unam eandemque rectam $MV$ in conſtituunt. Sit e. g. $R = \alpha + \beta v$, & fit $u = \beta - \alpha v$, $y = \alpha + \beta(v + \sqrt{(v^2+1)})$, $x = (v + \sqrt{(v^2+1)})\,\beta\sqrt{(v^2+1)}$, unde prodit $y = \alpha + \sqrt{(2\beta x + \beta^2)}$; ſimilique modo plures Curvæ algebraicæ pro lubitu determinari poterunt.

13. Sed & inter tranſcendentes ſilentio minime prætereunda eſt Curva ſimpliciſſima, Geometriſque dudum celebratiſſima. Ponatur nempe in formulis præcedentibus $R = a.\,A.$ *tang.* $v$ ad rad. 1; unde, ob $dR = \frac{a\,dv}{v^2+1}$, fiet $u = a - avA$, $y = \frac{a}{\sqrt{(v^2+1)}} + aA$, $x = a + \frac{av}{\sqrt{(v^2+1)}}$, ſeu, ſubſtituendo ex ultima valorem ipſius $v$, $y = \sqrt{(2ax - x^2)} + a.\,A.$ *tang.* $\frac{x-a}{\sqrt{(2ax - x^2)}}$ ad rad. 1, ſeu, (quod eodem redit,) —

TAB. III Fig. 3. *A. tang.* $\frac{a(a-x)}{\surd(2ax-x^2)}$ ad rad. $a$. Quodſi ergo radio $AC = a$ deſcribatur circulus $ADB$, erit $PQ = \surd(2ax-x^2)$, &, ducta $CQS$, tangens $DS = \frac{a(a-x)}{\surd(2ax-x^2)}$, quare arcus ſupra dictus eſt ipſe $DQ$; unde, ſi capiatur $QM =$ *arc.* $DQ$, erit $M$ in Curva. Cum vero ipſi $\surd(2ax-x^2)$ ambiguum ſignum tribui poſſit, tribuatur ei etiam negativum, & habebitur ad alteram partem ordinata ipſi $PM$ æqualis, proinde Curva partes ſimiles & æquales circa axem $AB$ habebit. Sed ex dictis jam intelligitur, Curvam eſſe ipſiſſimam *Cycloidem*. Nam, capta $PO =$ quadranti $AD$, erit $OM = AD + PQ - DQ = PQ + AQ$; unde, ſi diametro $Ab$ deſcribatur circulus $aqb$, erit $OM = Oq + aq$; ideoque prodit Cyclois $aME$, cujus radius generator eſt $a$. Cum autem ſit $OP =$ quadranti, liquet, axem $AB$ biſecare baſin Cycloidis $bE$. Quare Cyclois tantum circa eum convertenda erit in ſitum $bmF$, tranſlato $E$ in $b$, ut habeatur integra Curva propoſito ſatisfaciens. Si ergo incidat radius quivis baſi normalis $NM$, is ex $M$ in $m$ reflexus evadet baſi iterum normalis $mn$. Quæ proprietas Cycloidis catoptrica haud ſane inferior videtur aliis bene multis, a Geometris jam pridem detectis. Cæterum eadem etiam à priori corroborari poteſt. Conſtat enim, Causticam Cycloidis $aME$ pro radiis baſi normalibus eſſe aliam Cycloidem $bCE$, cujus diameter generator ipſius $AB$ dimidius, quæ, cum circa axem $AB$ utrinque ſimiliter ponatur, reſpondebit eadem non minus alteri $bmF$; unde, quia radii $NM$ reflexus $ML$ tangit Causticam in $L$, is in $m$ productus omnino ab altera Cycloide reflectetur iterum in normalem $mn$. Hinc ſimul patet, reflexum $Mm$ radio circuli $CQ$ ſemper eſſe parallelum. Simili prorſus ratione poterunt infinitæ aliæ Curvæ tranſcendentes elici, a quadratura circuli, vel logarithmis, vel aliis quibuscunque integralibus, pendentes, ſi pro $R$ ſubſtituatur functio quævis, ex algebraicis & tranſcendentibus compoſita, modo & harum elementa ſint rationalia.

14. Atque

14. Atque hæc de Solutione præſentis Problematis ſufficiant. Sed, quo pateat, methodum, hic uſurpatam, ad alia quoque reſolvenda cum ſucceſſu adhiberi poſſe, adjungam hic paucis ſolutionem Problematis, huic tam reſpectu objecti, quam methodi, affinis. Quemadmodum enim ea proprietas in ſola Parabola locum habet, ut radius quivis axi parallelus poſt duplam reflexionem ei iterum parallelus evadat, & quidem reflexus $Mm$ ſemper per punctum conſtans tranſeat; infinitis vero aliis lineis competere poteſt, ſi ea conditio omittatur, ut reflexus ſemper per idem punctum tranſire debeat: ita ſimili modo ſeries infinitarum linearum reperiri poterit, ſi nunc, ea conditione, ut radii ſint ſemper axi paralleli, neglecta, quæratur Curva talis, ut pro quovis puncto $M$ detur radius incidens $NM$, cujus reflexus $MA$, per punctum conſtans $A$ tranſiens, Curvæque denuo in $m$ occurrens, inde reflectatur in $mn$, ipſi $NM$ parallelum. Vel, quod eodem redit, poterit etiam ſic enuntiari *Problema: Invenire Curvam continuam $MCm$ ejus naturæ, ut, ſi e puncto intra eam dato $A$ emanet radius quivis $MAm$, Curvæ in duobus punctis occurrens, duo ejus reflexi $MN$, $mn$, ſint inter ſe paralleli.* Dicatur $AP = x$, $PM = y$, $\frac{dx}{dy} = p$, ut ante, & $\frac{x}{y} = q$, quæ ergo denotat *tang.* $AMP$. Inſtituendo jam ſimile ratiocinium, quale §. 3, 4, formatum eſt, patet, duo puncta $M$ $m$ habitura, ut ante, eam relationem, ut tangentes $MT$ $mt$ efficiant rectum. Cum ergo utrique unum idemque $q$ reſpondeat, debet $q$ eſſe talis functio ipſius $p$, quæ non mutetur, mutato $p$ in $-\frac{1}{p}$; unde elicitur $q =$ functioni cuivis rationali ipſius $\frac{p^2 - 1}{p}$, ſeu $2v$. Ut jam ex relatione inter $p$ $q$ eruatur æquatio inter $x$ $y$, differentietur æquatio $x = yq$, poſitoque $dx = pdy$, erit $pdy = ydq$ $+ qdy$.

TAB. III. Fig. 4.



Digitized by Google

$+ q\,dy$. Exinde prodit $ly = \int \frac{dq}{p-q}$, unde, ob datam $q$ per $p$, dabitur $y$ per $p$, hinc $x = \int p\,dy$, vel $= yq$, etiam per $p$. Quare, ſumta quavis functione ipſius $p$, prædictam conditionem habente, determinabuntur exinde Curvæ omnes poſſibiles. Sit e. g. $q = 2nv$, unde $\int \frac{dq}{p-q} = \int \frac{n(p^2+1)dp}{p(1-n.p^2+n)}$, quæ, poſito $\frac{n}{1-n} = m$, per logarithmos integrata, dat $y = cp(pp+m)^{\frac{m-1}{2}}$, & $x = nc(p^2-1)(pp+m)^{\frac{m-1}{2}}$. Ponatur $n = \frac{1}{2}$, ſeu $m = 1$, & eſt $y = cp$, $x = \frac{1}{2}c(p^2-1)$, hoc eſt, $y = \sqrt{(2cx + c^2)}$, pro Parabola, cujus parameter $2c$ & focus $A$, uti requiritur. Si omnes Curvæ algebraicæ deſiderentur, quæratur generatim, qualis functio ipſius $p$ debeat eſſe $q$, ut ſit $\int \frac{dq}{p-q}$ per logarithmos integrabilis. Quem in finem reſolvatur in $\int \left(\frac{dq-dp}{p-q} + \frac{dp}{p-q}\right)$, cujus integralis eſt $-\log.(p-q) + \int \frac{dp}{p-q}$. Sit ergo ſumma poſterior $= lP$, denotante $P$ functionem algebraicam ipſius $p$, & prodit $q = p - \frac{P\,dp}{dP}$, ideoque ipſa ſumma propoſita $= l\frac{dP}{dp}$; unde $y = \frac{dP}{dp}$ & $x = \frac{p\,dP}{dp} - P$. Sumta ergo $P$ tali functione, ut $q$ conditionem præſcriptam habeat, exinde $y$ $x$ exprimentur ſimpliciſſime. Poſſet etiam hic adhiberi methodus §. 11 ad ipſas $q$ $y$ $x$ per $v$ determinandas. Sed de his jam ſatis.

MISCEL-

## *MISCELLANEA GRONINGANA* *Tomus IV.*

Groningæ, apud Hajonem Spandaw, 1743, 1744, & 1745, 8.
Alph. 2 plag. 1.

*Quartus* hic eſt, idemque ultimus, *Miſcellaneorum*, adhuc a Max. Reverendo D. *Daniele Gerdeſio* Groningæ editorum, *Tomus*. Qui cum & ipſe *quatuor* conſtet *Faſciculis*; quid ſingulis contineatur, paucis exponemus. In *primo* videlicet proferuntur *pag. 1-7 Frid. Adolphi Lampii* Notæ exegeticæ, nondum editæ, ad *Pſalmum VIII*; *pag. 7-11 C. A. Heumanni* Conjectura de quindecim Pſalmis המעלות. Suſpicatur Autor, hoc eſſe nomen ejus Poetæ, qui cantica hæc compoſuit, nec quidquam obſtare oſtendit, quo minus verbum iſtud ſit nomen hominis proprium. Nec tamen acriter propugnat hanc ſententiam, ſed aliorum ſubjicit judicio. *Pag. 11-41* exhibetur libri *Iſeliani de N. T. canone* continuatio. Conſiderantur hic catalogi librorum canonicorum, a ſcriptoribus ſexti & ſubſequentium trium Seculorum confecti. *Pag. 42-130* doctis oculis nunc primum ſubjicitur *Antonii Drieſſenii*, Theologi Groningani, Carmen hexametrum *de literatura Hebræa*; cujus in *Sectione prima* docetur, linguam Biblicam eſſe primigeniam; in *ſecunda* de ſcriptura Decalogica diſſeritur; in *tertia* de ſcriptione Hebræa a dextra verſus ſiniſtram, deque ordine literarum Hebræarum prorſus naturali; in *quarta* de literarum valore hieroglyphico; in *quinta* de vocalium Hebræorum nominibus ſignificativis; in *ſexta* de accentibus Biblicis: ubi tota exhibetur Judæorum accentuatio; in *ſeptima* de poeſi Hebræorum; in *octava* de conjugationum formis, deque vera verborum geneſi. Sciant autem Lectores e *pag. 130*, Celeberrimum Autorem eodem metro compoſuiſſe totam Grammaticam Hebræam, & alio tempore editurum eſſe. *Pag. 131-139* interpretatur *A. F. Kummelius Pſalmi CXXXIII verſum tertium*, putans, male Latinos interpretes dicere, *rorem Hermonis deſcendere ſuper montes Zion*, cum ita reddi hunc

locum oporteat: *Ros ſeparatus*, id eſt, egregius & præſtans, *deſcendit in montes Zion.* *Pag. 140-189* exhibentur *Magni Cruſii*, Theologi Gottingenſis, Analecta de antiquiſſimis *Harmoniæ Evangelicæ* circa reſurrectionem Chriſti oppugnatoribus & defenſoribus; quibus annectitur *Epiphanii* junioris ſcriptum ἀνέκδοτον de diſſidio quatuor Evangeliſtarum in hiſtoria reſurrectionis Chriſti, e Græco Latine nunc primum editum. Non eſt hic prætereundum ſilentio, Græcum hujus *Epiphanii* textum ab eodem Theologo non ita multo poſt exhibitum eſſe in *Bibliothecæ miſcellaneæ Hamburgenſis Tomo primo pag. 898 ſeq.*

In *Faſciculo ſecundo* hæc inſunt: *Pag. 197-223 F. A. Lampii* pereruditа, ſed nondum ad finem perducta, Diſſertatio *de coma Naziræorum*. *Pag. 223-233 Jac. Wilh. Feurlini*, Theologi Gottingenſis, Obſervatio de *Wilhelmi Lindani Concordia diſcorde*, libro rariſſimo, Auguſtanæ Confeſſioni oppoſito, deque ejus teſtimonio de originali hujus Confeſſionis Latinæ exemplari, in archivo Bruxellenſi aſſervato. Qua occaſione etiam vita *Lindani* ſtudioſe deſcribitur. *Pag. 234-259 C. A. Heumanni* comparatio adſcenſus *Eliæ* in cœlum cum Chriſti, eodem tendentis, abitu. Exhibetur hic primo paraphraſis hiſtoriæ Biblicæ de tranſitu *Eliæ* in cœlum, qua ex ipſius hiſtoriæ viſceribus multæ ſupplentur circumſtantiæ, & ita inſignis iſta narratio multo lucidior fit ac plenior. Deinde multæ oſtenduntur diverſitates inter *Eliæ* & Chriſti adſcenſum; e quibus elucet, tantum intereſſe inter *Eliam* & Chriſtum, ut, illum ſervum Dei fuiſſe, hunc filium Dei eſſe, divinamque habere majeſtatem, manifeſtiſſime appareat. *Pag. 259-262* ejusdem Obſervationes duæ ad *Tertullianum*, quibus totidem ejus locis obſcuriſſimis lux affunditur. *Pag. 262-275 E. F. Neubaueri*, Theologi Gieſſenſis, Obſervatio critica ad voces nondum a quoquam intellectas & explicatas, *Merià ſis*, quibus de *Metatrone*, ſive Meſſia, uſus eſt autor libri Rabbinici *Berith Menucha*. Docet, corruptam eſſe hanc ſcripturam, & legi oportere *Mare aſis*, id eſt, dominus fortis. Agit hac occaſione de Metatrone Rabbinorum, ab

iisque

Digitized by Google

iisque hac appellatione affici docet Meſſiam. *Pag. 275-280* ejusdem defenſio verſionis N. T. Syriacæ, quæ vulgo accuſatur omiſſæ *Rom. I, 31*, vocis ἀσυνέτȣ. *Pag. 281-306 Ambroſii Dorhout* Exegeſis *Pſalmi LXVIII, 17*. *Pag. 307-315 Jo. Rudolphi Iſelii*, JCti Baſileenſis, Obſervatio ad *Julii. II*, Pontificis Romani, Diploma, quo jus monetandi conceſſit Baſileenſibus. *Pag. 315-329 Dan. Gerdeſii* Epitome duarum ſuarum Diſſertationum ad *1 Corinth. XV*. *Pag. 329-368* ejusdem recenſio noviſſimarum Diſputationum *Nonnenii, Schrammii, Ikenii*, & *Heumanni*.

In *tertio Faſciculo* hæc reperiuntur. *Pag. 369-403 Joannis Fabricii*, Theologi prius Altorfini, poſtea Helmſtadienſis, Diſſertatio, dudum edita, ſed rarior nunc, de erroribus pictorum in Hiſtoria ſacra. *Pag. 403-454 Theodori Daſſovii* primum A. 1701 edita doctiſſima Diſſertatio de imaginibus rerum Hebræarum; in qua notantur pictorum in hiſtoria V. T. errores, a minus doctis hominibus ſive orti, ſive propagati. *Pag. 454-466 E. A. Lampii* Diſſert. poſthuma ad *1 Corinth. XIV*, de nomine προφήτης & verbo προφητεύειν. *Pag. 467-494* recenſentur *Jo. Jac. Zimmermanni*, Theologi Tigurini, duæ Diſſertationes pereruditæ de viſionibus priorum quatuor Seculorum; & *pag. 494-514 E. L. Vriemœti* Diſſertationes de Meſſia; & *pag. 514-528 Dan. Gerdeſii* Introductio in Hiſtoriam Reformationis; qui & *pag. 529-543* reſpondet acerbiori cuidam hujus operis cenſori. *Pag. 545-556* junioris *Schultenſii* Diſſertatio inauguralis ad *Phil. II, 5-11*, recenſetur.

In *quarto*, eodemque poſtremo, *Faſciculo pag. 557-616* recuſa eſt *Jac. Rhenferdii* Comparatio expiationis anniverſariæ Pontificis maximi in V. T. cum unica & æterna expiatione Jeſu Chriſti; quam Diſſertationem etiam inſeruerat A. 1736 *Meuſchenius* ſuo N. T. e Talmude illuſtrato *pag. 1013 ſeq.* *Pag. 616-631* exhibetur *G. R. Trevirani* Commentatio *de lavacro regenerationis*, ad *Tit. III, 5*, intelligi per id contendentis, *doctrinam Evangelicam*; quæ interpretatio cum & Socinianis arrideat, Autor credere jubet lectores, ſe antea, quam cognoverit, eos ita ſentire, in hanc

ingreſſum

ingreſſum fuiſſe ſententiam. *Pag.* 632 - 653 eduntur, quæ nondum prodierant in lucem, *F. A. Lampii* Conjectanea quædam, expoſitioni *Pſalmorum* præmittenda. Agitur hic de autoribus *Pſalmorum*, de artificio eorum poetico, deque ordine eorum. *Pag.* 653 - 662 ejusdem producitur Diſſertatiuncula de fide ſalvifica, ejusque actu reflexo. *Pag.* 663-670 profertur *Georgii Paſoris* ad *Henr. Altingium* Epiſtola; ad quam docet Editor, illum novæ ſectæ grammaticæ conditorem, *Pſocbenium*, ducem ſuæ opinionis habuiſſe *Paſorem*, & æmulatione ferventem erga *Coccejum* propugnaſſe ſuam ſententiam ſtudioſe magis, quam erudite. Ad eundem *Altingium* duæ *Jo. Piſcatoris* Epiſtolæ, adhuc ineditæ, prodeunt *pag.* 671 - 678. Atque ita huic *Miſcellaneorum* operi finem imponit Editor Celeberrimus, cum poſthac ad pertractandam Hiſtoriam Reformationis, edendaque huc pertinentia monumenta luce digniſſima, ſuam convertere operam conſtituerit.

## *NOVA LITERARIA.*

Nova haud ita pridem, eaque elegantiſſima, elegantiſſimi Poetæ Gallici *Boilavii Operum* editio *quatuor Voluminibus* in forma octava Dresdæ conſpexit lucem. Prodiit illa impenſis *Georgii Conradi Waltheri*, Bibliopolæ Regii, qui in adornanda ea nulli labori nullisque pepercit ſumtibus, & cui tam bene ſucceſſit opera, ut ſive typorum elegantiam, ſive tabularum æri inciſarum venuſtatem, ſive adhibitam in expurgandis mendis curam, ſpectes, hanc novam editionem nulli illarum, quæ eam anteceſſerunt, poſtponendam, omnibus æquiparandam, plurimis anteponendam eſſe, absque omni adulationis ſuſpicione poſſimus affirmare. Obmuteſcet, ſperamus, erubeſcetque, hac viſa, bibliopola ille Gallus, qui inſtruendæ in Germania typographiæ magno inter Germanos Principi ſuaſor nuper exſtiterat atque impulſor. Superſedere certe potuiſſet incitationibus ſuis vir conſilii nimis plenus, hanc ſi vidiſſet nitidiſſimam *Boilavii* operum editionem. De hoc monendus adhuc videtur Lector, in eo novam hanc reliquis omnibus, ante in lucem datis, præſtare editionibus, quod vita Poetæ, a *Maizeauxio* conſcripta, appoſita ei conſpiciatur.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Maji Anno MDCCXLVII.*


## *M.* TULLII CICERONIS OPERA. EDIDIT JOSEPHUS OLIVETUS, *cum delectu Commentariorum.*

### *Volumina IX.*

Pariſiis, apud J. B. Coignard, P. J. Mariette, H. L. Guerin, J. Deſaint, J. Guerin, 1739-1743, 4 maj.

Alph. 32.

Cum *Joſ. Olivetus*, Vir Clariſſimus, in ſermonibus de bonarum literarum ſtudiis interdum jeciſſet, optabilem eſſe editionem *Ciceronis* Operum ejusmodi, in qua non, de noſtri ſeculi more, omnes omnium interpretum notæ, ſed ita excerptæ, haberentur, ut neque bis quidquam, neque, quod nemo facile in legendo requireret, reperiretur, idque apud eos, quibus erudiendi *Delphini* cura tum eſſet commiſſa; cœpta eſt ab eo *Ciceronis* hac ipſa lege edendi opera exigi, cum *Delphinus* eo maturitatis videretur brevi venturus eſſe, ut ad *Ciceronis* lectionem admittendus eſſet. Nam, quem conſilii iſtius autorem haberent, quique, *Tuſculanis* & *de Natura Deorum* libris Gallice interpretandis illuſtrandisque, ſatis ſibi *Ciceronem* familiarem probaſſet, eum maxime ei rei perficiendæ admovendum putabant. Horum igitur autoritate permotus *Olivetus*, ſuſcepit laborem, cujus nuper abſoluti ratio nobis jam explicanda videtur. Prima cura fuit ipſius *contextus*, in quo conſtituendo uſus eſt ducibus quatuor-

viris, de *Cicerone* immortaliter meritis, *Victorio*, *P. Manutio*, *Lambino*, & *Grutero*. Sed in ea re hanc ſibi ipſe legem dixit, ut primo, quibus in lectionibus omnes inter ſe conſentirent, ab iis nullo modo recederet, in quibus autem diſſiderent, unum tamen ex iis ſequeretur, ceterorum varietate notata. Qua re hoc quoque ſe conſecuturum putavit, ut hæc una editio omnium illarum quatuor editionum textum referret. Sed eæ lectiones variantes non ſunt ejusdem generis. Aliæ enim ad ſententiam & verba ſimul pertinent, aliæ ad verba tantum, eadem tamen ſententia. Quæ iſtius generis ſunt, quæ fere ſunt paucæ, ſub ipſo contextu propoſitæ ſunt, ceteræ ad calcem ſingulorum *Voluminum* rejectæ. Neque vero aliorum Criticorum conjecturas contemnendas, aut omnino prætermittendas, putavit, ſed earum quoque ita rationem habuit, ut in Commentariis locum daret. Hæc eſt ratio, quam in textu conſtituendo ſequi voluit. Sed, ea ſi vel maxime probetur, tamen eam non ubique ſecutus eſt. Sic *de opt. gen. dic. Cap.* 7 recepit, ex emendatione *Morelii*, *Mureti* & *P. Fabri* lectionem: *qui a ſenatu*, *in ſenatu*; recte utique, ſed non e conſilio & promiſſis. Item ad *Att. X*, *10*, conjecturam *Manutii* & *Gravii* recepit; *XI*, *6*, *Gronovii*; *de Nat. D. III*, *6*, *Walkeri*, &c. Sed veremur, ut illam legem ipſam omnino probet doctis. Quanquam melius eſt, in hanc partem peccare, quam in aliam. Sed Commentariorum, qui partim ad emendandum, partim ad illuſtrandum, *Ciceronem* pertinerent, hanc rationem eſſe voluit, ut ex omnibus iis, qui vel in *Ciceronem* univerſum, vel ejus unum & item alterum librum, ſcripſerunt, vel loca obſcura & corrupta aut peculiaribus libellis, aut ſparſim & obiter, tentarunt, decerperet, & ad autores ſuos decerpta ſubſcriptis nominibus referret. Qui in *Ciceronem* univerſum, aut ejus aliquam partem, ſcripſerunt, commemorantur in Præfatione *Tomi prioris*, adjunctis de quoque judiciis, veris ſane pleriſque & elegantibus, niſi ubi forte nationis amor in transverſum agit. Sed Præfatio illa eſt ipſum Programma, quod de conſilio edendi *Ciceronis* propoſuerat. Itaque, quæ poſt id ſcriptum ei oblata ſunt, ibi non-

comme-

Digitized by Google

commemorantur, ut *Capperonerii* notæ in libros *de Inventione*, *Wopkenſii* Lectiones *Tullianæ*, quas primum ad *Tuſc. II, 16*, adducit, fateturque, ſe, qui ſit *Wopkenſius*, ignorare, *Pearcii* notæ in libros philoſophicos, *Facciolati* & *Ferratii* notæ in Orationes *Ciceronis*, *Erneſti* Clavis *Ciceroniana*, &c. Commentarios autem non, ut hodie mos eſt, ſubjecit textui, ſed, de more vetere, ad calcem ſingulorum *Voluminum* rejecit. Sed de ſingulis *Voluminibus* ſeparatim dicamus.

*Tomus* igitur *primus* continet libros *rhetoricos*, præter eos, qui ſunt *ad Herennium*, quos, quia non ſunt *Ciceronis*, in *Tomum IX* rejecit. In notis ad libros *de Inventione* dominatur *Capperonerius*, a quo notas in eos libros, nondum editas, accepit. Quid de *Capperonerio* ſentiant Critici, notum eſt. Noſter vero ejus *Quintilianum* & ipſum *Capperonerium* in cœlum tollit laudibus. Eæ autem notæ valde jejunæ ſunt, pleræque occupatæ in tricis rhetoricis, & commemorandis Græcæ Rhetoricæ vocabulis, laudandisque Græcorum & Latinorum Rhetorum locis, ubi eadem materia tractatur. Sic v. c. ubi in *Ciceronis* textu commemoratur genus demonſtrativum, nota *Capperonerii* docet, Græce dici ἐπιδεικτικὸν, item ἐγκωμιαστικὸν, id enim quærebat, aut curabat *Delphinus*, & lectorem ad *Quintilianum*, de eodem genere docentem, amandat, interdum etiam ad celebratas illas ad *Quintilianum* notas. Hic ſcire velimus, quare *Olivetus*, cum e ceteris notis tantum decerperet, quæ neceſſaria eſſent ad intelligendum, has omnes tamen admiſerit, quibus facile omnibus omnes carerent. Eadem admiratio nos tenet de notis *Pruſtei*, qui quondam rhetoricos libros edidit in uſum *Delphini*, adjunctis notis ſæpe nimis puerilibus. Ex quo genere permultæ tamen ab *Oliveto* ſervatæ ſunt, veluti cum ad *Or. II, 1, pag. 593* extr. *ſtili* definitio in nota proponitur. Utinam notas ſuas potius V. C. quam *Capperonerianas*, aut *Pruſteanas*, dediſſet! Sed in libros *de Oratore* allatæ quoque ſunt magni *Petavii* notæ ineditæ, quas ille quondam Remis, cum ibi eloquentiam doceret, auditoribus dictavit. His quoque edendis nec *Petavii* famæ, nec ſuæ editioni, conſuluit. Nam ex notæ & a nondum



Digitized by Google

magno *Petavio* profectæ, & pueris dictatæ ſunt, adeoque ſæpe pueriles reperiuntur. Nam ab initio Capitum fere diſtributio Capitis proponitur, vulgares hiſtoriolæ commemorantur, loci morales illuſtrantur, &c. quædam etiam male explicantur, quæ poſt illa tempora, (dictatæ enim ſunt A. 1609,) rectius perſpecta & explicata ſunt, quale eſt illud, quod *pag. 594 b.* de *autoritatibus præſcriptis* tradit. Sed ſunt tamen quædam etiam bonæ notæ, quæ ſcilicet ſolæ erant proponendæ, verum perpaucæ illæ. Ad *Brutum* notæ ſunt prope omnes hiſtoricæ, & ex eodem omnes *Corrado*. In quo tamen duo nobis mira viſa ſunt: primum, quod a *Cap. 14* demum initium notarum fit, ubi de Latinis Oratoribus dicendi initium *Cicero* facit; alterum, quod recentiorum inventis non ſatis uſus eſt. Sic ad *Cap. 45* de *M. Mario Gratidiano* ſimpliciter *Corradi* nota proponitur, non quæ *J. F. Gronovius* in *Obſervationibus*, & *Perizonius* in *Animadverſionibus*, de eo dixere, quorum tamen indicium præbere *Erneſti* Clavis poterat, cujus partem hiſtoricam tum jam habebat *Olivetus*, ut e notulis aliquot, inde decerptis, patet. Ceterum argumenta librorum rhetoricorum pleraque ſunt *Erneſtina*.

*Tomus II & III* complectuntur libros *philoſophicos*. In horum Commentariis ineditæ ante ſunt *Pearcii*, V. C. notæ conjecturales, ut vocat, quas miſit *Oliveto*, cum de ejus conſilio audiſſet. Eæ quales ſint, colligere poterunt, qui ejus notas, editas in libros *de Oratore*, cognoverunt. Spirant illæ ingenium hominis & doctrinam, ſed pleræque valde audaces ſunt, nimisque a veſtigiis vulgatæ lectionis recedunt, ut fere ſunt hodie Britannorum criticæ conjecturæ. Id ut intelligatur, lubet ſpecimina quædam proponere. *De Nat. D. II, 30* initio, proponitur Stoica diſtributio loci de providentia Deorum in tres partes. Earum *ſecunda eſt, quæ docet, omnes res ſubjectas eſſe naturæ ſentienti, ab eaque* omnia *pulcherrime geri, quo conſtituto, ſequitur, ab animantibus principiis* eam *eſſe generatam*. Hic, *Pearcius* putat, primo delendum eſſe τὸ *omnia*, quod requiratur *omnes*, vel *eas*, ut referatur ad *res*; deinde pro *eam generatam* legere jubet *eas generatas*, ex eadem ratione.

Ipſe

Ipſe ſane *Olivetus* olim ſic interpretatus erat, ſed nunc aliter ſentit, recteque ſe habere lectionem vulgatam putat. Recte. Nam non eſt neceſſe, ut *omnes* eſſe debeat, parumque verſatus ſit oportet in veteribus Græcis & Latinis ſcriptoribus, qui ignoret, poſt maſculina & fœminina pluralia ſæpiſſime neutra poni, ut hic ſit. Deinde, ſi diligentius, quæ *Cicero Cap.* 32 *ſeq.* de hac altera parte loci de providentia diſſerit, legiſſet, vidiſſet *Pearcius, eam eſſe generatam* non referenda eſſe ad *res omnes*, ſed ad *naturam ſentientem*, quam Stoici dicebant ex animantibus principiis generatam eſſe, quia aliter ſentiens eſſe non poſſit. *De Leg. I,* 10, *Cicero* dicit, naturam hominem non ſolum celeritate mentis ornaſſe, ſed etiam ſenſus attribuiſſe, & *rerum plurimarum obſcuras & neceſſarias intelligentias enudaviſſe, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ.* Eum locum corruptum judicans, legendum conjicit: rerum plurimarum obſcuras, *nec ſatis enodatas, intelligentias* (ſcilicet attribuiſſe) *q. f. q. ſ. Non ſatis enodatas* intelligit eas, quæ etiam *inchoatæ* a *Cicerone* dicuntur. Sed ſcire velimus, primo quorſum *Cicero*, cum eas intelligentias jam *obſcuras* dixiſſet, etiam addat *non ſatis enodatas;* deinde quorſum natura obſcuras intelligentias attribuerit. An ea poſſunt eſſe fundamenta ſcientiæ? Sed ſana ſunt omnia. Natura nobis enudavit intelligentias, ſine ejus ope obſcuras futuras, quia neceſſariæ erant ad vitam humanam, & ſine iis fundamenta ſcientiæ non haberemus. Sic idem *Cicero Cap.* 16 de eadem re dicit: *Nec ſolum jus & injuria a natura dijudicatur, ſed omnino omnia honeſta ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis noſtris inchoavit,* &c. Quanquam hic quoque hæret *Pearcius*, non concoquens, quomodo res notæ eſſe poſſint, & tamen tantum inchoatæ. Itaque legit præter neceſſitatem: *nobis notas res efficit eas, quas in a. n. i.* Res autem ſic intelligi poteſt. Communis intelligentia notum nobis facit natura, v. c. pactum eſſe ſervandum, ut nemo de eo dubitet. Sed eſt tamen ea intelligentia tantum inchoata, adde, etiam obſcura. Si dubites, conſule Philoſophos, &, quam laborent in hac re enodanda & de-

 monſtranda,

monſtranda, aliis aliunde per multas ambages demonſtrationem repetentibus. In ejusdem libri *Cap.* 12 bis *Ciceroni jus* obtrudit, primo in hoc: *Atque hoc in omni hac diſputatione ſit intelligi volo, quod dicam naturam eſſe;* pro quo legit: *jus, quod dicam, natura eſſe;* & paulo poſt: *Recte Socrates execrari eum ſolebat, qui primus utilitatem a* natura *ſejunxiſſet,* pro quo item legit: *a jure naturæ ſejunxiſſet.* Cum ex tota *Ciceronis* diſputatione manifeſtum ſit, *naturam* eſſe honeſtatem, & juſtum a natura commendatum, quod etiam e libris *de Officiis* patet, in quibus *Socrates* dicitur execratus eſſe eum, qui primus utilitatem ab honeſtate ſejunxiſſet, contra naturam, quæ utramque arcte copulaſſet. Hujus generis ſunt pleræque. Sed ſunt tamen etiam probabiles; qualis eſt, cum *de Leg. III, 8,* ubi de legationibus liberis ſermo eſt, pro vulgatis: *quid ſit turpius, quam ſine procuratione ſenator, legatus ſine mandatis,* &c. aliter interpungendo ſic legit: *ſine procuratione ſenator legatus, ſine mandatis, ſine ullo reip. munere.* Item *Offic. I, 4,* ubi vulgo legitur: *Cauſas rerum videt, earumque progreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat,* legendum cenſet *prægreſſus* e *Cap. 19 de Fato;* & cum *Maturantio* intelligit ea, quæ cauſas antecedunt, ut prognoſtica, e quibus intemperies aeris intelligitur futura, quæ eſt cauſa peſtilentiæ. Ceterum *Tomo tertio* adjuncta ſunt *Petri Valentiæ Academica,* & ipſius *Oliveti* diſputatiuncula *de Philoſophia Græcanica,* olim Gallice in capite Interpretationis librorum *de Nat. D.* propoſita, nunc Latine converſa. Argumenta librorum pleraque ſunt ex editione Lipſienſi nupera.

*Tomus IV, V, & VI,* continent *Orationes,* in quorum primi Præfatione *Olivetus* judicat, e *Sanctii Minerva* plus auxilii & luminis ad intelligendum *Ciceronem,* quam ex omnium interpretum *Tullianorum* Commentariis, exiſtere poſſe. In fronte *Tomi IV* eſt primo *Chronologia Orationum,* deinde *Indiculus legum* e *Fr. Hotomanni & Jo. Aug. Erneſti* Collectaneis. Ad calcem Orationis frumentariæ, hoc eſt, *tertiæ Verrinæ, Collectanea de re frumentaria e Lipſio & Contareno.* Orationi *pro Murena* ſubjecta eſt *Oratio Palearii in Murenam.* In

calce

Digitized by Google

calce *Tomi V Orationes, Ciceroni ſuppoſitæ,* rectius in calce *Tomi VI* fortaſſe collocandæ. Omnium autem horum *Voluminum* finem obtinent *diſpoſitiones rhetoricæ Orationum.* Quod ad notas attinet, habentur hic pleniores paulo notæ *Frontonis Ducæi* in Orat. *de Provinc. Conſ.* & *Phil. IX.* Præter *Manutium* inprimis uſus eſt notis *Facciolati in Orat. pro Quintio* & *Roſcio Amerino, Ferratii* in Orationes *Ciceronis,* & Clave *Ciceroniana Erneſti,* qua etiam uſus eſt in notis ad *Epiſtolas,* inprimis in Græcis illuſtrandis.

*Tomus VII* complectitur *Epiſtolas ad Familiares,* ordine antiquo *Tironis*; addita tamen *Epiſtolarum omnium,* etiam *ad Atticum,* &c. *Chronologia.* Ad calcem *Voluminis* reperitur *H. Ragazonii,* hoc eſt, *Sigonii, Commentarius* & *Index hiſtoricus eorum, ad quos Cicero ſcripſit,* in quo cujusque hiſtoria & mores breviter exponuntur, autore *Philiberto Quarterio, e S. J.* qui quondam eas *Epiſtolas* in uſum *Delphini* edidit; denique *Variantes Lectiones,* e *Gravianis* excerptæ. Collectio major parata erat, ſed ea caſu quodam interiit; quod etiam in iis, quæ ad *Epiſtolas ad Atticum* pertinebant, accidit. Ceterum in *Epiſtolarum* Voluminibus notas non ad calcem rejecit, ſed ſub contextu poſuit.

*Tomo VIII,* in quo ſunt *Epiſtolæ ad Atticum,* præmiſſæ ſunt Præfationes *Victorii, Corradi, Malaſpinæ, Boſii, Gravii*; quod in hoc ſolo *Volumine* factum; deinde argumenta librorum *Malaſpinæ.*

In *Tomo IX* denique reperiuntur *Epiſtolæ ad Q. Fratrem,* & *ad Brutum,* & *Fragmenta. Fragmentis Arateis,* qua *Phænomena,* addita ſunt Supplementa *Grotii,* notæ etiam adjectæ docti viri, ſed anonymi; quædam etiam *Buherii,* Viri illuſtris. Quod ad Fragmenta incerta attinet, ea collectio brevior eſt vulgata, ejectis quippe iis, quæ non ſunt proprie Fragmenta, ſed pro Fragmentis a compilatoribus inter Fragmenta collocatis, quod ea loca in aliis Autoribus repererant, ſimpliciter laudato *Cicerone,* nec ſciebant, unde petita eſſent, cum in integris *Ciceronis* libris reperiantur. Ceterum non audet præſtare, omnia ea, quæ exhibentur, Fragmenta eſſe *Ciceroniana.* Habetur hic porro libellus *Q. Ciceronis*

Digitized by Google

*Ciceronis de Petitione Conſulatus* cum notis delectis *Facciolati*, *Ciceronis Vita Fabriciana*, in qua percommode hoc curavit *Olivetus*, ut loca Autorum accurate notarentur, additis librorum, capitum, interdum etiam paginarum, numeris; denique quatuor Indices. *Primus* eſt *Græcus* cum nuda interpretatione verborum; *ſecundus Index Latinitatis*, cujus lectionem valde commendat, totus excerptus ex *Erneſtina Clave*; *tertius nominum*, quem ductum dicit e *Frobenii* Penu, & eadem illa *Clave*. Sed, ſi quis inter ſe comparabit, videbit, totum propemodum ex hac eſſe, nil deberi *Frobenio*. Sic v. c. Clavis *Erneſtina* habet XVIII *Metellos*, prænominibus, cognominibus, parentibus, ætate, honoribusque, diſtinctos. Hos totidem, iisdem attributis, habet *Oliveti* Index; *Frobenii* Penu duos omnino. Idem in ceteris reperietur. *Quartus Index* eſt rerum præcipuarum.

Hæc quidem ſingulis *Voluminibus* continentur. Nunc redeamus ad Opus univerſum, & [illegible] *Olivetum* ſeparatim. Atque, ut mittamus ea, quæ jam ab initio dicta ſunt, fatendum eſt, hanc editionem permagnam habere commendationem chartæ & contextus correcte nitideque expreſſi. Quod ad delectum Commentariorum attinet, ſane difficile eſt, atque adeo ἀδύνατον, ſatisfacere omnibus, quo magis non nimis acerbus quiſquam in eo exigendo eſſe debet. Itaque fatendum erit, eum in *Tomis* inprimis poſterioribus *ſex*, in quorum ſcilicet libros maxime idoneos & copioſos interpretes habemus, ſatis bene proceſſiſſe; paulo minus bene in libris philoſophicis, parum probabiliter in libris rhetoricis, non, ut opinamur, quod in his minus ſapiebat, aut eleganter judicabat, *Olivetus*, ſed maxime, quod meliores interpretes non habebat. Scilicet *Capperoneriis Pruſteis*que utendum erat. Sed tamen etiam in excerpendis *Corradi* in *Brutum* Commentariis elegantiam *Oliveti* paululum deſideravimus. Quis enim in omnibus nominibus requirit hiſtorias? Niſi forte de *Delphino* hoc ſuſpicabatur. Aut cur non potius ad indicem nominum amandabat, qui de iis ſcire deſideraret. Ut autem hoc magis appareret, delectum a ſe rite habitum eſſe, *Tomo V* ſubjecit auctarium notarum ad Orationem *pro Domo*, ex editione *Graviana*, quarum nullam in

illo

Digitized by Google

illo delectu rationem habuit, ut comparando intelligeretur, nihil omiſſum eſſe, quod quiſquam magnopere, præter ea, quæ attuliſſet, ad intelligendam iſtam *Orationem* requirere poſſet; ex quo de ceteris quoque judicari jubet. Ceterum non dubitamus, fore, qui putent, ab hac editione, e conſilio Clariſſ. *Oliveti*, commode abeſſe potuiſſe *Valentiæ Academica*, *Oliveti de Philoſophia Græca* Diſputationem, *Collectanea frumentaria*, *Palearii Orationem*, *Quarterii Indicem*, & *Præfationes ad Epiſtolas ad Atticum*. Sed, quoniam putamus eſſe, qui, quales ipſius *Oliveti* notæ, paſſim adſperſæ, ſint, cupiant cognoſcere, de iis quoque, ſpeciminibus propoſitis, dicendum videtur. In univerſum ſi judicandum ſit de notis *Oliveti*, quæ perpaucæ & perraræ ſunt in *Voluminibus* prioribus, paulo plures in ultimis, eæ modeſtiam in corrigendo, diligentiam in vulgata defendenda, perſpicaciam denique & quandam elegantiam in explicando, probant, ut, quemadmodum ante diximus, optandum eſſet, ut in rhetoricos libros ipſe potius, ubi idonei interpretes deſint, notas ſcribere voluiſſet. Sed id rationes ejus non tulerunt, cum ab initio nihil omnino de ſuo addere in animo haberet. In *Oratione pro Domo Cap.* 18 *init.* vulgata ſic habet: *Hæc cum ita ſint in re, ubi crimen eſt? ubi accuſator? ubi teſtes? Quid indignius, quam, qui neque adeſſe ſit juſſus, neque citatus — de ejus capite — conductos ſicarios — ſuffragium ferre*, &c. Animadvertit *Olivetus*, hæc, ſic poſita, commodum intellectum non habere. Sed ei rei eleganter medetur interrogationibus ſublatis, omninoque interpunctione mutanda, hunc in modum: *hæc cum ita ſint in re, ubi crimen eſt, ubi accuſator, ubi teſtes:* (de quo genere ſcilicet rei in ſuperioribus dixerat,) *quid indignius* &c. Ita omnia optime cohærent. In eadem *Oratione Cap.* 34 hæc ſunt de *Clodio*, qui *Ciceroni* objecerat, quod dicere ſe *Jovem*, *Minervam* autem ſororem ſuam, ſoleret. Reſpondet *Cicero*: *Non tam inſolens ſum, quod Jovem eſſe me dico, quam ineruditus, quod, Minervam ſororem Jovis eſſe, exiſtimo. Clodii* dictum inde natum videtur *Oliveto*, quod

Ii primo

primo ſe *ſervatorem urbis* dixerat *Cicero*, quod erat nomen *Jovis*, deinde, quod in exilium abiens ſignum dedicarat cum inſcriptione: *Minervæ* urbis præſidi. Jam, ſi *Cicero* ad verbum dixiſſet, ſe *Jovem* eſſe, *Minervam* ſororem ſuam, indocte ſane dixiſſet, cum *Minerva Jovis* filia ſit, non ſoror. Sed *Clodius* facetus eſſe voluerat, & invidiæ faciendæ cauſa illa ſuperiora duo ſic interpretatus erat. Ironice igitur *Cicero* & facete, par pari relaturus, non ſerio refutaturus *Clodii* dictum, reſpondet, non tam inſolens eſſe, quod ſe, ut *Clodius* exprobraret, *Jovem* dixiſſet, quam ineruditum, quod fratrem *Minervæ*. Hoc multo magis placet nobis, quam quod eſt in *Graviana*: *non tam ineruditus*, quod commodum quidem ſenſum habet, ſed non ita bene reſpondet ſequentibus, ubi *Cicero* pergit: *ſed tamen ego mihi ſororem virginem adſciſco, tu ſororem tuam virginem eſſe non ſiviſti*. Ex quibus apparet, *Ciceronem* ſimulare, ſe iſta dixiſſe, ſed in iis non tam inſolentiam, quam inſcitiam, reprehendendam fuiſſe. Præterquam quod *Græviana* lectio hoc habet incommodi, ut in ea *quod* ferri non poſſit, cum poſt illud duplex *non tam* neceſſario requiratur *ut*. Eleganter quoque *Olivetus* judicat, verba *in ſororem tuam*, quæ *pro Cæl. Cap. 15* addidit e MSto *Gruterus*, recepit in ſuam editionem *Grævius*, in his: *Tu vero, mulier, — — — ſi ea, quæ facis, quæ dicis, quæ inſimulas, quæ* in ſororem tuam *moliris, quæ arguis, probare cogitas, rationem tantæ familiaritatis, tantæ conſuetudinis — reddas & exponas neceſſe eſt*, ea, inquam, aliena eſſe, neque recipienda fuiſſe. Neque enim in ſororem ſuam aliquid moliebatur *Clodia*, ſed in *Cælium*. Forte nec inelegans quibusdam videbitur conjectura ad *Or. in Piſ. Cap. 3*, ubi in verbis: *ut, quod eſt indigniſſimum, ſcelus imperatoris in pœnam exercitus expetitum eſſe videatur*, legit: *Scelus id in p. e. e. v. Scelus id* intelligit de imperatore *Piſone*, *imperatoris* verbo e gloſſa orto. Is expetitus dici poteſt, ut ait, a *Clodio* & *Clodianis*, a quibus provinciam acceperat. Sed non tam *Piſo* expetitus eſt Proconſul Macedoniæ, quam Macedonia a *Piſone* expetita,

ra

ut pluribus locis *Ciceronis* conſtat. Vulgata recte habet. Barbari ſcelus *Piſonis* illud, quo ipſis pacem vendidit, videntur expetiiſſe in pœnam, ſeu interitum, exercitus, quem conſecutum *Cicero* dicit. Si quid mutandum eſſet, potius placeret nobis legi: *expetiiſſe videatur. Scelus imperatoris in pœnam exercitus expetiit*, interiori latinitate dicitur, pro uſitatiori: Scelus imperatoris expiavit interitu ſuo exercitus. *In Piſ. Cap. 33* vulgo ſic legunt: *Si aſpernaretur amicitiam meam, ſeſeque mihi implacabilem* inexplicabilemque *præberet*. Non placebat illud *inexplicabilem* cum aliis, tum *Grævio*, qui habet *inexpiabilem. Olivetus* ait, Viro cuidam docto *inexpiabiles homines* dici non videri. In animo habuit *Erneſtum* in *Clav. Cic.*; ipſi ſecus videtur. Nam, ſi *expiare* dici, pro placare, poſſit, conſequens eſſe, ut etiam *expiabilis* & *inexpiabilis*. Atqui *Ciceronem* ipſum *in Piſ. Cap. 7* dicere: *expiare manes mortuorum*, quod nil aliud ſit, quam placare. Fatendum eſt, erraſſe *Erneſtum*; ſed non minus falſus eſt *Grævius*, qui, *inexplicabilem* pro implacabili dici non poſſe, putavit, quod ſecus eſſe demonſtravit *Erneſtus*; manetque nihilo minus, quod hic vult, ut *inexplicabilis* in contextu ſervetur, & commodam interpretationem habeat. In *Epiſt. ad Fam. IX, 4*, ſcribit *Cicero*: *Si hortum in bibliotheca habes, deerit nihil. Manutius* intelligebat hortum illatum, quod genus veteres *hortos Adonidis* appellabant, hoc eſt, flores & plantas in teſtulis & vaſis. Sed, de his valde contemtim ſenſiſſe veteres, conſtat, eosque mollium hominum putatos. *Badius in bibliotheca* interpretatur in loco bibliothecæ vicino. Sed *Olivetus* in ea interpretatione putat eſſe hoc incommodi, quod *Cicero* ſic ignoraverit, utrum hortum vicinum bibliothecæ haberet, nec ne; quod non ſit veriſimile. Ipſe igitur, hunc ſenſum eſſe, dicit: *Varronem* non egreſſurum e bibliotheca, niſi ut in horto ſe delectet ambulando; itaque, ſi fieri poſſet, ut hortum in bibliotheca haberet, nihil ipſi defuturum, cujus cauſa exire e bibliotheca poſſet. Scripſiſſe *Ciceronem*, de more ſuo, facete, nec grammatice intelligen-



Digitized by Google

dum eſſe. *Ad Att. XVI, 11*, eleganter explicat *vallum Lucilianum*, pro quo alii *ſillum Lucilianum*, alii *ſalem*, maluerunt. *Sine vallo Luciliano* recte interpretatum putat *Corradum: Sine exceptione*, ſed non explicata interpretationis ratione. Eam ſic explicat *Olivetus: Lucilius*, ut eſt apud *Ciceronem*, nolebat ab omnibus legi, neque ab omnino indoctis, nec a doctiſſimis; hos igitur removebat a lectione ſcriptorum ſuorum. Atque hoc eſt *vallum Lucilianum. Atticus* ſcripſerat, locum in libro *Ciceronis*, qui eſſet de *Sica*, eſſe talem, ut *Sica* ægre ſit laturus. Reſpondet *Cicero* ita, ut, verum eſſe, dicat, ſed excuſet ſe, & polliceatur, ſe eum locum mitigaturum, ut omnes, ſine exceptione, etiam *Sica* legere poſſent. Ex his ſpeciminibus facile de ceteris poterit judicari.

## *PETRI DE EBULO CARMEN DE MOTIBUS Siculis, & rebus inter Henricum VI, Romanorum Imperatorem, & Tancredum, Seculo XII geſtis. Nunc primum ex Codice MSto Bibliothecæ publicæ Bernenſis erutum, notisque cum criticis, tum hiſtoricis, illuſtratum, cum figuris edidit SAMUEL ENGEL, ſupremi in Republica Helveto-Bernenſi, ut & Academici, Senatus ibidem Aſſeſſor, & Bibliothecæ publicæ præfectus.*

Baſileæ, typis Emanuelis Thurniſii, 1746, 4.

Alph. 1, Tabb. æn. 8.

Hic eſt titulus integer libri, ob novitatem ſatis, ut putamus, placituri. Exemplar, quod coram oculis habemus, perquam pulchrum eſt, nitidæque tam chartæ, quam typi. Atque hanc elegantiam doctiſſimus Editor in talem librum, qui placere facile & prodeſſe nonnullis poteſt, liberaliter profudit. Barbaries hujus Poetæ neminem offendere debet; eſt enim illi ætati familiaris, & rerum narratarum copia compenſata.

peſata. Sed bene feciſſet Editor, ſi breviter totam hiſtoriam, quam fuſius enarrat Poeta, ſub uno quaſi conſpectu exhibuiſſet, ut ſciret nempe lector, qua de re agatur, & noſſet perſonas hujus dramatis.

In Præfatione occaſionem edendi hujus opuſculi, & de *Petro* iſto, huc uſque ignorato, exponit. Codex, e quo proditus hic liber, ex Editoris opinione unicus eſt, & idem ille, quem Autor heroi ſuo, *Henrico* nimirum *ſexto*, ipſe obtulit, ut ex elegantia membranæ, picturarum, characteris, & reliquo nitore, conſtat. Quod autem Cl. Editor eum putet in orbe terrarum unicum hujus opellæ Codicem eſſe, inde eſt, quod neque *Montfauconius*, neque *Fabricius*, diligentes id genus monumentorum indagatores, neque alii, ullam ejus faciant mentionem. Sic ſcriptus eſt hic Codex, ut cuivis paginæ ſcriptæ oppoſita ſit pictura, poeticam narrationem vivis coloribus depictam oculis ſubjiciens. Quarum aliquas Editor pro ſpecimine nunc jam addidit edito textui; ceteras omiſit, ne ſumtus nimis creſcerent, tentaturus emtorum judicium. Proponit tamen reliquarum omnium picturarum, æri inciſarum, lege ſubſcriptionis editionem, ſi qui ſint, qui, monſtroſa hac ævi medii elegantia delectati, omnes deſiderent. Codex fuit olim *Jacobi Bongarſii*, cujus cum reliquis libris, & multis, ut fama accepimus, & quibusdam magni faciendis, (ut eſt *Damaſceni Lexicon Græcum* ineditum, cujus editionem *Leo Allatius* aliquando promiſit,) in Bernenſem Bibliothecam tranſiit. Quomodo autem ad *Bongarſium*, non male conjicit Editor, ad quem ablegamus, quisquis noſſe cupit. Sed mutilus eſt Codex, & ab indoctis militibus diſcerptus, quapropter, eum integrari poſſe, cum unicus ſit, nulla ſpes eſt.

Autor, *Petrus de Ebulo*, quis fuerit, in alto ſcriptorum ſilentio non conſtat. Videtur in aula *Henrici VI* munere quodam functus fuiſſe; & opus ſuum anno Chriſti 1195 condidiſſe; oriundus ex urbe Ebolo, vel Ebulo, quod perinde eſt, in agro Salernitano. Porro ſcribit Editor, a multis eruditis viris, & præſertim ab Illuſtriſſimo Comite, *Henrico*

 *Bunavio*,

Digitized by Google

*Bunavio*, ad editionem hujus opuſculi fuiſſe impulſum, & ab *Hieronymo Stettlero*, Scholæ Bernenſis Conrectore, in concinnandis notis adjutum.

Carmen ipſum *tribus Libris* abſolvitur, quorum *primus* 1114 verſibus conſtat, *ſecundus* 310, *tertius* 243. In fine parcas ſpargit notas Editor, initio, id eſt, per *primum Librum*, eo fuſiores admenſus. In quibus id agit, ut, conferendo ſcriptores earundem rerum, a ſuo *Petro* dicta obſcurius illuſtret, &, ſi quos ille ſpargit flores elegantiores, eorum fontes, Autores veteres, commonſtret. Sunt etiam loca, in quibus criticam exercet, &, quæ corrupta, emendat. Sed alia, nimis graviter affecta, relinquere debuit meliori medico. Ut illud *pag. 24 Lib. I v. 289:*

*Quam geris aurata, Cæſar, diadema thiara,*
*Signat te aplicas participare vices.*

Ad poſteriorem *verſum* in nota monet, in margine Codicis legi *Apulicas* pro *aplicas*. Videtur id adſcripſiſſe *Bongarſius*. Sed erravit. Aut male ſcripſit librarius *aplicas* pro *pplicas*, aut lectores ejus Codicis non ſatis aſſecuti ſunt librarii manum. Certe *pplicas* aliud nihil eſt, quam *papalicas*. *Signat te papalicas participare vices.* Id eſt: notat, quod Papam, cujus inſigne eſt tiara, repræſentes. Qui adjectas inſpiciet tabulas æneas, deprehendet, *pp*, ſeu duplex *p*, cum ſuperimpoſita linea transverſa, huic ſcribæ Papam notare. Neque quemquam ab admittenda hac lectione abſterreat peccatum in legem Pedi[illegible]. Ille mos erat eorum temporum, & noſtri, pro lubitu ſcandere, ut patet ex *verſu 561* & aliis. Utinam poſſemus alterum quoque locum *pag. 52 verſ. 567* pariter ſanare:

*Te vir dimiſit, non vir ſed Apts egit.*
*Hoſtia pro nobis prædaque dulcis eris.*

His inter alia conviciis *Conſtantiam*, *Henrici VI* uxorem, laceſſunt & terrent perfidi Salernitani. Notat Editor ad hunc locum, hoc ſcripturæ compendium *Aptus* in Codice ſic ex-

ſtare,

Digitized by Google

ſtare, quod recentior manus in margine per adſcriptum *Apertius* explicet, alia per *Apoſtolus*. Ipſe conjicit, legendum forte *Apolus*, per ſyncopen, pro *Apoſtolus*, ut *compoſtus*, *extinxem*, *porgite*, *largibar*, *audibam*. Hæc quo pertineant, non videmus. Fingamus enim, (quod evincere tamen valde erit operoſum,) *Apolus* dictum pro *Apoſtolus*; non tamen ſic verſus ſibi conſtabit, qui rectus ibit, ſi *Apoſtolus* legatur. Forte verum vidit, qui *Apertius* ſcripſit. Id forte Archiepiſcopo Salernitano nomen erat. Neque ſatisfacit nobis Editor in explicatione hujus loci, ut multa alia ſicco pede tranſiit. Quid enim ſibi vult: *te egit Apoſtolus?* etiamſi per Apoſtolum intelligamus dictum Archiepiſcopum. Et quare vir & Apoſtolus tanquam duo contraria ſibi opponuntur? Et hoc reſpectu certe neque illud *Apertius*, quod modo probabamus, ſatisfacit. Quicquid ſit, non meretur hæc barbaries, ut cerebrum in ea nobis turbemus. In notis hæc fere ſunt præcipua, quæ docentur, grammatica: *pag. 42* quod *auguriare* ponat *Petrus* pro *conjectare*, *pag. 49 lacrymabilis*, pro eo, qui multum flet, *pag. 54 famoſus* pro infami, *pag. 56 repedare* pro retrocedere, *pag. 71 imperioſus* pro eo, cui parendum eſt, *pag. 76 autumnus* pro vino, *pag. 81 cavare* pro perfodere, *pag. 89 parapſis* pro paropſis, *pag. 93 galeare* pro galea tegere, *pag. 96 enſare* pro enſe armare, *pag. 104 guttapedum* pro podagra, *pag. 134 apodixa* pro cautione de accepta pecunia, & *eſcriniare* pro aperire. Ceterum notamus, Editorem Latino uti ſtilo haud ſatis Latino & puro. Nolumus tamen hoc noſtro judicio quidquam ejus laudi detractum.

## *JO. FRID. STAPFERI, ECCL. BERN. INSTItutiones Theologiæ polemicæ univerſæ, ordine ſcientifico diſpoſitæ.*

## *Tomus II & III.*

Tiguri,

Digitized by Google

Tiguri, apud Heideggerum & ſocios, 1744 & 1745, 8.
Tom. I Alph. 1 plag. 17½, Tom. II Alph. 1 plag. 16.

*Primus* Operis *Tomus* capita Theologiæ polemicæ non niſi iſagogica complectebatur. *Tomus* nunc *ſecundus* tractationem controverſiarum ipſam & elenchum ex parte exhibet. Religio eſt vel naturalis, vel revelata. Pugnandum itaque eſt contra duplex adverſariorum genus, quorum illi Deum conſervatorem ac creatorem, hi Deum ſalvatorem peccatoris, negant. *Tomus* hic ad poſteriores nondum deſcendit. Expugnatur enim eo Atheiſmus, Deiſmus, Epicuræiſmus, Ethniciſmus, ac Naturaliſmus. Rev. Autor, ex uſu, eſſe, exiſtimavit, ut de Atheiſmo generatim, deinde de Spinoſiſmo ac Materialiſmo, ſpeciatim exponeret, antequam Deiſmum ſuſciperet debellandum. Nexus ac vincula tractationis tam accurate fluunt, & invicem conſequuntur, ut nihil ordinatius cogitari poſſit. Ipſe atheiſmi, ſtricte & directe ſic dicti, quem-
Pag. 587. quam in opere ſuo accuſare non ſuſtinet. Sufficit propoſito ejus, eos refutaſſe, vel veritatis conviciſſe, in quorum animis, invitis etiam, conflictus ac dubitationes oriuntur de eo, an exiſtat Numen ſupremum, an veritates connexæ, ad eum ſtabiliendum aptæ, dentur. Hunc vero animi ſtatum vocat Scepticiſmum philoſophicum, Pyrrhoniſmum. Significat ſimul, Cel. Tigurinorum Theologum, *Zimmermannum*, in eo eſſe occupatum, ut illos, qui ex veteribus ac recentioribus atheiſmi fuerunt accuſati, ab hoc crimine vindicet. Spinoſiſmus admittit unicam modo ſubſtantiam, duobus
589. ſummis attributis præditam, cogitatione ſcilicet & extenſione infinita, e quorum varia modificatione varia corpora, vel animæ variæ, oriantur. Materialiſmus habet mundum materialem pro Deo, ſeu ente a ſe. Atheorum errores primarios recenſet Noſter & refellit. Notas atheiſmi enumerat. Timorem, ſeu metum, juſtitiæ Dei, malas actiones pu-
606. nituri, eſſe originem atheiſmi, oſtendit. Hunc metum ipſi
612. excutere ſtudent. Ambitio & ignavia malum augent. Nutrices ſunt prava educatio, hominum impiorum commercia,

malus

Digitized by Google

malus ſtudiorum uſus, crebra profanorum librorum lectio. Occaſiones atheiſmo ſuppeditantur ſæpius per itinera perniciosa, per religionis in ſectas varias ſciſſionem, per Theologo- Pag. 618. rum acerbas diſceptationes, per vitam eorum, qui ſe Chriſtianos profitentur, ſæpius impuram & perverſam, & per libros, quibus religioni objiciuntur multi, qui non ſolvuntur, ſcrupuli, immo etiam per defenſionem veritatum religionis ineptam, vel infirmam. Arma atheiſmo opponenda ſunt vel directe, vel indirecte, talia. Direxit jam armamentarium Autor adverſus atheos *Tomo primo*, argumentum a contingentia deſumtum executus. Nunc vero apogogica utitur demonſtratione, oſtendens, atheiſmum cum contradictione confligari. Ecquando enim atheus firmiter docebit, fieri non 622. poſſe, ut Deus, a mundo diverſus, exiſtat? Quibusnam ipſe utitur argumentis? Hypotheſis ejus nullo nititur fundamento, nullis ipſe inſtructus eſt principiis certis. In atheorum ſy- 624. ſtemate mera eſt caligo. Ibibi ne minimæ quidem rei ratio perſpicitur. At, poſito Deo vero, plana & facilis præſto eſt rerum omnium clavis. In ſyſtemate atheorum certe re- 628. rum in mundo evenientium nullus datur ſcopus, nulla deſtinatio, nullus finis. Quanta caligo? Ecquando atheus demonſtrabit, mundum eſſe illud ens a ſe? Mundus certe eſt ens contingens, ac eapropter non neceſſarium abſolute, nec ens a ſe. Atheus admittit in complexu doctrinæ ſuæ id, quod eſt impoſſibile, nempe progreſſum in infinitum, eumque 631. independentem vel rectilineum, vel circularem. Athei admittunt immenſum menſurabile, rem contradictione plenam. Iidem e mundo auferunt id, quod eſt pulcherrimum, ideo- 633. que præſtantiam ejus cummaxime deprimunt. Negant ipſi, 639. quod optimum & maxime optabile eſt. Quid autem Deo optimo eſt melius? Athei ſolvunt & evertunt vincula ſocietatis humanæ, tollunt vim fœderum, vim jurisjurandi. Athei ſibi ſunt ipſi contrarii, dum ſingularis rationis ſuæ acumen admodum jactant, ac, doctrinas ſuas effutiendo, ſe plane 653. ſtupidos eſſe, teſtantur, caſui fortuito omnia immergentes. Si atheus eſt certus, non dari Deum, cur igitur non-

ens odio perſequitur, & fruſtra debellat? Si dubitat tantum,
cur igitur partem tutiorem & probabiliorem haud ſequitur,
ut alias facere ſolet? Ipſe exſors eſt tranquillitatis animæ, nec
tamen de hypotheſi ſua certus, per quam tranquillitate ex-
Pag. 658. cutitur. Solet igitur ſæpius uſu venire, ut athei, conſcien-
663. tia territi, in ſummam rejiciantur ſuperſtitionem. Si atheus
certo ſcit, animam eſſe mortalem, fruſtra immortalitatem
animarum humanarum debellat; ſi dubitat, male agit, dum
ſic vivit, quaſi anima ſua eſſet mortalis. Quibus expoſitis,
678. Autori viſum eſt diſſolvere atheorum objectiones. Monent
hi, Dei notionem dari nullam, omnem cognitionem per ſen-
ſus, in quos tamen Deus haud cadit, acquiri, attributa Dei
eſſe incomprehenſibilia, immutabilitatem Dei rebus creatis
neceſſitatem conditionis expertem ſecum ferre, creationem in
687. Deo mutationis fore cauſam, notionem de Deo eſſe callido-
rum hominum inventum ad plebem indomitam in officio
continendam, *Moſen* exſtitiſſe impoſtorem, varias eſſe reli-
giones & ſectas, Theologos continuis controverſiis diſti-
neri, providentiam Dei in mundo haud apparere, diffi-
cultatibus expoſitam eſſe de immortalitate animarum doctri-
nam. His objectionibus diſſolvendis parem ſeſe præbet Au-
718. toris philoſophia. Accedit deinde ad remedia atheiſmo pro-
fligando adhibenda. Pantheiſmum, ſeu Spinoſiſmum, ex fon-
tibus deducit ac debellat, laudatis illis doctrinis atque ratio-
cinationibus, quibus Ill. *Wolfius Tomo II Theologiæ naturalis*
Spinoſiſmum profligavit.
733. Ad objectiones Spinoſiſtarum ſolide reſpondet, ac *Balii*
additamenta perveſtigat, eaque diſſolvit. De *Materialiſmo*
diſſerit docte ac evidenter. Fontem erroris recludit. Obje-
742. ctiones excutit ac repellit. Deiſmum, ejusque errorem præ-
cipuum, in neganda Dei providentia poſitum, deſcribit ac
profligat. Cauſa Deiſmi potiſſima ſita eſt in conſcientia pœ-
næ, peccatis promeritæ, ac eo, qui inde oritur, Numinis non
placati metu, in terrorem prolapſo. Refutat tandem opi-
niones Deiſticas, ac objectiones præcipuas felici conatu diſſi-
766. pat. Perplacuit nobis id, quod Autor ad objectiones, qui-
bus

Digitized by Google

bus ſignificatur, improbis ſubinde cuncta proſpere, & ad vota fluere, piis contra cum cumulo calamitatum eſſe confligandum, reſpondit. Objectionem, quæ a multitudine malorum moralium, orbem terrarum premente, deſumi ſolet, ſolide Pag. 783.
extricat, ac eam, quæ noſtram inter & Dei perſpicientiam intercedit, differentiam demonſtrat curate. Niſi libertas homini fuiſſet divinitus impertita, virtuti locus haud eſſet. En rationem, cur Deus homini libertatem veluti donum indulſerit, nec obſtruxerit facultatem eo abutendi. *Paragraphum* 786.
*tu Capitis VI* omiſit, indicio hoc addito: *Hunc Paragraphum ut omittam, juſſit Venerabilis Facultas Theol.* Indubie inibi ea fuerunt allata, quæ ad uſus, quos Deus ipſe ex hominis, abutentis libertate ſua, momentis ad regnum ſuum univerſum per decretum permiſſionis voluit redundare, ſpectant, ac referri a nonnullis ſolent. Labem peccati innati ita per- 789.
ſequitur docendo, ut *Bælio* fiat ſatis. Unus ex cenſoribus librorum theologicorum venerandis ibi addidit rationibus Autoris nonnihil, e Theologia revelata depromtum, ne conſul- 791.
ta Autoris viderentur *Formulæ Conſenſus Helveticæ* ullo pacto repugnare. Tum vero Rev. Autor ad Epicuræiſmum evertendum ſeſe accinxit. Deiſta enim eſt ſubtilis Epicuræus, & 794.
Epicuræus eſt craſſus Deiſta. Uterque plenæ actionum indifferentiæ & moralitatis ſubverſioni aſſentitur. *Archelaus* ex ſchola Ionica, *Theodorus atheus*, Cyrenaicæ ſectæ addictus, *Pyrrhonii*, *Carneades*, aliique veterum, in hac cymba navigarunt. *Leucippus* & *Democritus* Deum creatorem repudiarunt, mundum ex fortuito atomorum concurſu productum fuiſſe, rati. *Seneca de Benef. IV*, 4, *Epicurum* providentiam Dei ſu- 798.
ſtuliſſe, docet. Adde *Senecæ Cap. 19. Diogenes Laertius X Sect. 77* adſtipulatur *Senecæ*, de *Epicuro* exponens. Docet vero Noſter, dari obligationem actionum liberarum internam & externam, hominem ad certa officia alii cuivis præſtanda 805.
per naturam eſſe obſtrictum, dari legis naturalis obligationem divinam, hominem ad obſervandam legem civilem eſſe obligatum, immo ad religionem naturalem. Objectionum nebu- 811.
las deinde diſſipat & diverberat. Procedit porro ad Poly- 821.



Digitized by Google

theiſmum, ſeu Ethniciſmum, debellandum. Varias ejus ſpecies exponit. Idololatriam ſubtilem & craſſam aggreditur expugnare. Errorem primarium & eos, qui inde
Pag. 837. fluunt, protrahit in lucem. Eos tamen, dum Diis colendis operati fuerunt, ſine omni religione fuiſſe, negat. Adminicula placandi Deum commentitia percenſet. Occaſionem ethniciſmi explicaturus, monet, maximam linguarum
841. diverſitatem ex diſperſione gentium *pedetentim* ortam, traditionem Patrum fuiſſe corruptam ab imperitis, culturam rationis evanuiſſe, pietatem excuſſam, ſuperſtitionem veritati ſubſtitutam, animum corruptelis infectum, & a Dei amore averſum fuiſſe. Docet e contrario, unicum exiſtere Deum,
844. perfectiones Dei limitum eſſe expertes, mundum, ceu unum connexum quid, a pluribus Diis dependere haud poſſe, ac ethniciſmum nullo niti fundamento. Diſſerit poſthæc de falſis ac genuinis modis convincendi, ac ad veritatem revocandi,
848. Polytheos. Socinianorum methodus eſt culpanda, quippe qui religionem divinitus revelatam convertunt in naturalem. Huc referendus eſt Anonymus, qui librum ſcripſit: *Lettres ſur la Religion eſſentielle à l' homme, diſtinguée de ce qui n' en eſt que l' acceſſoire.* Idem jam antea ſcripſerat libellum: *Le Siſteme des Anciens & des Modernes ſur l' Etat des Ames ſeparées des Corps.* Refellit Noſter ea, quæ Anonymus Theologiæ oppoſuit naturali, reliqua refutaturus, quando ad So-
856. cinianiſmum debellandum ipſe ſtadium ſuum decurret. Monet, ea, quæ *Paragrapho 58* contenta fuere, deleri juſſiſſe
875. venerabiles librorum theologicorum cenſores. Locum *Ebr. XI, 6*, dextre debiteque exponit, ac, quid illud εὐαρεστῆσαι ſit *v. 5*, curate definit. Præcepta admittit evangelica, ac methodum in convertendis ad Chriſtum hominibus *Paulinam*
881. ediſſerit. *Capite 10* de Naturaliſmo exponit, quem diſtinguit in philoſophicum & theologicum. Prior a ſtatoribus ſaluti hominis peccatoris ſufficere exiſtimatur; poſterior revelationis veritatem admittit, neceſſitatem hypotheticam re-
883. pudiat. Ille eſt Antiſcripturarius, hic non item. Autor errorem utriusque palmarium evolvit, erroresque adjungit, illi junctos.

Digitized by Google

junctos. *Tindalius*, & ante eum *Antonius Collinus*, exſtiterunt Naturaliſtæ recentioris ætatis Angli. Illius liber, *Chriſtianity as old as the Creation*, Londini A. 1730 prodiit, a nobis ſuo loco expenſus. *Foſteri* refutatio, cum hoc libro conjuncta, exiit in lucem Francofurti ac Lipſiæ, in vernaculum converſa, A. 1741, 8. *Tindalius* locum inter Naturaliſtas Philoſophos occupavit. Summam opinionum ejus Autor exhibet ex parte potiori, Cauſas Naturaliſmi pandit. Occaſiones & Pag. 923. adjumenta ejus addit. Subjungit etiam pronuntiatis Naturaliſtarum refutationem rei convenientem. Oſtendit vero ex principiis veris, tum revelationem religioni naturali ſuperaddendam neceſſariam eſſe, tum ſacris literis criteria divinæ revelationi propria congruere & accommodatiſſima eſſe. Largitur, religionem naturalem & revelatam ſibi invicem repugnare; negat vero, poſteriorem perfectioni prioris aliquid demere. Exhibet utriusque concordiam, tabula repræſentatam. Oſtendit, utramque hanc religionem ex duplici hominis ad Deum relatione fluere, nec unam alteri repugnare. Perfectionem religionis naturalis fuſius exponit pro ea ad Deum relatione, qua gaudet ipſa. Addit etiam, per ſacras literas religionem naturalem nitori ſuo reſtitutam eſſe. Oſten- 935. dit præterea, religionem naturalem ſaluti ſempiternæ conſequendæ, morſibusque mentium tollendis, minus ſufficere. Omittimus reliqua in præſens, cedro digna. Docet ſolide, 947. religionem peccatoris non eſſe myſterii expertem. Largitur, religionem naturalem eſſe immutabilem, & perfectam, & clariſſimam. Negat vero, illam revelatæ eſſe opponendam, ſi- 960. quidem peccatum interceſſit, ut nova Deum inter & hominem revelatio acceſſerit. *Tindalius* perperam ſumſit, hominem religioni naturali ad amuſſim ſervandæ in ſtatu peccati ſufficere, ac illam omnino ſervare. Fruſtra ſumſit, ſatisfactio- 967. ni locum haud eſſe ad hominem cum Deo reconciliandum. Cur non oſtendit, illam ab homine præſtari poſſe? Male exiſtimavit, adminicula felicitatis humanæ, quæ uno tempore hominis felicitatem perficere potuerunt, alio tempore, quo homines peccato erant jam infecti, eundem effectum præſtare



Digitized by Google

poſſe. Revelatio non Dei, ſed hominum, culpa apud gen-
Pag. 971. tes nonnullas fuit oblivioni data. Poſtea etiam multi populi impedimento fuerunt ipſi, quo minus janua Evangelio fuerit patefacta. Addit Noſter, Deum a nemine plus requiſiturum, quam acceperit, & unumquemque reſpectu luminis ſibi conceſſi a Deo judicatum iri, *Rom. II, 12.* Ad objectiones, quæ a variantibus lectionibus & obſcuritate ſacris literis exprobrata deſumi ſolent, promte ſolideque reſpondet, *Tindalium* præcipue refellens, cujus argumenta ſingula, veritati Vet. Teſt. oppoſita, demolitur, ſimulque oſtendit, exempla, a *Tindalio* prolata, cum jure naturæ ac immutabilitate religionis naturalis haud pugnare. Videtur Autor *Hoſeam* Prophetam
1032. pro Sacerdote ſummo reputare. Obdurationem, *Pharaoni* divinitus immiſſam, qualis vulgo fuiſſe exiſtimatur, melius expoſuiſſet cum *Overkampio* per divinam *declarationem*, quia conjugatio *biphil* fuit adhibita. Laudibus ei ducendum, quod objectiones etiam chronologicas diſſolvit. Vellemus, ſolviſſet curatius contradictionem illam apparentem locorum *2 Chron. XXI, 20, XXII, 2,* & *2 Reg. VIII, 26,* ubi
1066. filius patre biennio major fuiſſe videtur. Filii enim fuere non tantum natura, ſed etiam lege; non tantum proximi, ſed etiam remoti, generis. Proponimus igitur Chronologis denuo dubii hujus extricationem, rati, inventum iri in Theologorum numero, qui difficultatem non ſecet, ſed ratione
1071. adhibita enodet. Vaticinia Vet. Teſt. vindicat Noſter egregie. *Adæquatam myſteriorum cognitionem impoſſibilem* pronuntiat, intelligens, eam impoſſibilitatem reſpectu intellectus
1121. finiti eſſe capiendam. A Jeſu ſingulas impoſtoris notas abeſſe, ſolide monſtrat ex ipſius tam doctrina, quam factis & vita moribusque. Pervadit ac perrepit nulla non adverſariorum latibula, ac ne micam quidem objectionum dimittit in-
1473. tactam parumque extricatam. Excutit præterea loculos Naturaliſtarum, & arma enervat, quibus veritatem Nov. Teſt. tentant, & in diſcrimen conjicere laborant. Gratias ut agamus Viro Pl. Reverendo pro tot laboribus, in honorem & tutamen rei Chriſtianæ collocatis, ac præcipue pro hujus

Tomi

Digitized by Google

*Tomi* diligentiſſima elaboratione, nos non ſolum publico, ſed etiam noſtro, nomine nos commotos ac obſtrictos eſſe ſentimus, adjungentes merito vota ſincera fucique expertia pro fauſtitate ejusdem omnigena ac diuturna incolumitate, & credituri perpetuo, hoc etiam præmio divino laborem ejus haud indignum ab omnibus bonis iri exiſtimatum.

*Tertium Tomum* Patruo Pl. Rev. Autor inſcripſit, ſimulque, Philoſophiam & Theologiam ſibi mutuam afferre lucem & conſortionem, oſtendit. In Præfatione laudavit eum, qui *Tomi I* recenſionem *P. XXVI Relationum Jenenſium de libris ac ſcriptis novis theologicis* attente & cum cura exhibuit, ac nonnihil ſubmonendo adjecit. Inter alia ſic habet: *Syſtema, Eccleſiæ Reformatæ & cenſuræ publicæ Facult. Theol. ſubjiciendum, mihi exhibendum fuit, prolixior paulo alias in exponenda decreti divini ratione objectiva fuiſſem.* *Tomo* hoc *tertio* continentur *Capita duo, undecimum* & *duodecimum. Prius* in *Sectiones* abit *duas.* Illa de Judaiſmo, hac de Muhammedaniſmo, exponitur. *Poſterius* de Socinianiſmo & Antitrinitariis inſcribitur. Stilus, methodus, ſoliditas, obtinent antiquum. Id unum monemus ad *pag. 14*, non omnes Judæorum doctores liberationem a Meſſia exſpectare temporariam, nec inter eos abeſſe, qui nullum exſpectent Meſſiam. Perplacuit nobis conatus ille potiſſimum, quo Autor *Woolſtoni* ac Judæorum objectiones, reſurrectioni Jeſu infeſtas, laborioſe ſolideque retudit. Lector certe tempus ſuum nunquam utilius impendet, quam ſi *Stapferianum* hunc quoque *Tomum* attente perlegerit, qui, vel decies perlectus, non poteſt non probari ac placere.

LETTERE DELL' ABATE D. ANTONIO SAMBUCA, ſcritte al Signor Abate D. ANDREA BACCI, Canonico, &c.

id eſt,

*EPISTOLÆ, QUAS ABBAS D. ANTONIUS SAMBUCA ad Abbatem D. ANDREAM BACCIUM, inſignis templi collegiati ad S. Marci Romæ Canonicum, ſcripſit.*

Brixiæ,

Digitized by Google

Brixiæ, ex typographeo Joannis Mariæ Rizzardi, 1745, 4.

Plag. 10.

Eminentiſſimi Purpurati *Quirini* laudibus hæ Epiſtolæ ſunt
refertiſſimæ, nec immerito. Quis enim illius in ſcientias
omnes ſtudium ac favorem ignorat? *Benedictus XIII* eum
Pag. 9. Epiſcopatui Brixienſi in Longobardia Veneta præeſſe juſſit,
purpuraque donavit illum, qui Archiepiſcopatum Corcyren-
ſem temporibus difficillimis egregie adminiſtraſſe credebatur.
*Primordia Corcyræ*, a Purpurato illo conſcripta, hic laudata, alibi
nos ipſi laudavimus. Omittimus ſpecimina benignitatis, quam
19. pauperibus exhibuit. Laudant Caſinenſis Congregationis par-
ticipes ac ſodales eam, qua Abbatiam *Buſchi*, ipſi commen-
datam, ſibi curavit reſtituendam, liberalitatem ac munificen-
tiam. Ipſe eidem Congregationi eſt adſcriptus. Diligen-
tiam ejus prædicat nomine haud uno Ven. *Sambuca*. Copio-
ſos ipſe ſumtus reficiendis ædificiis ſacris, ac eorum partibus
40. perficiendis, impendit. Epiſcopatum Patavinum, ſibi oblatum,
recuſavit, Brixienſi ornando devotus ac intentus. Batavus
quidam de hac recuſatione iniquius judicaverat. Purpura-
tum ipſa defendit Roma, acrius infeſtatum maledico rumore.
Binæ ſunt literæ, quibus Ven. *Sambuca* tanti Viri famam, mi-
nus benigne habitam, vindicavit. Subjiciuntur huic Epiſtola-
rum bigæ inſcriptiones, paſſim in honorem Emin. *Angeli Ma-
riæ Quirini*, tituli S. *Marci* Purpurati, Epiſcopi Brixienſis,
ac Bibliothecæ Vaticanæ præfecti, publice propoſitæ. Ex eis
intelligitur, ipſum in baſilica *Marci* Romæ nova in presby-
terio ſedilia, veteribus fatiſcentibus, conſtruxiſſe, parietesque
holoſericis periſtromatis honeſtaſſe A. 1735, ſacellumque ſan-
3. ctiſſimi Sacramenti in ipſomet ſepulcro, *Marci Barbi*, Card.
Aquilejenſis, cineribus aſſervandis exſtructo, theca euchariſtica,
ſeptis, aliisque ornamentis, A. 1740 inſtruxiſſe. Ad annum
1744 vocatur *titularis S. Praxedis* & S. *Marci Commendata-
rius*. Titularium uſui amœnum ſeceſſum, hibernam manſio-
nem, ambulacra bina, adaptavit. Ipſe in Vaticanam donum,
8. librorum acceſſionem, contulit A. 1732. Sacellum ſacrarii
S. *Gre*-

Digitized by Google

S. *Gregorii* in Monte Cœlio a cornu Epiſtolæ ornavit, ut gratus eſſet in Monachos Camaldulenſes, ædis incolas, in quorum ordine Abbatiam Vangadiciæ obtinet. Ibidem ad aram a cornu Evangelii indicavit, ſe die S. *Andreæ* A. 1723 in baſilica S. *Marci* Epiſcopalem unctionem recepiſſe. Templum S. *Gregorii* pluribus annis inſtruxit ornamentis præclaris. Statuam marmoream *Benedicti XIII* ad ejus tumulum in æde S. *Mariæ* ſuper Minervam curavit A. 1735 apponendam. *Ludovico Pico Mirandulano*, Epiſcopo Portuenſi, cui in titulo S. *Praxedis* ſucceſſit, in templo S. *Praxedis* A. 1744 monumentum poſuit. Abbas & Monachi Hieronymiani in templo S. *Alexii* in monte Aventino eidem tunc exegerunt grati animi monumentum, Hieronymianæ quippe familiæ patrono ac protectori. Templum Brixienſe Epiſcopale ſuo ære large collato, & ara maxima, & ſplendidis aliis ornamentis, decoravit munificentiſſime. Eam ob cauſam Septemviri Brixiæ ejus effigiem marmoream in presbyterio novæ baſilicæ, A. 1605 ædificari cœptæ, ac inſcriptionem additam, poſuerunt A. 1737. Non eſt noſtrum, *Inſcriptiones* ipſas huc transſcribere, quibus Emin. *Quirinus*, fama ſuper æthera notus, oblivioni mortalium ingratæ ſurdæque poſteritati ereptus fuit. Suſpiciunt coluntque tanti Viri memoriam eruditi per Europam, quosque fabuloſus lambit Hydaſpes, & qui habitant ultra Garamantas & Indos.

Pag. 10.

19.

BREVE STORIA DELLA VITA DI CATTERINA VIZzani, Romana, che per otto anni veſtì l'abito da uomo, &c.

id eſt,

## *JANI PLANCI, SEU JOANNIS BIANCHI, ANAtomes Profeſſoris Senenſis, Hiſtoria brevis, vitam narrans Catharinæ Vizzanæ, Romanæ, quæ per octo annos virum mentita eſt, famulatum præſtans, quæ, cum poſtremo poſt varios caſus occiſa fuerit, virgo reperta fuit anatome ſui cadaveris.*

L l Venetiis,

Venetiis, typis Simonis Occhi, 1744, 8.
Plag. 2.

In hac hiſtoria, ſeu narratione, a *Jano Planco*, Medicinæ Doctore Ariminenſi, & quondam in Academia Senenſi Anatomes Publico Profeſſore, hiſtoria elegans & ſcitu digna deſcribitur cujusdam Virginis Romanæ, *Catharinæ Vizzanæ* nomine, quæ a ſexto decimo anno uſque ad vigeſimum quintum circiter habitum virilem mentita eſt, quibusdam Nobilibus in Hetruria famulatum præſtans, quo tempore & antea nunquam cum viris ſanguinem miſcuit, licet cum ipſis ſæpenumero dormierit. Verum perdite mulieres amabat, propter quas cum varia infortunia perpeſſa ſit, tandem, cum duas virgines in Librafracta, oppidulo ditionis Piſanæ, rapuiſſet, ictu ſclopeti in genu prope Senas vulnerata fuit, quo vulnere interiit Senis, cum in noſocomio per quindecim dies ægrotaſſet. Aliquot horas ante mortem mulieri cuidam Senenſi revelavit, ſe mulierem eſſe & virginem, petiitque, ut corona florum poſt mortem ſuam caput ornaretur; ita enim mos eſt in Italia ornare, quæ virgines moriuntur. A *Planco* & ab ejus adjutoribus diſſectum fuit ejus cadaver, & in eo reperta eſt integra hymenis membrana, quæ hic cum valvula coli deſcribitur; at canaliculi cyſthepatici & hepatocyſtici in jecore negantur. Hoc totum a *Planco* additur, ut contradicat aliquibus Senenſibus, qui autoritatem *Pinelli* cujusdam, Illicinenſis Anatomici, hymenem in ſcriptis ſuis negantis, fuerant ſecuti. Sic poſt *Heiſterum* valvulam *Baubini* in colo iterum aſſerit contra *Biancum*, Taurinenſem Anatomicum, ut olim jam fecerat in Epiſtola ſua anatomica; in qua etiam canaliculos illos cyſthepaticos & hepatocyſticos negarat, quos nunc negare pergit, licet *Winslowius* eos ſubobſcure admittat, quem illos non αὐτοψίᾳ vidiſſe, ſed ratione tantum & analogia admiſiſſe, judicat; rationem, docens, & analogiam in materia facti interdum vacillare, ut vacillarent, ſi quis, ut *Plancus* ait, contenderet, ductum cyſticum eſſe in brutis omnibus tortuoſum & valvulis conſperſum, quod re ipſa talis ſit in hominibus.

*L. E.*

Digitized by Google

# L. E. DE NUMERIS AMICABILIBUS.

Problemata, quæ circa indolem ac proprietates numerorum verſantur, hoc tempore, quo Analyſis mathematica ad multo profundiores ſpeculationes aditum aperuit, fere penitus a Geometris derelicta videntur; ac plerique arbitrantur, contemplationem numerorum nihil prorſus ad augmentum Analyſeos conferre. Verum tamen certe inveſtigatio proprietatum numerorum ſæpenumero multo majorem ſagacitatem requirit, quam ſubtiliſſimæ quæſtiones geometricæ; atque ob hanc ipſam cauſam quæſtiones arithmeticæ immerito iſtis poſtponi videntur. Ac ſumma quidem ingenia, quibus maxima Analyſeos incrementa accepta ſunt referenda, numerorum affectiones non indignas cenſuerunt, in quibus evolvendis plurimum operæ & ſtudii collocarent. *Carteſium* ſcilicet conſtat, etiamſi ampliſſimis cum univerſæ Philoſophiæ, tum Matheſeos, meditationibus eſſet occupatus, tamen non parum in eruendis numeris amicabilibus deſudaſſe; quod negotium deinceps *Schotenius* majori ſtudio eſt perſecutus. Vocantur autem numeri amicabiles, duo ejusmodi numeri, quorum alter, ſi ejus partes aliquotæ omnes in unam ſummam colligantur, alterum producat; cujusmodi numeri ſunt 220 & 284; prioris enim 220 partes aliquotæ, ſeu diviſores, ipſo minores $1+2+4+5+10+11+20+22+44+55+110$ ſummam præbent 284: atque hujus numeri 284 partes aliquotæ $1+2+4+71+142$ viciſſim producunt 220. Nullum autem eſt dubium, quin præter hos duos numeros plures alii atque adeo infiniti dentur, qui eadem proprietate ſint præditi; neque tamen *Carteſius*, & poſt eum *Schotenius*, plura, quam tria, talium numerorum paria elicuerunt, etiamſi non parum ſtudii ad plura eruenda impendiſſe videantur. Ac methodus quidem, qua uterque eſt uſus, ita eſt comparata, ut ejus ope vix plures numeri amicabiles inveniri queant; aſſumſerunt enim, hujusmodi numeros in his formulis $2^n xy$ & $2_n z$ contineri, ubi $x$, $y$, & $z$, numeros primos denotent; quos ita comparatos eſſe oportet, ut ſit primo $z = xy + x$

$+ y$, tum vero ut ſit $2^n(x+y+2) = xy+x+y+1$. Exponenti ergo $n$ ſucceſſive varios tribuerunt valores, ac pro ſingulis ejusmodi indagaverunt numeros primos $x$ & $y$, ut poſteriori æquationi ſatisfieret: qui ſi ſimul tales fuerint, ut $xy+x+y$ præberet numerum primum, formulæ aſſumtæ $2^n xy$ & $2^n z$ exhibebant numeros amicabiles. Facile autem intelligitur, hoc modo ad majores exponentes $n$ procedendo, mox ad tantos numeros $xy+x+y$ perveniri, qui utrum primi ſint, nec ne, diſcerni amplius nequeat, cum tabula numerorum primorum ultra 100000 nondum habeatur extenſa.

Perſpicuum autem eſt, hanc quæſtionem præter neceſſitatem non leviter reſtringi, dum numeri amicabiles in his tantum formulis aſſumtis includi aſſumantur. Quod cum perpendiſſem, vocatis in ſubſidium nonnullis artificiis, ex natura diviſorum petitis, plura alia numerorum amicabilium paria ſum adeptus, quorum cum tribus jam notis triginta hic communicabo; eos autem, quo eorum origo & natura clarius perſpiciatur, per factores expreſſos exhibebo. Sunt igitur numeri amicabiles:

| | | | |
|---|---|---|---|
| I. | $2^2 \cdot 5 \cdot 11$ | & | $2^2 \cdot 71$ |
| II. | $2^4 \cdot 23 \cdot 47$ | & | $2^4 \cdot 1151$ |
| III. | $2^7 \cdot 191 \cdot 383$ | & | $2^7 \cdot 73727$ |
| IV. | $2^2 \cdot 23 \cdot 5 \cdot 137$ | & | $2^2 \cdot 23 \cdot 827$ |
| V. | $3^2 \cdot 5 \cdot 13 \cdot 11 \cdot 19$ | & | $3^2 \cdot 5 \cdot 13 \cdot 239$ |
| VI. | $3^2 \cdot 7 \cdot 13 \cdot 5 \cdot 17$ | & | $3^2 \cdot 7 \cdot 13 \cdot 107$ |
| VII. | $3^2 \cdot 7^2 \cdot 13 \cdot 5 \cdot 41$ | & | $3^2 \cdot 7^2 \cdot 13 \cdot 251$ |
| VIII. | $2^2 \cdot 5 \cdot 131$ | & | $2^2 \cdot 17 \cdot 43$ |
| IX. | $2^2 \cdot 5 \cdot 251$ | & | $2^2 \cdot 13 \cdot 107$ |
| X. | $2^3 \cdot 17 \cdot 79$ | & | $2^3 \cdot 23 \cdot 59$ |
| XI. | $2^4 \cdot 23 \cdot 1367$ | & | $2^4 \cdot 53 \cdot 607$ |
| XII. | $2^4 \cdot 17 \cdot 10303$ | & | $2^4 \cdot 167 \cdot 1103$ |
| XIII. | $2^4 \cdot 19 \cdot 8563$ | & | $2^4 \cdot 83 \cdot 2039$ |
| XIV. | $2^4 \cdot 17 \cdot 5119$ | & | $2^4 \cdot 239 \cdot 383$ |
| XV. | $2^5 \cdot 59 \cdot 1103$ | & | $2^5 \cdot 79 \cdot 827$ |
| XVI. | $2^5 \cdot 37 \cdot 12671$ | & | $2^5 \cdot 227 \cdot 2111$ |

XVII.

| | | | |
|---|---|---|---|
| XVII. | $2^5.53.10559$ | & | $2^5.79.7127$ |
| XVIII. | $2^6.79.11087$ | & | $2^6.383.2309$ |
| XIX. | $2^2.11.17.263$ | & | $2^2.11.43.107$ |
| XX. | $3^3.5.7.71$ | & | $3^3.5.17.31$ |
| XXI. | $3^2.5.13.29.79$ | & | $3^2.5.13.11.199$ |
| XXII. | $3^2.5.13.19.47$ | & | $3^2.5.13.29.31$ |
| XXIII. | $3^2.5.13.19.37.1583$ | & | $3^2.5.13.19.227.263$ |
| XXIV. | $3^3.5.31.89$ | & | $3^3.5.7.11.29$ |
| XXV. | $2.5.7.60659$ | & | $2.5.23.29.673$ |
| XXVI. | $2^3.31.11807$ | & | $2^3.11.163.191$ |
| XXVII. | $3^2.7.13.23.79.1103$ | & | $3^2.7.13.23.11.19.367$ |
| XXVIII. | $2^3.47.2609$ | & | $2^3.11.59.173.$ |
| XXIX. | $3^3.5.23.79.1103$ | & | $3^3.5.23.11.19.367$ |
| XXX. | $3^2.5^2.11.59.179$ | & | $3^2.5^2.17.19.359$ |

## Glaubwürdige Nachrichten von dem Leben des Heil. Valentini, beyder Rhätien Apoſtels, ꝛc.

hoc eſt,

## *DESCRIPTIO VITÆ S. VALENTINI, utriusque Rhætiæ Apoſtoli, cum animadverſionibus chronologico-hiſtorico-geographicis, adornata ab ANTONIO ROSCHMANNO, J. U. Lic. Bibliothecario Cæſar. & Regio, Univerſitatis Notario, & Provinciæ Tyrolenſis Hiſtoriographo.*

Ulmæ, proſtat in officina Bartholomæi, librarii, 1746, 4.

Alph. 1.

Qui Veldidenæ, urbis in Rhætia quondam nobiliſſimæ, antiquitates, de quibus proxime dicemus, egregie expoſuerat, *Antonius Roſchmannus*, Vir πολυμαθέστατος, vitæ poſtea S. *Valentini*, Rhætorum Apoſtoli, deſcriptionem concinnare, & hoc pacto rebus Eccleſiæ patriæ lumen affundere, apud animum conſtituit. Digniſſimus nimirum ipſi videbatur *Valentinus*, cujus memoria ſummo ſtudio conſervaretur, qui & doctrinam cœleſtem diligentiſſime auditoribus ſuis inculcavit, & poſt

mortem etiam miracula quamplurima, & vix unquam audita, perpetraſſe dicitur. Teſtem hujus rei Cl. Autor nominat tabulam aliquam plumbeam, quæ Seculo quinto confecta videtur, juxta corpus Sancti iſtius inventam, atque ab *Anonymo Paſſavienſi* deſcriptam. Ceterum inter fontes, ex quibus notitia vitæ *Valentini* hauriri poteſt, *Eugippii Vitam S. Severini* numerat, eique *Venantium Fortunatum*, atque *Aribonem Friſingenſem*, adjungit. *Ottonem* vero *Friſingenſem* nimis parce de S. *Valentino* egiſſe, conqueritur. *Bernardum Noricum* etiam nonnulla, huc pertinentia, attuliſſe, docet, ejus vero ætatem adhuc ignorari profitetur, cum præſertim nondum typis exſcriptum ſit ejusdem opus, verum excerpta duntaxat, quæ Cl. *Hanſitzius* attulit, hodienum ſuppetant. Ex hiſce fontibus recentiorum ſcriptorum tantum non omnes ſua hauſerunt. Cum autem iſti in Geographia potiſſimum Tyrolenſi atque ratione temporum conſtituenda hinc inde lapſi ſint; Cl. Autor eorum nævos corrigere, & certiorem hujus Sancti hiſtoriam reddere, anniſus eſt. Tempus adeo, quo natus ſit *Valentinus*, certo definiri poſſe, negat, ex tabula tamen plumbea, de qua ſupra dictum eſt, clarum fieri judicans, Sanctum illum jam circa medium Seculi quinti ſacerdotem fuiſſe, multa itine-
Pag. 1. ra confeciſſe, & in *Leonis M.* notitiam perveniſſe. Taxat ideo eruditorum haud paucos, qui, anno Chriſti 340, aut circa initium quinti Seculi, *Valentinum* vivere jam deſiiſſe, ſibi perſuaſerunt. Ex Belgio oriundum eſſe *Valentinum*, non ſine fundamento ſtatui poſſe, credit. Cumque iſte tractus, *inſula Batavorum* olim dictus, in Romanorum eo tempore poteſtate fuerit;
3. inde, nomen Romanum noſtro eſſe inditum, Cl. Autor cenſet. Ex Chriſtianis vero parentibus eum eſſe progenitum, ideo contendit, quod inſula Batavorum jam eo tempore Chriſtiana ſacra ſuſceperit. Paſſavium inde petiiſſe *Valentinum*, tabulæ plumbeæ autoritate inductus, ſtatuit, idque ideo factum eſſe credit, quod in inſula Batavorum milites noviter allecti, & eum in locum tanquam colonia tranſmiſſi, ab eo in verbo Dei
7. inſtituendi fuerint. Non ſatis feliciter autem ipſi hunc laborem ceſſiſſe, obſervat, cum plurimi auditorum Ariana hæreſi

infecti

infecti eſſent, ipſique etiam Catholici adeo turpem vitam age-
rent, ut vel paganos impietate vincerent. Vicinis tamen ſi- Pag. 8.
mul locis eum Evangelium prædicaſſe, Cl. Autor dictitat. Ro-
mam deinceps conceſſit *Valentinus*, ubi a *Leone M.* Epiſco-
pus conſecratus, Paſſavium quidem repetiit, ab incolis tamen
non ſine contumelia mox ejectus eſt. Interim, eum non 14.
ordinarium Paſſavii Epiſcopum, ſed extra ordinem a Pon-
tifice ea in loca delegatum, fuiſſe, Cl. Autor obſervat, inde-
que rationem dari poſſe cenſet, cur in catalogo Præſulum
Paſſavienſium ejus nomen exulet. Abbatis vero munus antea
obiiſſe noſtrum, id quod nonnullis viſum eſt, conſtanter per-
negat. Cum autem Arianorum furor potiſſimum Paſſavio eje- 18.
cerit *Valentinum*; de iſtorum hominum placitis quædam
diſputat, & per Gothos, in vicinia Norici conſtitutos, eo- 24.
rum errores Paſſavium perveniſſe, contendit. Tyrolin
vero cura S. *Valentini* ab hac labe immunem eſſe ſervatam,
contendit. Relicto nempe Paſſavio, ejusque vicinia, Rhætiam 26.
primum is petiit, ſub quo nomine Tyrolis etiam eo tempore
comprehendebatur. Hodiernis Griſonibus primo, dein Ty-
rolenſibus, eum doctrinam cœleſtem tradidiſſe, Cl. Autor ſta-
tuit. Accidiſſe hoc ſtatim poſt *Attilæ* mortem, obſervat, eo-
que tempore Chriſtianam religionem per ea loca non quidem
penitus exulaſſe, concedit, miſerrimum tamen & valde tur-
batum rei publicæ per hæc loca ſtatum fuſius enarrat. Quam 38 ſeq.
indefeſſo ſtudio doctrinam ſalutarem ibi diſſeminaverit noſter,
tabula plumbea, & *Anonymus Paſſavienſis*, declarant. Tandem, 50.
ſenio, ut videtur, fractum, ſolitudinem & otium quæſiviſſe
*Valentinum*, & in loco *Mays* dicto, conſediſſe, Cl. Autor mo-
net, de ſitu & nomine iſtius loci varias ſubjungens conje- 56.
cturas. Quamvis ergo juxta eum locum in ſolitudine vive-
ret *Valentinus*; eum tamen ſæpius in urbem conceſſiſſe,
cultui divino ibi interfuiſſe, & incolas iſtius tractus, una
cum collega S. *Lucillo*, ad pietatem erga Deum excitaſſe,
Cl. Autor contendit. In eodem loco poſtea mortuus, 70.
in ædicula, in ſolitudine ædificata, ſepultus dicitur. Cujus
rei fidem facit menſa, juxta altare iſtius ædis conſpicua, in

qua,

Digitized by Google

qua, quamvis altare nullas Sanctorum reliquias ſervet, miſſæ
tamen ſacrificium ideo offerri ſolet, quod *Valentinus* ipſe-
met illam ædem conſecraſſe credatur. In honorem S. *Ste-*
*phani* autem hanc ædiculam fuiſſe a *Valentino* exſtructam, &
ara quædam, ibi obvia, honori *Stephani* dicata, confirmare
videtur, & ex eo apparet, quod perpetuo protomarty-
ris iſtius patrocinio manſerit commendata, & eccleſia cathe-
dralis Paſſavienſis, a *Valentino* certiſſime conſecrata, ejusdem
Pag. 72. Sancti nomen tulerit. Mortuum ibi eſſe *Valentinum* die ſepti-
mo Januarii, ex variis martyrologiis Cl. Autor demonſtrare an-
nititur. De anno mortis certi quid conſtare, negat; interim
75. tamen, ante annum 477 eum obiiſſe, conjicit. Quamvis de
loco ſepulturæ nihil certi tradiderint ſcriptores; *Valentini* ta-
men corpus in ædicula ſupra memorata non procul ab altari
repoſitum eſſe, affeverat, aliorumque ſententias, qui locum
ſepulturæ in ipſa urbe *Mays* quærunt, confutat, illos *Metzſch*
76. & *Mays* confudiſſe, ſibi perſuadens. De tabula deinceps
illa plumbea, in translatione corporis iſtius Sancti inventa,
81. fuſe Cl. Autor diſputat. Obſervat, ejusmodi tabularum, juxta
Martyrum corpora inventarum, quam plurima apud ſcripto-
res exempla deprehendi, hancque tabulam ſatis antiquam, &
ſtatim poſt mortem *Valentini* confectam, videri, variis argu-
82. mentis comprobat. Poſtea, temporum injuria, adeo vetu-
ſtate corroſa eſt, ut *Anonymus Paſſavienſis*, eam deſcribens,
cum verba ejus legere omnia non poſſet, contenta duntaxat
84. expoſuiſſe dicendus ſit. Decennio poſt mortem vix præter-
lapſo, dies mortis *Valentini* a S. *Lucillo*, ejus diſcipulo, ſolen-
90. niter jam celebratus eſt. Seculo poſtea ſexto ſummo in ho-
nore *Valentini* memoriam fuiſſe, ex Poemate *Venantii For-*
97. *tunati*, quod Cl. Autor Theodiſcis verſibus expreſſit, li-
quet. Seculo octavo *Corbinianus*, Friſingenſis Epiſcopus,
103. ſepulcrum *Valentini* veneratus dicitur, de quo adeo *Cor-*
*biniano* quamplurima memoratu digna Cl. Autor in medium
profert. Eundem *Corbinianum* in loco quodam, inter rivos
*Timonem* & *Finalem* ſito, & *Camina* dicto, poſtea con-
108. ſediſſe, ibique ædiculam in honorem *Valentini* ædificaſſe,
obſer-

Digitized by Google

obſervat, quamvis hodie iſta ædicula adhuc ſuperſtes, a S. *Mauritio* nomen acceperit. Mortem dein *Corbiniani*, ejusque corporis translationem juxta ſepulcrum *Valentini*, quæ non ſine miraculo (ſi quidem ejusmodi hiſtoriolis fides habenda,) contigit, Cl. Autor exponit. Vigilias, in ædi- Pag. 114.
cula illa celebrari ſolitas, poſtea deſcribit, & quamplurima miracula, a *Valentino* poſt mortem perpetrata, ex *Aribone* adſtruit, ſi quidem talia ab autoritate ſcriptorum fidem accipere poſſunt. Tridentum corpus *Valentini* a Longobardis delatum deinceps fuiſſe, docet; quare & quando autem hoc factum fuerit, non adeo liquere monet. Tandem vero
A. 769 Paſſavium translatum a *Thaſſilone* corpus hujus San- 125.
cti fuiſſe, commemorat. *Corbiniani* oſſa, mox Friſingam in 127.
ædem iſtius loci cathedralem translata, quamplurima ibi miracula edidiſſe, & ægrotis ſanitatem reſtituiſſe, perhibentur.
Innumera etiam miracula, a *Valentini* corpore, cum Paſſavii 132.
quieſceret, ſubinde perpetrata, Cl. Autor lectoribus obtrudit.
dit. Magna religione cultas ibi fuiſſe iſtius Sancti reliquias, 140.
oſtendit, &, hodienum adhuc ejusdem caput ſupereſſe, feſtisque diebus publice exponi, teſtatur. Friſingæ etiam 142.
memoria *Valentini* ſtato die colitur, & in ejus honorem 147.
juxta illam urbem ædicula exſtructa eſt, in qua, interceſſione hujus Sancti, quamplurimos ægrotos ſanitatem recuperaſſe,
Cl. Autor contendit. Idem de Epiſcopatu Churienſi affir- 148.
mat, atque de diebus feſtis, in honorem *Valentini* celebrari ſolitis, nec non templis ejus, & miraculis, quæ perpetrate dicitur, diſputat. In Tyrolenſi tractu, eccleſiæ ſub 149.
inſpectione Churienſi conſtitutæ, *Valentinum* religioſe colunt, quas inter eccleſia parochialis, in ditione Nauderſpergenſi
ſita, eminet, ad quam peregrinationes religioſæ inſtitui fre- 150.
quenter ſolent. Eccleſiæ in Epiſcopatu Brixienſi quam-
plurimæ *Valentino* dicatæ ſunt. Idem per Epiſcopatum Tri- 152 ſeq.
dentinum & Felitrenſem factum eſſe, ibique varias iſtius Sancti
reliquias ſervari, Cl. Autor monet. Nonnulla quidem tem- 163.
pla, in honorem *Valentini* exſtructa, alterius cujusdam Sancti, idem nomen habentis, patrocinio commendata ſunt; verum,

 hoc

hoc tantum non ſemper per errorem factum eſſe, atque ex actis Sanctorum minus ſinceris hanc ſententiam promanaſſe, & re vera noſtrum hunc *Valentinum* iſtarum eccleſiarum dici
Pag. 172. debere patronum, Cl. Autor quamplurimis argumentis demonſtrat. Nonnulla tandem, ad librum hunc & emendandum & augendum pertinentia, ad calcem operis attexuit. Ita autem hoc ipſum opus compoſitum eſt, ut neque ingenium, neque diligentiam, neque doctrinam, in eo deſideres. Et, ſi a narrationibus quibusdam abſonis, quibus Cl. Autor plus juſto fidem habuit, diſcedas, illud pro inſigni ampliſſimæ eruditionis theſauro habere nulli dubitamus.

*JO. DIETERICI WINCKLERI, S. Theol. D. Eccleſ. Hildeſienſ. Superintend. Conſiſt. Aſſeſſ. Primar. & Gymnaſ. Ephori, Hypomnemata philologica & critica in diverſa Scripturæ Sacræ, tam Veteris, quam Novi, Teſtamenti, loca. Accedit Mantiſſa gemina, ſimilis argumenti Diſſertationes exhibens.*

Hamburgi, apud Chriſt. Wilh. Brandt, 1745, 8.

Alph. 1 plag. 7.

Maxime Reverendus & elegantiſſimus harum Obſervationum Autor non ex ingenti illorum eſt copia, qui, literas ſacras & locos Fœderis utriusque ex profanis illuſtrare Scriptoribus ſuſcipientes, non legerunt ipſi Autores & pervolverunt, ſed ex horum ſaltem indicibus, atque Latina, ſi idiomate Græco ſunt conſcripti, verſione, aut vocabula phraſesque deſumunt, aut bonas aliorum animadverſiones, non nominatis harum parentibus, compilant, aut ex undecim denique, ut fit, libris libellum aliquem duodecimum, miſellum quamvis atque ſatis incomtum, conſcribillant. In his enim certe ὑπομνήμασι interior partim & ſubacta ſacri cum Codicis, tum exterorum Scriptorum, lectio, partim magnus præſtantiſſimorum omnis generis Autorum numerus, denique probe verſatum in explicandis multis ac difficillimis locis criticumque

ticumque judicium, conſpicitur atque eminet. Neque alia deſunt, quæ laudem non magis merentur ſuam. Quando enim interpretum quorundam temeritas & audacia detegenda fuit, non ſiluit quidem timidiuſcule Autor Ampliſſimus, ſed tam moderati tamen Cenſoris & tam modeſti partes egit, ut meritorum, quibus viri ceterum magni eminuere, non immemor, quod vel humanitati, vel tantorum hominum obſervantiæ, contrarium eſſet, nihil omnino dixerit. Jam vero, quia ad centenarium uſque aſſurgit explicationum variarum in diverſos Scripturæ S. locos, & ſatis interdum copioſe adductarum, philologicarum, criticarum, non raro etiam theologicarum, numerus, omnes hic adducendas quis poſtulaverit? Interim aliquas tamen, ſpeciminis inſtar, ſeligemus, non illas potiores quidem, quia æquali omnes præſtantia repletæ ſunt; ſed quæ aut primum ſe nobis obtulere, aut quæ novi quidpiam ſecum apportaſſe ex Epiſtolis manuſcriptis & aliis adhuc ineditis videbantur; unde etiam de reliquis egregium ferri judicium poterit. Igitur ad locum *Jeremiæ XVII, 9*, Reverendus Autor *Jo. Henr. Maji*, patris, literas exhibet ἀνεκδότους, ad Cel. quondam Philologum, *Jobum Ludolfum*, ſcriptas, in quibus vocabulum עקב per *fraudulentum* & *inſidioſum* exponitur, ut ſenſus ſit: *doloſum eſt cor ſupra modum*. Nam *Ludolfus* ante *clivoſum* voluerat. Sed hæc & ipſa admitti interpretatio poteſt. Quia enim clivoſum opponitur plano & recto, hinc cor, quod non planum & rectum eſt, doloſum habetur atque fraudulentum, id eſt, clivoſum. Præterea *Jo. Saubertus*, quem ex *Oper. poſthum. pag. 91* adduxit Autor doctiſſimus, *Lutherum*, ut nobis videtur, non recte reprehendit, ac ſi ille, omiſſa, quod putat, particula מכל, reddiderit עקב per *trotzig*. Nam bene vidit *Lutherus* vim vocabuli. In prima enim editione habuerat: *ein heilloſs tückiſch Ding über alles iſt das Herz.* In altera vero, vocabula עקב & מכל uno Germanico verbo melius exprimi, putavit, poſſe per *trotzig*, id eſt, *contumax*, *protervum*, quod eandem plane vim habet cum illis: *doloſum per omne ac fraudulentum*. Sed pergamus ad aliam obſervationem. Inter argumenta,

Obſ. V pag. 30-32.

Obſ. IX.

Pag. 48- gumenta, quibus, *Juditha* librum parabolam meram eſſe, *Hu-*
55. *go Grotius* & alii demonſtraverunt, deſumtum eſt unum ex *Capite XVI, comm. 31,* in quo feſtivitas aliqua ob *Juditha* victoriam annua commemoratur; cujus feſti quod nemo ex Scriptoribus Hebraicis mentionem fecit, nec ulla reperitur memoria penes Judæos, *Grotius* hoc argumentum contra ipſius libri autoritatem urget. Sed contrarium placuit illuſtri quondam Epiſcopo Abrincenſi, *Petro Dan. Huetio*, qui in *Demonſtr. Evang. Prop. IV Cap. 14 pag. 221* arbitratus eſt, licet feſtivitatis hujus in Hebræorum literis mentio nulla occurreret, fieri tamen potuiſſe, ut ea, quemadmodum res multæ aliæ ſic fierent, tempore abrogata fuerit. Ab hac itaque ſententia diſſenſum ſuum teſtatus eſt celebris olim JCtus & Conſiliarius Gothanus, *Jo. Frid. Breitbaupt*, literis ad *Huetium* datis, quarum reſponſorias ex avtographo Rev. Autor cum orbe erudito communicat. In his literis *Huetius* mentem ſuam fuſe explicat, putatque, etiamſi nulla nunc memoria hujus feſti occurreret in libris Judaicis, potuiſſe illud tamen tempore abrogari, ac petitum proinde ex eo argumentum *Grotii* vim nullam habere. Denique ex ſilentio ſcriptorum Judaicorum non ſequi, nullam omnino & olim feſtivitatem fuiſſe. Hic quidem non adjecit Doctiſſ. Autor, an ſatis ipſi hæc faciat explicatio *Huetii;* quamvis certum videatur, ex *Grotii* hoc ſolo argumento libri *Juditha* γνησιότητα infringi, ſi non alia ſuppeterent, unice non poſſe; libros tamen quorundam commemoravit, qui iisdem, quibus hic *Huetius*, armis pugnarunt, e quibus adduxiſſe juvabit *Bernard. Montefalconium*, in libro, qui inſcribitur *la Verité de l'Hiſtoire de Judith, P. III pag. 296*, & *Jo. Seldenum Lib. III de Synedr. Hebr. Cap. 13 §. 10*, ut nihil jam de reliquis dica-

Obſ. XX mus. Porro difficilis locus eſt in *Pſalmi XXXII v. 9*, quem
pag. 91, plerumque ad verbum ſic convertunt: *ne ſitis tanquam*
92. *equus & mulus abſque intelligentia, in freno & lupato* עדיו *ad conſtringendum.* Sed quis non videt, vocabulum hic deeſſe, quod ſupplet τῷ *in freno & lupato?* Jam, miſſa *Ariæ Montani* ſententia atque verſione, vera ſignificatio vocis עדי eſt

*ornamen-*

Digitized by Google

*ornamentum.* Nam ſic adhibetur *Exod. XXXIII, 4,* & alibi. Igitur ſimpliciſſima eſt expoſitio Chaldaica, quæ ſenſum ita exprimit: *ne ſitis ſicuti equus & mulus, cui non eſt intellectus. Lupatum & frenum eſt ornamentum ejus, quo conſtringitur, ne appropinquent ad me.* Quo eodem etiam modo *Jo. Buxtorfius* in *Concordantiis* ſuis עדיך per *ornamentum* reddidit. In alia Obſervatione multus eſt Autor Rev. ad *Geneſ. XIX, 26,* in recenſendis variorum ſententiis, qui de fato uxoris *Lothi*, & de ſalis ſtatua, expoſuere. Inter alias tamen non ei probatur opinio *Jo. Bapt. Ottii*, Viri doctiſſimi, quod, *Joſephum* in *Antiquit. Jud. Lib. I Cap. 12* ſecutus, fieri exiſtimavit potuiſſe, ut ſuo tempore adhuc exſtiterit hæc ſalis ſtatua. Sed quidni, quæſumus? Nos enim non videmus, cui bono tam longam ſtatuæ durationem *Joſephus*, non ultimi nominis Hiſtoricus, excogitaſſet. Voluiſſe certe eum hoc loco alios decipere, veriſimile non videtur; aut, ſi dixiſſet falſa, mendacii potuiſſet ab omnibus coargui. Præterea non ſatis nobis facere argumenta Viri docti, C. W. poſſunt, cujus Diſſertationem de hoc argumento Autor Rev. commemoravit. Verbum enim, quod ille urget, ἱϛορεῖν, huc prorſus non pertinet. Deinde, miraculum fuiſſe, ſi ſtatua ſalis uſque ad *Joſephi* tempora ſuperfuiſſet, neminem putamus futurum, qui dixerit. *Moſen* autem nihil de ea re dixiſſe, facile concedi poteſt, quia *Joſephus* aliquot mille annorum vixit ſerius Judæorum legislatore, *Moſes*que data opera non indicare voluit, an *Joſephi* ætate ſupereſſe illa ſtatua aut poſſit, aut debeat. Denique, totam rem fide hiſtorica carere, dici quidem a docto citatæ Diſſertationis ſcriptore, ſed oppoſitum refutari non poteſt. At ulterior indagatio hujus loci non eſt. Quæ ceterum Rev. Autor ex *Pauſania*, *Clemente Alexandrino*, & aliis, de *Niobe*, filia *Tantali*, & *Amphionis* conjuge, in ſaxum & ſtatuam mutata, addit, ea magnam præ ſe & eruditionis & non vulgaris lectionis ubertatem ferunt, ſua laude hic non defraudanda. Jam ad *Matthæi XVIII, 1 ſeq.* acute obſervat Ampliſſ. Autor, male ſedulæ curioſitatis exempla præbuiſſe aliquos, quando nomen pueruli, a Servatore ſanctiſſimo ſuis diſcipulis

Obſ. XXV pag. 108-115.

Obſ. XXX pag. 129-135.

diſcipulis exempli loco commendati, ſollicite indagare ſtuduerint. Latinæ enim Eccleſiæ doctores *Martialem*, Lemovicenſium in Gallia Epiſcopum, puellum fuiſſe illum, autumarunt; at Græcæ contra Eccleſiæ miniſtri *Ignatium*, Antiochenum Præſulem, intellexere, quem propterea θεόφορον fuiſſe appellatum, arbitrati ſunt. Λῆροι, λῆροι! Sed & ineruditæ prorſus, ne quid pejus dicamus, interpretationes ſunt *Bedæ*, qui, Chriſtum ſe ipſum conſtituiſſe in medio, deinde *Hieronymi*, qui, per puerum iſtum Spiritum S. ſignificari, putaverunt. Poſt hæc ſuam adjicit ſententiam Clariſſ. Autor, & vere probat, τὸ παιδίον hoc loco non eſſe puerum aliquem jam grandiorem, quemadmodum Pontificiæ & Reformatæ Eccleſiæ doctores vulgo cenſent, quando fidem in Chriſtum denegare infantibus volunt, ſed propria & prima ſignificatione *infantem*, qui nec ambulare adhuc poteſt, & portatur a fœminis. *Euſtathius* certe, atque alii Grammatici, τὸ παιδίον *infantem* interpretantur, *matris, aut nutricis, uberibus adhuc inhærentem;* copioſeque & eleganter monſtrat Vir doctiſſimus, ſi occurreret vocabulum πολύσημον, ſimpliciter atque nude poſitum, propriæ tam diu ſignificationi inhærendum eſſe, quamdiu aliam iſti præferre, non ſumma, qualis in hoc loco nulla eſſet, neceſſitas nos cogeret. In ejusdem divi *Matthæi* verbis, *XI, 12*, commemoratis, multi

Obſ. LXVIII pag. 226-233. jam & ſummi nominis interpretes inſudarunt, quorum explicationes videndæ inprimis apud *Matth. Polum* in *Synopſ. Critic. Vol. IV pag. 190*, & *Jo. Chriſt. Wolfium* in *Curar. Vol. I pag. 195*. Noſter autem Eruditiſſ. Autor, præter illas ſententias, aliorum etiam expoſitiones, nondum examinatas, & nominatim illam *Hermanni von der Hardt*, profert, quam in *Explicatione* manuſcripta *difficiliorum 4 Evangeliſtarum locorum* ſiſtit; deinde aliam *Jo. Conr. Schwarzii*, V. C., recenſet, qui in *Monument. ingenior. Tom. II pag. 177* Epiſtolam ad Cl. Theologum Altorfinum, *Jo. Guil. Baierum, de nova*, (uti illam inſcripſit,) *& probabili interpretatione hujus loci*, inſeruit. Atque *Hardtius* quidem in Explicatione MSta, quam Doctiſſ. *Wincklerus* poſſidet, & ex qua multa in his Obſervationibus ſpecimina

ſpecimina deſcripſit, hanc fovet opinionem, quaſi *οἱ βιαςαὶ* Judæi vocarentur, qui violenta manu Evangelium ſupprimere conati eſſent, dum omni modo doctrinam Jeſu e medio tollere contendiſſent. Hos enim velut perſecutores ſui & diſcipulorum a Chriſto reprehendi, qui curſum Evangelii turbarent & inhiberent. Nam rapere & diripere illos regnum Dei; quod idem eſſet, ac Phariſæos atque reliquos Judæos præfractos, more prædonum, hoſtili manu adverſus Evangelium ferri, u[illegible] perditum & exſtinctum eant. Atque hæc quidem B. *H[illegible]ius.* Cel. autem *Schwarzius* loco citato ſic verba reddit: *A Joannis Baptiſtæ temporibus, uſque ad hæc, res divinæ vim ſentiunt, & violenti eas rapiunt.* Hæ igitur ſententiæ toto inter ſe cœlo differunt. Sed nude ſaltem eas adduxit, nec falſitatis ſpeciatim redarguit, Rev. Autor, quod facile potuiſſet, ſi ipſi libuiſſet. Hoc unice adjecit, Cel. *Schwarzii* opinionem aliquanto probabiliorem eſſe illa, quam *Anonymus* quidam in ejusdem *Schwarzii Continuat. Collect. Novantiqu. Theologicor. pag. 130* excogitaſſet, qui per *τὴν βασιλείαν τῶν ὀυρανῶν* Judaicam Eccleſiam, qualis illa *Joannis* & Chriſti exſtiterit temporibus, intellexerat. Denique etiam *Chriſt. Schœttgenii,* V. Cl. ſententia, tanquam falſa, ab illo pronuntiata eſt. In his tamen omnibus optaſſemus majorem in modum, ut propriam nobiſcum ſententiam Rev. Autor communicaſſet de hoc loco controverſo, neque ita adhuc explicato, ut nullis amplius difficultatibus laboraret. Sed
ulterius quædam videamus. In loco *1 Chron. XXIX, 29,* Obſ.
tria occurrunt *Prophetarum* Hebraica vocabula, נביא, ראה, LXXV.
& חזה, de quorum diſcrimine inter eruditiſſimos viros di- pag. 251-
ſputatum eſt. Quippe res geſtæ *Davidis* ſcriptæ ibi dicun- 258.
tur 1) in verbis *Samuelis* הרואה, *videntis;* 2) in verbis *Nathanis* הנביא, *Prophetæ;* & 3) in verbis *Gadi* החוזה, *cernentis.* Vir magnis in Eccleſiam & rem omnem literariam meritis venerandus, *Jo. Gottlob Carpzovius*, Lubecenſium hodie Præſul Celeberrimus, obſervavit in aureo ſuo & excellenti opere *Introductionis in libr. Canon. Vet. Teſt. P. III Cap. 1 pag. 5, Samuelem* frequenter dici ראה; *Gadum* autem חזה;

utrumque

utrumque vero נביא; ſed nunquam inverſo ordine *Samueli* elogium חוזה, *Gado* titulum רואה, dari, *Nathanem* autem appellari unice נביא. Ex quo concludit Vir ſummus, diſcrimen quidem omnino aliquod inter hæc tria vocabula occurrere; ſilentibus tamen omnibus libris antiquis, non audet plane enuntiare, quale illud fuerit. Igitur Autor doctiſſimus Epiſtolam ſatis longam, a *Jo. Engelb. Steubero*, Rintelienſis Academiæ primario Theologo, ad ſe ſcriptam, communicavit cum eruditis lectoribus, in qua [illegible] *Steuberus* ad hunc *Carpzovianæ* Introductionis locum diſcrimen inter hæc tria verba conſtituere in ſe ſuſcepit. Sententia ejus huc redit breviter. Vox *Nabi*, נביא, ſignificationem generalem admittit, & eum notat, cui quacunque ratione revelatio obtigit, quam cum aliis communicat. *Roeh*, רואה, deſignat illum, cui in viſione & ſomnio voluntas divina manifeſtata fuit. *Choſeh*, חוזה, tandem aliquem indicat, qui per ænigmata & figuras de rebus divinis certior factus eſt. Hæc quidem *Steuberus* doctiſſimus. Si modo & vera eſſent! Nam ipſe, quicquid eſt dictorum, conjecturam meram nominat, dubitationesque adhuc nonnullas de eadem ſe ipſum fovere, ultro fatetur. Interim gratum fecit Rev. Autor amatoribus Philologiæ ſacræ, quod revocare eam ipſis rem in memoriam voluit; ſi qui forſitan exſtiterint, qui data opera diſcrimen ſpeciale trium horum vocabulorum conſtituere vellent; cujus rei perficiendæ cauſa ipſis integrum *Caput I Partis III Introductionis Carpzovianæ*, ut & *Herm. Witſius* in *Miſcell. S. Lib. I Cap. 1* §. *19*, denique *Scipio Sgambatus Lib. II Archiv. V. T. Tit. 22*, egregiam opem atque non contemnendum auxilium ſubminiſtrare poſſent. Finire igitur jam poſſemus, niſi tribus, quod ajunt, verbis de Mantiſſa, quæ eruditi hujus Operis latus claudit, nobis dicendum eſſet. Exhibet ea geminas Diſſertationes Viri Reverendi, quarum prior in Acade-
Pag. 331. mia Lipſienſi, ante decennium, *de Luca Evangeliſta Medico*, Reſpondente Viro Cl. *Carolo Chriſt. Woog*, nunc Antiquitatum Eccleſiaſticarum in eadem Acad. Publ. Profeſſore, habita,
399. & nunc multis additionibus amplificata; poſterior autem in Acade-

Academia Rintelienſi, pro ſummis in Theologia honoribus obtinendis, ventilata, & *de Philoſophiæ Platonico-Pythagoreæ fraudibus, ſeu placitis erroneis, a Paulo atque Petro improbatis, & vitari juſſis*, inſcripta, utraque propterea hoc loco adjecta eſt, quia, quamvis ſufficiens, ut Autor ſcribit, exemplorum numerus excuſus eſſet, tam crebro tamen deſiderari cœperat, ut multi hinc inde eam efflagitarent. Nos non difficile his dictis fidem habemus, quia utraque Diſſertatio & eruditiſſima eſt, & ſuum argumentum exhaurit, & ſalivam nobis movet, plures ejus generis ſcriptiones a Viro Maxime Reverendo videndi; cui proſperos ſemper ſuſceptarum rerum ſucceſſus, finiendumque inprimis mox certamen, quod ipſi in theſi aliqua theologica cietur, ex animo precamur.

## NOTIZIA DELLE ACADEMIE, &c.

id eſt,

## *NOTITIA ACADEMIARUM, ROMÆ ERECTArum juſſu Papæ BENEDICTI XIV.*

Romæ, opera Joſephi Collini, 1740, 1742, 1743, & 1744, 12.

Plag. 10.

Ex quo *Benedictus XIV* ſolium Pontificale Romanum conſcendit, nihil ipſi magis fuit curæ cordique, quam ut veternum civibus ſuis excuteret, rei literariæ infeſtum. Condidit igitur Romæ Academias haud unas, quæ Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Chriſtianæ excolendæ, notitiæ Conciliorum, rei liturgicæ antiquæ, ac hiſtoriæ antiquitatibusque Romanorum veterum, intenta eſſet. *Joannes Ciampinus* exſtitit primus, qui hoc ſaxum volvere, ac conſimile inſtitutum condere, habuit in animo, & A. 1671 rationes illius cum P. *Benedicto Mazzoni*, Romirano diſcalceato S. *Auguſtini*, Abbate Paſtritii, Lectore Theologiæ polemicæ in illo Collegio, & cum *Pompejo Sala*, nobili Sabaudo, communicavit. Fuere Purpurati curiæ Romanæ uno plures, quibus id inſtituti arriſit. *Clemens XI* deſtinavit ei in protectorem Cardinalem *Gabriellium*, Ciſtercienſem Reformatum. A. 1708, precibus Academicorum in-



Digitized by Google

ductus, indulſit ei pro Præſide *Albanium*, nepotem ſuum, dignisſimum nunc curia Romana Cardinalem. Erant in numero Academicorum ea ætate viri, & dignitatis & literariæ rei ornamentis excellentes. *Benedictus XIV* tandem hoc inſtitutum ad ſummum dignitatis pretiique faſtigium evexit, conſtituens initio, ut Academicorum unus ſingulis 14 diebus diſſerat ſecundum temporis ordinem, unus de Concilio quodam, alter de Canonibus eccleſiaſticis, tertius de theologica quæſtione. Nunc juſſit, duodecim cujusque Academiæ conſortes eſſe, quorum ſinguli ſingulis menſibus de re quadam ardua exponant in ſocietate illa ſua literaria. Primus tractat in *Academia Conciliorum* quæſtiones, ad notitiam eorum facientes, cum ſuis. Quæſtiones ipſæ ſunt præſcriptæ, ac in his libellis exhibitæ. Academia ſecunda *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Pontificiæ* excolendæ eſt addicta. Quæſtiones illi 12 ſunt propoſitæ, de quibus ſocii exponant pro ordine 12 menſium. Academia tertia eſt *rerum liturgicarum*, eadem ratione conformata. Academia quarta facit ad *Hiſtoriam* & *ad Antiquitates Romæ*, Polytheiſmo adhuc faventis. Singulis Academiis duodecim ornamento ſunt ſocii, Præſes unus, ac unus, qui ſocietatis eſt a ſecretis. Non recurſant in diſtinctis hiſce ſocietatibus literariis nomina eadem. Diverſorum cœtuum diverſi ſunt ſodales. Singulis ſocietatibus 12 quæſtiones enucleandæ ſunt propoſitæ A. 1740, anno denuo 1742, ac A. 1743, & A. 1744. Veniemus in rem præſentem. In Academia Conciliorum A. 1740 enodandæ fuerunt hæ quæſtiones: 1) *Ad Hiſtoriam; de tempore & cauſa Con-*
Pag. 22. *cilii Hieroſolymitani* Act. XV, *& quibus argumentis uſi ſint hæretici Judaizantes ad ſuadendam obſervantiam circumciſionis aliorumque legalium, & quibus eis confutarit Apoſtolus Paulus; qui modus, & quæ ratio in quæſtione definienda ſervata ſit; an præter Apoſtolos & diſcipulos etiam laici interfuerint, & obtinuerint jus ſuffragii.* 2) *Ad Jus Canonicum; quid vetitum intelligatur verbis illis*: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione; *cur hujusmodi interdictum latum ſit ab Apoſtolis; an quoad omnes ejus partes perpetuum fuerit, vel temporarium; abſtinentia a ſanguine*

*guine & ſuffocato quamdiu in eccleſia duraverit.* 3) *Ad Theologiam; an lex vetus omnino poſt Chriſti mortem abrogata ſit; an ea poſt templi Hieroſolymitani everſionem, vel ante, evaſerit mortifera; quænam fuerit controverſia inter Cephum & Paulum, inter Hieronymum & Auguſtinum; & an Cephas fuerit Petrus.* 4) *Ad Hiſtoriam; cujus juſſu & quæ Concilia adverſus Paulum Samoſatenum congregata fuerint; quid in illis actum ſit; quæ fuerint crimina, de quibus Paulus Samoſatenus accuſatus ſit; & quomodo plura in Epiſtola ſynodica apud Euſebium relata intelligantur.* Pag. 26. 5) *Ad jus Canonicum; an Epiſtola Dionyſii Alexandrini, & altera ſex Epiſcoporum ad Paulum Samoſatenum, cauſam ad Romanum Pontificem retulerint; an Aurelianus Imperator interpellatus fuerit ab Epiſcopis tanquam judex; & quæ ſententia ab eo lata ſit.* 6) *Ad Theologiam; cur Patres Antiocheni nomen* ὁμοούσιον, *hoc eſt, conſubſtantiale, damnarint; an & quo ſenſu Paulus Samoſatenus unam vel duas hypoſtaſes in Chriſto aſſeruerit; an divinitas Chriſti ex traditione eccleſiæ catholicæ & teſtimoniis Patrum, qui fuerunt ante exortam hæreſin Artemonis, a Paulo Samoſateno renovatam, probari poſſit.* 28. 7) *De Concilio Illiberitano ad Hiſtoriam; quo tempore habitum ſit Concilium Illiberitanum; an Epiſcopi, qui in eo convenerunt, fuerint catholici, an hæretici; quæ fuerit urbs Illiberis, & num ea adhuc exſtet; quodnam fuerit Capitolium, ad cujus idolo ſacrificandum adſcendere prohibeantur Chriſtiani* Can. 59. 8) *Ad Jus Canonicum; an primis Eccleſiæ ſeculis matrimonium inter fidelem & infidelem habitum ſit nullum,* Can. 15; *an iisdem temporibus licuerit in matrimonium ducere ſororem propriæ uxoris; & quando id vetitum ſit; an & quo tempore ab Eccleſia ſint conſtituta matrimonii impedimenta.* 30. 9) *Ad Theologiam; an cereos accendere in honorem Sanctorum ſit conſentaneum moribus antiquæ Eccleſiæ,* Can. 34; *an aliquæ Sanctorum animæ maneant adhuc in terris, & ſuperſtitioſo cultu, vel alio modo, inquietari poſſint; an ſpiritus immundi, quibus vexantur energumeni, ſint Dæmones, hoc eſt, Angeli reprobi, vel potius animæ impiorum,* Can. 37. 10) *Ad Hiſtoriam; qui judicati ſint antiquitus poſſe baptizare in caſu neceſſitatis, an etiam laici & feminæ; quid intelligatur nomine* 32. *benedi-*



Digitized by Google

*benedictionis Epiſcopalis, qua perfici debent baptizati a Diaco-*
*no*, Can. 77; *quomodo ſola manuum impoſitione quis fieri*
*potuerit Chriſtianus.* 11) *Ad Canones; quid fuerint literæ pa-*
*cificæ; & quando cœperit earum uſus in Eccleſia catholica; an*
*loco teſſerarum hoſpitalium fuerint introducta; cur fœminis*
*vetitum fuerit ſine maritorum nominibus eas ſcribere, & ab aliis*
*excipere*, Can. 81. 12) *An liceat idola, aliaque ſuperſtitioſi*
Pag. 34. *cultus inſtrumenta, domi retinere, ne quis ſe Chriſtianum mani-*
*feſtet*, Can. 41; *an aliquis occiſus ob fracta idola, vel ob de-*
*leta, aut ſciſſa, perſecutionis edicta, inter Martyres habendus ſit;*
*quid neceſſarium ſit juxta morem eccleſiæ Catholicæ, ut quis in-*
*ter Martyres recenſeri poſſit.* In his quæſtionibus exſolven-
dis Academia Conciliorum A. 1740 & 1741 fuit occupata.
36. Academiam vero Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Pontificiæ exercuerunt
quæſtionum, ex antiquiſſima de Epiſcopis Romanis hiſtoria
deſumtarum, enodationes. Spectant illæ quæſtiones ad præ-
40. ſtantiores Romanorum Pontificum catalogos, quibus vera eo-
rum ſeries & ſucceſſio continetur; ad hiſtoriam Pontificiam
Seculi primi, ad ſucceſſionem quatuor primorum Epiſcoporum,
42. ad librum Pontificalem, vulgo attribui ſolitum *Anaſtaſio* Bi-
bliothecario, ad geſta divini *Petri*, ad cathedram S. *Petri*,
ejusque primatum, in eccleſia Romana fundatum, ad Canonem
48. ſacrarum literarum, & ad Evangelium S. *Marci*, a B. *Petro* ap-
probatum, ad itinera B. *Petri* ultima, ad acta paſſionis S. *Pe-*
*tri*, ejusque ſepulcrum, ad geſta S. *Clementis* & acta paſſio-
52. nis ejus, ad S. *Clementis I* opera genuina & apocrypha, &
ad geſta S. *Anacleti*. Academiam rerum liturgicarum exer-
cent ritus Chriſtianorum. En quæſtiones, primo biennio
Academicis propoſitas: 1) *Quo ritu, quove idiomate, Apoſtoli,*
*& Apoſtolicorum temporum ſacerdotes, euchariſticum ſacrificium*
*celebraverint; an Apoſtoli Liturgiam ullam ſcripto tradide-*
*rint, quæ adhuc exſtet; quænam ex nunc exſtantibus liturgiis*
*antiquiſſima omnium dicenda ſit.* 2) *De vocis Miſſæ tum*
*antiquitate, tum origine, quo tempore iſtiusmodi vox uni divi-*
*no altaris officio cœperit attribui; de aliis Latinis Græcisve*
*nominibus, quibus idem ſervitium uſitatius appellatum eſt.* 3)
54. *De numero, ætate, & auctoritate, Ordinum Romanorum; de an-*
*tiquitate*

Digitized by Google

*tiquitate Ordinis, quo ad Miſſæ celebrationem in præſens utitur Eccleſia Romana; de aliis Latinis Ordinibus, etiamnum ab Romana Eccleſia ultro permiſſis.* Omittimus in præſens reliqua, monentes id unum, quæſtiones examinandas in altera pagina Latino, in adverſa altera Italico, ſeu Etruſco, ſermone ſcriptas exhiberi.

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis IV Pars IV.*

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1746, 8.

Plag. 12.

Sic tandem *Volumen Miſcellaneorum quartum* ad finem ac umbilicum Deo propitio eſt adductum. Habes hic, Lector, præter Indicem geminum, ſex tractationes, quibus tute vel laudandis, vel notandis, poteris vacare. Noſtrum eſt, exponere, quid in hoc faſciculo fuerit præſtitum. Præmiſſa fuit reliquis opuſculis *J. C. Harenbergii Expoſitio Odæ Davidicæ LX, ad Criticam ſacram exacta.* Adornandam eſſe *Pſalmorum* translationem, hiſtoriæ, accentuationi, & vocibus, conformem, Autor monet, cauſatus, quod interpretationibus Pag. 578.
huc uſque tritis nonnihil nævorum adhæſerit. Oſtendit, *Vulgatam* Latinam ab *Hieronymo* haud ſatis fuiſſe emendatam, judice Cardinale *Gottio*, ſed incaute ad modulum Alexandrini Interpretis Græci attemperatam, Interpretis nec voces, nec accentuationem, fontium Ebraicorum ubique ſecuti. Exhibet Autor novam metaphraſin *Odæ LX.* Explicat vocem
עדות per *ἰδȣθὸν*, genus tibiæ, a *Jedithuno*, Propheta & vate, 584.
appellatum. שושן, *Schuſchan*, hoc judice, eſt *Siſinnis*, ſeu *Sicinnis*, ſpecies tripudii, tibiis juncti, modeſtiſſima, omnique animi motu vacans. *Verſiculis 8, 9, 10*, contineri oraculum divinum, exiſtimat. Regionem Aramnaharaim interponit tractui Damaſceno ac Menaſſitidi Transjordanicæ. Regionem Aramææ Zobenſis per tractum Laodiceæ Cabioſæ, ad Anti-

 libanum

Pag. 587. libanum ſitæ, exponit. Definit ſalis vallem ad oram maris mortui. Vocem אלף per *principem* familiæ reddit, ratione adjecta. Oppida Succoth & Mazor enodat. Dogmata & ſententias morales, ex *Oda* colligendas, adjungit. Fert judicium de interpretatione veteri Alexandrina, de veteri La-
608. tina, ac de ea, quam *Sebaſtianus Schmidius* adornavit, æque Latina, de difficultatibus quibusdam, in quibus contradictio ſubeſſe putatur, diſſolutis. Excipit hanc expoſitionem B.
610. *Petri Zornii Diſſ. de Chriſto Servatore, quatenus is apud Muhammedanos verbum Dei & filius Dei appellatur.* Nomen hoc Chriſto in Corano & alibi a Muhammedanis tribuitur, at ſen-
616. ſu minus genuino, minus ſano. Verbum Dei, *Algazelus* putat, eſſe complexum Corani, quippe qui in ipſa Dei eſſentia conſiſtat. Jeſum Muhammedani vocant *filium Dei*, eo quod *ſine patre, modo plane extraordinario & miraculoſo, adflatu angeli Gabrielis*, fuerit progenitus. Eodem ſenſu ipſi eum in amuletis ſuis vocant *Spiritum Dei*. Sunt tamen nobiliores ac ſapientiores multi inter Muhammedanos Sunnitas, qui,
618. Chriſtum, affirmant, eſſe & Deum & mundi redemtorem. Si quis Chriſto maledicat, vel *Mariæ*, ejus matri, is gravem apud Muhammedanos incurrit pœnam. Succedunt huic bellario
620. *Joannis Conradi Schwartzii Correctiones quædam & amplificationes quarundam Grammaticarum Hebraicarum.* Patent hæ correctiones ad integrum Grammaticarum campum, dignæ, quæ ab architectis earum propius inſpiciantur. Diſſeret poſthæc, ſi vivet, Vir laudatiſſimus de *Barbariſmis*, quos
669. impietas hominum confingere auſa eſt, nec non de Chaldaiſmis, & ceteris figuris. Arridebunt Lectori *Jo. Georgii*
670. *Schelhornii Singularia de libris quibusdam.* Expoſuit ipſe in hiſce deliciis de *Daphnæi Arcuarii Apologia pro polygamia*, de *libro quodam aſcetico Hungarico*, de *Stanislai Hoſii judicio & cenſura ſuper judicio & cenſura Heidelbergenſium Tigurinorumque miniſtrorum*, de *libro, hiſtoriam Sfortiarum Principum complexo*, de *Cardin. Pallavicini Hiſtoria Concilii Tridentini*, de *Stephani ex Nottis opere remiſſionis a pœna & culpa*, de *Joſ. Scaligeri carminibus, noctu in lectulo ſine lucerna factis*, de
686. *Julii Cæſaris Scaligeri Exercitationibus in Cardanum de Subtilitate*,

Digitized by Google

*litate*, an quatriduo inter alios labores ſcriptis? de *Annalibus Baronii*, ſomnio natales debentibus, & ob *Tomum XI* fata Pag. 695.
expertis ſiniſtra, quæ *Baronius* epiſtola, hic inſerta, ad *Philippum III*. Hiſpaniæ Regem, ſtuduit amoliri; ac tandem de 704.
*Odorici Raynaldi Tomo Annalium eccleſiaſticorum nono, eoque poſthumo*, qui anno demum 1676 & 1677 Romæ cura alio- 706.
rum typis excuſus fuit, alienas manus paſſus, non uni *Raynaldo*, ſed *Colleredo* etiam ac *Marcheſio*, nec non Anonymo cuidam, adſcribendus. Provocat attentionem Lectoris poſt- 707.
hæc M. *J. F. Friſchii Animadverſio de Uſu participii præteriti Romano altera, ad Voſſii Lib. VII de Arte grammatica Cap. XLI.* Participia enim præterita paſſiva ſæpius activam induunt ſignificationem, & caſum quartum citra ellipſin adſciſcunt. Ita *Tacitus* vocat *Arminium oblitum fa-* 711.
*ciem ſuo cruore*, *Ann. II*, 17, §. 5, ſignificaturus, eum faciem cruore ſuo oblevisſe. Attulit Cl. Autor exempla complura. Ipſe *inſcriptos nomina regum flores* Virgilii exponit de floribus, qui inſcripſerant in foliis ſuis nomina Regum. Claudunt 726.
agmen *Frid. Ottonis Menckenii ad duo loca Ovidii Animadverſiones criticæ.* Leguntur in *Ovidii Triſt. III*, 3, 21, hi verſiculi: *Si jam deficiam, ſuppreſſaque lingua palato, vix inſtillato reſtituenda mero.* Inſolens quiddam ſpirat *ſuppreſſa lingua palato.* Legendum potius: *Si jam deficiat ſuppreſſo lingua palato*, ut *ſuppreſſo palato* ſit dativus caſus. *Deficere* verbum caſui tertio ſæpius junxit *Naſo.* Promuntur luculenta ex eodem exem- 743.
pla. Leguntur in *Metam. III*, 269, hæc *Junonis*: *Semele mater, quod vix mihi contigit uni, de Jove vult fieri.* Reſidet difficultas in voce *uni*; nam plures fœminæ e Jove traduntur peperiſſe prolem. *Unus* pro *unicus*, *unicus* autem pro *excellenti, formoſo*, ſæpe ponitur. Senſus *Ovidii* hic eſt: *Ex Jove concipere optat Semele, quod mihi vix contigit, quæ parem aut forma, aut poteſtate, nullam habeo.* Tantum de *Parte quarta.* Lectorem non poſſumus non, ſi plura ſcire avet, ad tractationes ipſas remittere. Eidem ſalvum ſtat & illibatum in hæc quoque ſpecimina judicium.

*M. CAR. HENR. LANGII, GYMNAS. LUBEC. CONR. Societat. Teuton. Lipſ. & Lat. Jenenſ. Membri honorarii,*

*Inſtitu-*

*Inſtitutiones ſtili Romani, ſecundum diſciplinam veterum præceptis & exemplis adornatæ. Accedunt Indices neceſſarii. Editio auctior & emendatior.*

Lubecæ, ſumtibus Jonæ Schmidii, 1745, 8.

Alph. 1 plag. 15.

Cujus, decennio ante, Inſtitutiones non ſine plauſu exceperat orbis literatus, plæclariſſimi *Langii* nunc novo beneficio devincitur ſtudioſa juventus. Non modo repetitur editio, ſed emendatur etiam atque augetur. Hoc nimirum intra ſpatium, quæ ad cultiores literas pertinent, lætiorem multa faciem induerunt, multa e tenebris in lucem revocata ſunt, multa dies ipſe atque uſus edocuit, nonnulla denique amicorum monita ſuggeſſerunt; quibus omnibus ſapienter Noſter cumque judicio uſus, non potuit non, quod dies diem doceat, ſignificare. Itaque primum, ſi quæ novæ librorum commendatorum editiones prodierunt, indicatæ ſunt omnes, novæque præterea tum vel nondum editorum, vel Autori non viſorum, librorum percenſiones adjecta, ut & hac ex parte, quantum in ipſo eſſet, perfectior labor evaderet. Deinde, quæ loca ex *Ariſtotele*, *Demetrio*, *Theone*, *Longino*, *Luciano*, *Aphthonio*, Græce tantum, in prima libri editione producta erant, de conſilio amicorum, Latine verſa ſubjecit, ut & illi juvenes, qui ſine præceptoris auxilio proficere coguntur, nihil admodum, in quo poſſent offendere, reperirent. Tum, ex quorundam eruditorum literis, id ſibi datum credidit, ut, præmiſſo ſingulis Capitibus conſpectu, quæ ſint prima dicendorum initia, quove ſe ordine ſingula excipiant, uno velut obtutu perſpiciant lectores. Porro, quod *Erneſtiana Ciceronis* editio maxime juventuti accommodata eſt, *Tulliana* loca illius ad paginas revocavit. Denique Indicis etiam hanc rationem habuit, ut & auctior multo & accuratior jam appareret, neque tamen in ordine quidquam novaretur. Ad extremum, cum juventutis ante omnia ſaluti conſulere vellet, in quibusdam capitibus diſtinctius quædam tractavit ac diſtributius, vel in particulas diviſit minores; quod, uti in aliis, ita nominatim in capitibus de ſtilo ſublimi, philoſophico, itemque hiſtorico, factum eſſe videmus. Tam ſane manet intricata, totque antiquorum ac recentiorum Rhetorum definitionibus ac diſtinctiunculis confuſa, de ſtilo doctrina, ut, ubi pedem figere poſſimus, ſubinde neſciamus. Dux igitur & autor hic vel inprimis opus eſt, qui oculo ſingula philoſophico luſtret, & a ſupervacuis utilia, aque nugis neceſſaria, ſejungat. Tractata jam ſunt peculiaribus commentationibus, diſtincte ſatis ac fuſe, illius genera quædam; merentur autem & cetera hujusmodi limam. Neque hoc ſatis; omnium quoque inter ſeſe diſtinctiones, definitiones, regulæ, cautiones, junctim & uni velut adſpectui ſunt ſiſtendæ. Atque hac in parte, quamvis nondum expediverit omnia, pro ſpatii tamen ratione non exiguam laudem reportat nobiliſſimus Autor, quæ quidem ut & in poſterum calcar habeat gloria, vovemus.

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXLVII.
Pars I.


## C. PLINII CÆCILII SECUNDI PANEGYRICUS, Cæſ. Imp. Nervæ Trajano Aug. dictus; quem ex XII Cod. MSt. librisque collatis recenſuit, ac notis, obſervationibusque, item & numis, ære exſcriptis, illuſtravit, ſimulque adjectis integris pariter atque excerptis Virorum eruditorum commentariis inſtruxit, CHRISTIANUS GOTTLIB SCHWARZIUS, Com. Pal. Cæſ. Acad. Altorf. Prof. P. & Senior.

Norimbergæ, apud Jo. Georg. Lochnerum, 1746, 4 maj. Alph. 5 plag. 5.

Ergo tandem licet reſtinguere ſitim, quam eruditis hominibus, ſpe *Pliniani* Panegyrici emendandi illuſtrandique facta, commoverat *C. G. Schwarzius*, Vir Celeberrimus. Ita enim cognita erat & ſpectata Viri in hoc genere literarum doctrina, ea deinde κρίσεως in *Plinio* exercendæ ſpecimina, obſervationibus ſelectis editis, dederat, iis denique præſidiis librorum inſtructum conſtabat, ut facile intelligeretur, eum ſuperiores editores, atque illum ipſum *Plinii*, ut vocat Vir Clariſſimus, ſoſpitatorem, *Lipſium*, longe ſuperaturum eſſe. Nam, qui nuper *Panegyrico Pliniano* emendando admoverunt ingenia, *Geſnerus* & *Arnzenius*, Viri doctiſſimi, e *Schwarzianis* maxime fontibus hortulos ſuos irrigarunt, ejusque emendationes partim in contextum receperunt, partim vehementer laudarunt. Qua re luculentam ſane publici de hac *Schwarziana* editione

judicii prærogativam dedere. Eam autem minime vanam fuiſſe, eventus probat.

Quadraginta prope anni ſunt, cum in Academiam Altorfinam vocatus Lipſia V. C. initia Profeſſorii muneris commendare enarrando *Plinii* Panegyrico inſtitueret. Ibi cum paulo curioſius in excutiendo contextu verſatur, animadvertit, eum plurimis in locis medicina egere, ejusque faciendæ facultas ut ſibi, oblatis antiquis libris, detur, optat. Forte fortuna in manus ejus venit egregius Panegyricorum veterum Codex membranaceus. Is primus & ſpem rei perficiendæ movet, & animum plura ſubſidia conquirendi affert. Mox illius Codicis adjumento edit *Obſervationum Plinianarum* quinque libellos, more Academico diſceptandos. Interea undique Codices alios MStos, editiones ſuperiores, variasque Codicum lectiones, conquirit. In quo haud parum eum fortuna adjuvat. Nam primo e Vaticana per *Paſſioneum*, Cardinalem, accipit exemplar Panegyrici, ex optimis membranis ad verbum deſcriptum, cum trium aliorum Codicum variis lectionibus, in margine notatis. Mox e Bibliotheca D. *Marci* Veneta, itemque ex alia, mittuntur, per *Marc. Ant. Maderum*, amicosque, duorum Codicum lectiones. Patavini porro Codicis varietatem obtinet a *Facciolato*, V. C. Acceſſere Variæ Lectiones e Codice *Thuaneo*, a *Scheidio*, Profeſſore nunc Hafnienſi, excerptæ. E Bibliotheca Epiſcopali Salisburgenſi mittitur Codex membranaceus ad menſium aliquot uſum; in cujus margine etiam variæ lectiones deſcriptæ. Is Codex in plerisque convenit cum eo, quem ipſe poſſidet. Guelpherbytani etiam Codicis varietatem accipit a *Burcardo*, V. C. quem vidit in plurimis cum uno e Vaticanis conſentire. A *J. A. Fabricio*, τῷ μακαρίτῃ, porro duo exempla Panegyrici, quæ quondam *Gudii* fuerunt; quorum margines Varias Lectiones habebant, partim e *Cuſpiniana* editione, partim e Guelpherbytano Codice, qui ipſe quondam *Gudii* fuit, aut ſimillimo, deſcriptas. Denique Excerpta *Voſſiana* e Lugdunenſi Bibliotheca accipit, e pluribus Codicibus petita; in quibus etiam Patavinus ille fuiſſe videtur. His Codicibus edi-

tiones

Digitized by Google

tiones ultra quinquaginta acceſſere. Ex quo facile intelligitur, quam bene inſtructus ab hac parte, ad hoc opus *Plinianum* expoliendum acceſſerit. Iis autem omnibus copiis ita dextre uſus eſt, ut appareat, eas in meliores manus venire vix potuiſſe. Vel Obſervationes illæ, quas, per partes, ante diximus, prodiiſſe, nunc autem iterum recenſitæ, auctæ, magisque expolitæ, ad calcem Panegyrici reperiuntur, inſigni documento eſſe poſſunt, quanto cum ingenio, doctrina, diligentiaque, V. C. ſit in iis copiis utendis verſatus; quod etiam e ceteris brevioribus, ſub ipſo contextu poſitis, animadverſionibus apparet. Omnia propemodum Viro Cel. venere in mentem, quæcunque vel ingenium ad inveniendam veram lectionem, vel doctrina, partim ad conjecturas inanes vitioſasque lectiones refellendas, partim ad veras ſtabiliendas, ſubjicere poteſt. Tum in recipiendis novis lectionibus tanta circumſpectione, tantaque modeſtia, utitur, ut, quod dicit ſe in animo habuiſſe, ut juventuti ſpecimen juſtæ & modeſtæ κρίσεως daret, id eum planiſſime adeptum eſſe, vere poſſimus dicere. Nam fere ita in ea re verſatur, ut primo, vulgatam lectionem per contextum ſenſusve manifeſtam abſurditatem ſtare non poſſe, oſtendat, tum e Codicibus, vitioſarumque lectionum in iis, antiquisque editionibus, veſtigiis, eruat veram lectionem. Eam textui aptam & conſentaneam, interdum etiam a latinitate non abhorrentem, oſtendit; denique, voces illas, quas de contextu tollit, & in contextum reſtituit, a librariis permutari ſolitas fuiſſe, exemplis docet. Quæ autem emendationes ſola conjectura nituntur, non & Codicum autoritate adjuvantur, eas perraro, & non niſi in ſumma evidentia, in contextum recipit.

Sed cura Viri Cel. non modo lectionem textus *Pliniani* complexa eſt: quanquam hoc maxime egit: eſt enim in hac parte caput & ſumma rei: verum etiam res formasque loquendi attigit. In quo, fatetur, ſe non ſolum doctiſſimis ſcripſiſſe, ſed etiam juventuti & mediocriter doctis conſulere voluiſſe. Itaque paſſim v. c. antiquitatis capita illuſtrantur quædam, de quibus valde in his rebus verſatus lector nihil requirat, ut de congiariis, baſilicis, aliisque talibus rebus. Sed



Digitized by Google

in ea re tamen moderatione juſta utitur, ut qui neceſſitati juvenum conſulere, non jactantiæ & vanitati obſequi, voluit. Itaque etiam tirones, & mediocriter docti, notis *Schwarzianis* adjuti, poterunt Panegyricum hunc, ſine offenſione, legere, atque e notis de magna interioris latinitatis parte, de multis antiquitatis capitibus, accurate cognoſcere. Neque enim e Lexicis & Compendiis ea congeſta, ſed e fontibus hauſta, ſunt.

Præter ſuas autem notas, etiam adjunxit alias doctorum Virorum obſervationes. Et ſub ipſo quidem contextu repeniuntur notæ *Pataroli*, Veneti; ad calcem autem Operis reliquorum diſpoſitæ leguntur, *Lipſii*, *Gruteri*, *Livineji*, &c. integræ; niſi quod *Baudii* & *Catanæi* notas, quia nimis prolixæ ſunt, prætermiſit; quanquam & ex his excerptas quasdam ſuis notis inſeruit. Omiſit etiam *Geſnerianas* posteriores, (nam prioris editionis, quæ mere criticæ ſunt, acceſſere,) & *Arnzenianas*, ad verbum addere. Eorum tamen ſententias, vel abhorrentes a ſua, vel conſentaneas, cum ſuis momentis, narravit. Acceſſere dein pauculæ conjecturæ, quas exemplo Panegyrici adſcripſerat *J. F. Gronovius*; item *Heumanni*, V. C. ad *Schwarzium* Epiſtola, ſuper locis quibusdam *Plinianis*, e *Pœciles Tom. III Lib. IV*. Lucem porro *Plinio* affundere tentavit, adjectis *LXI nummis*, ad res *Trajani* pertinentibus, cum luculentis explicationibus; quibus etiam ſubjectus eſt index locorum, quibus illuſtrandis numi propoſiti ſerviant. Denique *Tabula Chronologica* Conſulatuum & numerorum tribunitiæ poteſtatis *Trajani*, cum *Vita Trajani* & *Plinii*, a *Jac. de la Baune* deſcripta. Claudunt Opus IV Indices: primus MStorum Codicum, quibus uſus eſt, alter editionum Panegyrici *Pliniani* omnium, tertius rerum & verborum, in notis illuſtratorum, quartus denique latinitatis *Plinianæ*. Nunc, quoniam *ἰδέαν* quandam hujus editionis exhibuimus, exemplis quibusdam proferendis, fidem dictis, de notarum & obſervationum *Schwarzianarum* ratione, faciemus. In quo poterimus eſſe breviores, quod pleræque emendationes Viri Clariſſ. in Obſervationibus propoſitæ, jam vel ex editis antea Obſer-

Digitized by Google

Obſervationum libellis, vel e *Geſneriana* & *Arnzeniana* editione, notæ ſunt.

*Cap. V* vulgo ſic legitur: *Quorum quidem* (Deorum) *in te, Caſar Auguſte, judicium & favor, tunc ſtatim, cum ad exercitum proficiſcereris, & quidem inuſitato, enituit.* Hic primo *Plinio* reſtituitur *Auguſti* nomen e Cod. & Ed. variis: unde concidit *Pagii* obſervatio, *Trajanum* in hoc Panegyrico nuſpiam *Auguſtum* dici; deinde ex editionibus nonnullis *inuſitato indicio*, quod etiam *Geſnerus* & *Arnzenius* recepere. Porro pro *enituit* quinque Codices, *Vatic. Pariſ. Venet. Saliſb.* & *Schwarz.* & editio *Sicbardi*, habent *enotuit*, idque *Arnzenium* conſtat recepiſſe. Vir Cl. quid faceret, ambiguus hæſit. Nam & *enotuit* & *enituit* commode explicari, & aptum eſſe huic loco, videtur; quod etiam *eniteſcere* pro *innoteſcere* poni poſſe putat. Loca quidem, quibus utitur ad hanc notionem illuſtrandam, inclareſcendi & exſplendeſcendi vim habent, ut apud *Ciceronem*, etiam *enituiſſe ſtudia*, id eſt, ſplendorem ac nitorem accepiſſe, dicuntur. Sed aptior fuiſſet locus *Ciceronis Tuſc. II, 4*, ubi, fruges in ſegetem datæ, ipſæ ſua natura *enitere* dicuntur, id eſt, ſurgere e terra, in conſpectumque venire, quanquam tamen non ſatis convenit. Nam ſegetibus *nitor* tribuitur, eæque *nitere* etiam dicuntur Latinis; quod aliter eſt de judicio & favore, quibus *nitor* non convenit. Itaque melior ſane eſt lectio *enotuit*, quam lectionem mallet V. C. a ſe receptam eſſe. Eſt tamen fortaſſe, & contra hoc verbum quod objici poſſit. Nam *favor* non ſatis apte videtur dici *enoteſcere*; neque nunc nos pœnitet conjecturæ, quæ nobis dudum in mentem venit, ut legendum putaremus *eminuit*; quod verbum proprium eſt *favori*, cum ille in hominibus, certis quibusdam ſignis, e vultu geſtuve, intelligitur; diciturque etiam de aliis rebus, quæ hoc modo agnoſcuntur. Ut poſterioris generis exempla mittamus, quorum nonnulla reperias e *Cicerone* notata in *Clave Ciceroniana*; *Livius* ſæpe in comitiis magiſtratuum favorem & ſtudia populi dicit *eminuiſſe*. Confirmandæ conjecturæ noſtræ etiam prodeſt locus *Ovid. Heroid. XII, 37*: *Quis enim bene*

*celat amorem? Eminet indicio prodita flamma ſuo*, ubi quædam Edd. male, *enitet*; etſi magis poeticum putat *Heinſius*, cum ne quidem aptum ſit illo in loco. Pariter *emineret* & *eniteret* permiſcentur a librariis apud *Suetonium* in *Calig. Cap.* 15. *Cap. VIII Trajanus* dicitur, *ſimul filius, ſimul Cæſar, mox Imperator & conſors trib. pot. & omnia pariter & ſtatim factus eſſe*; quæ verba V. C. & in notis & in explicatione nummorum *pag.* 7 illuſtrat. Poſteriori illo tamen loco miratur, quare in numo prolato, & ad h. l. pertinente, non commemoretur nomen *Imperatoris*. Sed hic ſe ſic expedit, ut dicat, aut ſpatium non cepiſſe hoc verbum, aut id nomine *Cæſaris* & tribunitiæ poteſtatis contineri. Verum eſt fortaſſe, quod contra dici poſſit. Nam, quod de ſpatio dicitur, id nihili eſt. Adjicitur enim in aliis numis. Et, ſi adjiceretur in fine, tamen non talem Imperatorem indicaret, qualis hic dicitur, ſed nomen victoris eſſet, ut ipſe vidit in notis. Si autem *Imperatoris* nomine intelligitur Proconſularis poteſtas, quæ ad provinciarum & militiæ jus pertinet, ut *Pagio* placet *Crit. Baron. Tom. I pag.* 90 *b*, 93 *a*, 118, 119, neque facile negari poteſt; non poteſt trib. pot. nomine contineri. Verum, iſta omnia ſimul data *Trajano*, non ſatis certum videtur. *Tillemontius* quidem *Hiſt. des Emp.* in *Vita Nervæ pag.* 147, 148, oſtendit, *Nervam* non ſtatim omnia & ſimul adoptato *Trajano* tribuiſſe; unde colligas, hæc a *Plinio* oratorie dicta eſſe.

*Cap. XI* poſt verba: *Qui hoc ipſum imperium pepererè, quod modo hoſtes invaſerant, contemſerantque*, e veſtigiis Codicis Saliſb. recte recepit verba: *quoniam Imperator is*; ut nos quoque jam legendum eſſe cenſuimus, cum de *Arnzeniana* editione diceremus *A.* 1740 *Menſ. Febr. pag.* 55. Sed tamen V. C. eam emendationem non debet nobis; quippe, illam plagulam, in qua hic locus occurrit, tum jam exſcriptam typis fuiſſe, ſcimus, cum *Arnzenianus Plinius* prodiret. In eodem *Capite* in verbis: *ſed ut majeſtatis crimen induceret*, variant Codd. & Edd. aliis *numen*, aliis *nomen*, aliis, iisque plurimis, *crimen*, habentibus, quod poſtremum probat & recipit *Schwarzius*. *Numen* quidem ex *nomine* factum eſſe videtur.

Digitized by Google

detur. Utrum autem *crimen*, an *nomen*, præferendum ſit, fatemur, nos ambigere. *Nomen* quidem nobis exquiſitius videtur, modo recte intelligatur. Nempe *majeſtas* eſt ipſum crimen majeſtatis læſæ. Sic eſt non ſemel apud *Ciceronem*. *Judicium majeſtatis Verr. I, 5*; quid eſt, niſi judicium de crimine læſæ majeſtatis? Ergo *nomen majeſtatis inducere* eſt, novi criminis de majeſtate genus ac nomen inducere, ut per id nocere poſſis. In quo *Plinius* videtur imitari voluiſſe *Ciceronis* ſui verba, *Epiſt. ad Fam. I, 4: nomen fictæ religionis inductum eſſe* ab obtrectatoribus Lentuli.

*Cap. XIV* capitalis primo emendatio proponitur, pro *Parthorum* reponendo *barbarorum*; quæ, etſi nullius libri, vel ſcripti, vel editi, autoritate nititur, tamen ita evidens, ita elegans, ac neceſſaria, eſt, ut & *Geſnerus* & *Arnzenius* receperint in contextum: quod Noſter quoque fecit: deinde recte, poſt *Imperator eras*, maximam interpunctionem adhibet. Poſt, e veſtigiis Cod. Saliſb. in quo ſcriptum eſt: *Germaniam*, legendum cenſet: *Germaniam quidem*; quod etiam, poſt *Geſnerum*, qui tamen *Schwarzio* debet, in contextum recepit: quod nollemus factum: non, quo *Arnzeniana* ratio nobis probetur, quam V. C. recte repudiat, aut non illud *quidem* ſic dicatur, ut aptum ſit huic loco; ſed quod obſervavimus, illud *que* a ſcriptoribus argenteæ ætatis, atque adeo aureæ, in rebus narrandis, tranſitionibus inſervire, & ab initio ſectionis poni, hac vi, ut ſit *porro, præterea.* E *Suetonio* jam exemplum ſuccurrit, quod loco noſtro eſt ſimillimum. In *Neron. Cap. 38*, cum clades narraſſet *Suetonius*, quibus omnes reipublicæ partes *Nero* afflixit, inprimisque incendium urbis, ſic finit: *Atque, ne non hinc quoque, quantum poſſet prædæ & manubiarum, invaderet, pollicitus cadaverum & ruderum gratuitam egeſtionem, nemini ad reliquias rerum ſuarum adire permiſit: collationibusque non receptis modo, verum & efflagitatis, provincias privatorumque cenſus prope exhauſit.* Hic, opinamur, item apparet, *punctum* poſt *permiſit* requiri, cum in omnibus vulgatis ſit colon. Nam, in hac interpunctione, collationes eſſent intelligendæ ad inſtaurandam urbem, quod

non

non poteſt probari; ſibi enim petebat collationes, ut intelligere videmus etiam *Schwarzium* ad *Cap. 41 init.* Manifeſte novum genus cladis commemorat. Itaque punctum poni debebat. Sed particula *que* non intellecta fecit, ut in loco *Plinii*, ut ea verba cum antecedentibus cohærere viderentur. Illud autem *que* nil aliud ibi ſignificat, niſi *porro*, *præterea*, ſervitque tranſitioni ad aliud genus cladis. Si quis ibi vellet rationibus *Schwarzianis* uti, poſſet ſimiliter *quidem* legere, quod non eſt neceſſe. Nam ſic eſt & alibi, & quidem in eodem *Nerone Cap. 44: Partem* etiam *cenſus omnes ordines conferre juſſit*; & inſuper *inquilinos privatarum ædium atque inſularum penſionem annuam repræſentare fiſco. Exegitque ingenti faſtidio & acerbitate nummum aſperum, argentum puſtulatum*, &c. Etiam *Cicero* ſic habet ad *Fam. IV, 1: Trebatioque mandavi.* Arbitramur igitur, etiam in loco *Pliniano que* ſic poni, ut in his locis, neque emendatione locum, hac quidem in parte, indigere. Sed eſt alia difficultas ex ipſa re. Nam *Pyrenæus* dicitur, inter alios montes, *Germaniam munire ac dirimere.* In qua difficultate multorum ingenium fruſtra laboravit. Planiſſimum & facillimum eſt, quod Cel. *Schwarzius* affert. Nempe hoc recte dici potuiſſe propterea, quod nullæ legiones ex Hiſpania in Germaniam, & viciſſim hinc illuc, venire terreſtri itinere poſſunt, niſi Pyrenæum tranſierint. Denique, etſi in contextu reliquit V. C. *immenſique alii montes, niſi his compararentur, muniunt dirimuntque*, cum in uno tantum Codice *Gudii*, tum, cum illud caput exſcriberetur, *comparentur*, inveniſſet, tamen, cum obſervationes expoliret, malebat, receptum eſſe *comparentur*; quod etiam poſtea in Codd. Vaticanis & Saliſb. invenit. Recte. Nam etiam conſecutio temporum *compararentur* repudiat; quod vidit Cel. *Geſnerus*, qui *comparentur* recepit.

*Cap. XX: Quam diſſimilis nuper alterius Principis tranſitus? ſi tamen ille non populatio fuit; cum abactus hoſpitum exerceret, omniaque dextra lævaque perufta & attrita, ut ſi vis aliqua, vel illi ipſi barbari, quos fugiebat, incidèrent.* Primus nodus eſt in pronomine, *ille*, quod quidem referri poteſt

ad

*ad tranſitus*, ſed non ſatis e ratione Latina, quæ requirit: *ſi tamen illa non populatio fuit;* atque ita legendum nos aliquando putabamus, aut *adventus*, *tranſitus*ve, verbum repetendum. Itaque bene fecit Noſter, quod repoſuit e Codd. & Edd. antiquis *tranſitus ille;* quod etiam correctionis ratio requirit. Deinde poſt *exerceret*, exſpectet aliquis, ut recte *Schwarzius* monet, *perureret attereretque*. Sed nil, neque in ſcriptis, neque in editis, reperitur, quod ad hanc lectionem ducat. Fuiſſe autem, dicit, qui legendum putaret *exercitus;* eamque conjecturam primo in Obſervationibus non indignam eſſe dicit, quæ memoretur, deinde in Supplementis notarum & Var. Lect. certiſſimam judicat; verum ita, ut *exercitus* ſubſtantive accipiatur pro turba magna; qua ratione etiam *abactus* ſit participium, cum ſubſtantive ſumtum inſolens ſit. Fatemur, elegantem conjecturam eſſe; ſed lenius tamen videtur, legere *exercerentur*, vel *exerceretur*, quod, diu eſt, cum in mentem nobis venit. Paſſiva forma neceſſaria eſt; non tempus perfectum. Ingrata fuiſſent ὁμοιοτέλευτα, *exercerentur*, *perurerentur*, & *attererentur*, uno verſiculo; itaque participia poſuit. Quod denique *Cortii* ſententiam repudiat, qui ad *Epiſt. VIII, 24*, e Cod. Guelpherb. legi volebat *hoſpitium;* recte eleganterque facit. Poſſit etiam aliquis hærere in verbo *inciderent;* quod eſſe debebat *incidiſſent*. Sed Scriptores *Plinianæ* ætatis non ſunt in hoc genere accuratiſſimi; nilque Codices variant. Ceterum in eodem *Capite* extremo, *tanti tuum conſtat*, etſi multis Codicum & Editionum autoritatibus nitatur, tamen vix convenire putat *Plinii* ſententiæ. Non enim apparet, cur ſolius *Trajani iter* dicatur *tanti conſtare*. Nec intelligitur, quare illud *tuum* tam ſimpliciter ſit poſitum, cum vox *iter* nimis longe antecellerit. Si paulo majori audacia uti liceret in conjiciendo, ſe non alienum eſſe ab ea ſententia, ut legeretur: *Principes*, *velint*, *nolint*, *ſciant tamen; propoſitisque duobus exemplis* &c. Nam, & duplicem uno verſiculo παρένθεσιν duram eſſe, & compendium ſcripturæ *ſciant tamen* potuiſſe parere *tantum* & *tuum*, inde paulatim, adjecto de gloſſa verbo *conſtat*, vulgatum effici. Sed,

 quoniam

quoniam non vult audacior eſſe, legit *tanti conſtat ἐν πὰ- ρενθέσει*; & quidem eo ſenſu, quo ſæpe, apud *Ciceronem* aliosque, vel ipſa, vel ſimiles formulæ occurrunt, etiam apud *Plinium Epiſt. II, 14.* Atque hanc conjecturam in contextum recepit. Locus eſt ejusmodi, ut, quicquid conjicias, vix ſatisfacere vel tibi, vel aliis, poſſis. Parem moderationem adhibuit *Cap. 23*, ubi valde inclinabat in verbis: *Gratum, quod occurſantium populus te quoque, te immo maxime, adſtaret*, legere, *arctaret*, ſive *artaret*, quod in margine editionis Gedanenſis, incertum, unde ſumtum, pro varia lectione, reperitur. Nam nec accuſativus verbo *adſtandi* jungi ſolet; nec intelligi poteſt, quare populus dicatur prope *Trajanum* quoque, immo maxime prope eum, ſtetiſſe; quæ dubitationes tolluntur, ſi reponas *artaret*. Nam mira facilitas eſt in Principe, ſi patiatur, ſe quoque, immo inprimis, a confluente populo premi & urgeri. In eodem *Capite* verba hæc vulgo ſunt: *Quam ſimilis illi dies, qui hunc genuit diem! ut plena altaribus! auguſta victimis cuncta!* In his verbis offendit nos vox *diem*. Scimus, interdum verba ita ab optimis ſcriptoribus repeti; ſed hic valde ſemper inclinavit animus, ut eam delendam putaremus. Sed nihil adjuvant Codices & editiones. Neque *Geſnerus*, aut *Arnzenius*, aut *Schwarzius*, ea repetitione offenſi ſunt. Faſtidium ergo ſtomachi noſtri accuſemus potius, quam lectionem vulgatam. In eo autem eleganter fecit Noſter, quod pro *auguſta* reſcripſit *anguſta*, e Codicibus *Saliſb. Vatic. Pariſ. Guelpherb. Schwarz.* & editionibus *Gruteri* & *Livineji*; ut ante jam fecit *Arnzenius* e *Guelpherb.* ne *Geſnero* quidem improbante, contextu autem magnopere ſuadente. Mox etiam cum *Arnzenio* habet: *ut in unius* ſalute *collata omnium vota.*

*Cap. XXIV* ſuperiores editiones fere omnes habent: *nihil in ipſo te fortuna mutavit*; omnes Codices MSti habent, *nihil ipſo te.* Id ſervarunt Editores, uſque ad *Boxbornium*, qui de conjectura repoſuit, *in ipſo te. Arnzenius* hanc lectionem dicit Codicibus confirmari. Sed ipſe uſus tantum eſt *Exc. Voſſ.* & *Cod. Guelpherb.* Atqui in hoc eſt *nil ipſo te.*

Illa

Digitized by Google

ſta autem excerpta neque ſemper Codicibus, neque certis, nituntur. Itaque non magnum momentum faciunt. Noſtro in mentem venit, legere, *nil ipſa te fortuna mutavit*, unius literæ mutatione; eleganter ſane; idque in textum recepit, recte, majorique jure, quam ſuperiores conjecturam, *in ipſo*, receperant.

Illa vero eximia emendatio eſt, qua V. C. *Cap. XXX* expellit abſurdam, & in omnia Lexica ex h. l. receptam, vocem, *expanditor;* in qua corrigenda ſuperiorum ingenia fruſtra laborarunt. Nempe ille e Codd. *qui expandebatur*, *expandatur*, *cum expandatur*, etiam totidem verbis, *cum expanditur*, ut Vatic. & Guelpherb. ſic reſcribit: *neque enim vagus ille, cum expanditur, amnis* &c. Itaque non mirum, eam cupide a *Geſnero* & *Arnzenio* receptam eſſe. Unde, cum jam nota ſit, non attinet, plura de ea dicere; quæ res facit, ut plures alias ſimiles vel ſilentio prætermittamus, vel tantum attingamus, qualis eſt v. c. *Cap. 35*, cum pro vulgato: *mille pœnarum indagine incluſos*, e Codicibus profert, *in illa pœnarum i. i.*

Inprimis difficilis eſt ad intelligendum locus *Cap. XXXVI, 1*, de ærario: *Nunc templum illud, nunc vere Deus; non ſpoliarium civium, cruentarumque prædarum ſævum receptaculum, ac toto in terrarum orbe locus unus, in quo, optimo Principe, boni malis impares eſſent.* Difficultas eſt in ultima hujus ῥήσεως parte, in qua explicanda mire ſe torſerunt interpretum ingenia. Vel *Arnzenii* & *Geſneri* interpretationes, judice *Schwarzio*, contortæ ſunt, neque nobis probantur. Noſter ſic explicandum cenſet, ut in *ac* repetatur negatio *non* e præcedentibus membris, quem uſum copulæ pluribus exemplis illuſtrat. Ex quo fit, ut hæc verba non ad *Trajanum* pertineant, ut ceteris viſum eſt, niſi quatenus aliquid ab ejus conſuetudine & inſtitutis removent. Id quod etiam, ut recte monet *Schwarzius*, e verbo ſubſtantivo *eſſent* intelligitur. Nam, ſi de *Trajano* diceretur, ſub eo bonos malis impares eſſe, dicendum fuiſſet, *ſunt*, non *eſſent*. Nempe, ut nos quoque aliquid lucis, ſi poſſimus, addamus,



Digitized by Google

*Plinius Trajani* inſtituta de ærario opponit inſtitutis ſuperiorum Principum & malorum & optimorum, quos ſuperiori *Capite* laudavit, *Titi* & *Nervæ*. Dicit ergo, ærarium ſub *Trajano* non eſſe, quod ſub ſuperioribus fuerit, neque ſpoliarium civium & prædarum cr. 5 receptaculum, ut ſub *Nerone, Domitiano,* &c. neque tale, quale etiam ſub optimis Principibus ſuperioribus, *Tito* & *Nerva,* fuerit; qui, cum quædam ſalutariter de ærarii cauſis ſanxiſſent, tamen nondum effeciſſent, ut ſemper boni malis ſuperiores eſſent; ſed, cum omnibus aliis locis ac judiciis boni malis ſuperiores fuiſſent, in ſolis ærarii cauſis impares fuiſſe, quod ſpecies ac nomen utilitatis publicæ, bonæ ac juſtæ privatorum cauſæ interdum obeſſet. Hoc autem tandem effeciſſe *Trajanum*, adſtruendo quædam illorum decretis ac legibus (vid. *Cap. 35 extr.*) quibus boni in talibus cauſis invicti præſtarentur, neque tamen utilitas publica, aut legum autoritas, convelleretur, ut paulo poſt dicit. Maneamus ergo in *Schwarziana* interpretatione, & verbis & rebus aptiſſima.

Sed in eodem *Capite* perobſcurus eſt locus de fiſco: *Liberum eſt autem, diſceptanti dicere: nolo eum eligere.* Obſcuritatem affert ambiguitas *diſceptantis*, & verbum *eligendi*, quæ haud facile inter ſe componuntur. Nam, ſi *diſceptans* eſt litigator, abhorrere videtur verbum *eligendi*, quod ſic non dicitur. Nam, quæ exempla *Geſnerus* attulit, ea *Schwarzius* de arbitro accipit; qui & ipſe judex interdum vocatur, recteque *eligi* & *ſumi* dicitur. Tum, etiam ſi recte de judice diceretur, tamen non arbitraremur hanc ſententiam commodam eſſe, quam *Geſnerus* vult: *Poteſtatem habet litigator dicendi, nolo procuratorem Cæſaris* (de hoc enim ſermo eſt) *eligere judicem cauſæ meæ.* Quid enim? Procurator eſt judex ordinarius cauſarum fiſcalium? An hic a litigatore eligitur? Non profecto. Rejici poteſt, non eligi. Eſt enim delectus a Cæſare ad illas cauſas diſceptandas. Quid ergo *Schwarzius* noſter? *Diſceptantem* intelligit Prætorem fiſci; quem putat inſtitutum a *Trajano*, ac proinde apud *Pompon. O. J.* §. 32 legendum, *Nerva Traj.* Liberum eſſe litigatori, ut poſſit

huic

Digitized by Google

huic Prætori dicere: *nolo*, vel *volo*, *eum* (hunc, vel illum, cauſæ judicem) *eligere*. Nam etiam *volo*, quod multi Codices habent, præfert. Sic nullam eſſe ταυτολογίαν, ſic ſequentia planius cohærere, ubi *Trajanus* dicatur, nullam neceſſitatem ſuis beneficiis addere, cum etiam Prætore fiſci uti non liceat. Sed facile exiſtimamus apparere, difficultatem in verbo *eligendi* ſic manere, quæ *Geſnerianam* interpretationem premebat; quod nempe Procurator eſt judex ordinarius, a Cæſare delectus, quem litigator rejicere poteſt, non eligere; quod ſi de aliis judicibus ordinariis cauſarum fiſcalium capias, ut indicare videtur nota *i pag. 144*, oritur altera difficultas. Nam non apta eſſet oratio antecedentibus & conſequentibus, ubi de Procuratoribus eſt ſermo. Tum, plane non eſſe ſermonem de Prætore fiſci, putamus, cujus nulla mentio, ſed de ſolis Procuratoribus. Senſus loci manifeſte hic eſt: Procuratores *Trajani*, cum in urbe, tum in provinciis, ſunt æqui, juſti, mites, &c. ut iis judicibus quisque libenter & ſine periculo uti poſſit, idque ſic proviſum a *Trajano*, ut nulla querimoniæ cauſa ſuperſit. Sed, etiamſi jam impudens videri poſſit, tales Procuratores non habere judices velle, licet omnibus litigatoribus, eos rejicere, atque adeo Cæſaris illo beneficio non uti; in eoque magna beneficii commendatio ineſt. Sed huic ſententiæ tam perſpicuæ & certæ repugnat verbum *eligere*. Requiritur: *nolo eo uti*, vel *nolo eum habere judicem*. Itaque dudum eſt, cum nobis verbum *eligere* gloſſæ nomine ſuſpectum viſum eſt. Nam non moris eſt, in his formulis verbum tale, etiamſi rectum ſit, addere, præſertim in breviloquentia, qua *Plinius* utitur. *Plinius* ſcripſit: Licet autem diſcept. dic. *nolo eum* ſcil. Procuratorem, qui judex mihi datus eſt a *Cæſare*. Hac forma ante uſus erat, hac *Cicero* utitur, & alii. Aliquis parum intelligens adſcripſit gloſſam ineptam: *eligere*; ea in textum irrepſit. Talibus gloſſis inprimis fœdati ſunt a librariis imperitis ſcriptores brevitatis acutæ ſtudioſi, e quo genere eſt *Plinius*. Atque hoc modo in contextum veniſſe videtur etiam illud *ſcienter Cap. LXIV: ſcienter fefelliſſet*, pro quo multi *ſciens*



Digitized by Google

reponi voluerunt, cum Noſter defendat ἀναλογίας lege, ſæpe illa fallaci & uſui repugnante, ut, quia *ſciens* dicatur non modo de perito & intelligente, ſed etiam de eo, qui de induſtria aliquid facit, &c. ſic etiam *ſcienter* utroque modo dicatur. Ceterum non male fecit, cum in contextu, propter conſenſum Codicum, retinuit. Volebamus adhuc referre, quam bene V. C. repudiarit lectionem *miniſteria*, a Cl. *Arnzenio Cap. 48, 8*, pro *myſteria* receptam, atque alia nonnulla, Lectoribus grata futura, ſed jam longiores juſto fuimus. Itaque deſinemus cum gratulationibus & votis, ut Deus venerandum Senem hujus tam egregii Operis gloria per multos adhuc annos frui jubeat.

## *DANIELIS GERDESII HISTORIA REFORMATIONIS, ſive Annales Evangelii, Seculo XVI paſſim per Europam renovati, doctrinæque reformatæ. Accedunt varia monumenta pietatis & rei literariæ, utplurimum ex MStis eruta. Tomus ſecundus, qui res geſtas per omnem Germaniam & Helvetiam ab A. 1520 ad 1530 complectitur. Subjuncti ſunt Indices in utrumvis Tomum neceſſarii.*

Groningæ & Bremæ, apud Hajonem Spandaw & Gerh. Wilh. Rumpf, bibliopolas, 1746, 4.
Alph. 3 plag. 16.

Cum olim (*A. 1744 Menſ. Jun. P. I pag. 301 ſeq.*) eximii hujus Operis *Volumen primum*, quod introductionem in hiſtoriam reformationis ſacrorum complectitur, in his noſtris Commentariis commemoraremus, ejusdemque præcipua momenta ſtrictim exponeremus, continuationem illius a Cel. Autore precibus efflagitavimus; cujus noſtri voti cum compotes ſimus facti, & nobis, & rei literariæ, eo nomine gratulamur, ſpe certa freti, fore, ut reliquæ illius Hiſtoriæ Partes juſto tempore ſequantur. Expeditis ſuperiori *Tomo* iis, quæ ſacrorum emendatioui vel viam muniverunt, vel occaſionem præbuerunt, in

præſenti

Digitized by Google

præſenti res in civitate Chriſtiana geſtæ inde ab A. 1520 ad 1530 ordine explanantur, ſubjunctis monumentis, quæ *alteram Partem Voluminis* hujus conſtituunt, tum rarioribus, tum nondum editis, ad confirmationem & illuſtrationem hiſtoriæ illius temporis plurimum facientibus. Effigies ſummorum, & de ſacrorum renovatione optime meritorum, virorum, eleganter ære expreſſæ, numero quinque, *Caroli* nempe V Imperatoris, *Adriani VI*, P. M. *Berchtoldi Halleri*, *Ambroſii Blaureri*, & *Joachimi Vadiani*, Operi decus haud vulgare conciliant.

In Præfatione modeſte ſolvit objectiones Cel. *Heumanni* de eo, utrum *Lutherus*, an *Zuinglius*, prior ſacra inſtaurare ſit aggreſſus. Agnoſcit ſumma illius in eccleſiam merita, concedit, ipſum priorem fuiſſe, qui jam A. 1517 ſchedularum venialium nundinationi ſe oppoſuerit, quod a *Zuinglio* anno demum 1519 fuerit factum; hoc tamen pertendit, ac evidentibus teſtimoniis ſibi videtur probatum dediſſe, *Zuinglium* A. 1516, cum apud Glaronenſes & Einſidelenſes adhuc hæreret, plebem ſacram *a cultu ſanctorum ad fidem Chriſti, atque ab hominum figmentis ad Scripturæ ſacræ placita & doctrinam*, transtuliſſe. Hiſtoria ipſa *duobus* abſolvitur *Capitibus*. *Primum* eſt de *progreſſu Reformationis* in Germania ab A. 1520 ad 1530; *alterum* de *progreſſu Reformationis in Helvetia* ab A. 1520 ad 1530. Præmittit quædam de electione Imperatoris *Caroli V*, &, quibus legibus potentia ipſius circumſcripta fuerit, declarat. *Sectione I Cap. I*, *Lutherum*, refert, cum *Eccium* Pag. 1-4.
Romam, ut a Pontifice dirarum fulmine percuteretur, profectum intelligeret, literas ad *Carolum V* Auguſtum dediſſe, ad imperii item proceres, *Leonem X*, alioſque præſules, homines item privatos, ſcripſiſſe, quo invidiam ſibi factam amoliretur, ſpemque his feciſſe certam, fore, ut, ſi erroris ex divinis literis convinceretur, ab inſtituto deſiſteret. In literis ad *Leonem* multam prodit modeſtiam, dolens illius vicem, quod ab aſſentatoribus ſe ab æquo & juſto abduci pateretur; verum tantum abfuit, ut hic admonitionibus daret locum, ut potius decreta aſpera adverſus eum publicaret. Gravius excepit Theologos *Lovanienſes* & *Colonienſes*, 5-10.

*ſes*, qui aliquos ex libris ipſius damnarant, & rogo dignos
judicaverant, quorum malevolentiam & ignorantiam pro me-
Pag. 10- rito depexam dedit. Scribebatur Roma *Friderico* Principi
12. Electori, ipſum Pontifici & ſenatui ſanctiori male audire,
quod hominem erroribus peſtiferis infectum, hoſtem eccle-
ſiæ teterrimum, in terris ſuis foveret. Criminationem hanc
ita diluit Princeps: *Lutherum* erroris alicujus reum adhuc non
eſſe actum, culpam omnem reſidere in *Eccio*, qui ipſum ſuis
12-13. litibus irritarit, ut ad alia, itemque alia, ſit progreſſus. Hoc
ipſo anno d. 15 Jun. Pontifex publicas dat literas, quibus
*Lutherum* ac ſocios diris omnibus devovet, doctrinam ejus
damnat, ſcripta flammis addicit, *Luthero*que imperat, ut in-
tra 60 dies errores ſuos revocet. Harum non idem apud
omnes fuit effectus; alii plane non, alii non niſi ægre, admi-
ſerunt, alii iisdem aſſurrexerunt, libroſque *Lutheri* una cum
ipſius effigie igne aboluerunt; *Lutherus* ipſe illis ita fuit
affectus, ut, convocato ſtudioſorum cœtu, illas una cum jure
14-16. Pontificio d. 10 Dec. flammis tradiderit. Quæ res fuit ori-
go graviſſimarum contentionum, quibus hoc effectum eſt, ut,
veritatis luce agnita, plurimi a ſocietate eccleſiæ Romanæ ſe
ſejungerent. Inde Pontifex d. 4 Jan. A. 1521 *Lutherum* ana-
thematum fulmine vibrabat; hic contra celeberrimum de *ca-
ptivitate Babylonica* edebat librum, in quo multa cum παῤῥη-
σίᾳ errores & ulcera Pontificiorum tangit, eisdemque bel-
16-18. lum quaſi indicit. In Friſia orientali hoc anno inſignis rerum
converſio contigit. *Edzardus* Comes ſcriptis *Lutheri* delecta-
batur. Hujus exemplum brevi cives ſunt ſecuti, & miniſterio
*Georgii Aportani* purior religio, nequicquam adverſariis con-
19-24. tra nitentibus, paſſim, *Emda* potiſſimum, invaluit. A. 1521
d. 6 Martii publicis Imperatoris literis *Lutherus*, cum certa
ipſi de itu & reditu fides facta eſſet, Wormatiam invitabatur,
quo, licet nonnulli diſſuaderent, impavido animo contendit,
25-27. urbem ingreſſus d. 16 Aprilis. Poſtero die in conſeſſum Im-
peratoris & Principum introducitur; flagitatur, ut, quæ ſcri-
pſerit, revocaret; ille, moram diei pactus, graviter reſpon-
dit, ſe, quæ de fidei doctrina commentatus ſit, niſi erroris

ex

Digitized by Google

ex ſacris literis arguatur, retractare non poſſe. Die 24 Pag. 27-
Aprilis de novo arceſſitur, præſentibus Principe Electore *Joa-* 32.
*chimo*, *Georgio* Saxone, Præſule Auguſtano, aliisque proceri-
bus; ſed, cum is in ſententia ſua perſiſteret, *Eccius* decretum
Cæſaris promulgavit, ut e veſtigio Vormatia excederet, & ne
in poſterum vel voce, vel ſcripto, populum commoveret, dato
21 dierum ad redeundum ſpatio. Diſcedit igitur d. 26 ejuſ- 32-35.
dem menſis, ſed *Fridericus*, veritus, ne quid ſiniſtri ipſi in via
eveniret, juſſit illum Wartburgum clanculum abduci, ubi ſub
nomine nobilis *Georgii* (*Juncker Gœrgen*) per tempus aliquod
delituit, variis ſcriptis elaborandis, potiſſimum autem divinio-
rum literarum verſioni, intentus. Hic dum hæreret, inſtinctu 35-38.
*Hieronymi Aleandri*, nuntii Pontificii, a Cæſare proſcribitur
d. 8 Maji. Decretum hoc durioribus conceptum eſt verbis,
quæ ab *Aleandro* profecta eſſe multis videbantur; quare pro-
ceribus quibusdam non omnino arridebat. Sub idem tem- 38-40.
pus Pariſienſes damnant doctrinam *Lutheri*, *Albertus* Mogun-
tinus de novo Halæ Saxonum ſchedulas veniales exponendas
curat, & verbi divini miniſtrum conjugatum carceribus eo
adigit, ut conjugem dimitteret; quam rem adeo indigne tu-
lit *Lutherus*, ut epiſtola gravi Præſulem caſtigaret, acrimo-
niam iſtam improbante *Capitone*. Exiſtimaſſet aliquis, facta 41, 42.
proſcriptione, cauſam *Lutheri* omnino proſtratum iri, ſed, ut
divina providentia rebus humanis intervenit, ita fuerunt plu-
res, qui Cæſaris inſtitutum palam improbarent. Evangelii
doctrina paſſim lætius eſſloreſcebat, & ſuperſtitio Pontificia
ſupprimebatur. *Vitembergæ* ab *Auguſtinianis* fratribus Miſſæ
ſolitariæ & alii ritus ſuperſtitioſi abrogabantur. Ipſo illo 45-49.
anno vel lux Evangelii de novo eſt exorta, vel nova ſumſit
incrementa, *Zuiccaviæ*, *Fribergæ*, *Erfurti*, *Halberſtadii*, *Ham-
burgi*, *Vormatiæ*, *Ulmæ*, *Argentorati*, in *Pomerania*, *Fran-
cofurti ad Mœnum*. *Bartholomaeus Bernh. a Feldkirchen*, Præ- 49-57.
poſitus Kembergenſis, primus uxorem duxit, cujus vitam, con-
jugium, & quæ ipſi propterea lites fuerint motæ, accurate
exponit B. *Jo. Henr. Feuſtkingius* in *Hiſtoria Clerogamiæ Evan-
gelicæ*, Vitembergæ A. 1703, 4, edita, quem non ita multo poſt

Pag. 57. alii ſunt ſecuti. A. 1521 d. 9 Dec. *Leo X* viventium numero
58. inopina morte eripitur, in cujus locum *Adrianus VI* ſedem
Pontificiam conſcendit d. 9 Jan. A. 1522. Hic, ſtudium re-
formandi curiam & eccleſiam Romanam initio præ ſe ferens,
ab illo aſtu *Franciſci Soderini Volaterrani*, Præneſtini Cardina-
lis, alienus factus fuiſſe dicitur, parum æquus *Luthero*, ejus-
que ſociis, ut etiam igne ac ferro adverſus illos agendum
58-63. eſſe ſuaſerit. Hæſerat adhuc *Lutherus Wartburgi*, ſed, cum
acciperet, nonnullos Vitembergæ rebus novis ſtudere, non
conſulto Saxone, eo rediit, ſeque apud Principem literis,
divinam animi magnitudinem ſpirantibus, excuſavit. Hoc
63-67. anno grave adverſus veritatis Evangelicæ confeſſores edictum
Norimbergæ eſt promulgatum, paſſim etiam Principes adver-
ſus illos duriora moliebantur; nihilo tamen minus mira Dei
providentia eſt effectum, ut in aliis Germaniæ oris doctrina
purior primum reciperetur, in aliis læta incrementa ſume-
ret. *Vratislaviæ* fauſtis auſpiciis ſalutarem doctrinam prædi-
carunt *Ambroſius Moibanus* & *Jo. Heſſus*, quod poſt in reli-
qua Sileſia eſt factum. Eadem fortuna in Cimbria obtigit *Hol-
ſatis* & *Ditmarſis*. *Bremæ* huic ſacro negotio operam ſuam
accommodavit *Henricus Zutphanienſis*, qui tandem apud Dit-
marſos ob Evangelii profeſſionem ignis ſupplicio eſt affectus;
ne quid dicamus de urbibus Germaniæ, vel illi proxime ad-
jacentibus, de quibus Vener. Autor ſuccincte commentatur.
68-87. Ipſo hoc anno verſionem Novi Teſt., in ſeceſſu Wartburgenſi
adornatam, *Lutherus* per partes publicavit, cui poſtea libri
Veteris Teſt. acceſſere, qui labor quanti conſtiterit, quot
moleſtias pepererit, quos ſocios habuerit, accurate exponi-
tur. *Jo. Bugenhagius* diem illum, qui operi huic immortali
finem impoſitum vidit, quotannis cum ſuis inter hymnos &
87-91. gratiarum actiones ad Deum directas religioſe celebravit. In
comitiis Norimbergenſibus, quæ A. 1523 continuabantur,
legatus Pontificius, *Franc. Cheregatus*, de *Luthero*, & motibus,
ab ipſo excitatis, multum querebatur, ad quæ proceres libere
reſponderunt, *centum gravaminibus nationis Germanicæ* ad-
verſus curiam Romanam propoſitis. De decreto Norimber-
genſi

Digitized by Google

genſi *Lutherus* ſententiam ſuam publice declaravit, docens, illud a multis in præjudicium purioris doctrinæ accipi; potiſſimum ferendum non eſſe, quod in eodem ſit ſancitum, in ſacerdotes uxoratos ex lege Pontificia animadvertendum eſſe.
Scripta, a *Luthero* hoc anno divulgata, nominantur, illorumque argumentum breviter exhibetur. Pag. 91-97.
Quid hoc anno circa ſacrorum inſtaurationem in *Saxonia*, Ducatu *Bipontino*, *Boruſſia*, *Dantiſci*, in *Livonia*, *Lignitii*, *Hamburgi*, *Halæ Suevorum*, *Eslingæ*, *Argentorati*, & *Iſenaci*, (ubi quædam de *Jac. Strauſſio* commemorantur, qui, ob præcipitem ſuum fervorem & imprudentiam in cauſa ruſticorum tumultuantium, munere ſuo exutus, & in cuſtodiam eſt datus,) fuerit actum, juſto ordine traditur. 97-99.
*Hadrianus VI* d. 14 Sept. h. a. decedit, cui d. 19 Nov. *Clemens VII*, ex domo Medicea, ſucceſſor eſt datus, qui ſua pertinacia Evangelicorum cauſam plus promovit, quam impedivit. 99-115.
Die 18 Aprilis, inſtinctu *Laurentii Campegii*, oratoris Pontificii, a Principibus in negotio religionis novum conditur decretum, ſed quod nec Imperatori, nec legato, nec *Luthero*, omni ex parte probabatur. 115, 116.
Cum Epiſcopus Argentoratenſis a ſenatu poſtularet, ut ſacerdotes uxoratos plecteret, contra ſenatus perτenderet, ut Præſul impuræ libidini ſacerdotum obicem poneret, is in verba hæc minus caſta & offendiculi plena prorupit: *Quod ſacerdotes fiant mariti, multo eſſe grandius peccatum, quam ſi plures domi meretrices alant.* 116-118.
Hoc anno *Lutherus* cucullum exuit, veſtemque, Doctore Theologo convenientem, ſumſit. *Melanchthon Corpus doctrinæ* edidit. *Philippus*, Haſſiæ Princeps, edixit, ut cives ac ſubditi vitam doctrinæ Chriſtianæ congruam agerent. 118-120.
*Argentoratenſis* eccleſia hoc tempore inſigniter floruit, ut ab exteris in doctrina religionis conſuleretur, & cauſa religionis exules exciperet. 120-127.
In Ducatu *Megapolitano*, *Magdeburgi*, *Bremæ*, in Comitatu *Lippiaco*, *Ducatu Brunſuicenſi* & *Cellenſi*, Comitatu *Hoyenſi*, Principatu *Jeverenſi*, *Annæbergæ*, *Cygneæ*, vel primum Evangelium doceri eſt cœptum, vel ulterius doctrina illius provecta. 128-136.
Seditio ruſticorum erupit A. 1525, quæ apud veritatis hoſtes reforma-

reformationi invidiam creavit. Illam *Chriſtophorus Schappe-*
*lerus*, reformator Memmingenſis, nec approbavit, nec fo-
Pag. 136, vit. In Saxonia, *Friderico* demortuo, ſuccedit *Joannes*, cui
137. favor in doctrinam Evangelicam perpetuus nomen *Conſtan-*
*tis* peperit. Motus bellici inter *Carolum V* & *Franciſcum I*
halcyonia præbuerunt eccleſiæ evangelicæ. *Lutheri* ſcripta,
hoc anno luci expoſita, recenſentur, potiſſimum liber *de ſer-*
*vo arbitrio*, qui ipſius eſſe, conſenſu ſummorum virorum pro-
137-141. batur. Hujus matrimonium cum *Catharina Borenia* adverſa-
riis multam criminandi anſam dedit. Idem conſilium agita-
141-143. vit *Albertus* Moguntinus, ſed irrito effectu. Religionis nego-
143-159. tium paſſim in Germania, & extra illam, feliciter procedit. *Ca-*
*rolus* Imperator in ſententia ſua perſiſtebat, ut Lutheraniſmus
e Germania proſcriberetur; quare Saxo & Haſſus, vim metuen-
tes, fœdus pepigerant A. 1526, quibus poſt alii Principes &
civitates imperii acceſſerunt. In comitiis Spirenſibus, d. 25 Jun.
cœptis, edicti Vormatienſis obſervatio urgebatur, ut vetus reli-
gio conſervaretur, nova contra exterminaretur, ſed inter-
ceſſerunt Saxo & Haſſus; quare illius ſententia ita eſt mitiga-
ta, *ut Principum quisque in religionis negotio ita ſe gereret, uti*
*Deo & Cæſari rationem ſe reddere poſſe arbitraretur.* Ita Deus
ſæpenumero hominum cogitatis ſua providentia intervenit,
eademque alio flectit. Sub idem tempus *Ludovicus*, Rex Hun-
gariæ, luctuoſa ſtrage cæſus, perierat, & Hungari de novo Re-
ge eligendo diſſentiebant. Ut igitur *Ferdinandus* Principes
Germaniæ ſibi adjungeret, illos offendere tutum non erat.
159-162. Pace inter *Carolum* & *Franciſcum* conciliata, pactum erat, ut
hæreſis *Lutherana* communibus auxiliis exterminaretur, quod
quo minus effectui daretur, perfidia Pontificis in cauſa fuit.
Hic enim, cum Imperatorem tota Italia excluſum cuperet,
Gallum jurisjurandi religione exſolvit, cumque illo & Venetis
contra Imperatorem eſt pactus. Quod cum intelligeret *Caro-*
*lus*, Pontificis autoritatem per totam Hiſpaniam abrogat, ex-
ercitum urbi admovet, illam capit, Papamque in caſtellum
S. Angeli fugere cogit, & arcta obſidione cingit; cui æque ac
Purpuratis milites quovis ludibrii genere inſultant, ut tandem
condi-

Digitized by Google

conditiones, a Cæſare præſcriptas, acceptare cogeretur,
cum interea in Hiſpania publicæ ſupplicationes pro liberatio-
ne Pontificis inſtituerentur. In Haſſia, curante *Philippo*, Pag. 162-
*Homburgi* menſe Octobri collatio cum Pontificiis eſt habita, 164.
qui cum vel non comparerent, vel præter convicia nihil
proferrent, plenior reformatio eſt ſuſcepta. Quid novi hoc 164-167.
anno circa ſacrorum emendationem contigerit in *Saxonia*, Du-
catu *Jægerndorfienſi*, *Boruſſia*, *Friſia orientali*, recenſetur. Data
occaſione in laudes *Mariæ*, Reginæ Hungariæ, poſt guberna-
tricis Belgii, purioribus ſacris faventis, excurritur. Progreſſu-
rus hinc Autor, ad A. 1527 faciem orbis delineat. Pontifex, a 167-179.
Cæſareanis multa ludibria paſſus, tumque Cæſari reconciliatus,
cum illo de exſtirpandis hæreticis in ſolennem pactionem de-
ſcendit. *Jo. Fridericus*, Dux Saxoniæ, ſpe potiundæ *Catharinæ*,
ſororis Cæſaris, dejectus, petit *Sibyllam* Cliviacam; quæ res
ad religionem emendatam in terris iſtis diſſeminandam & con-
firmandam plurimum fecit. Quid in *Holſatia* & *Scania* hoc 180-185.
anno in negotio religionis fuerit actum, proditur, Academia
Marburgenſis aperitur, inſtructio viſitatorum & ſumma do-
ctrinæ *Phil. Melanchthonis* omnibus per Saxoniam commenda- 185-189.
tur; quæ res malevolorum criminatione non caruit. In *Sile-*
*ſia*, ſpeciatim Ducatu *Lignicenſi*, *Magdeburgi*, *Halæ Saxo-*
*num*, *Ulmæ*, *Nordlingæ*, & alibi locorum, ſuſceptum religionis
negotium felici cum ſucceſſu promovetur. *Lichtenbergii* va- 189-193.
ticiniis, hoc anno denuo publicatis, *Lutherus* lucucentam
præmiſit Præfationem. A. 1528 indicio *Ottonis Packii* Sa- 193, 194.
xo & Haſſus ſatis numeroſum exercitum conſcripſerunt, &
ad bellum omnino ventum eſſet, niſi ſuſpicio exemta, & res
pactione confecta fuiſſet. *Lutherus* utramque edidit Cateche- 194-196.
ſin. In Comitatu *Diepholdiano* lux Evangelii exſplenduit,
*Brunſvigæ* in univerſum doctrina purior introducitur, *Bugen-*
*hagius* Ordinationem eccleſiaſticam conſcribit, *Bremæ* reforma-
tio proſpero ſucceſſu procedit, & ſchola aperitur, *Hamburgi*
pariter ſchola *Joannea* conſtituitur, *Goſlariæ* item, in *Marchio-*
*natu Brandenburgico Franconico*, (ubi de 23 Articulis viſitato-
riis, diſtinguendis a *Suobacenſibus*,) in Comitatu *Montisbelgar-*



Digitized by Google

*denſi*, *Argentorati*, in *orientali Friſia*, religio a ſordibus magis
Pag. 196- atque magis purgatur. A. 1529 in comitiis Spirenſibus multa
208. in detrimentum emendatæ religionis ſtatuebantur, quæ cum
minus arriderent Principibus ac civitatibus, emendatæ ſacrorum
doctrinæ addictis, provocarunt ad Cæſarem rectius informandum,
& ad Concilium *liberum* & *univerſale*, a quo tempore illis *Proteſtantium* nomen adhæſit; legationem etiam ad Cæſarem in
Italiam deſtinarunt, ſed illa ob ſiniſtram interpretationem mi-
208-212. nus benigne eſt excepta. Metuentes igitur, ne res in nervum
erumperet, fœdus Proteſtantes inter ſe conciliant de vi depellenda; a quo cum *Lutherus* excluſos vellet Principes & civitates, Helvetiorum de ſacra cœna doctrinam ſequentes, colloquium *Marburgenſe*, ut partes diſſidentes in concordiam redigerentur, eſt inſtitutum, in quo, licet de modo præſentiæ
Chriſti in ſacra Cœna convenire non poſſent, mutuam tamen
212-216. caritatem ſibi ſunt polliciti. *Carolus Barcinone* die 29 Jun. fidem
addixerat, ſe Proteſtantes, niſi ab religione deſiſterent, armis
ad id coacturum eſſe. Idem menſe Nov. promiſerat Pontifici
*Bononiæ*. *Argentoratenſes* religionis cauſa civitatum & Statuum
imperialium numero excluduntur; quare, ut de ſecuritate ſibi
proſpicerent, cum Helvetiis ſocietatem incunt. *Ulmenſes*
ab Helvetiis reformationis modum ſibi expetunt. *Mindenſes*
pariter atque *Gottingenſes* ſacra puriora per urbem ſuam re-
216-224. ſtituunt. Quibus gradibus paſſim per Germaniam res Pro-
teſtantium ſacra fuerit aucta, docet epiſtola *Bugenhagii*, quæ
224-226. integra inſeritur. Qua ratione *Simon Grynæus* inſidias, Spiræ
ſibi ſtructas, evaſerit, ex hiſtorica narratione *Melanchthonis*
refert.

226, 227. *Capite II*, quid *Oſwaldus Myconius*, *Berchtoldus Hallerus*,
*Seb. Meyerus*, *Joachimus Vadianus*, *Thomas* & *Ambroſius Blaureri*, itemque *Seb. Hoffmeiſterus* apud *Lucernenſes*, *Tigurinos*,
*Baſileenſes*, *Bernenſes*, *Conſtantienſes*, *Lauſannenſes*, *Uranios*,
*Suitenſes*, *Tugienſes*, *Friburgenſes*, *Abbatiscellanos*, *Soloduri-
enſes*, *Rhætos*, *Waldshutanos*, & *Scaphuſanos*, in negotio re-
228-251. ligionis præſtiterint, ſumma fide & accuratione narratur. His
præmiſſis, quid ab A. 1523 quovis anno memorabile conti-
gerit,

Digitized by Google

gerit, luculenter Autor edisserit. *Bernenſes* edictum promulgant, ne quis ſacerdotum aliquid proferat, quod ſacrarum literarum autoritate firmari nequeat. Parum tamen abfuit, quin *Hallerus*, *Thom. Wittenbachius*, & *Seb. Meyerus*, urbe fuerint ejecti. Apud *Bienmenſes* religionis negotium ex voto proce- Pag. 251-
dit. *Zuinglius* ab Helvetiæ Ordinibus graviter accuſatur, 253.
quod popularium ſuorum militiam ſub exteris Principibus diſſuaſerat; ſed Tigurini ipſius patrocinium in ſe ſuſcipiunt. Præſul Lauſannenſis mandatum promulgat, quo Clerici omnes jubentur ab hæreſi *Lutheri* ſibi cavere; viſitationem etiam inſtituit, cujus ergo cum *Bernam* adire vellet, ab ſenatu
repulſam accipit. *Mulhuſani*, decreto d. 12 Mart. edito, ſe 253-256.
reformationi faventes declarant. *Conr. Pellicanus* una cum *Jo. Oecolampadio* Baſileæ publicus Theologiæ doctor conſti-
tuitur. Apud *Lucernenſes* Evangelii doctrina per illius ho- 256, 257.
ſtes fere ſufflaminabatur, nec *Tugiorum* conditio erat melior. Apud *Scaphuſanos* ſuperſtitioſi quidam ritus ſunt ſublati. Inter *Sarganenſes* erant, qui doctrinam puriorem publice prædicarent. *Conſtantienſes* habebant *Jo. Zwickium*, *Jo. Vannium*, *Ambr. Blaurerum*, viros doctos & pios, opus Domini
ſtrenue urgentes. A. 1524 d. 26 Jan. in Helvetiæ comitiis 257-262.
Edictum, puriori doctrinæ noxium, firmatur. *Bernæ* quædam libertati Chriſtianæ adverſa imperantur, nonnullæ tamen ce-
rimoniæ religioſæ migrare jubentur. *Tigurini* templa ab ima- 262-264.
ginibus religioſis purgarunt, quæ res invidiam ipſis apud reliquos pagos creavit. *Scaphuſii* multa in doctrinæ & rituum emendationem ſuſcipiuntur, virgines ſacræ clauſtris exeunt, viriſque nubunt, ex ipſis etiam veritatis hoſtibus quidam illius doctores & propugnatores fiunt. Senatus *San-Gallenſis* imagines templis noctu efferri jubet, paſtoribusque injungit, ut verbum Dei pure annuntient. *Mulhuſani* ſacerdotibus meretricum & concubinarum uſu interdicunt, conjugium permittunt, &, inſtituto colloquio, Miſſam aliosque ritus Pontificios proſcri-
bunt. *Baſileæ* reformatio felicibus gaudet ſucceſſibus. *Tog-* 264-268.
*genburgenſes Zuinglius* egregia epiſtola confirmat. *Jo. Eccius*, 268-276.
Theologus Ingolſtadienſis, *Zuinglium* ad diſputationem publi-

cam

cam vel *Badam*, vel *Lucernam*, invitat, ſed hic, inſidias veritus, eo venire detrectavit; interceſſit quoque ſenatus Tigurinus, cauſatus, autoritatem ſuam minus decere, civium ſuorum ali-
Pag. 276-quem ad dicendam cauſam alio evocari. Ipſo illo anno etiam
280. Pontificii pagi viſi ſunt reformationem aliquam moliri, ſed illa
280-282. tantum ſpectavit Clericos, quo in ordinem redigerentur. *Griſones* præterea ad ſacra emendata inclinarunt. Memoratu dignum eſt, quod de *Samuele Frickio*, Paſtore Meyenfeldenſi, memoriæ eſt proditum. Is ante ſtrenuus erat priſcæ ſuperſtitionis vindex, ac ea de cauſa Romam ad Pontificem tendebat, quo illius præſidium ſibi exoraret, ſed ipſe, motus vitiis, in urbe inter primæ dignitatis ſacerdotes & Clericos dominantibus, a Pontificia religione deſcivit, reformatis doctoribus ſe applicuit, & eximiam eccleſiæ operam navavit, di-
283, 284. cere ſolitus: *ſe Romæ factum eſſe Evangelicum.* A. 1525 libello *Valentini Comparis*, qui in publicis Uranienſium comitiis prælectus erat, *Zuinglius* ſcriptum moderatum, & mul-
284-288. tæ frugis plenum, oppoſuit. Apud *Vitodurenſes*, *Scaphuſianos*, *Conſtantienſes*, *Bernenſes*, *Rhætos*, *Baſileenſes*, *Glaronenſes*, & *Biennenſes*, publicis magiſtratuum edictis varii abuſus ſunt eliminati, & religio ab inveteratis ſordibus magis atque
288-298. magis eſt purgata. Annus 1526 inſignis fuit duobus colloquiis, a quibus ingens rerum mutatio pependit. Primum habitum eſt *Ilantii*, ſuperioris Rhætiæ oppido, in publicis procerum comitiis, in quo Pontificii inſcitiam ſuam multis modis prodiderunt, ut ex ipſorum ſociis aliquot in Reformatorum partes tranſirent, & proceres edictum conderent, ut cuicunque liberum eſſet, quam vellet, religionem ſequi, porro ut ec-
299-304. cleſiarum doctores verbum Dei non niſi pure prædicarent. Secundum inſtitutum eſt *Badenæ* d. 17 Maji pariter in publicis comitiis, congredientibus *Jo. Eccio* & *Oecolampadio*, quorum ille clamoribus & impudentia, hic modeſtia & argumentorum pondere, viciſſe eſt judicatus. Habito colloquio, a pagis Pontificiis eſt definitum, ut priſca religio immota maneret, *Zuinglius*, & qui cum ipſo facerent, diris omnibus ab eccleſia ſecluderentur; quæ tamen ab *Oecolampadio* prolata fuere,

Digitized by Google

fuere, multorum animis adeo alte infixa hæſerunt, ut novæ reformationi occaſionem dederint. Subjiciuntur quædam de in- Pag. 306-
conſtantia religionis, quæ in *Eraſmo* fuit animadverſa, & quo mo- 311.
do *Zuinglius* ſe ab adverſariorum criminationibus, quod Badenæ non comparuiſſet, defenderit. Referuntur etiam quædam de actis hujus colloquii, poſtea editis. *Badenſis* autem diſputatio, 312-317.
& ſeptem pagorum reniſus, non impedivit, quo minus in inſtaurandis ſacris, & ad priſtinam ſimplicitatem revocandis, pergerent, ubi de *Conradi Pellicani* ad linguæ Ebraicæ Profeſſionem vocatione, & *Henrici Bullingeri* miniſterio apud Capellenſes. 317-319.
*Bernenſes* ſuaſu ſeptem pagorum decretum, emendatis ſacris non admodum favens, emittunt, ſed non multo poſt benigniores ſe illis præbent, *Berchtoldo Hallero* in munere ſuo confirmato, cui *Franc. Kolbius* poſt collega eſt datus. Apud *Baſileenſes* nova in- 319-322.
crementa cepit reformatio, *Turgovienſes* item, *Reguſienſes*, *Toggenburgenſes*, *Mulhuſinos*, *Scaphuſanos*, *Abbatiscellanos*, *San-Gallenſes*, quibus multum profuit ſua doctrina & in religionem ſtudio *Jo. Vadianus* Conſul, itémque *Chriſtoph. Schappelerus*, turbis anabaptiſticis minus favens, qui, relictis Memmingenſibus, ad *San-Gallenſes* ſuos rediit. Septem pagi Pontificii 322-332.
quosdam ex civibus ſuis religionis ergo in exilium mittebant, quos Tigurini excipiebant. Hoc anno vivis excedunt *Thom.* 333, 334.
*Wittenbachius* & *Conr. a Rechenberg*, quorum prior ſacrorum inſtaurationem pro virili promoverat, hic eidem adverſus non fuerat. Anabaptiſtæ novas dederunt turbas, quorum quidam, 335.
obnitentes magiſtratui, ultimo affecti ſunt ſupplicio, quod Cel. Autor non omnino probat. *Bernæ*, contra nitentibus Impera- 335-337.
tore & pagis Pontificiis, d. 17 Dec. publica diſputatio inter Reformatos & Pontificios indicitur; *Baſileenſes* ſuperſtitioſos 337-344.
aliquos ritus in exilium mittunt; apud *Mulhuſanos* pariter, *Capellenſes*, *Scaphuſanos*, *Glaronenſes*, & alibi, reformatio proſpero ſucceſſu gaudet. A. 1528 d. 7 Jan. initium fit diſpu- 344-351.
tationis *Bernenſis*, quæ per 18 ſequentes dies continuatur; convolant ex Reformatis plures; Præſidem agit *Vadianus*; diſputationis lex hæc figitur, ne quid niſi ex ſacra Scriptura de-

 finiatur.

finiatur. Pontificii, ægre congredientes, in arctum ſunt compulſi, ipſorumque ignorantia & cauſæ imbecillitas abunde eſt cognita. Quare, finita diſputatione, publica magiſtratus autoritate non ſolum *Bernæ*, verum etiam in omni agro ſubjecto, Miſſæ, aræ, atque ſtatuæ, ſunt remotæ, imo totus pagatus abrogatus, monaſteria in ſcholas converſa, ſpeciatim Academia
Pag. 351-363. *Bernenſis* eſt aperta. Bernenſium exemplum ſecuti ſunt *Conſtantienſes*. *Genevæ* etiam tum per Bernates, eodem ſubinde divertentes, tum per Cleri luxuriem, potiſſimum vero effrænem Præſulis libidinem, initia quædam futuræ reformationis ſunt facta. Aliis etiam in locis opus hoc læto cum progreſſu eſt promotum.
363-370. *Baſileæ* adhuc in quibusdam templis priſcus cultus fuerat retentus; quæ res cum multarum contentionum cauſa eſſet, tandem cives ſenatum adegerunt, ut ſuperſtitio omnibus templis
371-374. eliminaretur. Quo facto, *Ludov. Berus* cum Canonicorum collegio, & nonnullis Academiæ Profeſſoribus, Baſilea Friburgum abierunt; ſecutus etiam *Eraſmus*, ne ſuſpicionem aliis moveret, ac ſi cum Reformatoribus conſpiraret, in quorum locum Heidelberga *Simon Grynæus* & *Seb. Munſterus* ſunt vocati, &
374-383. alia in emolumentum eccleſiæ conſtituta. Hoc exemplo reliqui Helvetii exciti, ultimam manum reformationi admoverunt, eamque ad perfectionem perduxerunt, a quibus, ubi in reliquiarum arcana accuratius inquiſiverunt, variæ ſacrificulo-
383-387. rum fraudes ſunt detectæ. Pagi Pontificii, mutatione ſacrorum offenſi, a Tigurinis & Bernenſibus ſuſcepta, in illorum perniciem conjurarunt. Hi igitur, ne ſibi deeſſent, arctioris fœderis vinculo ſe conſociarunt, ſibique mutuum auxilium, ſi quidem
387, 388. vim paterentur, ſunt polliciti. A. 1529 duo Concilia nationalia ſunt coacta, alterum in urbe *Toggenburgenſi* d. 13 Febr. alterum *Frauenfeldæ* d. 10, vel 12, Dec. in iisque aliqua, ad bonum ordinem, & vitam Chriſtianam, ſpectantia, ſunt decreta.
394, 395. Ipſo illo anno pagi Pontificii fœdus cum *Ferdinando*, Rege pepigerunt, quo Tigurinos & Bernenſes, religione abs ſe diſſentientes, opprimerent. Quare hi adverſus illos copias ſuas educunt, ſed, in eo dum eſſent, ut congrederentur, interventu reli-

quorum

Digitized by Google

quorum pagorum celebris illa pax *Arovia* d. 26 Jun. eſt conci-
liata. Qua cum nimium conceſſiſſe ſe adverſariis arbitrarentur
Pontificii, odii flammas corde coxerunt, quæ poſt eruperunt. Pag. 395-
Recenſet Autor *Zuinglii* libellum *de providentia Dei*, A. 1530 397.
divulgatum, in quo, non negat, ipſi duriuſculas aliquas locutio-
nes excidiſſe, quod aliis, idem argumentum tractantibus, *Augu-* 397-400.
*ſtino* juxta atque *Luthero*, contigit. A. 1530 *Waldenſes* duos ex
Paſtoribus ſuis, *Georgium Maurelum* & *Petrum Latomum*, ad di-
verſos reformatos cœtus in Helvetia, etiam extra illam, ea
mente mittunt, ut illorum doctrinam cognoſcant, ab iis-
demque in veræ religionis notitia confirmentur, & rectio-
ra, ſicubi errarent, doceantur. Quem in finem totam ra-
tionem doctrinæ ſuæ, formæ regiminis eccleſiaſtici, & vitæ, ex-
poſuerunt *Jo. Oecolampadio*, qui ſententiam de illis pie &
nervoſe declaravit. Quid hoc anno in reformationis nego- 401-418.
tio apud *Tigurinos*, *Wilenſes*, *Glaronenſes*, *Solodurienſes*, *Sca-*
*phuſanos*, & *Neocomenſes*, fit actum, juſto ordine exponit. De- 418-422.
liberatum etiam eſt de diſciplina eccleſiaſtica, ſed prudenter
temperata, reducenda, quam quidem *Baſileenſes* ſuaſu *Oeco-*
*lampadii* admiſerunt; reliqui pagi diverſas rationes, maxime
a reipublicæ conditione petitas, in contrarium attulerunt. Se- 422-424.
quuntur lemmata paragraphorum, & Supplementa ad *Tom. I* 425-451.
& *II.* Mendis indicatis adjiciemus illud, quod habetur *pag.*
*105*, ubi in *not. a*) pro *A. 1726* legendum eſt *A. 1526*. Mo-
numenta, quæ huic *II Tomo* adhærent, ſunt numero XXVIII,
quorum indiculum texere, ab inſtituto noſtro alienum non erit.
Eſt igitur 1) *Epiſtola Lutheri ad Imp. Carolum V*; 2) *Lutheri &* 3-5.
*Melanchthonis Epiſtola ad Jo. Thurzonem, Epiſcopum Vratislavien-*
*ſem, deſumta ex Sculteti Annal. Decad. I pag. 59-62*; 3) *Leonis* 6-8.
*X Epiſtola II ad Albertum Moguntinum* A. 1520, ex MSto avto-
grapho, ubi α) mittit ipſi roſam auream; β) queritur de *Ulrici*
*Hutteni* libro in ſedem Romanam injurio; γ) reſponſum dat ad
Epiſtolas *Leonis*; 4) *Leonis X Bulla ſecunda adverſus Lutherum*, 8-14.
edita d. 4 Jan. A. 1521, transſumta ex *Bzovio*, qua *Lutherum*
damnat, [illegible] citat, eundemque omnibus muneribus & be-

 neficiis

Pag. 15- neficiis exuit; 5) *Paſſio Lutheri*, ex *Celeſtino* producta, quæ
24. actiones Vormatienſes repræſentantur; 6) *Epiſtola citatoria Im-*
24-31. *peratoris*, ut *Lutherus* Vormatiæ ſe ſiſtat, d. 6 Mart. A. 1521,
*ſalvus conductus*, uti inſcriptio habet, *Luthero*, *Vormatiam venti*, *conceſſus*, *edictum imperiale*, quo *Lutherus* cum aſſeclis
eſt proſcriptus, d. 8 Maji A. 1521; 7) *Tragœdia*, quæ Pariſiis
31-47. coram Rege *Franciſco I* acta fuiſſe dicitur A. 1524; 8) *Miſ-*
48-55. *ſa de nuptiis Andr. Caroloſtadii* A. 1522; 9) *Apologia Senatus Vratislavienſis adverſus Adrianum VI, P. R. pro reformationis a ſe factæ decreto*, petita ex *Sculteti* Annalibus ad A. 1523;
10) *Formula conventus Ratisbonenſis A. 1524 inter Ferdinandum & Principes catholicos*, ex *Raupachii* Auſtria evangelica il-
61-67. luſtrata; 11) *Documenta* quædam, ad primam reformationem Argentinenſem pertinentia, ex MStis eruta, ſcil. 1) *Formula evocationis* ab Epiſcopo Argentinenſi ad *Wolfg. Sculte[illegible]*, Presbyterum, qui matrimonium inierat, A. 1524 d. 7 Jan.; 2) ejusd. Epiſcopi Epiſtola ad ſenatum Argentinenſem contra eccleſiaſticos uxoratos, eodem anno; 3) Senatus Argentinenſis Epiſtola ad Eccleſiaſtas Evangelicos, ut ſuæ doctrinæ apologiam conſignent; 4) *Epiſtola Wolfg. Fabric. Capitonis ad Ambroſ. Blaurerum* d. 4 Maji A. 1524; 5) *Dominici Sleupneri*, concionatoris Norimbergenſis, Epiſtola ad *Capitonem*, d. 2 Dec.
68-78. A. 1524; 12) *Georgii, Marchionis Brandenb. ad fratrem Caſimirum* Epiſtola A. 1526 pro reformatione Franconica, ex *Scul-*
78-81. *teto*; 13) *Huldr. Zuinglii Epiſtola ad Berchtoldum Halleru*m A.
82-86. 1522, & hujus ad illum *reſponſum*; 14) Ejusd. *Zuinglii Epiſto-*
86-93. *la apologetica ad Jo. Eccium*; 15) *Articuli diſputationis Rhæti-*
93-95. *cæ* A. 1526, ex *Fueslino* hauſti; 16) *Huldr. Zuinglii Epiſtola ad XII pagorum legatos de diſputatione, in conventu Badenſi*
95-106. *inſtituenda*, A. 1526; 17) *Wolfg. Fabr. Capitonis Epiſtola ad Ludov. Berum de negotio colloquii Badenſis A. 1526*, ex MSto;
107-110. 18) Ejusd. *Capitonis Epiſtola ad Huldr. Zuinglium* a. eod.; 19)
111-114. *Theologorum Argentinenſium Epiſtola ad Jo. Fabrum* a. eod.
115-117. qua ipſum ad diſputationem invitant; 20) *Capitonis Epiſtola*
118-120. *ad fratres Baſileenſes*, ex *Sculteto* A. 1527; [illegible] *Reipubl. Bernenſis*

Digitized by Google

*Bernenſis Edictum in cauſa religionis* A. 1527, ex *Fueslino*,
quo jubentur verbi divini miniſtri verbum Dei pure prædi-
care, retentis vero priſcis cerimoniis; 22) *Diſputationis* Pag. 120-
*Bernenſis habitæ*, A. 1528 celebratæ, *indictio ſolennis* A. 1527; 123.
23) *Ordinum Bernenſium literæ tres ad Epiſcopum Lauſannen-* 123-129.
*ſem* A. 1527 & 1528, quibus ipſum ad diſputationem Bernen-
ſem invitant; 24) *Jacobi Monaſterienſis*, *ſacrificuli Solodo-* 129-133.
*runi*, *Epiſtola ad amicum de diſputatione Bernenſi* d. 29 Jan. A.
1528, ex *Sculteto*, qua de ignavia atque inſcitia Pontificio-
rum valde queritur; 25) *Jo. Oecolampadii Epiſtola ad Capi-* 133-137.
*tonem* A. 1529 d. 13 Febr. de reformatione Baſileenſi; 26) 138-142.
ejusd. *Oecolampadii Epiſtola ad Capitonem de eccleſia Solodu-*
*rienſi*, A. 1529 d. 6 Mart. ex avtographo; 27) *Jo. Oeco-* 142,143.
*lampadii* & *Sim. Grynæi Epiſtolæ mutuæ* de hujus vocatione
ad Profeſſionem linguæ Græcæ in Academia Baſileenſi; 28) 144-152.
*Baſileenſium Epiſtola ad Mulhuſanos* de tollendis ſimultatibus
& contentionibus d. 6 Nov. A. 1529. Opus claudit Index 153-159.
copioſus & accuratus in utrumque *Tomum*. Librarius nihil, quod externum ſplendorem præſtantiſſimo huic Operi conciliare poſſet, deſiderari eſt paſſus. In ſequenti *Tomo III* enarrabuntur doctrinæ Evangelii emendatæ initia & progreſſus in *Belgio*, *Gallia*, *Britannia*, *Suecia*, *Dania*, *Hungaria*, *Transſylvania*, *Polonia*, in *Italia* etiam, *Hiſpania*, *Auſtria*, *terris Bohemicis*, *Bavaricis*, & *Colonienſibus*, in quibus veritatis lux ob hoſtium vim & truculentiam poſt omnino defecit; quo ut Summe Venerandus Autor nos quantocyus beet, ipſum publico nomine quam ſtudioſiſſime rogitamus, gratiam Dei, valetudinem, vires, otium, ex optimo animo ipſi apprecantes.

*BREVIS VETERUM MONUMENTORUM, AB Ampliſſimo Viro, GERARDO PAPENBROKIO, Academiæ Lugduno-Batavæ legatorum, deſcriptio, in duas Partes diviſa, quarum prima Græcos Latinosque titulos, aris, urnis, ædiculis, buſtis, arcis, laminisque lapideis,*

 *inſcriptos*,

*inſcriptos, uti & anaglypha, continet; ſecunda ſtatuas, imagines, capita Deorum, illuſtriumque virorum, &c. complectitur. Studio & opera* FRANCISCI OUDENDORPII.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmanns & filium, 1746, 4 maj.

Plag. 10, Fig. æn. 3.

Non docendus es multa, Lector, qui ſumma limatiſſimæ hujus tractationis capita cognoſcere ex rubro potes. Lapides omnes cum figuris ſuis quam accuratiſſime deſcribuntur, Inſcriptiones fideliter exhibentur atque explicantur, Autores demum, fuſius de iisdem agentes, nominantur. Difficillimus eſſet deſcriptionum ſelectus; Inſcriptionum autem, vel exempli cauſa, nonnihil excerpemus. Prima ſtatim eſt flaveſcentis coloris lapidea in mole ſcripta:

IOVI. O. M. SVMMO  
EXSVPERANTISSIMO  
SOLI. INVICTO. APOLLINI  
LVNAE. DIANAE. FORTVNAE  
MARTI. VICTORIAE. PACI  
C. ANTISTIVS. ADVENTVS  
LEG. AVG. PR. PR.  
DAT.

Ubi quidem de vocabulo *exſuperantiſſimo* notatur, ad tempora illud pertinere *M. Antonini*, ſequentium temporum in
Pag. 6. ſcriptis, nominatim *Apuleji*, haud infrequens. Tertia hæc eſt Batavis perhonorifica:

GENS  
BATAVORVM  
AMICI. ET. FRATRES  
ROM. IMP.

XI. Qui nono loco ſiſtitur lapis argillaceus, ſeu cretaceus, inſcribitur:

DEAE

DEAE
NEHALENI
AE T. FLAVI
FORTVNAT
LIB. ⁝ ⁝
PRIMITIVS
V. S. L. M.

id eſt, Deæ Nehaleniæ Titi Flavii Fortunati Libertus Primi-
tius votum ſolvit lubens merito. Quales lapides votivi paſ-
ſim occurrunt, hunc pariter ordini ſuo, non ultimo loco, vin-
dicantes, nusquam adhuc typis vulgatum. *Num. 48* literæ, Pag. 39.
Inſcriptioni ſubjectæ, A. D. M. H. M. notant *abſit dolus ma-
lus huic monumento.* Hic æque, ac alibi ſæpius, *bene merens
patronus* nominatur, titulo adhuc paſſim ſolenni. Inſcriptio 41.
50 præbet inprimis exemplum rationis ſcribendi lapicidarum
maxime inemendatæ. Scribitur e. c. SAEPELITAM pro *ſe-
pultam*, VNO DOLOREM pro *dolore*, NYPPTV pro *nuptum*,
MYSERAE pro *miſera*, &c. Inſcriptio 65, propter modum 51.
ſcribendi pariter notabilis, impolitiſſime eſt expreſſa, inque
medio ſiſtit aviculam, quam Spiritum ſanctum repræſentare,
conjicit Cel. Autor. Eſt autem hæc:

PAVLVS ASCLEPIVS
bONE
MEMO (hic avicula) RIAE
QVI VI XIT ME-
SIS WI. DI. EBVS. X. VIII
NATVS. VIII KALENDAS OCTObRIS

id eſt, *Paulus Aſclepius bonæ memoriæ, qui vixit menſibus vi-
ginti uno, diebus duodeviginti. Natus octavo Kalendas Octobris.*

Ceteras reliquias ac ſtatuas, vel inſcriptione carentes, vel nudis literis notatas, cum æqualis plurimæ pretii videantur, neque ſelectum facile permittant, harum rerum ſtudioſis in ipſo libro excutiendas relinquimus, bonum ceteroqui factum interpretantes, quod Cel. *Oudendorpius* pulcherrimas has

veteris

Digitized by Google

*inſcriptos, uti & anaglypha, continet; ſecunda ſtatuas, imagines, capita Deorum, illuſtriumque virorum, &c. complectitur. Studio & opera FRANCISCI OUDENDORPII.*

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmanns & filium, 1746, 4 maj.

Plag. 10, Fig. æn. 3.

Non docendus es multa, Lector, qui ſumma limatiſſimæ hujus tractationis capita cognoſcere ex rubro potes. Lapides omnes cum figuris ſuis quam accuratiſſime deſcribuntur, Inſcriptiones fideliter exhibentur atque explicantur, Autores demum, fuſius de iisdem agentes, nominantur. Difficillimus eſſet deſcriptionum ſelectus; Inſcriptionum autem, vel exempli cauſa, nonnihil excerpemus. Prima ſtatim eſt flaveſcentis coloris lapidea in mole ſcripta:

IOVI. O. M. SVMMO
EXSVPERANTISSIMO
SOLI. INVICTO. APOLLINI
LVNAE. DIANAE. FORTVNAE
MARTI. VICTORIAE. PACI
C. ANTISTIVS. ADVENTVS
LEG. AVG. PR. PR.
DAT.

Ubi quidem de vocabulo *exſuperantiſſimo* notatur, ad tempora illud pertinere *M. Antonini*, ſequentium temporum in ſcriptis, nominatim *Apuleji*, haud infrequens. Tertia hæc eſt, Batavis perhonorifica:

Pag. 6.

GENS
BATAVORVM
AMICI. ET. FRATRES
ROM. IMP.

11. Qui nono loco ſiſtitur lapis argillaceus, ſeu cretaceus, inſcribitur:

DEAE

DEAE
NEHALENI
AE T. FLAVI
FORTVNAT
LIB. ⁝ ⁝
PRIMITIVS
V. S. L. M.

id eſt, Deæ Nehaleniæ Titi Flavii Fortunati Libertus Primitius votum ſolvit lubens merito. Quales lapides votivi paſſim occurrunt, hunc pariter ordini ſuo, non ultimo loco, vindicantes, nusquam adhuc typis vulgatum. *Num.* 48 literæ, Pag. 39.
Inſcriptioni ſubjectæ, A. D. M. H. M. notant *abſit dolus malus huic monumento.* Hic æque, ac alibi ſæpius, *bene merens patronus* nominatur, titulo adhuc paſſim ſolenni. Inſcriptio 41.
50 præbet inprimis exemplum rationis ſcribendi lapicidarum maxime inemendatæ. Scribitur e. c. SAEPELITAM pro *ſepultam*, VNO DOLOREM pro *dolore*, NYPPTV pro *nuptum*, MYSERAE pro *miſera*, &c. Inſcriptio 65, propter modum 51.
ſcribendi pariter notabilis, impolitiſſime eſt expreſſa, inque medio ſiſtit aviculam, quam Spiritum ſanctum repræſentare, conjicit Cel. Autor. Eſt autem hæc:

PAVLVS ASCLEPIVS
bONE
MEMO (hic avicula) RIAE
QVI VI XIT ME-
SIS WI. DI. EBVS. X. VIII
NATVS. VIII KALENDAS OCTObRIS

id eſt, *Paulus Aſclepius bonæ memoriæ, qui vixit menſibus viginti uno, diebus duodeviginti. Natus octavo Kalendas Octobris.*

Ceteras reliquias ac ſtatuas, vel inſcriptione carentes, vel nudis literis notatas, cum æqualis plurimæ pretii videantur, neque ſelectum facile permittant, harum rerum ſtudioſis in ipſo libro excutiendas relinquimus, bonum ceteroqui factum interpretantes, quod Cel. *Oudendorpius* pulcherrimas has

veteris

veteris ævi reliquias ab oblivione vindicandas, tranſmittendasque ad poſteritatem, duxit.

## DE VESCICATORI DISSERTAZIONE, &c.

id eſt,

## *JANI PLANCI, SEU JOANNIS BIANCHI, Medici primarii Urbis Ariminenſis, de Veſicantibus Diſſertatio, habita menſe Junio A. 1746 in Lynceorum Academia.*

Venetiis, apud Joannem Baptiſtam Pasqualium, 1746, 8.

Plag. 3.

*Janus Plancus*, Medicus primarius Ariminenſis, cum edidiſſet Linceorum notitiam, quam præmiſit novæ editioni Phytobaſani *Columnæ*, a ſe, cum adhuc in Etruria degeret publicus Anatomes Profeſſor Academiæ Senenſis, adornatæ, in patriam reverſus, quo eum honorificis conditionibus ſui cives revocaverant, Lynceorum Academiam Arimini reſtituit, cujus novæ leges *Ciceronis* & *Gravinæ* ſtilo in Ephemeridibus Florentinis A. 1745 referuntur. Is, ut fœtum haberemus aliquem Academiæ illius inſtauratæ, cujus ipſe reſtitutor perpetuus inſcribitur, Diſſertationem hanc edidit, quam ipſe in eadem Academia Junio menſe anni ſuperioris habuit. Laudandi ſunt cœtus omnes Academici, præſertim autem ii, qui ſuis fœtibus non tantum oratorio & poetico lenocinio aures demulcent: qui cœtus frequentiſſimi ſunt in Italia; ſed qui ſolide humanam ſocietatem experimentis & ratione adjuvant; qualis hic eſt fœtus, quem *Janus Plancus* edidit, quo humanum genus a crudeli & barbaro veſicantium remedio liberare ſtudet. Quod ut faciat, oſtendit primo, hoc remedii genus ignotum fuiſſe primis Medicinæ parentibus, *Hippocrati* & *Galeno*, æque ac reliquis Medicis Græcis, & Latinis. Quin immo, ignotum fuiſſe, dicit, vel Arabibus ipſis, quos, utpote barbaros, autores exſtitiſſe hujus crudelis remedii, aliqui arbitrantur.

Digitized by Google

tur. Autores veſicantium Medici recentiores, qui *Hippocraticam* Medicinam inſtaurarunt, dici non poſſunt. Nam horum aliqui ita veſicantia averſati ſunt, ut diabolicum remedium appellarint, ut fecit *Valliſnerius* in Epiſtola ad *Baptiſtam Scarellam*, Botanicum Patavinum, in qua duodecim argumenta, ſeu concluſiones, adverſus veſicantia adducit. *Malpighius* ita veſicantia deteſtatus eſt, ut, publico teſtamento ſcripto, hæreditate ſua privarit ſuos, ſi permitterent, ut in aliquo gravi morbo, quo ipſe ſequi nequiret, veſicantia corpori ſuo admoverentur. Ita *Lucas Tozzius*, & alii quamplures Medici Itali, veſicantia deteſtati ſunt. Oſtendit igitur *Plancus*, veſicantium uſum non eſſe admodum antiquum, & in Italia natum vix ante 150 annos. Autores propagati hujus uſus dicit fuiſſe præcipue *Hieronymum Mercurialem*, Forolivienſem, & *Herculem Saxoniam*, Profeſſorem Patavinum, præſertim vero hunc poſtremum, qui veſicantia adhiberi ſuaſit pro peſte profliganda a ditione Piſaurenſi, de qua eum conſuluit Dux Urbini, Piſauri dominus. At contra *Saxoniam* ſcripſit *Alexander Maſſaria*, Profeſſor item Patavinus. Quare & in ipſa origine contradictores acerrimos invenerunt veſicantia, & poſt eorum receptum uſum ſemper acutos & doctos Medicos ſibi adverſantes habuerunt. Quin immo ipſi veſicantium fautores inter ſe diſcordes de eorum uſu ſunt. Alii enim in hoc, alii in illo, morbo ea rejiciunt, ut ſummatim hinc concludi poſſit, pro nullo morbo eſſe adhibenda. Verum *Plancus*, ut incommoda & noxam veſicantium oſtendat, ad examen revocat cantharidas, & reliquas res, quas adhibent ſeplaſiarii & Chirurgi in compoſitione hujus remedii, & reperit, omnia eſſe venenata, & naturæ admodum ſtimulantis, quæ inficere poſſint ſanguinem, ſi intra ipſum ingrediantur, quemadmodum ſemper nocent ſtimulis ſuis externis, ſomnum impediendo, delirium excitando, augendoque, ſi adſit, & coctiones naturæ perturbando. In ipſa apoplexia non eſſe illa ſalutaris uſus, dicit, neque in aliis ſoporiferis affectionibus, licet in his morbis propter ſtimulos videantur



Digitized by Google

deantur indicari. Nam, ut ait, in omni morbo tollenda eſt cauſa; quare, ſi multæ apoplexiæ a convulſionibus originem ducant, veſicantia non proderunt, quæ dolorem & convulſionem ipſam inducunt. Præterea in omnibus affectionibus ſoporoſis ſemper turgent ſanguine venæ capitis, ut ſectione anatomica compertum habet; remedium igitur erit, ſanguinem mittere a jugularibus præſertim, ut meninges & cerebrum a preſſione ſanguinis liberentur, & ſopor tollatur, non vero admovenda veſicantia, quæ excitent quidem ægrum, ſed cauſam morbi non tollant, qui redire, & ad extrema ægrum perducere, ſoleat ſolo veſicantium uſu, neglecta ſanguinis miſſione. Ita damnat veſicantia in morbis omnibus acutis, propter rationes ſuperius allatas, & præſertim in pectoris inflammationibus, rationesque ad id probandum adducit pæne invictas. Ridet in fine Medicos quosdam practicos, ſatis ineptos quidem & indoctos, qui in omni morbo gravi veſicantia adhibent, ut nemo per eos orcum inviſat, niſi corpore ſit iſtis veſicantibus obſignatus.

## TRAITE' DE LA COMETE, &c.
hoc eſt,

## *TRACTATUS DE COMETA, QUI APPARUIT menſe Decembri A. 1743, & Januario, Februario, Martio, A. 1744, continens, præter obſervationes Autoris, alias, a CASSINO Pariſiis, & a CALANDRINO Genevæ, inſtitutas. Annexæ ſunt variæ Obſervationes & Diſſertationes Aſtronomicæ. Autore J. P. LUDOVICO DE CHESEAUX.*

Lauſannæ & Genevæ, apud Marcum Michaelem Bousquet, 1744, 8 maj.

Plag. 20, Tabb. æn. 6.

Cometa nuperrimus, qui permultos in ſui contemplationem rapuit, variisque vario ſucceſſu exarandis ſcriptis, quibus

Digitized by Google

quibus res literaria partim ornata, partim onerata eſt, anſam præbuit, etiam præſenti tractationi occaſionem dedit. Præmiſſa eſt Introductio, *Partem I* occupans, eorum maxime in uſum, qui principiis mathematicis imbuti non ſunt, conſcripta, quæ generalia, circa motum ſiderum in genere, & in ſpecie Cometarum, methodum eos obſervandi, orbitasque ipſorum determinandi, & conjecturas circa eorum corpora & caudas, inprimis harum curvaturam, ipſorumque reverſionem, complectitur; qua occaſione quædam haud injucunda circa cauſas Cometarum finales Autor attulit.

In *Parte II* primo deſcribit Obſervationes proprias circa Cometam illum, primis 19 diebus, nempe a 13 Dec. A. 1743 usque ad 1 Jan. A. 1744, inſtitutas, quibus totam ipſius theoriam ſuperſtruxit. Uſus eſt hac in re Quadrante 18 pollicum, duobus teleſcopiis inſtructo, cujus fulcro ad ſitum ejus exacte determinandum alius Quadrans & Semicirculus affixi ſunt, quemque ad 15″ exactum prædicat, duobusque teleſcopiis, altero communi 14 pedum, altero *Gregoriano* 2 pedum, æqualem prorſus effectum præſtantibus. Ad motum Cometæ in orbita parabolica ex obſervationibus hiſce definiendum, adhibuit methodum propriam, quam quidem tunc *Neutoniana* ſimpliciorem, & in exequendo calculo faciliorem, credidit, ſed quam, in fine Operis ingenue fatetur, huic, propter multas, quas requirit, fictiones, imo longiores calculos, multum cedere; quapropter in ea explicanda haud morabimur. Apponemus tantum elementa præcipua, inde deducta, prout ea correctiora *pag. 124* exhibet, ut cum aliorum inventis comparari poſſint:

Cometa per *Periheliun* tranſiit A. 1744 d. 1 Mart. 9h. 26′, tempore medio, Lauſannæ.

Diſtantia *Perihelii* a ☉ = 0, 22192, poſita Telluris diſtantia a ☉ media = 1.

Angulus inter *Perihelium* & nodum adſcendentem = 351°. 14′. 2″.

Longitudo nodi adſcendentis = ♉ 16°. 5′. 24″.

Inclinatio = 47°. 49′. 53″.

Ipſi vero Cometæ nullum ſimilem reperit Autor, præter eum, qui A. 1301 apparuit, unde prodiret tempus periodicum 442 annorum, & orbita, adeo prope ad Parabolam accedens, ut maxima a Sole diſtantia ſit 527 vicibus major minima. Ex hac theoria, obſervationibus jam dictis innixa, conſtruxit etiam Tabulam, qua motus ejus pro tempore reliquo, a primo Januarii nempe uſque ad Junium, definitur, addita ſimul quantitate lucis pro diverſis locis; motumque ejus tam verum, quam apparentem, aliquot Tabulis æneis ante oculos poſuit. Ad confirmandam vero etiam per obſervationes theoriam præcedentem, exhibet *Parte III* obſervationes, tam proprias, Lauſannæ factas, quam alias, a Cel. *Caſſino* Pariſiis, & a Cl. *Calandrino* Genevæ, inſtitutas, uſque ad 1 Mart. continuatas, unde & egregiam ſyſtematis *Neutoniani* cum omnibus Cometæ apparentiis congruentiam exponit. Simul etiam, quicquid de Cometa A. 1301 memoriæ mandatum reperire potuit, recenſet.

In *Parte IV* deſcribuntur Obſervationes circa corpus & caudam Cometæ. Prima vice d. 13 Dec. A. 1743 ab Autore caſu detectus, fixis tertiæ, aut quartæ, magnitudinis ſimilis apparuit, nec niſi per teleſcopium breviſſima cauda inſtructus. D. 9 Jan. jam ſecundæ magnitudinis viſus eſt, ipſum etiam caput diſtincte conſpici potuit. D. 23 diameter hujus ½ diametro Saturni annulo carentis apparuit. Inde continuo crevit, ita ut initio Martii a quibusdam, Sole ſupra horizonte conſtituto, conſpectus ſit. Forma atmoſphæræ, caput circumdantis, etiam ſubinde mutata eſt. Cum enim initio illud ex omni parte æqualiter cingere videretur, medio Februarii verſus caudam collecta eſt, ibique forma nubeculæ obſcuræ apparuit, quæ varias viciſſitudines experta eſt. Caudæ primum d. 31 Jan. annexa videbatur alia exigua, quæ continuo ab illa magis magisque ſeparari, atque in diverſas cœli partes dirigi, cœpit, ſed dein plenilunii & crepuſculi cauſa haud adeo bene diſcer-

ni

Digitized by Google

ri potuit. Obſervatio autem notatu digniſſima accidit d. 8 Martii, quo die hora 4 matutina in horizonte ortivo apparuerunt quinque caudæ permagnæ, uſque ad 22° elevatæ, ſingulæ circiter 4° latæ, in medio obſcuræ, in extremitatibus autem ſtriis lucidis terminatæ, una cum ſexta breviſſima; ipſo corpore Cometæ adhuc infra horizontem latente. Ut autem hoc phænomenon eò minus pro meteoro quodam aerio haberi poſſit, tenendum eſt, illud iterum die 9 inſequente, cœlo ſereniſſimo, ab hora $2\frac{1}{2}$ usque ad $4\frac{1}{2}$ obſervatum eſſe. Hanc apparentiam mira ſua ſpecie atque raritate ſeſe commendare, nemo ibit inficias. His expoſitis, oſtendit Autor methodum, ex obſervata caudæ poſitione apparenti veram determinandi, quam ad Cometam noſtrum applicat, & in Tabula, pro variis obſervatis caudæ longitudinibus, longitudines veras, deviationes, tempusque, quo vapores adſcendere potuerunt, exhibet. Ita e. g. d. 14 Jan. longitudo apparens fuit fere 8°, unde prodit longitudo vera = 2286 earum partium, quarum diſtantia ejus a Sole tunc erat 12519, & deviatio = 4°. 11′; utraque autem continuo crevit, ita ut d. 8 Mart. media ex quinque obſervatis fuerit longitudinis apparentis 45°. 20′, ideoque ejus longitudo vera = 7527 earum partium, quarum diſtantia a Sole erat 3390, deviatio = 113°. Curvatura caudæ, convexitate verſus eas partes, in quas corpus movetur, directa, etiam fuit maxime ſenſibilis. Hæc phænomena caudæ illuſtrat Autor comparatione, cum caudis Cometarum A. 1577 & 1680 inſtituta, quarum longitudines & deviationes pro variis obſervationibus determinat. Denique paucis oſtendit, parallaxin Cometæ ex obſervationibus, ad hunc finem non ſatis exactis, definiri non poſſe; ſicque diſquiſitiones circa Cometam noſtrum claudit, indicatis cauſis, cur eum a menſe Martio inde ulterius obſervare haud licuerit.

Pergimus ad varias Diſſertationes & Obſervationes Aſtronomicas, *alteram* Opuſculi *Partem* occupantes. Prima continet diſquiſitionem circa *Inſtrumenta Aſtronomica*. Duo imprimis

primis hic genera conſiderat, ea, quæ in menſurandis angulis uſu veniunt, ac ea, quæ ad determinandam variorum ſphæræ circulorum poſitionem adhibentur; variasque præſcribit praxes, tam eorum bonitatem examinandi, quam poſitionem exacte determinandi atque verificandi. Deſcribit etiam fulcrum, quadrante & ſemicirculo inſtructum, cujus ope inſtrumentum perquam commode & exacte in datum ſitum diſponi poteſt. Denique proponit modum, teleſcopia dioptrica perficiendi. Cum enim in eo maxime a catoptricis ſuperentur, quod radii heterogenei in his exacte reuniantur, ſuadet, ut pro illis vitra objectivâ colorata adhibeantur, quo facto, radiis homogeneis tantum tranſitus permitteretur, etſi claritati objectorum quidquam decederet; quod vero in Sole, Luna, Venere, fixis, haud obeſſet, pro reliquis autem remedium afferri poſſet, vitra ejusdem cum ipſis coloris adhibendo. Sequuntur cogitata de *luminis fixarum quantitate & propagatione, ipſarumque diſtantia*, quæ breviter huc redeunt: Si fixæ omnes ponantur Soli æquales magnitudine & quantitate luminis, conſtat, quantitatem lucis relativam, quam fixa in quavis diſtantia a Terra ad hanc emitteret, fore ad quantitatem lucis ſolaris, in ratione inverſa duplicata diſtantiarum fixæ & Solis. Concipiantur nunc plures vortices, noſtrum ambientes, eique æquales, ſitque numerus fixarum in quovis ſtrato ſphærico, cujus centrum ſit Sol, exiſtentium proportionalis ſuperficiei hujus ſtrati, id eſt, quadrato diſtantiæ ejus a Sole; eritque lux tota ab omnibus fixis hujus ſtrati ad nos transmiſſa, vi modo dictorum, ſemper conſtans, (ratione directa & inverſa quadrati diſtantiarum ſe mutuo eliminantibus,) in ratione nimirum duplicata diſtantiæ Solis a Terra ad diſtantiam fixarum proximi ſtrati, ſeu primæ magnitudinis. Invenit vero ex obſervationibus quibusdam diametrum apparentem harum fixarum $\frac{1}{125}$ unius ſecundi, unde colligit diſtantiam earum fere 240000 vicibus majorem diſtantia Solis a Terra; atque inde, ſecundum Cel. *Bouguerii* theoriam de intenſitate lucis, invenit, ſi modo ſpatium ſtellatum eſſet 760 000 000 000, 000 vicibus majus

majus vortice ſolari, quodvis punctum cœli eandem lucem habiturum, ac punctum Solis ejusdem magnitudinis, ideoque lucem totam utriusque hemiſphærii cœleſtis fore 91850 vicibus luce, quam a Sole accipimus, majorem; ſi vero ſpatium hoc repletum eſſet fluido, radios intercipiente, & 330 000 000 000 000 000 vicibus rariori, quam aqua, ſufficere hoc ad lucem totius hemiſphærii adeo minuendam, ut tantum 33 vicibus major evaderet luce, quam in Novilunio pars diſci obſcura refert. Tertia Diſſertatio exhibet *Specimen novæ Theoriæ lunaris*, quæ inprimis continet hypotheſin, quod alter orbitæ lunaris focus moveatur in ellipſi parva, cujus centrum ſit focus, in quo verſatur Terra, vi cujus Tabulas *la Hirii* & *Caſſini* correctiores reddidit. Adjecta eſt methodus facilis, diametrum Lunæ apparentem, ex obſervato transitu limbi integri, & partis falcatæ, vel gibbæ, per meridianum, determinandi. Sequitur tandem ſupellex variarum Obſervationum circa elevationem poli Lauſannæ; inveniendam poſitionem lineæ meridianæ, item locorum Lunæ, Eclipſium, reliquorumque Planetarum, nec non altitudinis nubium ex obſervato inſtanti, in quo a Sole occidente illuminari deſinunt. Plura de rebus modo recenſitis verba facere, inſtituti ratio non permittit. Ceterum Autoris ſtudium, quod in excolenda Aſtronomia poſuit, ejusque obſervationes atque annotationes, quæ theoriæ Cometarum magis perficiendæ inſervire poſſunt, omni laude dignas cenſemus.

*VELDIDENA, URBS ANTIQUISSIMA, Auguſti colonia, & totius Rhætiæ princeps, in tractu præcipue Wilthinenſi & Oenipontano, e tenebris eruta & vindicata, inſertis compluribus adhuc ineditis, quæ per Tyrolim ſuperſunt, monumentis Romanis, ab ANTONIO ROSCHMANNO, J. U. Lic. Almæ Univerſitati Cæſareo-Leopoldinæ a Secretis & Actis, & Illuſtriſſ. Provinciæ Ordinum Hiſtoriographo.*

Ulmæ,

Digitized by Google

Ulmæ, proſtat apud Danielem Bartholomæi & filium, 1744, 4.

Plag. 22.

Ex quo tempore Ordinum provinciæ Tyrolienſis Hiſtoriographus conſtitutus eſt Clariſſimus hujus libri Autor, illud potiſſimum ſibi agendum eſſe cenſuit, ut antiquitates iſtius regionis, minus curioſe adhuc inveſtigatas, e ſitu & tenebris eriperet, ereptasque cum eruditis communicaret. Specimen hujus laboris ex antiquitate profana jam dedit, quando hiſtoriam urbis Veldidenæ, quæ hodie *Wilthen* audit, & juxta Oenipontem ſita eſt, data opera enarravit; ſacræ autem ſimul antiquitatis rationem habens, vitæ S. *Valentini*, Rhætiorum Apoſtoli deſcriptionem vernaculo ſermone concinnavit, de quo libro nuper nos dicere meminimus. Nobiliſſimam & celebratiſſimam urbem fuiſſe olim Veldidenam, totiusque Rhætiæ caput, & ex *Antonini* Itinerario intelligitur, & recentiorum eruditorum haud pauci, quos inter præcipue *Cluverium*, *Lambecium*,
Pag. 2. & Ill. *Maſcovium* noſtrum, Cl. Autor nominat, dictitarunt. In aliam vero conceſſerunt ſententiam viri in orbe literato admodum celebres, *Lipſius*, *Scaliger*, *Gruterus*, alii, qui, *Marci Velſeri* autoritate nimium confiſi, Auguſtam Vindelicorum Rhætiæ caput fuiſſe, ſummopere contenderunt. Contra eos igitur potiſſimum pugnat Cl. Autor, &, Veldidenæ ſua uti honorem, a quibusdam ademtum, reddat, annititur. Tyrolim igitur hodiernam ſub Rhætiæ quondam nomine com-
7 ſeq. prehenſam fuiſſe, oſtendit. Duraſſe hoc uſque ad initium ſexti circiter a Chriſto nato Seculi, aſſeverat, quo, invaleſcentibus in Tridentino tractu Longobardorum rebus, pars iſtius tractus eorum regno accenſita ſit. Reliquam vero Tyrolin, teſte *Aribone* & *Paulo Diacono*, Bojis dominantibus, Noricum fuiſſe dictam, contendit, & exinde varia antiqua documenta iſtius ævi illuſtrat. Seculo tandem decimo tertio integer Comitatus ab arce, ad Atheſin fluvium ſita, & *Terioli* in Notitia imperii Romani occidentalis dicta, Tyrolis compellationem

Digitized by Google

Relionem aſſumſit. Veldidenæ antiquitatem & nobilitatem Cl. Pag. 10.
Autor probaturus, ejus nomen jam in Itinerario antiquo, quod Cel. *Weſſelingius* evulgavit, occurrere, obſervat, illudque Itinerarium primo, aut ſecundo, poſt Chriſtum natum Seculo confectum eſſe, certiſſime ſibi perſuadet. Præter Iti- 14.
nerarium, Veldidenæ mentionem Tabulam *Peutingerianam* quoque injicere, contendit, quæ, quamvis, ex plerorumque ſententia, *Theodoſii* junioris demum ævo confecta ſit, non tamen pro prima haberi debere Cl. Autori videtur. Ex manuſcripto enim Codice, quem Bibliotheca Auguſtana aſſervat, orbem terrarum jam ante iſtius Imperatoris tempora ita fuiſſe dimenſum, docet. Imo, antiquiſſimos jamjam Romanos atque Græcos tabulas geographicas habuiſſe, monet, &, ex eo palam fieri, dictitat, hanc ſuperſtitem tabulam, *Theodoſio* longe antiquiorem, & florentibus olim Romanorum rebus delineatam, eſſe, atque proin inſerta ibi loca antiquiſſima pariter cenſeri poſſe. Adjunxit ei *Notitiam dignitatum utriusque imperii*, quam aut *Theodoſii M.*, aut junioris, tempore confectam eſſe, concedit. Locum 15.
proin Itinerarii iſtius, quod vulgo *Antonini* dicitur, huc facientem, apponit. In Tabula *Peutingeriana*, loco *Veldidenæ*, *Vetonina* ea urbs vocatur, neque, ut in aliis urbibus celebrioribus illa in tabula factum eſt, muri turresque binæ in ea cernuntur. At vero, illam tabulam, prout hodie viſitur, ante Seculum ſextum, aut ſeptimum, non videri confectam, Cl. Autor oſtendit, adeoque mirum non eſſe, quod tot librariorum vitiis depravata ſit, dictitat. Quod autem nullis turribus & muris Veldidenam diſtinxerit hæc tabula, id ideo accidiſſe judicat, quod jam A. 452, immiſſis per *Attilam* copiis, ea urbs fuerit deſtructa. Auguſta quidem Vindelicorum, *Attila* furorem ſimiliter experta, nihilo ſecius binis turribus in iſta tabula nobilitatur. Hujus autem rei ea eſt ratio, quod, uti emporiis & urbibus limitaneis pleruinque contingit, mox reparata videtur. In Notitia imperii in figuris decem locorum 21.
ſub duce Rhætiæ primæ & ſecundæ, ejusque inſignibus, inter

 depicta

depicta caſtra & manſiones, primo ſtatim loco ac ordine, bina
veluti munimenta, majori ambitu & decore præ ceteris inſtru-
cta, conſpiciuntur, quorum priori, *Auguſtanis*, alteri, *Phibia-
nis*, inſcriptum legitur. Per *Phibiana* quid intelligatur, in-
ter interpretes non conſtat. Cl. Autor vero, per *Auguſtana*
Auguſtam Vindelicorum, Rhætiæ ſecundæ metropolin, deno-
tari, concedit, ſub nomine *Phibianorum* autem Rhætiæ pri-
mæ urbem principem latitare, exiſtimat; eamque ſententiam,
Pag. 25. allatis quamplurimis argumentis, quæ ſummum ejus ingenium,
& inſignem Geographiæ antiquæ notitiam, teſtantur, confirmare
laborat. Partem illam Itinerarii *Antonini*, quæ Illyrici, No-
rici, ac Rhætiæ, urbes ac manſiones recenſet, *Auguſti* jam
ævo confectam eſſe, ac proin quoque Veldidenam, toties
per harum provinciarum directiones recurrentem, non ævo
recentiorem, ſed forte antiquiorem, arguere, pronuntiat, imo,
ante *Auguſtum* jam ſtetiſſe, aut ſaltem ſtare potuiſſe, illam ur-
29. bem, fuſe commonſtrare annititur. Coloniam quoque Ro-
manam Veldidenam fuiſſe, affirmat. Solebant nimirum Ro-
mani locis a ſe devictis colonias immittere, tanquam præſidia
partis bello provinciis. Cum igitur Rhætos domuerit *Augu-
ſtus*, dubitari non poſſe, Cl. Autor inculcat, etiam ea in lo-
33. ca colonias fuiſſe deductas. Rhætiæ autem principem dicen-
dam eſſe Veldidenam, ex eo comprobat, quod in Itinerario
*Antonini* ter pro termino aſſignetur, quale de aliis per Ty-
rolin locis non conſtare, & non niſi urbibus nobilibus hoc
accidiſſe, jam *Bergierius* & *Cellarius* obſervarunt. Cum ve-
ro, prout jam ſupra vidimus, *Marcus Velſerus* aliter longe his
de rebus judicet, Vindeliciam & Rhætiam propriam in unam
provinciam coiviſſe ſtatuens, atque Auguſtam Vindelicorum
ejus fuiſſe metropolin aſſeverans, eo, quod urbes Auguſtæ,
quæ a populis cognomina acceperunt, iſtorum populorum
principes urbes fuerint, ejus verba, huc pertinentia, diligenter
Cl. Autor apponit, ut de hac controverſia eo melius lector
41. judicare poſſit. Ad ejus dein placita convellenda accedens,
Rhætos & Vindelicos a ſcriptoribus antiquis conſtanter a ſe
invicem

Digitized by Google

invicem diſtingui, monet, eamque in rem locum *Horatii*
*Carm. IV, 4, 17*, affert, ibique voculam & in optimis editio-
nibus comparere, obſervat. Lapides etiam *Tacito* adhuc re- Pag. 54.
centiores, quibus verba, *Rhætiæ & Vindeliciæ*, ſunt inſcripta,
exhibet. Inſuper, Auguſtam nunquam dici *coloniam Rhæ-* 56.
*tiæ*, ſed ſemper *Vindelicorum*, obſervat. Quamplurimas au-
tem in Rhætia colonias fuiſſe, ex Inſcriptione, quam ipſemet
jam *Velſerus* edidit, Cl. Autor oſtendit. Nummos, quos *Vel-* 57.
*ſerus* pro ſua ſententia attulit, neutiquam rem conficere, in-
ſigni doctrina atque acumine docet. Auguſtam quidem Vin- 60 ſeq.
delicorum coloniam eſſe, a *Druſo* deductam, atque in *Au-*
*guſti*, patris adoptivi, honorem, nomen hoc obtinuiſſe, Cl.
Autor concedit, teſtimonium *Sexti Rufi* pro hac re ſtabi- 71.
lienda adducens. At vero, Rhætos atque Vindelicos ab an- 74.
tiquis ſcriptoribus vere a ſe invicem diſtingui, adducta inſi-
gni exemplorum copia, iterum inculcat. Rhætiam vero ſecun- 75 ſeq.
dam, cujus metropolis Auguſta exſtitit, non niſi ubivis jam
concuſſo a barbaris imperio, neutiquam vero *Hadriani* ævo,
ut aliis viſum, innotuiſſe, obſervat, quamplurimos locos, huc
facientes, apponens. Rhætiam & Rhætos jam A. U. C. 640, 79.
adeoque centum annis prius, quam Vindelicos, Romanis cogni-
tos fuiſſe, ex *Plutarcho* & *Strabone* oſtendit, imo & alia monu- 89.
menta, ultimam iſtius gentis antiquitatem probantia, affert.
Summopere Rhætorum fortitudinem miratos eſſe Romanos, & 91.
loca, quæ inhabitarunt, muri inſtar imperio Romano poſtea fuiſ-
ſe, commonſtrat. Montis *Brenneri* Tyrolenſium jam apud 96.
*Herodotum*, *Strabonem*, alioſque ſcriptores, mentionem fieri,
ex quamplurimis eorum locis confirmat. Voces etiam *Pyre-* 99 ſeq.
*ne*, & *Pyrenei*, non tam a Græco πῦρ, quam potius a Celti-
co *Brenner*, deſcendere, & cacumen montis deſignare, ſtatuit,
Cl. *Wachterum* noſtrum in *Gloſſario Germanico* conſentientem
adducens. Incolæ iſtius tractus, *Brenni*, aut *Breuni*, per 103.
errorem vero *Brenci*, ac *Breuci*, paulo poſt vero rurſus
nomine *Briones*, ac *Breones*, moxque iterum non ſine vitio
*Ibriones* ac *Paones*, dicti ſunt. Ut igitur, gentes illas an-

tiquiſſimis jam temporibus innotuiſſe, Cl. Autor oſtenderat,
ſcriptores, qui illorum meminere, ſecundum ordinem, id eſt,
Pag. 105. ætatem, adduxit, ex quibus omnibus liquet, Brennos illos
Rhætiæ incolas, Rhætos autem a Vindelicis diverſiſſimos, fuiſſe,
cum hi Galli, ſeu Germani, Illyriique, fuerint, illi contra
e Græcia, Lydia, terra Chanaan, ſive ex Ægypto, in Italiam
delati, id quod *Maffæus* jam in *Originibus Etruſcis* oſtendit,
& per plura dein Secula huic ipſi imperitaſſe Italiæ, dicantur.
Urbes etiam Rhæti nonnullas exſtruxerunt, quarum multas
poſtea in bello Rhætico expugnarunt Romani, quemadmo-
dum *Vellejus* teſtatur de condito Tridento, & de altera ad
Brennenſes urbe *Plinius*. Hunc vero morem apud Gallos non
viguiſſe, eosque vicatim ſine muris habitaſſe, *Polybius* affir-
mavit. Omnia hæc Cl. Autor diligenter & copioſe compro-
bat, atque *Velſeri*, unam eandemque Rhætorum ac Vindelico-
115. rum fuiſſe gentem, ſtatuentis, ſententiam explodit. His præ-
miſſis, Veldidenam *Auguſti* coloniam fuiſſe, oſtendere an-
nititur. Monſtrat primo, moris apud Romanos fuiſſe, in lo-
ca a ſe devicta colonos mittere. Oſtendit dein ex *Vellejo*, in
bello, contra Rhætos geſto, multas urbes & caſtella *Auguſtum*
per ſuos expugnaſſe. Hinc, eum, pro more Romanis ſolenni,
hæc in loca deduxiſſe colonos, & vero videtur ſimile, & lo-
121. cus *Dionis* appoſitus haud obſcure indicat. Rhæti inſu-
per, gens admodum bellicoſa, coloniarum fræno coercendi
erant. Hinc *Auguſtus* ipſemet poſt bellum confectum ſe in
Rhætiam contulit, (id quod A. U. C. 740 factum eſſe, in vita
*Horatii* ſtatuit *Maſſonus*,) ibique res Rhæticas conſtituit, quo
in negotio præcipua ei coloniarum cura fuiſſe utique vide-
tur. Et, quamvis Autores, qui de coloniis *Auguſti* nonnulla
prodiderunt memoriæ, nullius in Rhætia neque ab *Auguſto*,
neque ab aliis, deductæ coloniæ meminerint, Cl. Autor tamen
ex collectoribus Numiſmatum atque Inſcriptionum varia, huc
pertinentia, detexit. Tridentum igitur, nec non Teriolos &
Veldidenam, colonias deduxiſſe *Auguſtum*, pro certo ſtatuit.
123. De Tridento Inſcriptionem aliquam probationis loco attulit,
pro-

pro reliquis autem conjecturis duntaxat militat, neque ipſi probabile videtur, Veldidenam, quæ in Itinerario ter pro termino aſſignata eſt, adeoque urbs nobiliſſima fuit, honore coloniæ caruiſſe, qui tamen Teriolis & Tridento contigerit. Ulterius Pag. 124.
tamen in ſubſequentibus hanc ſuam de Veldidena ſententiam confirmaturus, nummum aliquem ex *Mediobarbo*, nunquam hactenus explicatum, adducit, ejusque inſcriptionem, ex meris ſiglis conſtantem, per verba: *Colonia Auguſta*, *Latina Veldidena Emerita Rhætorum*, exponit, hujusque interpretationis rationem in ſubſequentibus reddit. Certe, ſi hæc num- 126.
mi explicatio admittatur, res omni carebit dubio. Non autem patitur hic locus, has de hoc nummo Cl. Autoris conjecturas ad amuſſim vocare; ſed eas potius eruditi lectoris judicio & examini relinquimus, hoc interim affirmantes, ejus in interpretatione nummorum ſolertiam omnium admirationem & plauſum promereri. A. 356 a Suevis Veldidenam fuiſſe deletam, ob locum *Ammiani Marcellini Lib. XVI* quibusdam videri poterat. Verum illum locum de Rhætia ſecunda, quæ antiquis Vindelicia dicta eſt, Cl. Autor exponit, &, per Suevos hic *Alemannos* intelligendos eſſe, ſibi perſuadet. Quodſi enim tunc periiſſet Veldidena, ejus nullam mentionem injicere potuiſſe Tabulam *Peutingerianam*, quippe quæ hujus ætatis ſit, dictitat. *Velſerus*, etſi *Auguſtam* totius Rhætiæ caput & 139.
urbem principem fuiſſe, exiſtimet, *Curiam* tamen Rhætiæ primæ alterum fuiſſe caput, ſimul affirmat. Cum autem luce meridiana clarius ſit, urbes principes in directionibus Itinerarii aut capita, aut terminos, fuiſſe, inſuperque Curia *Conſtantii* Imperatoris tempore non ſit antiquior; facile hanc *Velſeri* ſententiam confutavit Cl. Autor, *Cellarium*, hac in parte 140.
ſecum facientem, adducens. Tridentum caput Rhætiæ fuiſſe, *Cluverius* cenſuit. Ejus autem urbis cum ne quidem Notitia imperii meminerit, cumque *Antoninorum* jam ævo non ad Rhætiam amplius, ſed ad Venetum tractum, ea civitas relata fuerit, prout ex *Ptolemæo* poteſt intelligi; facile patet, quam longe & hæc *Cluverii* ſententia a vero diſtet. Similiter *Freins-*



Digitized by Google

*hemium*, qui in Supplementis *Livianis*, *Druſomagum* Rhætiæ caput fuiſſe, dixit, Cl. Autor confutat. *Druſomagum* nempe ho-
Pag. 143. diernum *Balſanum* eſſe, ponit. Qui locus quamvis ad Rhætiam olim pertinuerit, & antiquiſſimus planeque nobilis ſit, eum tamen cum Veldidena comparari poſſe, Cl. Autor negat, cum nullum adſit in nummis, lapidibus, vel ſcriptoribus, coloniæ Romanæ eo deductæ veſtigium, ex quo tamen dignitas urbium inprimis intelligitur. Neque titulus *Auguſtæ* ei tribuitur, neque unquam in Itinerario occurrit tanquam caput directionis, neque in Notitia imperii locum invenit, quæ omnia de urbe principe neutiquam dici poſſunt. Veldidenam anno Chriſti quingenteſimo octavo a Bojis deſtructam fuiſſe, *Aventinus* prodidit. Verum hæc *Aventini* narrata dudum a *Velſero*, *Brunnero*, atque aliis rerum Bojicarum ſcriptoribus, jam exploſa ſunt. Veldidenam ergo ſtatim poſt medium Seculi quinti funditus everſam eſſe, Cl. Autor pronuntiat, neque
145. Bojos, ſed Hunnos, illam deleviſſe urbem, contendit. Hujus ſententiæ rationem redditurus, profitetur quidem, certis ejus ævi teſtimoniis hoc confirmari non poſſe; interim tamen, admodum crudeliter cum univerſa Rhætia *Attilam* egiſſe, ex eo intelligi poſſe credit, quod in adverſos ei admodum durus fuerit. Cum autem probe noſſet, Briones, ſive Breones, (ſub quo nomine tum latuiſſe omnes Tyrolenſes, Cl. Autor pro certo ſumit,) *Aetio* adverſus illum auxilia in Galliis præſtitiſſe, genti iſti eum infenſiſſimum fuiſſe, & ejus delendi occaſionem avidiſſime arripuiſſe, non vane licet augurari. Cum *Aetio* autem Breones contra *Attilam* dimicaſſe, *Jornandes* & *Fre-*
147. *culphus* commemorant. Inſuper duabus adhuc aliis conjecturis ſententia hæc fulcitur. *Gregorio* nempe *Turonenſi*, qui Seculo inſequente ſexto floruit, non amplius cognita fuiſſe Veldidena videtur, & Geographus ille Ravennatenſis, qui Seculo ſeptimo videtur vixiſſe, eam urbem plane ſilentio præterijt. Certe, ſi ævo adhuc illo urbs princeps fuiſſet Veldidena, ejus duumviri iſti haud dubie meminiſſent. Alii viri docti contrariam huic hac de retulerunt ſententiam. Propter na-

tam

Digitized by Google

tam ſcilicet, ſenſimque auctam, urbem Oenipontanam, Veldidenam decreviſſe, imo ex ejus ruderibus incrementa ſumſiſſe Oenipontem, dictitarunt. Falſo, ex mente Cl. Autoris, qui, eos confutaturus, obſervat, illud oppidum valde re- Pag. 194.
motum, & ultra Oenum ad pedem pagi Hœttingenſis ſitum fuiſſe. Hodie adhuc uberrima antiquitatum circa Veldidenam n[illegible]is eſt, cum inſignis urnarum, numiſmatum, lapidumque veterum, effodiatur ſubinde numerus, ex quo Cl. Autor colligi poſſe dicit, locum illum ambitu quondam ſuo ampliſſimum, Romanorum frequentia nobilem, & dignitate ceteris præſtantiorem, fuiſſe. Capitolium quidem, circi, theatra, thermæ, templa, in aliis Romanorum coloniis obvia, hic deſiderantur, & ex hoc fundamento nonnulli, Veldidenam fuiſſe coloniam Romanam, ſubdubitarunt. At enim vero, in ipſa Roma has antiquitatis reliquias ſæpius fruſtra quæri, *Joannes Jucundus Veronenſis* ante duo jam Secula & dimidium conqueſtus eſt. Quod ſigillatim ad theatra attinet, forte jam Etruſcorum tempore ac more ea his in locis lateritia fuerunt, & hinc eo facilius potuerunt deſtrui. Credidit inſuper non raro religioſa nimis Chriſtianorum ſollicitudo, e re catholica eſſe, hæc paganorum monumenta funditus everti, quod præcipue etiam cum lapidibus factitatum eſt, quibus quippe Deorum Dearumque nomina ſubinde inſcripta erant. Cumque hoc ipſum Veronæ, urbi ampliſſimæ, & omni ævo ſplendidiſſimæ, *Maffæo* teſte, acciderit, Veldidenam, funditus everſam, eandem ſortem habuiſſe, nemo mirabitur. Inter præcipua monumenta, illic reperta, quæ *Au-* 160.
*guſto* adhuc antiquiora videntur, Cl. Autor lapides milliares quatuor, inſcriptionibus carentes, numerat, cum dictus modo *Maffæus* jam obſervaverit, *Auguſti* tempore primum lapidibus hiſce inſcriptiones fuiſſe inditas. Neque 162.
præter rem Cl. Autor optat, ut juſſu Principis lapides tam inventi, quam adhuc forte inveniendi, in locum aliquem publicum convehantur, & ibidem ordine repoſiti, in communem utilitatem literariam, omnibus, præſertim vero antiquitatum ſcrutato-

Pag. 263. ſcrutatoribus, pateant. Veldidenæ nomen in medio ævo pro barbarie temporum vehementer depravatum eſt, & in tabulis Tyrolenſibus iſtius ævi *Willetein*, *Wyllentin*, nec non *Wilthan*, hic locus vocatur. Cumque ager vicinus fruticibus & dumis obſitus eſſet, inde nomen *Wiltau* exſtitit; quamvis in tabulis publicis nullus, aut ſaltem rariſſimus, iſtius compellationis uſus ſit. Hodie communiter *Wilthen* dicitur. Solent enim Germani nomina urbium Latina contrahere, uti ex quamplurimis exemplis conſtat. Et hunc quidem in modum Veldidenæ ſuæ antiquitatem Cl. Autor expoſuit. Applaudimus nos ampliſſimæ, quam ille ſibi acquiſivit, hiſtoriæ veteris notitiæ, ſummopere optantes, ut antiquitatum Tyrolenſium enarrationem, quam meditatur, tam præclare cœptam, ad umbilicum feliciter perducat. Aſſurget ei omnis eruditorum chorus, & his conatibus nos quoque inter primos favebimus & ſuffragabimur.

---

## *NOVA LITERARIA.*

Apud viduam *Caſp. Fritſchii* & *Bernh. Chriſtoph. Breitkopfium* venalis proſtat *Tomus primus Novi Theſauri Linguæ Latinæ*, a *Jo. Matthia Geſnero* editus in folio. Pretium ei conſtitutum eſt unius aurei Batavi; eodemque venient etiam ceteri *Tomi*; quorum *ſecundus* & *tertius* menſe Septembri proximo, *quartus* autem & *ultimus* futuri anni mercatu vernali, prodibunt. Magnam Opus habet commendationem chartæ & typorum; majorem diligentiæ atque doctrinæ; quam comparando cum ceteris hujus generis libris tantam reperient intelligentes, ut ei principatum in ſuo genere facile ſint conceſſuri. Ceterum de hoc Opere pluribus agemus, Deo volente, ubi *ultima* ejus *Pars* prodierit. Jam, ne nihil dicamus, elegantioribus literis læta illa, quæ ex inſigni hoc Opere certiſſime exſpectari poſſunt, incrementa, & magnum hunc ſuæ dignitatis vindicem, qui inter paucos labantia humanitatis ſtudia egregie fortiterque ſuſtinet, *Geſnerum*, gratulamur.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Junii Anno* MDCCXLVII.

*Pars II.*

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ, &c.

id eſt,

*ORIGENIS OPERA OMNIA, QUÆ GRÆCE, VEL Latine tantum, exſtant, & ejus nomine circumferuntur. Ex variis editionibus, & Codicibus manu exaratis, Gallicanis, Italicis, Germanicis, & Anglicis, collecta, recenſita, Latine verſa, atque annotationibus illuſtrata, cum copioſis Indicibus, vita Auctoris, & multis Diſſertationibus. Opera & ſtudio Domini CAROLI DE LA RUE, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.*

*Tomus II.*

Pariſiis, typis Jacobi Vincent, 1733, fol.

Alph. 10 plag. 13.

Quæ *primo* novæ hujus editionis *Volumine* Syntagmatum nomine exhibentur *Origenis* ſcripta, ea olim, cum argumentum illius exponeremus, ordine ſuo commemoravimus. Sequuntur jam *Commentarii*, quibus ſacræ Scripturæ libros olim interpretari aggreſſus eſt *Adamantius*, & qui Exegeticorum nomine vulgo veniunt, quorum tamen tanta pars temporis injuria jam pridem interiit, ut non niſi vel Græcæ orationis, vel Latinæ tantum interpretatio-



Digitized by Google

nis, fragmenta ad noſtram ætatem pervenerint. Et præſens quidem *Volumen* ea complectitur, quæ in nonnullos Veteris Teſtamenti libros, in *Pentateuchum*, in *Joſuam*, *Judices*, *Ruth*, *libros Regum*, *Jobum*, & tandem in *Pſalmos*, nobis ſuperſunt, ex parte jam typis excuſa, ex parte vero nondum in lucem edita. Quæ, interprete *Rufino*, tantum Latine exſtant, ea Cl. Editor ad veterum MStorum fidem recenſuit. Græca unde huic editioni acceſſerint, peculiaria docent *Monita*, quæ Commentariis vel inferius adjecta, vel ſingulorum etiam fronti præfixa, fuerunt. Sunt vero illorum Græcæ orationis non pauca, quæ ibi leguntur, eademque ſæpe prolixa, fragmenta; erant adhuc plura, ſed prudens tenendus erat eorum delectus, ne pro veris & genuinis admitterentur ſuppoſititia. Conſtat enim, multa quidem ſub *Origenis* nomine circumferri, præſertim in antiquis Patrum Græcorum Catenis, tum MStis, Pariſienſibus nempe & Anglicanis, tum iis, quæ a *Corderio*, *Barbaro*, *Ghiſlerio*, *Comitolo*, *Patritio Junio*, aliisque, fuere editæ; at vero, cum fidem iis tuto habere non liceat, & vel ſcriptorum, e quorum fragmentis Catenæ ſunt compilatæ, ita perſæpe inter ſe confundantur nomina, ut, quæ una illarum adſcribit *Origeni*, eadem alii tribuat altera; vel etiam unanimi illæ conſenſu fragmentum aliquod *Origeni* vindicent, quod tamen ipſius non eſſe, aliunde probatur; hinc non niſi ea Vir doctus huic editioni inſerenda eſſe exiſtimavit, quæ vel ex *Rufini*, *Hieronymi*, aliorumque, antiquis interpretationibus *Origenis* eſſe conſtabat, vel falſo huic adſcripta fuiſſe, ex aliorum in ſacram Scripturam commentationibus probari non poterat. Reliqua, quæ hujus generis non erant, ſcripta, aut ſcriptorum fragmenta, prudenti ille conſilio omiſit, exceptis tantum duobus, quorum prius *tres Libros in Jobum*, qui ad finem hujus *Tomi* leguntur, poſterius prolixum *in Jobum Commentarium*, exhibet, qui, ne præſens *Volumen* in molem excreſceret, *tertio* Græce & Latine accedet. Hos libros, quamvis *Origenis* nomen aperte mentiantur, tamen, quia in *Genebrardi* editione habentur, non æque facile omittendos eſſe, Noſter exiſtimavit, ne, ſi in præſenti deſiderarentur, juſtam

conque-

conquerendi cauſam præberet Lectoribus. Ceterum unicuique Librorum adjectæ ſunt variantes Codicum MStorum lectiones, præterea notæ & animadverſiones, quibus vel ſacræ Scripturæ loca, vel antiquitates, eccleſiaſticæ æque ac profanæ, ſubinde illuſtrantur, interdum etiam, quæ male & incongrue ab *Origene* aſſerta ſunt, caſtigantur. Accedunt *Monita*, ut dicuntur, ſingulis librorum præfixa, quibus, quæ ad cujusque hiſtoriam ſpectant, Autor expoſuit, eadem plane, quam in *primo Volumine* ſervavit, methodo, de qua ut iterum verba faciamus, opus non eſt. Omni tamen ſilentio præterire non poſſumus, quæ fuſe & oportune ille de methodo diſputat, quam in interpretatione Scripturæ propriam ſibi & peculiarem fecit *Origenes*. Conſtat nimirum, quando iſte Librorum ſacrorum egit interpretem, ſenſus literalis dignitatem raro ab eo ſervatam, potius ingenio ſuo indulſiſſe eum, & allegorias quæſiviſſe in iis etiam locis, ubi, præter *Origenem*, nemo eas ante quæſiverat, multo minus invenerat; quod ſicuti nullus, qui in Patris hujus, cetera doctiſſimi, lectione librorum verſatus eſt, facile inficias iverit, ita, operæ pretium facturos nos eſſe, exiſtimamus, ſi, quam in Præfatione Vir doctus dedit *Origenianæ* illius methodi brevem & ſuccinctam delineationem, eam inde exhibeamus. Tota vero redit ad ſequentia capita: *Quod* 1) *triplex ſit Scripturæ ſenſus, literalis, moralis, & myſticus, ſeu allegoricus;* 2) *triplex iſte ſenſus non ubique Scripturarum reperiatur;* 3) *ſi generatim res ſpectetur, ad inſtitutionem & ædificationem ſimplicium ſenſus literalis ſufficiat;* 4) *ſæpe tamen litera in ſe habeat falſa, abſurda, ſecum pugnantia, impoſſibilia, & cetera hujusmodi, unde nati ſint errores propemodum infiniti;* 5) *myſticus, ſeu allegoricus, ſenſus nitatur autoritate Novi Teſtamenti, ſitque omnino neceſſarius, ut ab adverſariis tuta maneat veritas Scripturarum, & ipſa Deo digna efficiantur;* 6) *difficillimum ſit, imo impoſſibile, myſticos aſſequi ſenſus, quos in ſe complectatur Scriptura;* 7) *iis tamen aſſequendis conducere queant regulæ ſequentes: Primum, ſi lex cerimonialis adeo tota figuris plena exiſtimetur, ut ſingula Scripturarum loca, quæ ad illam referuntur,*

*runtur, ne uno quidem excepto, non literaliter, ſed myſtice tantum, accipiantur; deinde, ſi, ubicunque ſermo eſt de Jeruſalem, de Ægypto, Babylone, Tyro, aliisque locis terrenis, totum id referatur ad cæleſtia loca, quæ animarum ſint habitacula; ac demum, ſi ad myſticum ſenſum confugiatur, & litera deſeratur, quoties falſa, inutilis, ac Deo indigna, viſa fuerit.* Omnem his legibus Scripturarum interpretationem adſtrinxiſſe *Origenem*, Noſter deinde, per ſingula eundo capita, diſertis comprobavit illius teſtimoniis. Poſtea ſuas ipſe adjecit animadverſiones, quibus integrum Syſtema docte examinavit, &, quid in eo reprehendendum, & ab Eccleſiæ Doctoribus reprehenſum jam olim fuerit, poſtquam fuſe commemoravit, recte tandem aſſeruit, frequentem allegoriarum uſum periculo non vacare, & in iis etiam locis, ubi figurati ſenſus veritas in dubium vocari nequeat, ſumma cautione opus eſſe, ne illius prætextu detrimentum aliquod patiatur ſenſus hiſtorici veritas.

## *JACOBI PEIRCII PARAPHRASIS ET NOTÆ philologicæ atque exegeticæ in Epiſtolam ad Hebræos. Latine vertit, & ſuas ubique Obſervationes addidit, JOANNES DAVID MICHAELIS, Phil. Prof. Publ. in Academia Georgia Auguſta.*

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus bibliopolii Lüderwaldiani, 1747, 4.

Alph. 2 plag. 5.

Editis ante annum *Georgii Benſonii* laboribus exegeticis in Epiſtolam *Jacobi*, & a Cl. Editore in linguam Latinam converſis, ſpecimen nunc ſuccedit ſecundum, quod circa celeberrimi *Peircii* occupationes literarias, in Epiſtolam *Pauli ad Hebræos* collatas, verſatum, & eandem præ ſe fert diligentiam Interpretis, quam ex ſuperiori jam perſpectam habemus atque cognitam. Gratiam hinc a Lectoribus nos inituros eſſe ſperamus, & plane confidimus, ſi faciem hujus libelli depictam atque delineatam propius adſpiciendam ipſis

 præbea-

Digitized by Google

præbeamus. Frontem libelli exornant *Joſephi Halletti* junioris conatus, ad detegendum Epiſtolæ ad Hebræos ſcriptorem, linguamque, qua ſcripta primum eſt, inveſtigandam, relati. Notiſſimi jam unicuique iſti ſunt Commentarii, ex quo ſcilicet tempore B. *Wolfius* hanc diſquiſitionem *Tomo tertio Curarum* ſuarum *philologicarum & Criticarum* adjecit, Latina civitate donavit, & obſervationibus ſuis adauxit. Ex eo etiam factum eſt, ut Editor noſter adornandæ novæ verſionis Latinæ labore ſuperſedere poſſet, dummodo adjiceret, quæ ex induſtria B. *Wolfius* omiſerat, & quæ pro *Halletto* defendendo contra illum in medium proferenda erant. Ex iisque cauſis, in controverſiam actis, quædam delibabimus, reliqua omiſſuri, ne cramben bis ſæpiusque coctam apponamus, cum ſatis jam conſtet, *Hallettum Paulo* Apoſtolo non ſolum has literas vindicaſſe, ſed pro lingua etiam Hebraica, ſive Syro-Chaldaica, tanquam originaria harum literarum, acerrime pugnaſſe. *Hallettus* inprimis facilitatem firmam, qua Hebræi circa uſum linguæ Syriacæ pollebant, in cauſa ſua urſerat. Sed *Wolfius* refellit hanc ſententiam ex eo capite, quia, non ad Judæos Hieroſolymitanos, ſed Aſiæ incolas, ſcriptam videri ſibi Epiſtolam, dicebat, addendo, Apoſtolum alios credentium uſu Epiſtolæ excluſos non voluiſſe, hinc Græce fuiſſe ſcribendam. Ad hæc regerit Noſter: Fieri non potuiſſe, quin illa lingua, quam intelligerent omnes, ſcriberetur Epiſtola, & ea potiſſimum, qua utebantur illi, ad quos primo mittebatur. Hinc, rem ſatis alienam Apoſtolum feciſſe, ſtatueretur, ſi Græcis literis, ad Hieroſolymitanos ſcribens, uti voluiſſet. In eo nunc cardo rerum verſatur, ut dilucidius exponatur, Hieroſolymitanos primos harum literarum ex mente Apoſtoli fuiſſe lectores atque auditores, quod in peculiari diſquiſitione oſtendere conatus eſt Interpres noſter, de qua mox dicendi erit occaſio. Jam in ſtadio incepto pergimus, ea attingentes argumenta, quæ *Hallettianis* ſunt adjecta, ea nimirum ratione, ut evincatur, Hebraice hanc ad Hebræos ſcriptam fuiſſe Epiſtolam. Refertur huc Græca ſcribendi forma, quam minime cum *Pauli*

Pag. 36.

38.

convenire ſtilo, Noſter ait, & tribus exemplis illuſtrat. Deinde ad hanc claſſem etiam vocantur dicta Vet. Teſtamenti, quæ in contextu Græco ita leguntur, ut nihil ad *Pauli* ſcopum facere videantur; qui tamen facile apparet, ſi ex Hebraico textu, aut Chaldaica *Onkeloſi* paraphraſi, nervus demonſtrandi excite-
Pag. 39. tur. Confertur hanc in rem teſtimonium *Pauli* ex *Cap. IX*,
*23*, coll. *Geneſ. XLVII*, *31*, ex quo evincitur, *Jacobum* moribundum tanquam ſupplicem, & gratias Deo agentem, ſiſti, quanquam ex Græcis literis vix tale quid erui poſſit. Poſt hæc reliqua hujus rei enarrantur argumenta, & fidenter in hanc pronuntiatur ſententiam, Epiſtolam hanc Hebraice ſcriptam quidem, ſed a viro ſancto ac divinitus afflato in ſermonem Græcum ſumma cum diligentia translatam eſſe, quod aliis etiam contigiſſe Epiſtolis *Paulinis*, affirmatur. Reſponſiones denique ad prolatas objectiones finem huic Commenta-
48. tioni imponunt. Excipit hanc *Michaelis* noſtri diſquiſitio de Hebræis, ad quos data eſt hæc Epiſtola *Pauli*, deque ejus ſcopo & occaſione. In aciem hic primo producitur triplex doctorum ordo, qui de eadem re, ſed diverſis armis, diſceptarunt. Autor ei ſe adjunxit parti, quæ de Hieroſoly-
50. mitanis hic cogitat lectoribus. Adſtruit hoc effatum tam ex univerſæ antiquitatis conſenſu, quam ex Epiſtolæ inſcriptione, quam ei tribuunt Patres, & quæ ad Judæos illos pertinere videtur, qui, Palæſtinam colentes, Hebraice loquebantur, cum reliqui Judæi tunc temporis jam Helleniſtæ audirent. Reliqua argumenta ex ipſis Epiſtolæ viſceribus ſunt depromta, ex qua apparet, res circumſtantes, ibi occurrentes, non admittere, ut de diſperſis per Græciam, Macedoniam, Aſiamque, cogitare queamus, quin imo reliquarum eccleſiarum ſtatum plane ab eorum eſſe ſeparatum conditione,
54. ad quos Apoſtolus has literas dedit. His omnibus additur, *Paulum* in Epiſtola ad Hebræos ne unico quidem in loco de tolerantia gentium mentionem injicere, cum tamen in reliquis Epiſtolis nihil habeat prius & antiquius, quam ut Chriſtianos de ea graviſſime admoneat, quo ex Judæis & gentibus converſi homines amorem mutuum magis magisque colerent,

& hinc

Digitized by Google

& hinc veri non diſſimile videri, ad Hebræos Hieroſolymi- Pag. 56.
tanos has literas eſſe perſcriptas. In diluendis objectionibus
cum B. *Wolffio* rem inprimis habet Autor, non infeliciter pu-
gnans. Præterea, ex Italia hanc Epiſtolam eſſe datam, cum
in prioribus adhuc vinculis Romanis *Paulus* detineretur, cir- 59.
ca tempus paſchale, ex quibusdam non contemnendis ratio-
nibus dicitur, & ea quidem occaſione, cum eccleſia Hiero-
ſolymitana poſt mortem *Feſti*, Pontifice atroci *Anano*, ma-
ximis urgeretur calamitatibus. Ad Commentarium ipſum
*Peircii* accedimus, de quo conſtat, quod in ſectiones pluri-
mas dividat hanc Epiſtolam, quibus ſingulis ea, quæ continen-
tur, ſtrictim præmittuntur, ipſa textus verba circumlocutio-
nibus doctis deſcribuntur, & annotationibus muniuntur, qui-
bus ſuas etiam adjecit Cl. Editor lucubrationes. Initium ver- 64.
borum Apoſtolicorum ex translatione Interpretis noſtri ita
fluit: *Idem Deus, qui per particulas, & variis rationibus, men-*
*tem ſuam ſub priſci Fœderis œconomia notam fecit Judæorum*
*patribus, voce Prophetarum, per ultimam hanc œconomiam,*
*ſeu tempore Meſſiæ, ad nos locutus eſt per filium.* Ultimi dies,
ex mente doctiſſimi *Michaelis*, dicuntur ideo, quia ſeculum
Meſſiæ extremum eſt orbi terrarum, & ſub hoc nomine vel
majus, vel minus, temporis ſpatium contineri arbitratur. Ar-
ctius tamen iſtam appellationem eſſe conjungendam cum tem-
poribus rei publicæ ſacræ Judæorum putamus, ſecundum quæ
ultima ſunt tempora iſta, ſub quibus Servator in his terris
vitam agebat. Poſt ea ſcilicet, parvo interjecto annorum in- 67.
tervallo, omnis ruebat res cerimonialis, & ſub ruderibus
templi ſepulta manebat. Circa easdem paginas nobis arridet
explanatio vocabuli Hebraici ירש, hic annotanda, quod non
*hæreditandi* primum ac proprium habere ſignificatum affirma- 68.
tur, ſed *occupandi*, a רשת ſcilicet, ſeu *capiendis* piſcibus,
ita dictum, uti תירש, quod caput occupare ſolet. Per αἰῶνας
*Peircius* recte intellexit res, quæ videntur, omnes, in tem-
pore conditas, quam explanationem contra *Oederum* docte
metur Noſter, cum oſtendit, vanas eſſe ætates eccleſiæ per
Chriſtum digeſtas, ab illo in hoc teſtimonio ingenioſe fictas.

Idem

Digitized by Google

Idem *Peircii* caſtigat ſententiam, quam de Filii Dei eſſentia
Pag. 71. alia, quam Patris, incautius & pro more hodierno civium ſuorum
80. rum ſcripſerat. Tempus, quo ſedere cœpit Salvator in ſolio
gloriæ, ſeu quo rex unctus & conſtitutus eſt, incidere in
*παλιγγενεσίαν*, ſeu ſecundos natales excitati a mortuis, & in
vitam revocati, Chriſti, ex quo vocabulum היום explicandum
dum eſſe, putat Anglus, addens, Chriſtum, cum jam aliis
nominibus filius Dei eſſet, tum hoc inprimis ita celebrari,
83. quoniam illi occiſo novam Deus pater vitam indidit, qui excitaſſe
citaſſe eam ex mortuis dicitur. Circa verba: *Ego vero pater
ter ipſius, & ipſe mihi erit filius*, amplam & doctam Cl. *Michaelis*
*chaelis* inſtituit diſputationem cum *Peircio* & *Whiſtono*, excitationi
tationi Apoſtolicæ ita conſulens, ut autoritatis divini ſcriptoris
ris ratio ab illo habita eſſe intelligatur. Eandem etiam diligentiam
95. gentiam in reliquis, a *Paulo* adductis, teſtimoniis collocatam
laudamus, quæ in eo maxime eſt conſpicua, quia labores *Peirciani*
*ciani* & ſupplentur, & diligentiſſime expenduntur, rationibus
96. rerum & verborum ubique additis. Phraſis Græca: *λέγει
πρὸς τοὺς ἀγγέλους*, *de angelis dicit*, recte exponit Anglus,
cui hoc addit roboris Noſter, quod accurate hæc reſpondeat
ſpondeat Latinæ illi: *Aliquid in aliquem dicere*, ad quæ
conferri iubet *Luc. XX*, 19, *Rom. X*, 21. Ceterum, ne ad verbum
bum *λέγει* nomen, *ὁ Θεὸς*, ſuppleatur, cavet; nec enim Deum
ipſum in *Pſalmo CIV*, ſed Poetam ſacrum de Deo, loqui, adſtruit.
104. ſtruit. Idem occaſione *Davidicæ* vocis, ex *centeſimo ſecundo
do Pſalmo* a *Paulo* repetitæ, affirmat, hanc *Davidicam* cantionem
nem ſpectare ad tempora exilii Romani, in quo ad hunc uſque
diem verſatur gens miſera Judaica. Rationes hujus aſſerti ſequentes
quentes affert; quia Sion urbs collapſa, & in ruinas redacta,
dicitur; quia gens tota Iſraelitica vagabunda, & reſtitutionem
deſiderans, deſcribitur; quia reſtitutionis fructus erit, ut
gentes Jehovam revereantur & colant. Hæc omnia quam accurate
curate ſint dicta, non diſquirimus. Maxima, præter alias,
nobis hic difficultas expedienda videtur iſta, qui fieri queat,
ut de Judæis, qui noſtro tempore ſunt ſuperſtites, dici
poſſit, eos preces unquam ad Jehovam facere, cum Meſ-
ſiam,

Digitized by Google

ſiam, tanquam deprecatorem omnium hominum, aſpernan-
tur, & maximis conviciis afficiunt. Id quidem recte af-
firmari poſſe putamus, hanc cantionem eſſe propheticam, atque
ad exulem ſpectare Judæum, non quidem ex Romano exilio
ſuperſtitem. Quo etiam voces Rabbinorum referendæ ſunt, ab Pag. 105.
Autore noſtro in medium prolatæ. Angelos λειτουργικὰ 114.
πνεύματα eleganter Noſter dici putat, quia Græci per λει-
τουργὸν non gregarium quemcunque miniſtrum, ſed publicum,
eundemque, qui gravia in civitate munera gerit, intelligere
ſolent. Perplacet quidem nobis hæc obſervatio, ſed deſide-
ramus exempla, quæ addi inprimis opus erat. Per an- 119.
gelos adminiſtros in monte Sinaitico cum *Peircio* conſentit
Noſter, &, vi argumentorum atque veritate coactus, ab eorum
ſejunxit opinione ſententiam ſuam, qui a Filio Dei latam at-
que promulgatam eſſe arbitrantur legem. Pari facilitate re- 121.
liquæ enodantur difficultates, quæ circa hanc occurrunt enar-
rationem, a *Moſe* & *Stephano* recitatam. Ceterum notandum 127.
eſt, magiſtratum angelorum eſſe abrogatum, hinc etiam, non
omnia, quæ tabulæ priſci Fœderis de angelis, rerum humana-
rum arbitris, habent, ad tempora Novi Teſtamenti referen-
da eſſe, recte cenſetur. Chriſtum ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας eſſe 137.
eo ſenſu, cum Britanno Noſter dicit, quo ἀρχηγὸς dux, ſive
princeps, dicitur, qui alios præcedit & anteit, & in quem ſe-
quentes, eandem viam ingredientes, intuentur; & ſic Chri-
ſtus princeps ſalutis eſt, qui primus mortalium ſalutem ſem-
piternamque ingreſſus vitam, ad eandem nos ſalutem perducit.
Miſericordem & commiſerantem Chriſtum eſſe ſacerdotem, 157.
Apoſtoli verba ſatis abundeque oſtendunt, quæ cum Interpre-
te noſtro ita accipienda eſſe exiſtimamus, ut ingratum quen-
dam ac triſtem alienæ calamitatis ſenſum indicent, ad opem
afflictis ferendam ſtimulos addentem. Ita enim exiſtimamus,
Chriſtum quidem ratione divinitatis ſuæ perpeſſiones & ca-
lamitates piorum habuiſſe cognitas, & vere perſpectas, ſed,
ne quid dubitationis in animis piorum relinqueretur, neceſſe
idem eſſe duxit, ut vivam harum vexationum ſubiret ſen-
ſionem, in corpore ſuo ſanctiſſimo ſuſcipiendam. Quæ res 160.

omnis quam maxime in ſolatium vexatiſſimis cedit Chriſtianis, ſiquidem certum & indubitatum eſt, ſua quemque mala promptiorem reddere ad juvandos alios, iisdem malis vexatos.
Pag. 185. Per quietem Dei, in quam ingreſſuri erant fideles, intelligit Noſter ſtatum Chriſtianorum ſub Novo Fœdere, ſeu animi illam quietem, quæ ex ſenſu exiſtit hæreditatis ſpiritualium bonorum, conjunctam cum immunitate a lege Levitica, cujus officia ab ipſo *Moſe* ſervitia vocari ſolent. In hanc quietem tempore Meſſiæ ingreſſuri erant credentes Iſraelitæ, ita tamen, ut reliqui, quibus dura & atrocia erant pectora, aditu hujus quietis prohiberentur.
196. Vivum Dei verbum, de quo multa diſputant interpretes ad Epiſtolam noſtram, Britannus non de ſubſtantiali verbo, Chriſto ſcilicet, vult intelligere, ideo, quia *Joanni* ſoli hæc loquendi ratio ſit uſitata, ſed de verbo a Deo prolato, eoque inprimis, quod comminatorium e *Moſe* excitatur.
197. Adoptat hæc, & ſua non ſolum facit, ſed uberius etiam explanat, Autor noſter, in ſubſidium afferendo ea omnia, quæ in tabulis ſanctioribus hanc in rem poſſunt dici.
217. De Chriſto ſacerdote notat Britannus, eum non niſi a reſurrectione ex mortuis factum eſſe talem, quam inter & communem ſententiam de Chriſto ſacerdote, mortis ſupplicium
219. ſubeunte, aperto quaſi Marte decernitur. Argumentis, quæ excitat, hic ſuperſedemus afferendis, id modo monentes, Autorem noſtrum ita ſentire, nihil in hac inveniri opinione, quod ſatisfactionem pro peccatis noſtris morte Chriſti factam oppugnet, eam tamen vim non habere, ut ſibi perſuaderi plane poſſit, Chriſtum ante ſuum in cœlum ingreſ-
243. ſum nullum ſacerdotem fuiſſe, & recte habitum eſſe. Quæ de relapſu *Paulus* monet, ex communi ſententia explicantur, pauciſſimis modo cautionibus additis. *Melchiſedecum* ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, dici ideo, quia a *Moſe* origines gentis ſuæ omittantur, veriſimile eſt Noſtris, & do-
265. ctiſſimus quidem Interpres elegantem ex *Seneca Epiſt. CVIII* affert locum, ubi dicitur, duos Romanos Reges fuiſſe, quorum alter patrem non habuerit, alter matrem. Eadem ratione de hominibus obſcuri nominis more Romanorum fertur, quod homines

Digitized by Google

homines ſint ſine nomine, quorum parentes lateant. *Melchi-* Pag. 268.
*ſedecum* aſſimilatum fuiſſe filio Dei, id eo valere Noſter pu-
tat cum *Whitbyo*, ut per filium Dei hic intelligatur angelus,
cui ratione immortalitatis factus fuiſſet ſimilis, quem ad mo-
dum *Lucas* ſub reſurrectionem noſtram immortales nos & ſi-
miles angelis filioque Dei fore prædiceret. Finem denique 274.
*Pauli* in hac comparatione *Melchiſedeci* eum eſſe, oſtendit
Noſter, ut declaret, conſtituto ſacerdote ex claſſe *Melchiſe-*
*deci*, totam legem Leviticam uno impetu ruere. Sacerdotes γε- 283.
γονότες ſunt iſti, qui vivere deſierunt; hinc opponuntur ſa-
cerdotio Chriſti, quod in æternum permanet, ubi acute No-
ſter plus ſimplici vice hanc vocabuli vim ediſſerit atque con-
firmat. De thuribulo, in ſancto ſanctorum aſſervato, Britanni 312.
& aliorum recenſentur ſententiæ, quæ quidem omnes Autori
noſtro minime placent; hinc conjecturis ſuis aurem præbet,
& ſuſpicatur, *Paulum* non de thuribulo, ſed de operculo arcæ
fœderis, egiſſe, ſive Græci interpretis lapſu, ſive librario-
rum culpa, hanc transmutationem eſſe factam, præſertim cum
ſine gravi negotio hæc transfuſio vocabulorum fieri potuiſſet,
ut pro ἱλαστηρίῳ θυμιατήριον poneretur. Sed parum proba-
bilis hæc nobis conjectura videtur, ideo, quia ex ſententia
Autoris culpa in interprete quærenda non eſt, utpote docti
& divinitus afflati viri, ſi ex mente Autoris hoc affirmare
velimus; nec etiam in librario, quia multis literis, inprimis
quidem initialibus atque prioribus, hæc vocabula Græca inter
ſe differunt, &, unius oſcitatione omnia hujus Epiſtolæ exem-
pla corrumpi potuiſſe, non veriſimile, imo nec credibile,
putatur. Ceterum, quæ hujus libelli accurata & diligens ſit
enarratio, a Britanno & Autore noſtro ſuſcepta, in oculos
& animum lectoris ſtatim incurret, ſi paucula illa, quæ hic
deguſtanda appoſuimus, in uſum ſuum convertere velit.
Quod reliquum eſt, optamus, ut Cl. Autor rem literariam
ornare ſcriptis ſuis, & de diviniori inprimis ſcientia mereri
præclariſſime, ut cœpit nuper, ita diu pergat.

*D. CHRISTIANI GOTTLIEBII CLUGII*



Digitized by Google

*de Baptiſmo Adami Commentatio theologica, qua ſimul argumentum de tunicis pelliceis primorum hominum paulo uberius enarratur, & cogitata profana de peccato originis, nuper admodum in linguam Germanicam transfuſa, breviter ſtrictimque confutantur.*

Vitembergæ, impenſis Gottlieb Henrici Schwarzii, 1747, 4. Alph. 1 plag. 5½.

Ab *Adamo* inde Vir Cel. controverſias exorditur, pugnans cum *Jacobi Rhenferdii* manibus, ac obſcœni libri vernaculi architecto, Halæ A. 1746, 8, clanculum in lucem protruſi ſub titulo hederave, *Diſquiſitio philoſophica de conditione & ſtatu hominis in peccato originis, quo fontes, cauſæ, & effecta, hujus peccati indicantur.* Theologum quendam ſummum id ſibi detuliſſe honoris, ut in conſeſſu eruditorum Diſputationem *Clugianam* excitarit, ſuoque muniverit ſuffragio, id vero eſt, quod ipſe inter alia in Præfationis limine candidum docet lectorem. Amicus ſententiam eum rogavit de opinione, quam Ven. *Clugius* in Diſſ. inaugurali de ritu interrogandi infantes ante baptiſmum ſuſceptum de fide propugnaverat, Amico ipſe fecit ſatis reſpondendo. Quid ad reſponſionem eam reſpondit amicus? Id autem Noſter ita recitat: *His a me dictis amicus ille facile acquieſcebat, monebatque ſimul, ut fidem exſolverem, & telam captam, edita altera Commentationis parte, continuarem.* Ut hiſce precibus velificaretur Cel. Vir, *receptas ſuas perſcrutatus, nihil omnino de chartis ſuis reperire potuit.* Nec tamen animum deſpondit, vel anxium amicum ſub cultro reliquit. Incidit in manus ejus *Oratio*, inaugurali ritu habita *de fictis Baptiſmi originibus*, omnino polemica, & ſigillatim ſententiæ *Jacobi Rhenferdii*, Philologi quondam Franequerani, de Baptiſmi Chriſtianorum antiquitate evulgatæ, oppoſita. Iverat hic oratione ſolenni quadam originem baptiſmi noſtri vindicatum ipſi paradiſo, ac præcipuum ſententiæ ſuæ fundamentum in tunicis pelliceis, homini lapſo divinitus impertitis, & quidni in quatuor fluminibus paradiſi? collocaverat. Habes, Lector, occaſionem conſcriptæ de Baptiſmo *Adami* Com-

Commentationis. Qua vero ratione *Clugius* inſtituto ſuo defungitur? Judicat is ipſe ſic de ſemet: *Morem antiquum obtineo, de rebus mihi obviis libere candideque pronuntians, eaque in re Eraſmum ſequens ducem, qui Coleto ſuo per epiſtolam narrat, ſe* liberum & toto pectore *divinas literas aggreſſurum eſſe, ita etiam dicendi rationem planam facilemque affero, bene memor, qui intelligi nolit, ejus ſcripta nec legi oportere.* Tuam, Lector, fidem! An Egoiſmum practicum hæc quodam tenus redolent? An teſtimonia domeſtica & encomia ſunt ſemper maximi facienda? *Encomium Moriæ, Eraſmo* tribuendum, collaudat Noſter, pungens & fodicans eos, quorum aures præter *propoſitiones, concluſiones,* & *corollaria,* nihil admittant. Ipſe credit, *Eraſmum* in futurum quaſi proſpexiſſe, ac in Encomio Moriæ *Theologiam, ad Ariſtotelis noſtra ætatis, ſeu illuſtris Wolfii, ſententias methodumque* apte *conformatam, & inventiunculis concluſiunculisque minutulis fædatam, vivis coloribus depinxiſſe.* Quid Vir ille porro? *Hoc ego* Eraſmi *judicio tectus, omiſſo neoterico Theologorum genere, Theologiam, antiquiorem illam & ſaniorem, ſcriptis Lutheri, Melanchthonis, Brentii, Hunnii, aliorumque, & illuſtratam & vindicatam, amplector, aliosque ad amplectendam illam ſedulo cohortor.* Mallemus, ipſe Theologiam divinioribus literis comprehenſam haud omiſiſſet! Ita eſt. Suus cuique odor bene olet. Noſtrum non eſt, cohortationibus tanti faciendis intercedere. Erunt tamen, qui de rebus ſibi obviis haud ſecus libere candideque pronuntiare didicerunt. Nos de cetero ignoramus recentiorem illam Theologiam, ſi argumentum & rem ipſam ſpectes. Eos, qui perperam ſe vocari *Wolfianos* queruntur, ad unum omnes barbari factitiique ſermonis ſordibus ac portentis, omnium bonarum literarum inſcitiæ ac linguarum imperitiæ, deditos eſſe, Autori, qui volent, credant, ejusque fiducia perſuadeant ſibi, in utramvis aurem dormitantes. Nobis tam lynceis eſſe haud licet, ut ſodales illos ex univerſo barbaros animo oculisque noſtris repræſentare poſſimus, quibus nomen *Wolfianorum* vulgus impoſuit. Si qui ſunt, qui nec propoſitiones, nec concluſiones, nec corollaria, mente comprehendunt ac de-

 ſignant,

Digitized by Google

ſignant, aliquid rationibus ſuis æſtimaturi, eos cum ratione credimus inſanire. Ad ſummam Commentationis provehimur, quadraginta & duabus *propoſitionibus* conſtantem. Enarrat tractationis exordium diſceptationem de origine Baptiſmi Chriſtiani, inter *J. A. Danzium* & *G. Wernsdorfium* agitatam.
Pag. 5. Monet, ſententiam *Danzii* ne *Buddeo* quidem, tunc Præſidi, probatam fuiſſe. *Jacobi Rhenferdii Opera philologica* Cl. *David Millius* edidit Trajecti ad Rhenum A. 1722, eisque ſubje-
6. cit *Orationem* ejus *de antiquitate Baptiſmi*. In hac Oratione *Rhenferdius* contendit data opera, ut lectori perſuadeat, in ipſo Paradiſo inſtitutum eſſe a Deo Baptiſmum, ac *Adamum* lapſum, propoſito fœdere gratiæ, primum aqua tinctum, & cum Deo denuo ſic conjunctum fuiſſe. In *Jacobi* familia ipſe
8. etiam Baptiſmum ſe vidiſſe credidit *Gen. XXXV*, 2, ratus, veſtes pelliceas primorum parentum ſymbolum fuiſſe juſtitiæ Chriſti per fidem applicatæ. Veſtes has diligentius excutit & perluſtrat Noſter. Præmonet idem, ea, quæ de lapſu *Adami* a *Moſe* enarrantur, non allegorice, nec ſymbolice, ſed hiſtorice, ac in *ſenſu literali*, accipienda eſſe. In alia
11. omnia abeunt *Jo. Bapt. Helmontius* & *Adrianus Beverlandus*. Hunc pœnitendis voluptatibus, nec tamen allegoricæ interpretationi de primo peccato, renuntiaſſe, putat. *Henricus Corn. Agrippa* in *Declaratione de originali peccato P. II Oper. pag. 556 Beverlando* jam turpiſſimam illam opinionem maxima ex parte præiverat, id ipſum haud inficiato *pag. 36. Beverlandus* tamen per arborem ſcientiæ boni & mali, ejusque fructus, deſignari putavit verenda *Adami* & *Evæ*, ac fœtus pro-
14. deuntes. *Agrippa* ſerpentem tentatorem pro membro *Adami* virili habuit; *Beverlandus* pro diabolo ipſo, per baſiliſcum fraudibus inſtruendis operante. Arbor recenſetur inter *ligna*, forma fuit ſpectabili, fructu fuit plena. Mulier ex fructu ejus edit, & ex ea edere potuit ſola. Hæc allegorico ſenſui
17. illi famoſe obſcœno obſtant ſatis. Conjugium jam ante lapſum erat inſtitutum. *Beverlandi* ſententiam utique abſurdam Noſter ſolide refellit. *Helmontium* ſoliditate eadem repellit proſtratum. Homo profanus ac impius, religionis profeſſione

Romano-

Romano-catholicus, *Beverlandi* ſpurcam & obſcœnam opinionem haud ita pridem, paucis affutis, repoſuit in libro: Pag. 27.
*Supplement au glaneur hiſtorique, critique, politique, moral, literaire, galant, & calotin*, & quidem numero decimo, ubi diſſerit de *hiſtoria naturali arboris vitæ*. A. 1746 tenebrio quidam in eadem navigavit puppi, libro e lingua Gallica translato, editoque ſub hujus tituli inſcriptione: *Philoſophiſche Unterſuchung von dem Zuſtand des Menſchen in der Erbſünde, wo man die Quelle, die Urſachen, und die Folgen, dieſer Sünde in der Welt anzeiget, nach der ſechſten verbeſſerten Franzœſiſchen Ausgabe überſetzt von M. Franckfurth und Leipzig, 1746, 8.* Ipſe illud הוא *Gen. III, 15*, amplectitur *pag. 142*, ac, ſeſe Italum, cultorem Papæ & S. *Ignatii*, eſſe, *pag. 169* ſignificat. An ſerio hæc prodiderit, aliis diſquirendum relinquimus. Liber ipſe Gallicus jam A. 1714 prodiit 28.
inſcriptus ita: *Etat de l'homme dans le peché originel, ou l'on fait voir, quelle eſt la ſource & quelles ſont les cauſes & les ſuites de ce peché dans le monde.* Idem liber A. 1731 denuo Gallice excuſus eſt, titulo aliquantulum immutato. Autor pleraque, teſte Præfatione, a *Beverlando* mutuatus eſt. In eo tamen a *Beverlando* diſſentit, quod, *Evam* initio cum 29.
ipſo ſerpente, membra viri genitalia induente, congreſſam eſſe, &, hac voluptate perfuſam, *Adamum* ad coeundum ſolicitaſſe, fingit. Idem docet effigies fœdiſſima, libello præfixa. Non eſt, quod libri ſummam, a Noſtro enarratam, repetamus, adeo ſpurcam, ſtultam, & abſurdam, ut, de qua ſermo inſtituatur, ea ne quidem ſit digna. *Balthaſar Beckerus* præ- 34.
terea & *Thomas Burnetius*, hiſtoriam *Adami* lapſi ſymbolice eſſe accipiendam, ſibi perſuaſerant, licet a *Beverlandi* nugis longe eſſent alieni. *Chriſtianus Democritus* redivivus eadem chorda oberravit. Allegoriſtæ primorum a C. N. Seculo- 37.
rum, *Origeniſtæ* præcipue, *pelliceas tunicas* per corpus ac carnem mortalem expoſuerunt. At *Origenes* ipſe ſententiam eam rejecit. Merito hiſtoriam lapſi *Adami* Noſter citra al- 40.
legoriam expoſuit. Fecerunt enim ſcriptores divini haud ſecus. Tum vero ad *tunicas pelliceas* illuſtrandas progreditur

Cel.

Digitized by Google

ſignant, aliquid rationibus ſuis æſtimaturi, eos cum ratione credimus inſanire. Ad ſummam Commentationis provehimur, quadraginta & duabus *propoſitionibus* conſtantem. Enarrat tractationis exordium diſceptationem de origine Baptiſmi Chriſtiani, inter *J. A. Danzium* & *G. Wernsdorſium* agitatam.
Pag. 5. Monet, ſententiam *Danzii* ne *Buddeo* quidem, tunc Præſidi, probatam fuiſſe. *Jacobi Rhenferdii Opera philologica* Cl. *David Millius* edidit Trajecti ad Rhenum A. 1722, eisque ſubje-
6. cit *Orationem* ejus *de antiquitate Baptiſmi.* In hac Oratione *Rhenferdius* contendit data opera, ut lectori perſuadeat, in ipſo Paradiſo inſtitutum eſſe a Deo Baptiſmum, ac *Adamum* lapſum, propoſito fœdere gratiæ, primum aqua tinctum, & cum Deo denuo ſic conjunctum fuiſſe. In *Jacobi* familia ipſe
8. etiam Baptiſmum ſe vidiſſe credidit *Gen. XXXV, 2*, ratus, veſtes pelliceas primorum parentum ſymbolum fuiſſe juſtitiæ Chriſti per fidem applicatæ. Veſtes has diligentius excutit & perluſtrat Noſter. Præmonet idem, ea, quæ de lapſu *Adami* a *Moſe* enarrantur, non allegorice, nec ſymbolice, ſed hiſtorice, ac in *ſenſu literali*, accipienda eſſe. In alia
11. omnia abeunt *Jo. Bapt. Helmontius* & *Adrianus Beverlandus.* Hunc pœnitendis voluptatibus, nec tamen allegoricæ interpretationi de primo peccato, renuntiaſſe, putat. *Henricus Corn. Agrippa* in *Declaratione de originali peccato P. II Oper. pag. 556 Beverlando* jam turpiſſimam illam opinionem maxima ex parte præiverat, id ipſum haud inficiato *pag. 36. Beverlandus* tamen per arborem ſcientiæ boni & mali, ejusque fructus, deſignari putavit verenda *Adami* & *Evæ*, ac fœtus pro-
14. deuntes. *Agrippa* ſerpentem tentatorem pro membro *Adami* virili habuit; *Beverlandus* pro diabolo ipſo, per baſiliſcum fraudibus inſtruendis operante. Arbor recenſetur inter *ligna*, forma fuit ſpectabili, fructu fuit plena. Mulier ex fructu ejus edit, & ex ea edere potuit ſola. Hæc allegorico ſenſui
17. illi famoſe obſcœno obſtant ſatis. Conjugium jam ante lapſum erat inſtitutum. *Beverlandi* ſententiam utique abſurdam Noſter ſolide refellit. *Helmontium* ſoliditate eadem repellit proſtratum. Homo profanus ac impius, religionis profeſſione Romano-

Digitized by Google

Romano-catholicus, *Beverlandi* ſpurcam & obſcœnam opinionem haud ita pridem, paucis aſſutis, repoſuit in libro: Pag. 27.
*Supplement au glaneur hiſtorique, critique, politique, moral, literaire, galant, & calotin*, & quidem numero decimo, ubi diſſerit de *hiſtoria naturali arboris vitæ*. A. 1746 tenebrio quidam in eadem navigavit puppi, libro e lingua Gallica translato, editoque ſub hujus tituli inſcriptione: *Philoſophiſche Unterſuchung von dem Zuſtand des Menſchen in der Erbſünde, wo man die Quelle, die Urſachen, und die Folgen, dieſer Sünde in der Welt anzeiget, nach der ſechſten verbeſſerten Franzœſiſchen Ausgabe überſetzt von M. Franckfurth und Leipzig, 1746, 8.* Ipſe illud הוא *Gen. III, 15*, amplectitur *pag. 142*, ac, ſeſe Italum, cultorem Papæ & S. *Ignatii*, eſſe, *pag. 169* ſignificat. An ſerio hæc prodiderit, aliis diſquirendum relinquimus. Liber ipſe Gallicus jam A. 1714 prodiit 28.
inſcriptus ita: *Etat de l'homme dans le peché originel, ou l'on fait voir, quelle eſt la ſource & quelles ſont les cauſes & les ſuites de ce peché dans le monde.* Idem liber A. 1731 denuo Gallice excuſus eſt, titulo aliquantulum immutato. Autor pleraque, teſte Præfatione, a *Beverlando* mutuatus eſt.
In eo tamen a *Beverlando* diſſentit, quod, *Evam* initio cum 29.
ipſo ſerpente, membra viri genitalia induente, congreſſam eſſe, &, hac voluptate perfuſam, *Adamum* ad coeundum ſolicitaſſe, fingit. Idem docet effigies fœdiſſima, libello præfixa. Non eſt, quod libri ſummam, a Noſtro enarratam, repetamus, adeo ſpurcam, ſtultam, & abſurdam, ut, de qua ſermo inſtituatur, ea ne quidem ſit digna. *Balthaſar Beckerus* præ- 34.
terea & *Thomas Burnetius*, hiſtoriam *Adami* lapſi ſymbolice eſſe accipiendam, ſibi perſuaſerant, licet a *Beverlandi* nugis longe eſſent alieni. *Chriſtianus Democritus* redivivus eadem chorda oberravit. Allegoriſtæ primorum a C. N. Seculo- 37.
rum, *Origeniſtæ* præcipue, *pelliceas tunicas* per corpus ac carnem mortalem expoſuerunt. At *Origenes* ipſe ſententiam eam rejecit. Merito hiſtoriam lapſi *Adami* Noſter citra al- 40.
legoriam expoſuit. Fecerunt enim ſcriptores divini haud ſecus. Tum vero ad *tunicas pelliceas* illuſtrandas progreditur

Cel.

Digitized by Google

Pag. 55. Cel. Autor. Pelles ex officina coriariorum & pellionum ejus temporis depromſit *Iſaacus Peyrerius*, Præadamitarum architectus. An pelles illas Deus creaverit, an *Adamus* juſſu Dei beſtias ceciderit, pelleſque eis detraxerit, carnibus ſacrificio deſtinatis, diſquirit Noſter. Sacrificia juſſu divino niti, idem
73. commonſtrat. Ex pelliceis veſtibus extundere Baptiſmum, eſt ſane difficilius, quam ſi ex pumice aquam exſpectes. Potuit tamen eo ſententiæ *Rhenferdius* delabi. Hunc ſi ab argumentis ſolidis deſtitui, ac opera facili a Noſtro devictum eſſe, dictitemus, ab errore & injuria perſtabimus immunes. Facilis vero fuit *Rhenferdio* is ad illam ſententiam deſcenſus. Ipſe
177. enim Reformatæ, quam vocant, Eccleſiæ erat addictus. Hujus autem doctores habent id pro Sacramento, quicquid ad promiſſionem divinam facit confirmandam. Ex eo exiſtimant, in ſtatu quoque innocentiæ jam exſtitiſſe Sacramenta. *Hermannus Witſius* eorum numeravit quatuor, *Jo. Braunius* duo,
180. *Calvinus* unum, ſcilicet arborem vitæ. *Rogerius Boyle* monuit, locum *de Sacramentis in genere* ſubjiciendum eſſe tractationi, de ſpecialibus Sacramentis inſcriptæ. Eam cauſam
181. Noſter approbat, addens: *Rationem non video, quare, pertractatis iis, quæ ad circumciſionem pertinent*, Jo. Fr. Buddeus *in Inſtitut. Theol. dogmat. confeſtim locum de* Sacramentis in genere *ſubjungat, immo hos ipſos Locos iis, quæ de Chriſto Redemtore, & de actibus gratiæ applicatricis, tradenda ſunt, anteponat.* Finge tamen, B. *Buddeum* alium ordinem inſtituiſſe. An vero tunc iis, qui diſſentiendo & refutando vitam terunt, fuiſſet materies refellendi ac reformandi ſatis ampla? Spem reformandi ordinem locorum theologicorum Noſter ita facit
182. eccleſiæ eruditæ: *Nec tamen omnia ac ſingula ita perfecerunt Theologi, ut non ſubinde, adhibito ſcrutinio accuratiore, commodior & facilior, Locos Theologicos digerendi, & inter ſe colligandi, habita maxime ratione controverſiarum recens ortarum, appareat, ſuaque ſe utilitate commendet.* Addit ipſe complura, ad corymbos eosdem annectenda. Si ad inſcriptionem libri, in vertice ſemper repetitam, reſpicias, dubitabis, an hæc de ordine locorum theologicorum ad *Baptiſmum*

*Adami*

Digitized by Google

*Adami* ſpectet. Sit tamen, ſit pax rebus. Baptiſmus cenſe-
tur in numero Sacramentorum, Sacramenta inveniuntur in ſyl-
loge locorum theologicorum, & tractatio de particula mundi,
de asbeſtite, feneſtram patefacit ad diſſerendum de mundo
univerſo. Rationem igitur videmus, cur in hac Commenta-
tione de inſtruendo locorum theologicorum ordine copioſius
præcipiat. Vix vero rationem videmus, cur, dimiſſo *Rhen-* Pag. 192.
*ferdio* ac Baptiſmo *Adami*, Cel. Vir titulum libri continua-
verit, ac nihilo minus de *novis in Theologia veritatibus*, den-
turne tales, nec ne, diſputet. Dari eas reſpectu intellectus
humani, in dies addiſcentis, ac ex cognitis in Theologia, præ-
cipue mixta, Logices miniſterio deducentis vel ſibi, vel aliis,
incognita, affirmavit Cl. *Jacobus Carpovius* in *Præfatione, Pſy-
chologiæ ſacratiſſimæ* præfixa. Hunc Noſter *novellum Theo-
logum* vocat. Noſtrum non eſt, controverſiæ illi recenſen-
dæ dare operam. Subjungimus id *Clugianum* duntaxat: *Theo-* 197.
*logi Wolffiani noſtræ ætatis, Canzius, Carpovius, Riebovius, alii-
que, in eandem* (Philoſophiæ in Theologia non ancillæ) *viam
ingreſſi, infelici auſu Theologiam novis veritatibus, vel erro-
ribus potius novis, locupletarunt, adeo, ut, ſicut Petrus van
Maſtricht Carteſianarum dedit, ita facili opera Wolffianarum
novitatum gangrænam ſuppeditare poſſim.* Ita eſt: Qui ſibi
admodum placet & ultra modum, ei diſplicent omnes &
omnia. Supereſt, ut nonnihil moneamus de eo, quod nec
nos, nec *Nova Acta* hæc *Eruditorum*, Viro πολεμιοτάτῳ pla-
cent. Nec id unquam exſpectavimus. Dictum fuit de ejus
*Animadverſionibus in Meditationes B. Reinbeckii philoſophicas
de anima, ejusque immortalitate*, in *Supplem. ad* hæc *Nova Erud.
Acta Tom. V Sect. IV pag. 181.* In Præfatione, Baptiſmo *Adami*
præmiſſa, multum deſiderare videtur in ea recenſione. Non-
dum legeramus tunc illa Autoris: *His a me dictis amicus ille
facile acquieſcebat.* Quare his jam dictis in præſens acquieſci-
mus. Vindicias noſtras legent, ſi tanti hæc res fuerit, Lecto-
res in *Miſcellaneis novis Lipſienſibus* quam proxime. E re li-
teraria publica haud duximus fore, ſi judicio Cel. *Klugii* com-
moveremur. Non indignamur, licet ipſe pro more ſuo no-



Digitized by Google

biſcum agat. Nec inficiamur, ipſum perſpicue, ubique propemodum pure, & facili benignaque Minerva, notiones ac cogitata animi in chartis libriſque evolvere. Non inficiamur, ipſum de *Rhenferdio*, *Beverlanda*, Anonymo Gallo, aliisque erronibus, in hac Commentatione juſtiſſimum triumphum reportaſſe. Non inficiamur, ipſum indole vivida dotibusque variis eminere, meritisque ſuis excellere. Id vero nobis, ſit venia verbo, diſplicet, quod fere nihil ipſi placere poſſit, unico illo excepto, quod ipſi eſt proximum, vel potius illud *ego* magnum. Diſplicebimus ipſi hac etiam confeſſione. Id unum tamen monemus ac rogamus eundem, ne ipſe ſibi perſuadeat, nos unquam credituros, judicio ipſius *Nova Acta* noſtra vel ſtatura, vel caſura. Nos certe generoſo contemtu impetus quoscunque excipiemus, rati, nos in operæ noſtræ conatu facillime acquieturos, ſive ille laudabilis, ſive ille prorſus illaudabilis, ab hoc, vel illo, rei ſuæ patrono appelletur.

## *JO. HERMANNI BENNER, S. S. THEOL. D. & Prof. Ordin. Superint. & Conſiſtorii Collegæ, Pædagogiarchæ, ac Scholar. per Princip. Haſſ. ſuper. Ephori, Lerna Zinzendorfiana, ubi Comitis inſtitutum metaphraſticum excutitur, B. Lutherus vindicatur, peſtiferis novæ ſectæ corruptelis occurritur, diſpuncta diſquiſitione inſolentiſſima Viri Cl. POLYCARPI MÜLLERI, Ecclеſ. Unit. fratrum Epiſcopi.*

Lipſiæ, literis Breitkopfianis, 1744, 8.

Alph. 1 plag. 1.

Ediderat Vir Venerandus *Tirocinium Zinzendorfianum*, in quo mentem ſuam de nova interpretatione Novi Teſt. apertius declaraverat. Illud *Polyc. Müllerus* multis conviciis laceſſiverat. Quare, ne communi cauſæ eccleſiæ, ſibi, ſuoque honori, deeſſe videretur, & ne ſilentium ille cauſæ ſuæ juſtitiam interpretaretur, ipſe, diœceſi ſuæ ab iſtis hominibus metuens, ſcriptum hoc publicare, e re eſſe judicavit. Adverſarium

Digitized by Google

verſarium ſuum κατὰ πόδα ſequitur, ipſiusque prolegomenis prolegomena opponit, &, prout ille V Capita ſuæ diſquiſitionis fecerat, ita Noſter pariter totidem conſtituit. In Prolegomenis ægre fert, vocem τέκτων *Marc. VI, 3,* per *Zimmergeſell* verti, cauſatus, hoc ipſo honoris haud parum detrahi Chriſto. Queritur de conviciis, in ſe & alios doctores Pag. 2-4.
Evangelicos plenis buccis effuſis. Societatem ſuam *Zinzendorfiani ſectam* appellari nolunt, reliquos cœtus eccleſiaſticos 8-13.
hoc nomine inſigniunt. Ubi errores illorum eruuntur ac refelluntur, martyria ſe pati quiritantur.

*Cap. I,* quod eſt *de inſtituto & animo Comitis metaphraſtæ* 13-19.
*incaſſum vindicato,* anquiritur, num licitum fuerit Comiti, novam adornare Novi Teſt. metaphraſin, & an etiam expediverit; num recte fecerit, cauſam & occaſionem edendæ novæ metaphraſeos celando. Novam adornavit verſionem, ne 25-31.
quid cum Lutherana eccleſia commune haberet, & ut idem faceret, quod *Lutherus.* Nec juvat dicere, ipſum ad metaphraſin ſe accinxiſſe, cum eccleſiam nondum apud ſe collectam haberet. Num circumſpecta prudentia ſit uſus, ubi, memoriæ felicitate fretus, verſionem contexuit, textum Græcum, quod de ſe jactitat, ne quidem inſpiciendo. Qualis 31-39.
præparatio requiratur, ubi quis ad novam verſionem animum appellit, & num illa Comes ſit uſus, vel uti voluerit. Nec ſatis ſufficiens tempus operi huic impendit. Num ita inſtru- 40-47.
xerit verſionem, ut nihil ſectæ ſuæ admiſcuerit. Num dari poſſit metaphraſis, quæ, ſi determinatus ſenſus oraculorum divinorum exhibetur, ſe probare queat ſectis omnibus. Comitem, adhibendo ſtilum vulgarem, dignitati Scripturæ ſacræ minus conſuluiſſe. Nimia feſtinatio, qua in vertendo uſus, 47-68.
non eſt probanda. Non ſufficiunt rationes, quas allegat, quare tot nævi in verſione deprehendantur. Notatur temerarium ipſius effatum, Chriſtum multas forte phraſes ruſticas, aut idiotiſmum operariorum Nazarethæ, adhibuiſſe, ſaltem Evangeliſtas tales retuliſſe.

*Cap. II Vindiciæ metaphraſeos B. Lutheri a ficta ſimili-* 68-129.
*tudine nævorum* exhibentur. Comitem minus recte inſtitu-

 tum

tum vertendi Nov. Teſt. & nævos, in metaphraſi admiſſos, exemplo *Lutheri* excuſare. Vindicatur verſio *Lutheri*, πολίτευμα reddentis per *Wandel*, & illud ἐξ οὗ referentis ad οὐρανοῖς, ſcilicet quod ad ſenſum, *Phil. III*, 20. 2 *Petr. III*, 16, in nonnullis Codd. legitur ἐν οἷς: *Lutherus*, transferendo *in welchen*, non clare expreſſit, num ad antecedens ἐπιςολαῖς, an ad τίνα, quod ſequitur, ſit referendum. Recte etiam ſe habere illius interpretationem *Rom. XIII*, 5, ubi illa διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι explicat, *ſo ſeyd nun auſs Noth unterthan.*

Pag. 128-
136. Porro docet, *Lutherum* in regulas grammaticas *Col. II*, 14, *Rom. I*, 19, 20, non impegiſſe. Nec nexum orationis ſolviſſe 1 *Tim. I*, 3-5, qui priori non ſit connectendus per οὕτως, cum vocula δὲ opponatur proxime antecedentibus, quæ habentur *v.* 4, δὲ autem, ut alibi, ita & hic, recte per *enim* reddi poſſe.

136-141. Πρῶτον *Rom. I*, 8, *Lutherus* recte exponit per *auſs erſte*, quod etiam exemplis exterorum ſcriptorum probatur. Comes *zu forderſt*, non rationem prægnantem habet, quare a B. Viro diſcedat. Præter rationem etiam taxat illum, τοὺς πάντας *Rom. XI*, 32, vertendo per *alles*, cum talis locutio, ubi ſermo eſt de omnibus hominibus, non inſolens ſit ſcriptoribus ſacris

142-143. & profanis. Adhæc non mutaſſe tempora, ut ſenſus inde prodeat minus verus, aut concinnus. 2 *Tim.* (non 1 *Tim.*) *IV*, 8, *Lutherus* ἠγαπηκόσι bene reddit in præſenti; præteritum enim, a *Paulo* adhibitum, actum continuum involvit. Idem dicendum de loco *Matth. XIX*, 29; quare, quod hic in præterito dicitur, alibi per præſens, idemque futurum, expri-

143-145. mitur. Non vocibus præterea & phraſibus tribuiſſe ſenſum alienum, nec voces & phraſes cum aliis permutaſſe. Vindicantur hinc Scripturæ loca, quæ in exemplum adducta erant, v. c. *Ebr. IX*, 8, ubi *Lutherus* ἅγια reddit per *Heiligkeit*,

147-148. quoniam deſignetur locus, ſanctum ſanctorum, in quo ſanctitas Dei in propitiatorio apparebat. *Rom. I*, 32, idem vocem δικαίωμα, cujus diverſi ſignificatus recenſentur, recte convertit *die Gerechtigkeit*, quamvis non negetur, etiam *præce-*

148-152. *ptum*, & *præceptum legis*, exponi poſſe. Locum *Ebr. XI*, 3, a *Luthero* accommode explicari de rerum omnium, quæ ante

non

non exiſtebant, per omnipotentiam Dei productione, curate & prolixe demonſtrat, rejecta erronea *Mülleri* interpretatione, per αἰῶνας determinatas rerum mutabilium periodos, & per Φαινόμενα ſigna prognoſtica futurorum contingentium, intelligentis. *Lutherum* aliquando verborum modos & genera mutare, non ſine difficultate & mutatione ſenſus, *Müllerus* ex *Ebr. VI, 4-6, 1 Cor. VI, 4, Gal. III, 7,* adſtruere conatus erat; ſed contrarium oſtendit Noſter. Eundem in verſione ſua ſubinde erraſſe, non quidem diffitetur, ſed plures longe errores admiſiſſe Comitem, in illis etiam locis, in quibus *Lutherum* notavit, quorum plures ex ſola Epiſtola *2 Petri* in medium profert. Aliquando Virum illum magnum lapſus commiſiſſe, puram doctrinam tollentes, vel impuram introducentes, idem ex *Rom. XIII, 5, VIII, 3, Ebr. XI, 3, Jo. I, 9, 1 Cor. XV, 44,* firmare ſategerat, ſed vero, quam infeliciter hic conatus ipſi ceſſerit, docetur. In exercitatione ſua Vener. *Bennerus* loca quædam Scripturæ illuſtraverat, v. c. *2 Cor. V, 11, 12, 1 Petr. III, 21, Ebr. XII, 1.* Circa illa *Müllerus* partim aliqua notaverat, partim in alienum ſenſum traxerat; hæc igitur de novo explicat & vindicat. *2 Cor. V, 21,* voculam ὑπὲρ non ſatis emphatice *noſtro bono* declaraſſe Comitem, cum manifeſta ſurrogatio indicetur. Adduntur *1 Jo. III, 16, Gal. III, 13, Ebr. II, 9.* Num Spiritus ſanctus pater Chriſti ratione humanæ naturæ haberi queat, diſceptatur, & contrarium adſtruitur. *Müllero*, extenuanti errores, a Comite circa locorum nonnullorum interpretationem commiſſos, v. c. *Rom. VII, 4, Gal. V, 4, IV, 1, 1 Petr. I, 4, 5, Rom. VII, 6, Gal. IV, 27, 1 Cor. XIII, 4, Rom. VII, 8, 18, 2 Cor. V, 21,* fortunam non faviſſe, non veritatis normam ſectatum eſſe, ſed hujus hoſtibus herbam ſubinde porrexiſſe, docte oſtenditur.

Pag. 152-167. 167-170. 170-173. 174-180. 184-195. 200-205. 205-226.

*Caput III de ficto Comitis tirocinio male edito* inſcriptum eſt. Comes edendo tirocinium a levitate immunis pronuntiari non poteſt. Ψευδερμήνειαν locorum *Ebr. XII, 1, 2 Petr. I, 21,* *Rom. VII, 25,* in apricum locat. Statuit Comes, Chriſtum Nazarethæ inter operarios educatum, pariterque inter mercenarios lignariorum, antequam munus propheticum aggrederetur,

228-232. 233-237.

tur, verſantem, poſt, ad docendi munus cum acceſſiſſet, di-
cendi genere plebejo fuiſſe uſum, ut hinc illius ſermo obſcu-
rus exiſtat illis, qui iſtiusmodi humili dicendi generi aſſueti
non ſunt. Hanc temerariam opinionem Cel. Autor a perſona
& ſtilo Chriſti ita depellit, ut, niſi Comes veritati dato ſtu-
dio reſiſtere velit, in contrariam ſententiam pedibus ire de-
beat. Quodſi enim vel maxime datur, Chriſtum, quamdiu
vitam privatam egit, operam ſuam patri ſuo putatitio, *Joſe-
pho*, addixiſſe, illud tamen ipſi in dedecus non cedit. Con-
cedamus etiam, ipſum in familiari vitæ conſuetudine dialecto
Nazarethana uſum fuiſſe, & forte illud dicendi genus, quod
uſu tritum fuit inter opifices, ſectatum eſſe, num inde con-
ſequitur, ipſum Prophetam & doctorem iſtiusmodi loquen-
di rationem & modum in uſum ſuum traduxiſſe? Theologi,
& quidem recte, affirmant, Prophetas θεοπνεύστους ita in pote-
ſtate ſpiritus fuiſſe, ut non res ſolum, verum etiam verba,
ſuggeſſerit. Quod ubi de Prophetis gregariis eſt dicendum,
quanto magis de Prophetarum omnium maximo, θεανθρώπῳ,
cujus conjuncta divinitas mentem ipſius humanam ita rexit,
ut non ſolum myſteria regni cœlorum perfecte cognita ipſi
reddiderit, verum etiam verba præformarit, quibus illa conve-
Pag. 260- nienter rebus efferrentur. *Caput IV de corollariis Zinzendor-*
273. *fianis* agit. Refutatur ſententia Comitis, aſſeverantis, pecca-
276-282. tum proprie non niſi unum eſſe, incredulitatem. Nec ferre
vult, ut dicatur peccatum originale. Quod de triplici pec-
catorum remiſſione ex ſententia Comitis diſſeritur, ad examen
282-287. revocatur. Lutheraniſmum, qua cœtum, non modo non
eſſe unicam, ſed ne veram quidem, eccleſiam, pronuntiave-
rat Comes, cujus opinionis momentis ſcite libratis, con-
287-295. trarium evincitur. Num cœtus *Zinzendorfianus* ſine contro-
verſia ſit ſancta & pura eccleſia, purior eccleſia Corinthiaca,
296-298. diſceptatur. Illuſtratur locus *1 Cor. VII, 4. Paulum 1 Cor. VI.*
tradere *principia canina, & ut corruptæ naturæ & conſuetudini
ad tempus cederet*, quod ſibi perſuadet Illuſtriſſimus *Zinzendor-*
299-314. *fius*, ſolide retundit. Ubi loquitur is de eccleſia, non niſi ſuam
intelligit. Quo jure, quave injuria, jactitet, *neminem ſalva*

*con-*

Digitized by Google

*conſcientia miniſtrum eccleſiæ Lutheranæ eſſe poſſe, niſi vel homo
ſimpliciſſimus ſit, vel omnibus numeris abſolutus*, excutitur.
Num recte faciant auditores, ſe a ſacræ cœnæ uſu, & com- Pag. 325.
mercio paſtorum, in quibus aliquid eſt labis, ſejungendo. 334.
Contra Scripturæ autoritatem dici, Spiritum ſanctum genuiſſe
& educaſſe Chriſtum. In injuriam meriti Chriſti & dignita- 334-338.
tem credentium Vet. Teſt. vergere, ubi dicatur, illos non
fuiſſe ſine macula, vel irreprehenſibiles, credentes contra Nov.
Teſt. eſſe ſine macula & irreprehenſibiles, cum illi juſtificati
ſint per legem, hi per fidem. *Cap. V de animo Cl. Mülleri in diſ-* 338-344.
*quiſitione ſua demonſtrato* diſſerit. Animum ſuum cum illo *Mül-*
*leri* confert Rev. Autor. Qui illud ſit intelligendum, ſi male 346-352.
ſcripſiſſet Comes, id faſſuram fuiſſe eccleſiam, declarat. Ut
iſtiusmodi animum induat, qualem optat *Müllerus*, deprecatur.
*Müllerus* id agit, ut Comes habeatur pro *Luthero*, &, qui illi 352-356.
devoti non ſunt, pro Pontificiis, *Emſero* ſimilibus. Iniquum 358-362.
eſſe *Müllerum*, judicantem, ſe in exercitatione ſua uſum eſſe
ſtilo ludicro, nec tamen negat, levitatem atque ineptias Co-
mitis conveniente ſtilo notaviſſe. Judicium de damno, quod 364-367.
*Müllerus* cenſet *Bennerum* ſua exercitatione feciſſe, expendit.
Autores Novorum Francofurtenſium, compendium exercita-
tionis *Bennerianæ* dantes, vindicantur. Totum opuſculum 370-378.
hoc comto, terſo, ac feſtivo, ſtilo eſt exaratum, amor pro puritate doctrinæ evangelicæ ubique elucet, illis argumentorum ponderibus utitur eximius *Bennerus*, ut in anguſtias adverſarios conjiciat, artes, quibus Comes nova diſſidiorum ſemina ſpargere, ſuamque factionem amplificare, contendit, deteguntur.

## *BRACHYLOGUS JURIS CIVILIS, SIVE CORpus legum, paulo poſt Juſtinianum conſcriptum, pandens totum Juris Juſtinianei ambitum, cum notis perpetuis LUDOV. PESNOTI, PARDULPHI PRATEJI, & NIC. REUSNERI. Edidit, præfatus eſt, emendavit, cum ſex Appendicibus, & Indice gemino, in*

*uſum*

Digitized by Google

*uſum Auditorii ſui D. HENR. CHRISTIAN. SENCKENBERG.*

Francofurti & Lipſiæ, 1743, 4.

Alph. 2 plag. 11.

Si eo meliores in Jure Romano progreſſus facere tirones creduntur, quo commodiore via ad ſanctas ejusdem perducuntur reliquias; omnes certe, ſive adhuc inter diſcentes verſentur, ſive docentium jam ſpartam ornent, applaudant, neceſſe eſt, gratiasque agant maximas, Perilluſtri *Senckenbergio*, antea JCto Giſſenſi, nunc graviſſimo Senatus Imperialis aulici Collegæ, quod elegans hoc Jurisprudentiæ civilis Compendium, cujus prope memoria aboleverat, novo inſtructum ornatu, in lucem conſpectumque proferre voluerit. Cum, ut Præfatio indicat, cujus potiora recenſebimus argumenta, in hujus libri exemplar forte incidiſſet Editor, ſcriptorum methodicorum amantiſſimus, exultavit lætitia, Autorisque virtutes, olim nec ſibi ſatis cognitas, nec etiam in Germania & Belgio amicis, inſtituto diligentiori examine, mirificas eſſe, ac paucorum proprias, animadvertit. Mox igitur de recudendo hoc Brachylogo cogitavit, cujus quatuor exſtare monet
§. 2, 3, 4. editiones. Primam Vir Celeberrimus eam eſſe opinatur, quæ Lugduni A. 1559 forma, quam octavam dicimus vulgo, ſtudio *Ludov. Peſnoti*, eruditi librarii, abſoluta eſt, adjectis partim ſuis, partim antiquioribus, notulis. Deinceps hic ipſe liber in *Vol. V pag. 499 ſeq. Corporis Juris gloſſati ibid. A. 1562 fol.* priori editione longe correctius, recuſus eſt, cum brevibus *Prateji* obſervationibus. Tum tertiæ editionis in ſe curam ſuſcepit *Nic. Reuſnerus* Frf. A. 1590, 8, textumque in paragraphos partitus eſt, & notas perpetuas adjecit, nimium autem indulgens ingenio, multa inſeruit aliena, multa etiam vel immutavit temere, vel in diverſum nonnunquam ſenſum detorſit. Idem ille meminit editionis Lovanienſis, adeoque quartæ, cujus inſpiciendæ occaſionem nactum ſe eſſe, negat Ill. *Senckenbergius*. Effecit tamen, pro ſuo inſerviendi omnibus ſtudio, ne novæ huic editioni quidquam deeſſet,

deeſſet, quod laudati modo viri ad libri uſum ac ſplendorem contulerunt, imo ut aptior redderetur tironibus, non tria §. 6, 7.
ſolum graduum cognationis ſchemata adjecit, a *Charonda* editioni Inſtitutionum addita, pariterque *Cujacii* indicem obligationum & actionum, quem *Alexander Chaſſanæus* Paratitlis ſuis ad Inſtituta jam inſeruerat, ſed varias etiam abeſſe noluit appendices, ſcilicet *Matth. Weſembecii* Epiſtolam de formando ſtudio Juris; *Simonis a Leuwen* Hiſtoriam Juris; *Sam. Strykii* rationem allegationis jurium; M. G. J. C. ſcriptum, oſtendens, quæ in cujusque tituli legumque elucidatione obſervanda; *Chriſt. Beſoldi* Breviarium Inſtitutionum; denique indicem titulorum omnium & Civilis & Canonici Juris. Quod ad ætatem ac patriam Autoris attinet, lucem eum ad- 9, 10, 11.
ſpexiſſe minimum temporibus *Juſtini II*, Imperatoris, ſuſpicatur, idque ex his rationibus, quod ſtilus ſit græciſſans, nec ad Longobardorum dicendi rationem effictus; quod MSti Codices vetuſti ſint, iisque adjuncti *Paulus*, *Ulpianus*, & *Cajus*, qui medio ævo nullius pretii erant apud Gloſſatores; quod ſtilus nitidior, atque forma libelli alia, videatur, quam quæ Gloſſatorum ætati conveniret; quod nemo JCtorum, qui medio ævo vixerunt, vel verbo Autoris mentionem injecerit, ac poſtremo, quod verba Juris Romani retenta fuerint, &, ad *Juſtiniani* præceptum, ſola expoſita paraphraſi. Natione Italum, aut Afrum ſaltem illic commoratum, eſſe Autorem, perſuaſum ſibimet habet Perilluſtris Editor, argumento tamen, ſi ad Africam reſpexeris, non adeo ſtabili, uti ipſe haud diffitetur. Quæ huic de ætate ac patria Autoris ſententiæ reponi forſitan poſſent, ea non removet ſolum & infringit, ſed 12, 13.
de MStis quoque exemplaribus, in Gallia inventis, loquitur, quæ cum accuratius deſcribere jam non licuerit, alio forſitan tempore ſe id præſtiturum pollicetur, quod nunc vero graviora Viri ſummi negotia vix, niſi prorſus fallimur, permittent. Nomen libelli, qui modo Brachylogus, modo Cor- 14, 16.
pus legum, dicitur, unde potiſſimum derivari debeat, & quanta ſit ejusdem in explicando Jure ac diſcendo utilitas, luculenter oſtendit Editor, imo plura nonnunquam exhiberi ob-

 ſervat

§. 21, 22. ſervat in eo, ac in univerſo Corpore Juris civilis, quod vel ex ſolo evinci *Libro IV* poteſt, ubi totius Juris Romani proceſſus ordine pertractatur. Ratio eſt, quia *Juſtinianus*, ſuis ſcribens Græcis & Romanis, quibus procedendi modus quotidie ante oculos erat, eo minus neceſſe putavit omnia fuſius enarrare; quo magis habebatur certum, hoc ipſum non ad JCtos pertinere, ſed ad Rhetorum ſcholas, ex quibus noſter multa de-
23 ſeq. ſumſit. Hunc cum Italum, aut Afrum, fuiſſe dictum ſit ſupra; ſatisfactum etiam iis eſt, qui, falſis ſeducti principiis, Juri Romano omnem prope ante *Lotharium* autoritatem in Italia denegarunt. Inde Perilluſtris *Senckenbergius* excurrens nonnihil, de uſu Juris *Juſtinianei* diſſerit plura notatu digna, eo quidem conſilio, ut deſtruat ſimul hiſtoriam Amalphitanam, ſcilicet nullo illius temporis autore probari poſſe, quod Pandectæ ex Amalphitana urbe delatæ Piſas fuerint. Novimus lites, noſtra ætate a viris doctiſſimis de hac fabula mo-
39, 40. tas, quibus eleganter expoſitis, ad hodiernam Jura docendi methodum transgreditur. Onerantur tirones, ubi vix præcipuos artis terminos intelligunt, horrendo aſpectu Commentariis, & mille nugas, mille inanes reſolutiones, a præceptoribus audiunt. Addunt iſti ingeniorum tortores obſervationum nubem, in quibus, frigidis licet, calamo tamen excipiendis, vetuſtiſſima, & abrogata dudum, Pandectarum capita magnificis verbis commendant, de ipſo uſu forenſi parum ſolliciti. Quam perverſam ſeculi conſuetudinem ſicut merito dolet atque improbat Editor, reconditæ eruditionis laude fulgentiſſimus; ita etiam, quaſi ſupplementi loco, ad
46 ſeq. Diſſertationem, quam Giſſæ A. 1742 divulgaverat, *de Jurisprudentia certa methodo tractanda*, varios addit ſcriptores, quos vocat methodicos in Jure, iisdemque concludit Præfationem, lectu digniſſimam.

*OBSERVATIO DE SATELLITE VENERIS, facta a JACOBO SHORT, Reg. Soc. Lond. Socio, mane d. 23 Octobr. A. 1740. Tranſlata ex Tranſact. Philoſ. Anglic. Num. 459 pag. 646.*

Cum

Digitized by Google

Cum Teleſcopium reflectens, cujus focus eſſet 16, 5 pollicum, & apparatu motum diurnum proſequendi inſtructum, Venerem verſus direxiſſem, obſervavi ſtellam exiguam ipſi valde propinquam. Cepi ſtatim aliud Teleſcopium ejuſdem foci, objecta circiter 50, aut 60, vicibus augens, & Micrometro gaudens, cujus ope diſtantia ſideris a Venere menſurari poſſet; eamque inveni 10°, 2′, 0″. Cum autem Venerem valde diſtinctam, adeoque aerem maxime ſerenum, animadverterem; Teleſcopium ita adornavi, ut 240 vicibus magnitudinem augeret; quo facto, ſumma cum admiratione, ſtellam iſtam ejuſdem cum Venere phaſeos conſpexi. Idem prorſus adhuc inveni, cum Teleſcopium tantum 140 vicibus augendi vi inſtruxiſſem. Diameter ſtellulæ circiter tertiam, aut quod decedit, partem diametri Veneris conſtituere videbatur. Lumen ejus non erat adeo coruſcans & vividum, attamen inſigniter diſtinctum & probe terminatum. Recta, per ipſam & centrum Veneris ducta, occurrebat Æquatori ſub angulo circiter 18, aut 20, graduum. Vidi eam hoc mane repetitis vicibus per integrum horæ ſpatium; aſt, ſplendore ſolis oriundi increſcente, circiter quadrante horæ poſt octavam penitus e viſu perdidi. Diebus inſequentibus, quoties tempus matutinum eſſet ſerenum, eandem oculis luſtravi; ſed nunquam mihi licuit eſſe adeo felici, ut ipſam denuo conſpicerem. De ſimili Obſervatione in Aſtronomia ſua mentionem facit *Caſſinus*. Obſervavi quoque duas maculas obſcuriores in diſco Veneris; erat enim aer apprime ſerenus.

## *DANIELIS EBERHARDI BARINGII DESCRIptio Salæ Principatus Calenbergici locorumque adjacentium.*

Lemgoviæ, ſumtibus Joannis Henr. Meyeri, 1744, 4.
P. I Alph. 1 plag. 21½, P. II Alph. 1 plag. 19½.

Præclare de patria ſua Opere hoc, lingua ſcripto Germanica, etſi titulo ex parte Latino ornato, meretur Cl. Autor, qui prope Hemmendorfium in Principatu Calenbergico, Electorali Brunſvico-Luneburgenſium terrarum parte, lucem vitalem

 adſpexit.

aſpectu. Profeſſionem conſecravit recenſendis de fluviorum origine ſententiis ita, ut, illos ex marinis aquis, in hydrophylaciis telluris redeuntibus, primordia capere, doceat, ratus, aquas in fundo maris eſſe dulces. Laudat ipſe *J. J. Schüslerum*, Rectorem ſcholæ Eimbeccenſis, qui Leinam flumen ac amnes, ſe in illum exonerantes, Programmatibus haud unis deſcripſit. Partem Leinæ inveſtigavit Phyſicus Goettingæ *Cyriacus Henricus Ebelius.* Notat Autor naevos *Caſp. Schneideri*, qui *Saxoniam veterem & novam, magnam in parvo*, collegit, *Joannem Conradum Knauthium* editorem & acceſſionum architectum nactus. Omiſit certe *Schneiderus* amnes bene multos, ac paſſim reddidit eos anonymos, quibus nomina ſunt ſua. Loca ipſa & fluvios haud obiit *Schneiderus*, e mappis quippe geographicis pleraque duntaxat edoctus. Luſtravit Noſter ipſe Salam, Lauenſteinenſis præfecturæ fluvium, A. 1739 & 1741, ac ſingula ibi loca peragravit. Enumerat fluvios, quibus æque nomen eſt *Salæ*. Hiſtoriam ſalinarum Hemmendorfienſium ex Diplomatibus repræſentavit. Inſeruit his monumentis ineditas notitias *Joannis Lezneri* de vico Wallenſen, de Coenobio Marienau, ac de oppido Eltze. Diſſeruit de vocibus paſſim vetuſtis, eisque Teutonicis, de loco Dudingen, de cantilena *Henneke Knecht wat wut du doen*, de ſpecu *Lippoldi*, de Lauenſteinenſi dynaſtia, de *caminatis*, de fodinis lithanthracum, de officina vitriaria Oſterwaldenſi, de fonte medicato, de urnis Lauenſteinii detectis, ac de Eccleſiaſtis lo-
Pag. 1. corum ſingulorum. Flumina ſcilicet ſale foecunda quondam
4. dicebantur *Salæ*. Sala Lauenſteinenſis ſupra villam Capellen-
hagam e nonnullis fontibus ſcatebrisque oritur, ac prope op-
8. pidum Elze, ſeu Aulicam, ſeſe Leinæ committit. Dudingæ
natus fuit *Joannes Georgius ab Eckhart* patre *Joanne Caſparo Eckharto*, præfecto rei venatoriæ ſuperiori, gente Thuringus. Majores ipſius habitarunt prope monaſterium Portenſe. Ipſe A. 1721 a glorioſiſſimæ memoriæ Imperatore *Carolo VI*, cui *Origines Habſpurgo-Auſtriacas* inſcripſerat, ad honores nobi-
16. litatis fuit evectus, Wirciburgi A. 1730 defunctus. *Wallenſen*, ſeu *Walhanſen*, olim *Waldehuſen*, villa pagi *Dudingen*, *Seculo* jam

Digitized by Google

jam XI claruit. Dynaſtæ Homburgenſes locum mœnibus altis, quorum rudera ſuperſunt, cinxere. Archidiaconus Pag. 25.
Walhuſenſis quondam rectorem eccleſiæ ibi in functionem parochialem per *traditum altaris cornu* immiſit. Noſtro viſum eſt, per hoc *cornu* deſignari reditus, e parochia percipi ſolitos. Quid vero impedit, quo minus cornu Parocho novo traditum fuerit? Dantur variæ ejusmodi ævo medio traditiones ſymbolicæ. *Cornu* tunc temporis quoque dicta fuit *mitra cornuta, almutium cornutum*, geſtamen ad altare adhibendum.
*M. Samuel Erich* fuit in Wallenſen ad tempus eccleſiaſtes, qui 33.
A. 1643 edidit *Exodum Hamelenſem*, ac Epigrammata Latina condidit, quorum pars prior Lipſiæ A. 1698, poſterior Brunſuici A. 1700, 8, evulgata eſt. Vitam ejus Noſter ſuccincte enarravit. Pater *Baringii* fuit *Henningus*, Eccleſiaſtes Obergæ, mater vero *Berckelmannia*. Ipſe vero in prima ætate 37.
Hemmendorpii ad Salinas fuit educatus. Idem animadvertit, circa annum 1530 in Saxonia inferiori deſiiſſe in dicaſteriis uſum dialecti patriæ, inductamque in ea fuiſſe dialectum 42.
Miſnicam. Salinæ Hemmendorfienſes jam Seculo XII floruere, ac Hemmendorfium dictum fuit *Swalenhuſen*, pago Gudinge proprium. Vox *Sack* ibi denotat quadratam ſalis corbem, quinque & dimidium modos capientem, quos vocant 50.
Himpten. Villas, ibi olim ſitas, poſtea deſolatas, enumeravit Cel. Autor haud unas. *Tarras* eſt farina ex tophite piſtillis incuſſis parata, cui ſi admixta fuerit calx optimæ notæ, 56.
inde oritur materia conglutinans, intra aquas indureſcens mirum in modum. De ſeptem acervis lapidum Fallingboſtelanis fuſius expoſuit Noſter. *Eraſmus Franciſci*, polygraphus, 111.
natus fuit Lauenſteinii patre *Eraſmo Fix*, Conſiliario Ducum Brunſuico-Luneb. ac proſatrape Lauenſteinii ac Lauenaviæ. Juvat hic legiſſe vitam illius *Eraſmi Franciſci*. Divertit Noſter porro ad Speigelbergam, ac Comites, inde denominatos. 124.
*Speigelberg* Saxonibus vetuſtis erat locus declivis montanus, è cujus ſulcis, ſeu canalibus devexis, aqua ſeſe proluendo præcipitat, quaſi dicas *Spæhlberg*. Non vacat nobis in præſens 158.
ſacellum S. *Annæ* Speigelbergenſe cum Cel. Autore intueri. 177. 185.

Pag. 231. *Hezingeſſen villa* ab eo revocatur ad villam Heinſen. Niſi illa ad pagum, a Gudinge diverſum, ſpectaſſet, haud repugnaremus. *Heinſen* villa procreavit *Jacobum Lampadium*, Procancellarium Hannoveranum. In villa vero vicina *Esbeck*,
237. patre eccleſiaſte natus fuit *Juſtus Geſenius*, poſtea Superintendens generalis Calenbergicus. Vitam & ſcripta utriusque
244. Noſter expoſuit accurate. Ad cornua Ammonis Marienhagenſia hinc procedit. Illuſtrat villas everſas *Oſtbe* ac *Lede*,
260. Epiſcopatum Hildeneshemenſem primordia Aulicæ debere, tradit. Nobiles de *Aulica*, *Eletſe*, *Elze*, dictos, indicat bene
265. multos. Hæc potiſſime ad *Partem priorem* ſpectant. *Poſteriori* vero recenſentur ſcriptores de ſalinis generales & ſpeciales, exponitur ordo defluentis Salæ, exhibentur 58 Diplomata, generoſiſſimorum Dominorum *de Bock* genealogia expromitur, ac ſeptem catalogi eccleſiaſtarum, *Parte priori* omiſſi, ſubjunguntur. Laborem feliciter exantlatum Cl. Autori, in itineribus ipſis ad commoda publica attento, ex animo gratulamur.

## *BIBLIOTHECA RINCKIANA, SEU SUPELLEX librorum, tam impreſſorum, quam MStorum, quos per omnia ſcientiarum geuera collegit Vir quondam Illuſtris, Dominus* EUCHARIUS GOTTLIEB RINCK, *JCtus, hæreditarius in Stœtteriz, Sacræ Caeſ. Maj. Conſiliarius, Academiæ Noricæ Senior, ac Anteceſſor primarius, cum Præfatione* ADAMI FRIDERICI *GLAFEY, JCti.*

Lipſiæ, apud viduam B. Caſp. Fritſchii, 1747, 8.
Alph. 3 plag. 19.

Notum ſatis eſt atque celebratum inter eruditos beati *Rinckii*, de Academia Altorffina pariter atque orbe literato præclariſſime promeriti, nomen. Ante biennium is, debitum naturæ ſolvens, ad meliorem vitam ſeceſſit quidem; fama autem optimi Viri, tantum abeſt, ut morte ejus fuerit obliterata, ut

-tut in omnium, qui virtutes *Rinckianas* norunt, animis perpetuo ſuperſtes futura ſit. Reliquit enim, præter varia eruditionis & ingenii ſpecimina, Bibliothecam, omnis generis doctrinæ ſcripta continentem, & apud privatos vix alibi inveniendam. Gaudemus igitur, notitiam tanti theſauri nobis impertitam a Viro Illuſtri atque Celeberrimo, *Adamo Friderico Glafey*, Viro inſignis in aula Saxonica famæ, & ob doctrinam pariter, atque in rebus gerendis ſolertiam, ſumma veneratione digniſſimo. Auſpicatiſſimo is matrimonio cum filia B. *Rinckii* junctus eſt, eamque ob cauſam de catalogo Bibliothecæ, a Socero relictæ, compilando ſerio cogitavit, nullisque laboribus ac tædiis, quæ tale opus afferre ſolet, publicis licet negotiis haud parum diſtractus, pepercit. Vivus nimirum adhuc *Rinckius*, nullo unquam catalogo, ne minimo quidem unius plagulæ, uſus eſt, ſed ex tanta librorum copia, nullo fere ordine collocatorum, (tanta erat Viri ſummi memoria,) facillimo negotio quemvis deſideratum librum invenire potuit. Varia, uti facile eſt ad intelligendum, ex tumultuaria hac librorum diſpoſitione hæredibus nata ſunt incommoda, & nos Illuſtri hujus Catalogi Autori, multiplicatum hac ratione vehementer laborem quiritanti, facile fidem habemus. Grates interim ipſi agimus ampliſſimas, quod ſplendidiſſimum hunc librorum apparatum, Regum opes æquantem, in egregium non ſolum ordinem digeſſerit, verum etiam de variis libris obſervationes admodum ſelectas, & ex intimis Hiſtoriæ literariæ penetralibus depromtas, adſperſerit. Ut ergo, quantum debeant *Glafeio* βιβλιόφιλοι, eo melius cognoſcatur, ordinem, quo hoc in Catalogo concinnando uſus eſt, delineabimus, & ex adjectis annotationibus ſpecimina quædam afferemus. Univerſam Bibliothecam *ſex Partibus* generalibus Ill. Autor deſcripſit, quarum *prima* Theologiam, *altera* Jus privatum, *tertia* Hiſtoriam & Jus publicum, *quarta* artem medicam, *quinta* Philoſophiam, *ſexta* denique Codices manu ſcriptos, & qui illis ob raritatem accenſentur, ſub artis typographicæ incunabula impreſſos, complectitur. Singulas vero Partes in varias Sectiones ſubdiviſit, cujus ordinis

nis rationem, & tabulæ, in fronte Catalogi poſitæ, exhibent, & Præfatio, admodum docte & eleganter conſcripta, fuſius declarat. Placuit interim ei, Caput præliminare libros de mediis ad eruditionem perveniendi complectens, quale in aliis Bibliothecarum univerſalium catalogis, minus tamen recte, omitti ſolet, præmittere. In hac claſſe inter alia comparet *Jo. Philippi Slevogtii* Parergon *de ἀκυρίᾳ maledici diſputatoris*, Jenæ A. 1688 emiſſum. Obſervat hoc de libello Ill. Autor, eum *Puffendorfio* dedicatum a *Slevogtio*, cum famam, a *Puffendorfio*, qui præcipitanter nimis dixerat, *neminem Jenæ eſſe, qui pure & eleganter Latine ſcriberet*, vindicare anniteretur. De *Cornelii Agrippæ a Nettesheym* libro, *de vanitate omnium ſcientiarum*, Hagæ Comitum A. 1662 typis impreſſo, monet, in quibusdam ejus editionibus varia, quæ non e re Eccleſiæ Romanæ erant, omiſſa eſſe, hanc tamen editionem cum prima,
Pag. 2. eademque incorrupta, anni 1530 conſentire. *Partis primæ*, theologicos libros exhibentis, *Caput primum* de fontibus Theologiæ agit. Comparent ibi quamplurimæ ſacri Codicis editiones, quas inter *Biblia polyglotta Antwerpienſia* emi-
3. nent. *Capite ſecundo* ſcripta Patrum, vetuſtiorumque Theologorum, recenſentur. Agmen in his ducunt *Cotelerii Patres Apoſtolici*, Amſtel. A. 1724 excuſi. In *Tomo* hujus Operis *ſecundo, Parte ſecunda*, poſt *paginam 268 Guilielmi Beveregii Codicem Canonum eccleſiæ primitivæ vindicatum* apponi, Ill. Autor docet. Quamvis autem integer is liber appareat, Dedicationem tamen ad *Wilhelmum*, Epiſcopum Cantuarienſem, nec non
6. Canones Apoſtolicos, in eo deſiderari, conqueritur. Reliquæ Patrum editiones, hic recenſitæ, neque copia, neque præſtantia, ſe commendant. *Caput tertium*, Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ amplectens, in varias Sectiones ſubdiviſum eſt. In prima Sectione collectores ſubſidiorum, ſeu apparatus ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, exſtant, qui tamen totus apparatus unico duntaxat libro non adeo magni pretii abſolvitur. Majoris multo facienda eſt Sectio ſecunda, in qua Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ univerſales, tam antiqui, quam recentiores, enarrantur. In antiquis eminent *Euſebii*, *Socratis*, *Sozomeni*, alio-

rumque

Digitized by Google

rumque Græcorum Hiſtoria Eccleſiaſtica, Cantabrigiæ junctim edita, de cujus editionis præſtantia Ill. Autor erudite diſputat, a *Samuele Parckero* hoſce Scriptores in Anglicam linguam translatos, monens. Inter recentiores hic nominari merentur *Cæſaris Baronii Annales, duodecim Tomis* Moguntiæ A. 1601 excuſi. *Baronium quindecim Tomos* horum Annalium compoſuiſſe, tresque nondum editos apud Patres Congregationis Oratorii latere, ex *Hieronymi Vecchieti* opere *de ſacrorum temporum ratione* Ill. Autor docet. Hanc vero editionem Moguntinenſem ab ipſomet *Baronio* fuiſſe recognitam, & præſtantiorem eſſe Antwerpienſi, quippe in qua Tractatus *de Monarchia Sicilia* deſideretur, monet, deque aliis *Baronii* editionibus, quas bibliopolæ Itali pararunt, diſputat. Occaſione *Abrahami Bzovii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, ex *Annalibus Baronii* excerptæ, & Coloniæ A. 1617 *tribus Tomis* excuſæ, monet, *Bzovio* acerrimum hoſtem contigiſſe *Herwartum*, Conſiliarium Bavaricum. Is enim in controverſia de *Ludovico IV* Imperatore, cum ipſo agitata, non ſubſtitit, ſed vindictam ſuam in omnia ejus ſcripta extendit, ſiquidem in mantiſſa, operi ſuo de *Ludovico* defenſo adjecta, hoc *Bzovianum* opus acerbe ſatis perſtrinxit. *Duos* autem duntaxat hujus Operis *Tomos* ipſe *Bzovius* compoſuit, ac tertium *Jo. Fridericus Mathenesius* adjecit, in eoque *Bzovii*, epitomatorem egit. Centuriarum Magdeburgenſium editionem Baſileenſem, A. 1560 *tredecim Voluminibus* impreſſam, primam vocat Ill. Autor, deque altera hujus operis editione, A. 1624 publici juris facta, quamplurima lectu digniſſima in medium profert. *Sectione tertia* Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ particulares, ſecundum gentes, regna, & provincias, inſigni numero & delectu recenſentur. Exſtant inter eos *Melchioris Inchoferi*, e ſocietate Jeſu, *Annales Eccleſiaſtici regni Hungariæ*, quos rariſſimos vocat Ill. Autor, eorumque *Tomum ſecundum*, a ſociis offenſis ſuppreſſum, nunquam prodiiſſe, obſervat. Excipit illam *Sectionem* Hiſtoria Conciliorum & colloquiorum theologicorum, eamque ſingularia themata Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſequuntur. Deprehendimus in illis opus valde volu-

Pag. 8. 9. 13.

minoſum atque egregium, quod *Acta Sanctorum* audit, nec non *imaginem primi ſeculi ſocietatis Jeſu, a provincia Flandro-Belgica ejusdem ſocietatis repræſentatam.* Iſtius libri rariſſimi, Antwerpiæ A. 1640 emiſſi, compilatorem *Joannem Tollenarium* dici, atque huic libro, de quo Jeſuitæ vehementer gloriabantur, alium quendam, *Elixir Jeſuiticum* inſcri-
Pag. 27. ptum, oppoſitum eſſe, Ill. Autor obſervat. De variis etiam editionibus *Catologi teſtium veritatis Flaciani* docte admodum diſputat, nonnulla a *Buddeo*, in *Iſagoge hiſtoriæ theologicæ* nondum obſervata, ſuppleus, &, editionem Francofurtenſem, A. 1666 a *Jo. Conrado Dieterico* adornatam, quam Catalogus
29. hic exhibet, ceteris omnibus præſtare, judicans. Occurrit quoque inter hos libros aliquis, *le Jeſuite ſeculariſé* dictus, nec non alter, qui inſcribitur *Critique du Ieſuite ſeculariſé,* Coloniæ A. 1683 impreſſus, quem librum acerbiſſimam contra Jeſuitas continere cenſuram, qualis vix unquam prodierit, eumque ab homine Sociniano fuiſſe compoſitum, ab Ill. Autore docemur.
31. Inter ſcripta, hiſtoriam Theologiæ gentilis continentia, qualia in *Sectione ſeptima* comparent, agmen ducit *Gerhardi Joannis Voſſii de origine ac progreſſu idololatriæ Tractatus,* quam *Voſſii* lucubrationem inter omnia, quæ is ſcripſit, principem obtinere locum, & editionem Amſtelodamenſem, A. 1668 impreſſam, reliquis longe præſtantiorem eſſe, ex *Colomeſii Biblio-*
32. *theca ſelecta* annotatur. *Caput quartum* continet Commentatores & interpretes Scripturæ ſacræ, *quintum* Compendia & Syſtemata theologica, *ſextum* libros, Theologiam naturalem explicantes, quos inter *Julii Cæſaris Vannini Amphitheatrum*
38. deprehendimus. *Capite ſeptimo* libri, ad Theologiam moralem pertinentes, *octavo* fontes ac dogmata Theologiæ gentilis, inter quos tamen libros variæ etiam Alcorani editiones haben-
41. tur, comparent. *Caput nonum* ſcripta Theologiæ polemicæ, *decimum* libros concionum, precum, & cantionum, exhibet, quibus admixti ſunt nonnulli Pontificiorum hujus generis ſat lepidi libelli, uti eſt *Abrahami a S. Clara heilſames Gemiſch-*
47. *Gemaſch. Undecimo Capite* opera theologica varii generis habentur. *Duodecimo* miſcellanea & ſingularia opera theolo-

Digitized by Google

theologica comparent. Quamplurimis horum librorum titulis præclaræ annotationes ab Ill. Autore adjectæ ſunt, de quibus fuſius dicere, anguſto nimis ſpatio incluſis nobis haud licet. Properamus enim ad reliquas Catalogi partes, quæ libros, Juris ſcientiam illuſtrantes, atque adeo B. poſſeſſori inprimis familiares, continent. *Pars* ergo Catalogi *ſecunda* libros Juris privati ſiſtit, eaque ob argumenti amplitudinem, librorum copiam, & meliorem ordinem, in libros, capita, & ſectiones, ſubdiviſa eſt. *Liber primus* Juris civilis, tam Romani, quam Germanici, ſubſidia exponit, ejusque *Caput primum* fontes Juris Romani aperit. In hunc cenſum referuntur variæ Codicis *Juſtinianei* atque *Theodoſiani* editiones, quas inter *Gregorii Haloandri* editio *Codicis Juſtinianei, Noribergæ* A. 1530 excuſa, eminet, cujus quippe raritatem ſcriptores, ab Ill. Autore citati, mirantur. Idem dicendum de *Jacobi Cujacii Codice* Pag. 66.
*Theodoſiano*, A. 1586 cum fragmentis annexis edito. Fragmenta enim, huic editioni adjecta, apud *Gothofredum* fruſtra quæri, *Georgius Beyerus* jam monuit. *Joannis Heroldi Origines ac antiquitates Germanicæ*, leges veterum Germanorum comprehendentes, præſtantiores ſunt editione *Lindenbrogii*, cum & priſcæ voces Theodiſcæ, quas *Lindenbrogius* omiſit, hic appoſitæ, & in fine etiam nonnulla, a *Lindenbrogio* prætermiſſa, adjecta ſint. In *Capite ſecundo* fontes Juris Saxonici, tam 67.
communis, quam Electoralis, habentur. Excipiunt eos libri, ad Jus ſtatutarium provinciarum ac civitatum Germaniæ ſpectantes, ubi quamplurimæ ſimul Diſſertationes, peculiaria certorum locorum jura illuſtrantes, in faſciculos collectæ, comparent. Inter Syſtemata Juris civilis Romano-Germanici *Everardi Ottonis Theſaurus Juris Romani* quoque relatus eſt, reliqua non adeo magni facienda ſunt. Commentatores in peculiares quasdam Juris civilis ſpecies dein ſequuntur, quorum prior claſſis Jus militare continet, quam Jus metallicum, œconomicum, criminale, cambiale, aquaticum, excipit. Inter Commentarios ad fontes Juris civilis *Marquardi Freheri libri πειθανῶν* exſtant, A. 1622, curante *Jo. Boſchio*, Norimbergæ typis impreſſi. Primam operis hujus editio-

nem, quam A. 1588 Francofurti ipſemet *Freherus* procuravit, patri ipſe ſuo cognomini nuncupavit. Hanc vero dedicationem *Boſchius* in hac operis editione omiſit, eundemque librum A. 1628 ſub novo titulo, *Veroſimilium* nempe, ac ſi nova eſſet editio, lectoribus obtruſit. Inter Deciſiones, Reſponſa, & Conſilia JCtorum, quorum ingens farrago hic apparet, *Jo. Ludovici Benderi Concluſionum deciſivarum practicarum librum ſingularem* relatum eſſe, cognovimus. Ad capeſſendos ſummos in Jure honores, *Benderum* in Academia Tubingenſi concluſiones 38, de reviſione in Camera imperii agentes, ad diſputandum propoſuiſſe, easque hic novo Commentario, anno 1598, quo ipſo in numerum Aſſeſſorum judicii cameralis, a circulo Rhenano ſuperiori præſentatus, recipiebatur, primum edito, illuſtraſſe, Ill. Autor obſervat. Poſtea quidem hic libellus in quarto ſæpius recuſus eſt, nihil vero mutatum in eo deprehenditur. Excipiunt hos libros Scriptores practici & proceſſuales Juris civilis, quorum certe & multos, & utiliſſimos, ſelegit *Rinckius;* quemadmodum & inter opera, ad Jurisprudentiam elegantiorem ſpectantia, haud pauca optimæ notæ, nec non ſummæ raritatis & pretii, uti ſunt *Cujacii Opera omnia*, ſe nobis obtulerunt. Occurrit quoque in horum librorum claſſe *Franciſci de Amaya* in tres poſteriores Codicis *Juſtinianei* libros Commentarius, Lugduni A. 1667 in folio excuſus. Quamplurimos hujus operis titulus decepit, cum non niſi decimi tantum Codicis libri commentarium ſiſtat ipſum opus, reliquis ad edendum quidem paratis, ſed Autore morte impedito, quo minus promiſſis ſtare potuerit. Quamplurimos Tractatus & Diſſertationes, ſpecialiſſimas Juris materias tractantes, hic etiam adeſſe cognovimus. Rariores profecto ſunt tales libelli, & difficulter parantur; unde eo majoris ejusmodi eorum collectio facienda eſt. Idem de libris, Jus feudale illuſtrantibus, dicendum, quorum itidem apparatus ob numerum pariter atque delectum ſe nobis mirifice commendavit. Obtulit inter alia ſe noſtris oculis *Lunigii Corpus Juris feudalis Germanici*, in qua collectione *Schickfuſii Conſuetudines Sileſiæ feudales*

Pag. 92. (margin, at "Inter Deciſiones") · 97. (margin, at "ſe, Ill. Autor") · 100. (margin, at "pedito, quo minus")

*feudales* continentur. Hoc autem opus ab eruditis tam anxie deſideratum, tamque rarum, antea fuiſſe, Ill. Autor obſervat, ut non ſolum aliqui manu deſcriptum ejus exemplar ſibi Pag. 168.
comparaverint, ſed & *Struvius* in *Bibliotheca juris* de impreſſione ejus unquam facta dubitaverit. *Henrici a Roſenthal Synopſis Juris feudalis*, quæ hic comparet, ſæpius eſt excuſa, deque variis ejus editionibus fuſe Ill. Autor diſputat.
Plurimas quoque Diſſertationes, peculiaria Juris feudalis capita 169.
tractantes, hic invenimus. Etiam Juris Canonici ornamentis hæc Bibliotheca ſuperbit, quæ egregios iſtius Juris fontes, uti ſunt *Wilhelmi Beveregii Pandectæ Canonum*, rarioresque Corporis Juris Canonici editiones, oſtentat, inſignemque apparatum Commentatorum Juris Eccleſiaſtici, tam Pontificiorum, quam Proteſtantium, ſuppeditat. Inter illos Ill. Autor præ aliis laudat *Henrici Wagnereckii Commentarios ſanctorum Canonum*, Dillingæ A. 1672 editos, opus hoc, poſt mortem Autoris publicatum, ob jura Canonica cum juribus Eccleſiarum Germanicarum conjuncta, noſtratibus præ aliis
ſcriptoribus Pontificiis commendans. Jus Canonicum exci- 200.
pit Jus privatum regnorum & provinciarum exterarum, quem etiam in cenſum jus Græcorum, atque libri Βασιλικῶν, ex editione *Fabrotti*, relati ſunt. Cum B. *Rinckius* Juri publico Germaniæ præcipuam impenderit curam, ſcripta, huc pertinentia, *tertiam*, eamque peculiarem, hujus Catalogi *Partem* conſtituunt, in varios libros & capita ſubdiviſam. Enarrantur hac in *Parte* primum ſubſidia, ad hoc eruditionis genus inprimis neceſſaria, inter quæ Hiſtoria paginam dubio procul utramque facit. Libri ergo, ad diſciplinas, quæ ad Hiſtoriam præparant, pertinentes, agmen hic ducunt, quorſum Geographi, itinerum deſcriptores, nec non libri, Genealogiam illuſtrium familiarum exponentes, referuntur. Eminet in his *Hieronymi Henninges Theatrum genealogicum*, *ſex Voluminibus* in folio comprehenſum, & Magdeburgi A. 1598 typis exſcriptum. Hujus operis ſummam raritatem & pretium Viri literatiſſimi, *Vogtius*, *Reimannus*, *Gundlingius*, alii, celebrarunt. *Hubneri* vero, in *Bibliotheca genea-*



Digitized by Google

*logica* hoc de opere diſſerentis, errorem Ill. Autor erudite
Pag. 253. convellit. *Genealogiam Ruthenorum Comitum, & Dominorum in Plauen*, prioribus emendatiorem, Norimbergæ A. 1715 editam, *Jacobum Wilhelmum Imhoffium* compilaſſe, nonnulli crediderunt. At enim vero, *Henricum decimum tertium*, Graitziæ inferioris dynaſtam, in tabula operis hujus ſeptima ſibimet
257. ipſi hunc librum vindicare, Ill. Autor obſervat. Occaſione libri *heraldici*, Theodiſco idiomate compoſiti, qui inſcribitur *Martini Schrotii Wappenbuch*, Monachii A. 1576 excuſi, de præcipuis inſignium deſcriptionibus erudite idem diſ-
272. putat. Inter interpretes vocabulorum medii ævi agmen ducit *Caroli du Freſne Gloſſarium latinitatis mediæ*, cujus operis duæ editiones, altera Francofurtenſis, anno hujus Seculi decimo *duobus Voluminibus* excuſa, altera Venetiis A. 1736 impreſſa, *ſex Tomos* in folio continens, hic comparet. Monet Ill. Autor, *Cangium* in fine hujus operis addidiſſe Diſſertationem *de inferioris ævi numiſmatibus*, prima vice Lutetiæ Pariſiorum anno Seculi præteriti ſeptuageſimo octavo editam. Hanc tamen Diſſertationem, licet operi, quo Imperatorum Conſtantinopolitanorum familias deſcribere aggreſſus eſt *Cangius*, deſtinatam, *Hiſtoriæ* tamen *Byzantinæ*, quam A. 1682 is publicavit, non adjectam eſſe, docet. Hanc quoque negligentiam neque Venetos, qui recuſo corpori Hiſtoriæ Byzantinæ *Cangii* Hiſtoriam Byzantinam, omiſſa hac Diſſertatione, inſeruerunt, nec fratres Benedictinos, novæ editionis Gloſſarii hujus procuratores, correxiſſe, con-
277. queritur. Inter ſcripta diplomatica *Mabillonii* conſummatiſſimum opus eminet, de cujus diverſis editionibus varia
278. notatu digna Ill. Autor affert. Inter collectiones Diplomatum, privilegia & pacta urbis Francofurtenſis ad Mœnum, anno hujus Seculi viceſimo octavo compilata, proſtant. In hoc volumine potiſſimum notanda eſſe Sigilla imperatoria, a *Friderici II* temporibus uſque ad *Carolum VI* accuratiſſime delineata, nec in ullo alio opere tam eleganter expreſſa, Ill. Autor monet. Ne autem Sigilla antecedentium Imperatorum, a *Carolo M.* nempe uſque ad *Fridericum II*, deſideraren-

tur,

Digitized by Google

tur, ea omnia B. *Rinckius* ſibi ſeorſim comparavit, & in fine voluminis adjecit, quamvis eadem, paulo negligentius delineata, his Francofurtenſibus æquiparari non poſſint. Hiſtoricos omnis generis, maximo numero collectos, hic deprehendimus. Hiſtoria quidem ad circulum philoſophicum communiter ſolet referri; cum autem B. *Rinckius* eam Juris publici potiſſimum cauſa magni fecerit, libros, ad eam pertinentes, hanc in claſſem ideo Ill. Autor retulit. Fontes hiſtoriarum, ſeu ſcriptores coævi plurimarum gentium, agmen inter eos ducunt, inter quos & Pariſienſis editio Scriptorum Hiſtoriæ Byzantinæ comparet, cui tamen, ut nihil in tanta collectione deeſſet, *Geneſius* quoque, Venetiis excuſus, acceſſit. Collectores inſcriptionum, nummorum, & antiquitatum, in Pag. 292. eundem cenſum relati ſunt, ubi, præter *Grævii*, *Gronovii*, & *Montefalconii*, theſauros, egregium librorum, antiquitates illuſtrantium, deprehendimus apparatum. Plura tamen ſimul hic occurrunt ſcripta, quæ non de antiquis nummis, verum de hodierna re nummaria, deque eo, quod juſtum eſt circa nummorum permutationem, exponunt. Inter ſcripto- 318. res Hiſtoriæ univerſales *Petri Bælii* exſtat *Dictionarium*, ejusque editio Roterodamenſis, anno Seculi hujus ſecundo emiſſa. Prima hujus operis editio anno Seculi præteriti ſexto & nonageſimo prodiit. Hæc vero ſecunda princeps vocari meretur. Nam *Bælius* ipſe omnem curam adhibuit, ut caſtigata, & a mendis purgata, appareret. De reliquis editionibus omnibus, quæ poſt *Bælii* mortem prodierunt, dolendum eſt, in iis labores ipſius *Bælii* cum aliorum additionibus ab editoribus commixtos. Bene autem promeritos eſſe de hoc libro Genevenſes, qui in Supplementis ad hanc editionem, A. 1722 editis, quæ hic *quartum Volumen* conſtituunt, peregrina ſepararunt a *Bælianis*, Ill. Autor declarat. In cenſu 327. librorum, ad hiſtoriam ſtatuum Germaniæ pertinentium, obtulit ſe nobis rariſſimum ſcriptum, cui titulus *Furſtenbuch von Oeſterreich und Steyrland.* Primam hujus libelli editionem Autor ejusdem *Hieronymus Megiſerus* A. 1618 in octava forma procuravit. Hæc autem editio adeo rara eſt, ut ipſe

*Lambe-*

*Lambecius*, in *Commentario ad Bibliothecam Vindobonenſem* Codicem ejus manuſcriptum recenſens, neſciverit, librum hunc jam typis fuiſſe impreſſum. Poſtea *Jo. Petrus a Ludewig* eundem *Tomo IV Lib. IV pag. 191 Reliquiarum MStorum omnis ævi Diplomatum* inſerere conſtituerat, jamque ad plagulam uſque *T* perductum opus erat, cum autoritas miniſtri aulæ Cæſareæ inſtaret, efficeretque, ut plagulæ jam impreſſæ ſupprimerentur. Exemplar vero, quo B. *Rinckius* uſus eſt, in quo tamen plagula *S* deficit, ex involucris faſciculi cujusdam, quem aliquis bibliopola Halenſis Norimbergenſi transmiſerat, ad eum caſu perveniſſe, Ill. Autor commemorat.

Pag. 401. Poſt Hiſtoriam omnis generis, fontes Juris publici Romano-Germanici aperiuntur. Inter hos agmen ducit *Collectio legum imperii fundamentalium*, quæ, præter auream Bullam, ac *Friderici III* reformationem, omnes Conſtitutiones, ab anno 1495 ad annum 1507 uſque evulgatas, ſeptendecim numero complectitur, ſolo Receſſu Auguſtano de anno 1510 omiſſo.

605. Præter illam, quamplurimæ, eæque præſtantiſſimæ, Receſſuum imperii Collectiones comparent, in quarum numero aliqua, Ambergæ A. 1607 adornata, exſtat, quam *Marquardi Freberi* diligentiæ deberi, Ill. Autor conjicit. Rariſſimam eandem eſſe, ac, præter varia documenta notatu digna, eos etiam Receſſus, qui in Corpore Juris publici vulgo deſiderantur, ſiſtere, idem contendit. Quamvis etiam *Goldaſtus* iisdem documentis Conſtitutiones, quas edidit, imperiales locupletarit, hanc tamen editionem, ex archivis quippe protractam, longe accuratiorem eſſe, Ill. Autor monet. Ita & Receſſuum imperii exemplaria avthentica, quæ eo ipſo anno, quo comitia finiebantur, juſſu Imperatoris, vel Electoris Moguntini, in loco, ubi habita erant comitia, ab anno 1532 ad 1654 impreſſa ſunt, 21 faſciculis comprehenſa, hic comparent; quam Collectionem rariſſimam eſſe, & a B. *Rinckio* magna induſtria congeſtam, Ill. Autor docet. *Melchioris Goldaſti Conſtitutionum imperalium Tomi tres*, Francofurti A. 1673 excuſi, in eadem claſſe ſunt olvii. Obſervat Ill. Autor, novam hujus Collectionis editionem anno hujus Seculi tertio & decimo prodiiſſe, ſed

ſed nihil ne in indicibus quidem mutatum additumque eſſe, niſi quod *Tomus quartus* duas partes Statutorum & Reſcriptorum imperialium exhibeat, quæ omnia A. 1627 ſeparatim prodierunt. Nemeſis Carolina, ab *Ivone Scheffero* A. Pag. 606.
1538 impreſſa, hic etiam comparet, quæ editio pro rariſſima merito habenda eſt. Inter libros, de pace publica tractantes, *Franciſci Burckhardi Antinomia*, Monachii A. 1593 edita, agmen ducit, cujus libri editiones varias Ill. Autor recenſet. Quis compoſuerit hoc ſcriptum, injuriarum & conviciorum contra Evangelicos pleniſſimum, inter eruditos valde diſceptatum eſt, cum alii illud aut *Gailio*, aut *Erſtenbergero*, JCtis, alii vero Jeſuitis Colonienſibus, adſcribant. At enim vero, *Franciſcum Burckhardum*, Cancellarium Colonienſem, qui, teſtantibus actis electionis *Maximiliani II*, Francofurti A. 1563 editis, huic actui legatus Colonienſis interfuit, ſcriptum hoc confeciſſe, & ab aliis oſtenſum eſt, & ab Ill. Autore pro certo ſumitur. Oppoſuit huic ſcripto quidam, ſub ficto nomine *Antonii Benbellonæ de Gudentiis* latitans, *Commentationem ad pragmaticam Conſtitutionem de pace religionis*. Sub hoc nomine *Eberhardum a Weihe* intelligi debere, ſtatuit *Rechenbergius* in Diſſertatione, quæ inſcribitur: *An ejus ſit religio, cujus regio eſt; Rinckius* vero, *Bartholomæum Gericium* verum libri Autorem eſſe, exiſtimavit. Scripta, de pace Weſt- 616.
phalica, Pragenſi, & Noviomagenſi, tractantia maximo numero atque delectu hic ſunt diſpoſita, ita, ut nihil fere, ad hanc materiam pertinens, deſideretur. Capitulationum Imperialium optimas editiones collectas hic deprehendimus. Actorum publicorum ampliſſimus hic adeſt apparatus, interque ea *Friderici Hortlederi* opus *de Cauſis belli Germanici*, vernaculo ſermone compoſitum, exſtat, de quo opere eleganter admodum Ill. Autor diſputat. *Hortlederus* nimirum jam A. 1604 625.
quatuor Diſſertationes *de Juſtitia belli Germanici*, *a Carolo V geſti*, Jenæ ventilavit, quæ huic operi majori, A. 1617 primum publicato, anſam dederunt. *Goldaſtus* multa ad illud opus perficiendum ſuppeditaſſe dicitur, ejusque rei fidem illud facere, quod nihil in operibus *Goldaſti* de bello hoc Germanico reperiatur, Ill. Autor dictitat. Quam acriter *Fridericus Ul-*



Digitized by Google

*ricus*, Dux Brunſuicenſis, ob ſcripta quædam, *Libro IV* inſerta, quæ lites, inter domum Saxonicam & Brunſuicenſem olim agitatas, poſtea vero ſopitas, tangunt, a Duce Vinarienſi flagitarit, ut reſidua hujus operis exemplaria fiſco addicerentur, *Electa Juris publici Tom. VI pag. 46* exponunt, ſimulque commemorant, Autorem ita ſe exculpaſſe, ut Dux Brunſuicenſis a ſuo poſtulato tandem abſtinuerit. In præſenti inſuper editione, quæ Gothæ A. 1645 prodiit, nihil eſſe omiſſum, ut temere quidam exiſtimarunt, ſed potius varia ei acceſſiſſe, Ill. Autor teſtatur. Comparent etiam hic *Meieri Acta pacis Weſtphalicæ*, nec non ejuſdem *Acta pacis executionis publica*, quo in toto opere *Meierum* nunquam tabularia nominaſſe, ex quibus documenta & acta, ipſi transmiſſa, acceperit, ne forte offenderet eos, qui cum ipſo quædam communicaverant, aut fidem læderet, qua adſtringere ſolent Miniſtri eos, quibus tabulas publicas ad edendum transmittunt, Ill. Autor obſervat.

Pag. 627. Quæſtio autem eapropter exorta eſt, an huic operi fides habenda ſit, & an id tuto poſſit citari; id quod dubium *Reuſchius*, Profeſſor Helmſtadienſis, evulgato Schediaſmate *de Uſu & præſtantia Actorum pacis Weſtphalicæ*, quod hic *primæ Parti* operis *Meieriani* præmiſſum eſt, erudite diſcuſſit. *Rymeri Acta publica gentis Anglicæ*, *Theatrum Europæum*, pluresque alias Actorum publicorum collectiones, hic deprehendimus. Syſtemata, Compendia, Tractatus Juris publici, per partes eundo, hic recenſentur fere innumerabiles; ita, ut vere poſſimus affirmare, nullam Juris publici tam Germaniæ, quam aliorum regnorum, partem eſſe, cujus non optima ſubſidia poſſederit *Rinckius*. *Bilderbeckii Statum imperii Germanici*, ſermone vernaculo conſcriptum, anno hujus Seculi triceſimo octavo ipſemet Ill. *Glaſeius* Lipſiæ recudendum curavit, ſeque in hac editione multas quæſtiones practicas, non ubivis obvias, extricaſſe, &

634. plurima hoc in libro emendaſſe, non diffitetur. Ad *Moſeri*

638. *Compendium Juris publici*, Tubingæ A. 1731 impreſſum, monet, in hac ejus editione, aliisque eo tempore editis libris, Cel. *Moſerum* nomine gentis de *Filſeck* & *Weilerberg* adhuc uſum eſſe, in altera vero editione de A. 1735, reliquisque operibus inſecutis, eundem hoc cognomen omiſiſſe. Poſtquam nempe

Digitized by Google

nempe illuſtris gens de *Filſeck* & *Weilerberg*, in Suevia ſatis celebris, ipſi eo nomine dicam ſcripſerat, conſultum duxit, hoc cognomen ad vexas evitandas dimittere, ſimplici *Moſeri* nomine aſſumto, etiamſi certo ſibi perſuaderet, familiam ſuam cum illuſtri hac gente ejusdem eſſe originis. Quamvis autem Juris publici diſciplinæ plurimum operæ & impenſarum *Rinckius* impenderit; non tamen ſine admiratione, inſignem quoque omnis generis librorum medicorum in ejus Bibliotheca repoſitum fuiſſe apparatum, cognovimus, quales libros *Pars Catalogi quarta* exhibet, quorum etiam librorum titulis varia notatu digna Ill. Autor ſubinde adſperſit. De opere, quod inſcribitur: *Recreatio mentis & oculi in obſervatione animalium teſtaceorum*, a *P. Philippo Bonanni* Romæ A. 1684 edito, Ill. Autor monet, primam ejus editionem in Italica lingua Romæ A. 1681 prodiiſſe, ipſum vero *Bonannum* hunc librum in Latinam linguam transfudiſſe, additis centum teſtaceorum iconibus, quarum quædam errore artificis minus accurate delineatæ ſint. Hunc vero errorem *Bonannum*, a *Liſtero* admonitum, in *Muſeo Kircheriano*, quod auctius edidit, correxiſſe. *Thomæ Nicolſii libellum de Gemmis*, ex *Martini Rulandi Lexico Alchymiæ*, nec non ex *Boetii a Bod* de eadem materia libello, hauſtum eſſe, Ill. Autor obſervat. Libri, ad Philoſophiam atque πολυμαθείαν pertinentes, in *quintam* Catalogi *Partem* rejecti ſunt. Comparent ibi primo loco opera philoſophica, in quorum numero etiam non pauca veterum Philoſophorum, *Ariſtotelis* puta, *Xenophontis*, *Athenæi*, ſcripta deprehenduntur. In *Franciſci Baconis de Verulamio* opuſculis, Amſtelædami A. 1663 junctim impreſſis, multa reperiri, quæ in Lipſienſi Operum *Verulamii* editione fruſtra quæruntur, Ill. Autor obſervat. Phyſici libri inſignem rariorum operum conſtituunt apparatum. Ita v. c. *Hortum Eyſtatenſem cum Figuris æneis* hic deprehendimus. Splendidiſſimus hic liber, qui omnes ſuæ ætatis ſplendore ſuperat, a *Baſilio Beslero*, Pharmacopola Norimbergenſi, adornatus eſt. Sub iſtius nempe auſpiciis hortus ille ad id faſtigium adſcendit, ut omnibus aliis, in univerſa Europa, palmam præriperet. Ab Epiſcopo poſtea *Joanne Conrado*, ex gente *Gemmingorum* oriundo,

Pag. 783. 785. 779.

undo, ad deſcribendos horti frutices rariores, is excitatus, cum huic operi imparem ſe ſentiret, *Ludovico Jungermanno*, viro adhuc juvene, rerumque botanicarum non ſatis gnaro, in conſortium aſcito, poſt longam recuſationem opus tandem aggreſſus eſt, ita quidem, ut *Jungermannus* plantarum & florum deſcriptiones, *Beslero* dictitante, calamo exciperet. Variæ autem exſtant libri hujus editiones, quas Ill. Autor omnes juſto
Pag. 780. ordine recenſet. Libri præterea mathematici, & morales, quos inter & illi, qui cerimonias aulicas deſcripſerunt, nec non qui de Jure publico univerſali,& de Jure divino univerſali,egerunt, habentur, maximo numero hic exſtant. Summa nobis cum voluptate eorum nomina & deſcriptiones, quas Ill. Autor more ſuo adjecit, leguntur, cum ubivis libri rariſſimi, & ſingularia tractantes argumenta, ſe lectorum oculis ſiſtant. Quantum Hiſtoriæ literariæ deliciis dederit *Rinckius*, præſtantiſſima opera hujus generis, in Bibliotheca ejus collecta, declarant. Scriptores, vitas eruditorum exponentes, quampluriмos hac in claſſe invenimus. Exſtat quoque in his *Jo. Conradi Zeltneri Theatrum eruditorum correctorum*, Norimbergæ anno hujus Seculi viceſimo evulgatum. Liber hic primum A. 1716 ſub titulo *Correctorum in typographiis eruditorum Centuriæ* ſpeciminis loco prodiit, ſed, emtoribus deſtitutus, poſt mortem *Zeltneri* novo titulo ornatus eſt. Quamvis autem iſte liber de accuratis correctoribus, ac de librorum accurate imprimendorum ratione, agat; mendis tamen vehementer eundem deformatum eſſe, Ill. Autor monet. Optandum igitur eſſe, ut Germani Hiſpanos imitentur, ubi correctores librorum, publica autoritate conſtituti, abſoluta impreſſione, novum librum cum MSto conferant, errores notent, ac pretium libri, communiter pro plagula ſex Meravedis computatis, defi-
865. niant, non vane idem contendit. De *Pauli Freheri Theatro virorum eruditione clarorum*, Norimbergæ A. 1688 excuſo,
880. obſervat, *Freherum*, anno Seculi ſuperioris octogeſimo ſecundo fatis functum, hoc opus imperfectum reliquiſſe, illudque dein ipſius agnatum, *Carolum Joachimum Freherum*, Medicum Norimbergenſem, ad umbilicum perduxiſſe. Rarioribus vero libris hoc opus annumerandum ideo eſſe, Ill.

Autor

Digitized by Google

Autor contendit, quia iterata ejus editio non ſperanda ſit, cum tabulæ æneæ, ad illud pertinentes, perierint. Præter uberrimos varii generis Hiſtoriæ literariæ fontes, vitæ etiam & facta heroum toga ſagoque illuſtrium, hiſtoriæ rei militaris & ordinum militarium, hiſtoriæ variarum diſciplinarum, rhetores denique, poetæ, & epiſtolographi, magno numero comparent. Verum nec manuſcripti Codices, & qui illis raritate æquiparantur, ſtatim poſt inventam typographicam artem impreſſi, tanquam præcipua inſignium Bibliothecarum decora, hic deſiderantur. *Sexta* enim & ultima Catalogi hujus *Parte* haud ſpernendum ejusmodi Codicum ſiſtit apparatum Illuſtris Autor, de ſingulis hiſce Codicibus multa notatu digniſſima commemorans, foliis cujusque manuſcripti Codicis ſemper indicatis, pretio quoque, quod pro illis ab emtoribus exigetur, addito. Inter Codices ſacros Bibliorum verſio *Lutheri*, Auguſtæ Vindelicorum A. 1535 excuſa, agmen ducit. Totum opus Biblicum ex verſione *Lutheri* Vitebergæ primum prodiiſſe, Ill. Autor monet, hanc vero editionem, *tribus Voluminibus* conſtantem, ſplendore atque ornatu Vitebergenſem longe ſuperare, idem docet. In membrana inſuper excuſus eſt nitidiſſima, quæ res ipſi pretium ſingulare conciliat. Vix centum thalerorum pretium ei imprimendo ſatis fuiſſe videtur. Et, quamvis antiquitas pretium augeat, pro dimidio tamen eum vendere hæredes *Rinckiani* parati ſunt. Inſignia, quæ in ligatura Codicis exſtant, eum a Comitibus Bentheimenſibus quondam fuiſſe poſſeſſum, indicant. Ceterum locus claſſicus *1 Jo. V, 7*, in eo deſideratur, quamvis in editione Francofurtenſi, A. 1574 excuſa, ſuppletus ſit. Biblia ſacra Latina, Argentorati anno Seculi decimi quinti octogeſimo ſecundo impreſſa, manuſcriptis merito accenſentur. Et, quamvis *Uffenbachius* hujus ætatis Codicibus Biblicis viginti imperiales pro pretio aſſignaverit, duodecim tamen offerenti ab hæredibus *Rinckianis* tradetur. Libellus precum *Lutheri*, in membranis A. 1522 excuſus, holoſerico rubro involutus eſt, atque orationem pro animabus, in purgatorio conſtitutis, nec non *Ave Maria*, continet, ex quo intelligitur, iſtum libellum eo tempore confectum eſſe, quo *Lutherus* non- Pag. 1012.



Digitized by Google

dum omnia repurgaverat. Inſignem vero hujus libelli rari-
tatem Autores *Novellarum Lipſienſium ad Annum 1736 pag. 220*
Pag. ex eo recte æſtimaſſe, Ill. Autor contendit, quod neque
1021. in operibus *Lutheri* deprehendatur, neque a Duce Brunſui-
cenſi, *Rudolpho Auguſto*, qui omnes antiquas librorum *Lutheri*
editiones ſollicite conquiſivit, poſſeſſus, neque a *Seckendorf-
fio* & *Frickio* ullibi fuerit citatus. Pretium ejus viginti im-
periales conſtituunt. Inter Codices juridicos duplex Inſtitu-
tionum *Juſtiniani* exemplar membranaceum occurrit. Al-
terum a *Petro Schœffero* A. 1468 cum gloſſa ſplendidiſſime
excuſum eſt, calamo autem exſcriptum, cum gloſſa adjecta, eſt
alterum. De prioris Codicis præſtantia Cel. *Schwartzium* in
*Diſſertatione ad Prooemium Inſtitutionum* diſſeruiſſe, in altero
autem, qui Seculo decimo tertio ſcriptus videtur, ultimos
quinque paragraphos Tituli *de Publicis judiciis* deeſſe, Ill. Au-
tor monet. Prior Codex pro 24, alter pro 30, imperialibus
venum proſtat. *Joachimi a Beuſt* Tractatus *de Sponſalibus & ma-
trimoniis*, Vitebergæ A. 1586 impreſſus, notis, ab ipſomet Au-
tore adſcriptis, locupletatus eſt, atque unum thalerum ſol-
ventibus cedet. Fragmentum Decretalium, quod incipit a Ti-
tulo *de his, qui maritum accuſare poſſunt*, & uſque ad Titulum
*de Regulis juris* perducitur, a quodam *Nicolao Waltislao* de-
ſcriptum eſt, id quod ex propria iſtius hominis confeſſione,
circa finem Codicis comparente, liquet. Exſtat etiam hic
*Wilhelmi Durandi rationale divinorum officiorum*, in membra-
na Seculo decimo quarto, ut videtur, ſcriptum, eique vigin-
ti imperiales pro pretio aſſignati ſunt. De hoc ipſo *Duran-*
1022. *do*, ſive *Durante*, varia Ill. Autor commemorat. Fuit nem-
pe Narbonenſis, nobili genere natus. Profeſſoris Juris mune-
re primo functus eſt, eamque ob cauſam *pater Practicæ* dictus,
uſque dum a Pontifice ſplendidiſſimis muneribus admo-
veretur. *Rationale* audit ejusdem liber, quia rationes eorum red-
dit, quæ in rebus eccleſiaſticis aguntur. Quamplurimos autem
*Durandi* locos ope hujus Codicis explicari poſſe, Ill. Autor
1023. teſtatur. Inſignem præter hos Codicum optimæ notæ & va-
rii argumenti apparatum, inque eo antiquiſſimam *Speculi Juris
civilis & feudalis Alemannici* editionem, Auguſtæ Vindeli-
corum

Digitized by Google

corum A. 1480 adornatam, eruditis hucdum incognitam, & a vulgatis exemplaribus haud parum diſcrepantem, hic deprehendimus, deque eis omnibus quamplurima notatu digna libenter adderemus, niſi verendum nobis eſſet, ne longior recenſio tædium allatura ſit Lectoribus. Notaſſe igitur adhuc ſufficiat, ipſum B. *Rinckium* fronti variorum librorum obſervationes ſelectas inſcripſiſſe, quarum notitiam hic Catalogus ſuppeditat. Ita *Natalis-Alexandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, Pariſiis excuſam, Romæ damnatam eſſe, & in Indice librorum prohibitorum comparere, *Rinckius* monuit, ejusque rei cauſas ediſſeruit. Ad *Bælii Dictionarium hiſtorico-criticum* annotavit, Abbatem *Renaudotum* cenſuram ejus, Gallico ſermone conſcriptam, emiſiſſe, eum vero in Supplementis Dictionarii, *Volumini quarto* adjectis, confutatum eſſe. *Clavis hiſtoriæ Thuanæ*, Ratisbonæ A. 1696 emiſſæ, *Petrum Beſſinum* autorem eſſe, ad frontem libri *Rinckius* notavit. Quinam compoſuerit Tractatum de hodierno ſtatu Ducatus Sabaudiæ & Pedemontii, vernaculo ſermone conſcriptum, & Norimbergæ A. 1670 excuſum, inter eruditos non conſtitit. *Rinckius* vero, a bibliopola, cujus ſumtu impreſſus eſt liber, edoctus, *Matthiam Kræmerum*, linguarum occidentalium magiſtrum ſat celebrem, Tractatus iſtius Autorem dicendum eſſe, contendit. Tandem quoque monendum eſt, Ill. *Glaſeium* Bibliothecam hanc, quæ jam Stœtterizii, prædio Lipſiæ vicino, aſſervatur, ante Calendas Septembres hujus anni, viginti millia florenorum Rhenanorum repræſentanti, totam vendituram eſſe. Quodſi intra hoc ſpatium nullus ejusmodi emtor inveniatur, ſingula dein opera pro juſto pretio erunt venalia. Ante Septembrem vero ne libellus quidem ex tota Bibliotheca ſigillatim vendetur. Qui ergo deſiderio tam inſignis Bibliothecæ perluſtrandæ flagrat, is poſt primum Junii diem adeat Cl. *Schutzium*, Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis cuſtodem, cum quo etiam de Bibliotheca vel integra, vel quibusdam in eo contentis operibus, emendis deliberari poterit. Hæc vero omnia de impreſſis tantum libris capienda ſunt. Codices enim manuſcriptos Dresdæ ſervat Ill. *Glaſeius*, ubi quidem inſpici, & pretio ſoluto comparari,

Pag. 10. 327. 334. 342.

parari, poterunt. Nos interim maximopere optamus, ut egregius hic Catalogus ſtudioſorum manibus aſſidue teratur. Ejus enim lectione inſignem optimorum librorum notitiam comparari, & Hiſtoriæ literariæ cognitionem mirifice ornari atque augeri poſſe, vere meritoque judicamus.

## *NOVA LITERARIA.*

Lugduni Batavorum ſub prelo *Jo. Arnoldi Langerakii* ſudare accepimus librum, ita inſcriptum: *Barnabæ Briſſonii*, JCti, Regii Conſiſtorii Conſiliarii, Ampliſſimique Senatus Pariſienſis Præſidis, Opera minora varii argumenti, nimirum Antiquitatum ex Jure civili ſelectarum Libri quatuor, de ſolutionibus & liberationibus Libri tres; ad Legem Juliam de adulteriis liber ſingularis; Commentarius ad L. Dominico de Spectaculis in Cod. Theod. & l. Omnes dies Cod. de Feriis; de ritu nuptiarum liber ſingularis; de jure connubiorum liber ſingularis; παρέργων liber ſingularis; de regio Perſarum principatu Libri tres; quæ omnia recenſuit, emendavit, variis annotationibus, praefationibus, & indicibus, inſtruxit, *Albertus Dietericus Trekell*, JCtus. Pro fundamento fuit editio Operum variorum Pariſ. A. 1606, 4, quippe quæ & locupletiſſima, & poſthumis quibusdam Autoris acceſſionibus aucta fuerit, praeſertim in libris *Selectarum Antiquitatum; ad Legem Juliam de Adulteriis; de Ritu Nuptiarum*, & *de Jure Connubiorum.* Quia tamen ipſa Opuſcula in illa editione ſine certo ordine collocata ſunt; placuit, ea ordine potius chronologico in hac editione collocare, ita, ut in ipſo titulo fuit indicatum. Quoniam vero dicta editio Pariſienſis, quod ad contextum, variis mendis inquinata fuit; opera potiſſimum data eſt, ut ipſa Opuſcula cum optimis & accuratiſſimis editionibus conferrentur, earumque ope menda tollerentur, ut ita nova hæc editio quam emendatiſſime prodiret. Nihil in toto hoc opere tædioſius & difficilius fuit, quam evolutio locorum veterum ſcriptorum, quorum multa millia ab Autore adducuntur. Illa igitur omnia, quantum fieri potuit, ſecundum optimas & recentiſſimas editiones adducta ſunt, & præcipue variæ lectiones in notis indicatæ. Græcis veterum ſcriptorum locis Latina explicatio ex optimis Interpretibus addita fuit. Eadem cura in Legibus adducendis fuit adhibita. Porro operam dedit Clariſſimus Editor, ut omnia opuſcula brevibus annotationibus, & totum Opus accuratis Indicibus, ad commodiorem Lectorum uſum, illuſtraret, ut ipſe pluribus in Præfatione indicabit. Denique, quod ad correctionem & externum operis cultum attinet, nihil a typographo fuit prætermiſſum, quod ad ejus commendationem pertineat.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Julii Anno MDCCXLVII.*

*NOTITIA HUNGARIÆ NOVÆ HISTORICO-Geographica, diviſa in Partes quatuor, quarum prima Hungariam cis-Danubianam, altera trans-Danubianam, tertia cis-Tibiſcanam, quarta trans-Tibiſcanam; univerſim XLVIII Comitatibus deſignatam, expromit; regionis ſitus, terminos, montes, campos, fluvios, lacus, thermas, cœli ſolique ingenium, naturæ munera & prodigia, incolas variarum gentium, atque horum mores, provinciarum magiſtratus, illuſtres familias, urbes, arces, oppida, et vicos propemodum omnes, ſingulorum præterea ortus & incrementa, belli pacisque converſiones, & præſentem habitum, fide optima, accuratione ſumma, explicat. Opus, huc uſque deſideratum, & in commune utile, ſacratiſſimis auſpiciis D. CAROLI VI, Cæſaris & Regis indulgentiſſimi, elaboravit MATTHIAS BEL. Accedunt SAMUELIS MIKOVINII Mappæ ſingulorum Comitatuum, methodo aſtronomico-geometrica concinnatæ.*

*Tomus IV.*

Viennæ Auſtriæ, impenſis Pauli Straubii, Bibliopolæ, typis Jo. Petri van Ghelen, typographi Regii, 1742, fol. maj.

Alph. 8 plag. 12, cum Mapp. geogr. 8.



Digitized by Google

Superatis tandem & numero multis, & prorſus ſummis, difficultatibus, quas occupatiſſimo in ornanda patria, & opus in commune utiliſſimum alacriter urgenti, *Belio*, ſive bellorum, ut omnem Europam, ita inprimis etiam Hungariam, miſere affligantium, atrox terror, ſive contagionis, pulcherrimam hanc regionem pervaſtantis, infelix malum, ſive privatorum hominum, quibus demandata fuerat operis procuratio, torpor ac perverſiſſima conſilia, objecerant, prodit nunc, quod felix & glorioſum ſit illuſtriſſimæ & omni ex parte florentiſſimæ regioni, *Hungariæ novæ*, ejusque *Cis-Danubianæ*, *quartum* ordine *Volumen*, novam nobis & largiſſimam admirandæ *Belianæ* Muſæ, qua nulla elegantior, nulla ex omni parte ornatior, nulla communi dignior applauſu, eſt, materiam ſuppeditans. Nimirum, quo majora hujus Operis & decora ſunt, & in omne literarum genus redundantia commoda, hoc magis adhuc boni omnes dolebant, id ipſum lentius procedere; nec dubitandum videbatur, ſi quod malum fatum honeſtiſſima Autoris deſtinata interciperet, id magno non præſentis tantum, ſed ſecuturæ etiam, ætatis detrimento futurum. Habendæ igitur præſtantiſſimo Viro ab iis omnibus, qui literis bene cupiunt, ſolennes gratiæ ſunt, quod publicas ſeculi calamitates privata ſua & conſtantia, & induſtria, vicit, &, Deorum providentiæ confiſus, in pertexenda, quam ante complures annos cœperat, tela hac pulcherrima ſtrenue multumque deſudavit. Gaudentes enim ex præmiſſa huic *Volumini* Præfatione, quam qui ſemel lectam non iterum legere velit, næ omni eum ejusmodi ſuavitatum carere ſenſu neceſſe eſt, cognovimus, latere jam in ſcriniis Autoris abſolutum & perfectum *Hungariæ novæ* univerſum opus, & ita omnia diſpoſita, ut, quæ lucem adhuc exſpectant, *tria* numero *Volumina*, aut, favente temporum opportunitate, ab Autore ipſo, aut, ſi huic, quod nollemus, humani aliquid acciderit, aliquando a filiis duobus, *Carolo Andrea*, Philoſophiæ in noſtra Academia Profeſſore celeberrimo, & *Matthia Godofredo*, in literarum ſtudiis ita, ut *Belii* decet filium, verſante, publica donari luce poſſint. In quo, cum nemo facile futurus ſit, qui ſuſpectam *Belii*,

Digitized by Google

*Belii*, Viri probi, & verba dare neſcii, fidem habeat; noſtrum eſt, quantulamcunque hanc moram, quam editioni Operis præclari interponere nuper fatalis quædam neceſſitas cœpit, & interpoſitura fortaſſis deinde eſt, patienter ferre, & in *Beliis*, ſive patre, ſive filiis, eam fiduciam collocare, ut, quantum in ipſis eſt, ille ſuis, hi paternis, facturi ſatis promiſſis ſint, nec Operis, quo illuſtrius non vidit ætas noſtra, *Partibus* reſiduis fruſtraturi orbem literatum. Nos interim, quæ nobis liberaliter donata ſunt, & donari ab optimo *Belio* ad hunc diem potuerunt, muneribus jucunde fruemur, in his etiam, quicquid demum de ceteris fata decreverint, animi pabulum dulciſſimum, & quaſi ſpeculum quoddam, in quo contemplari liceat ingenii & doctrinæ *Belianæ* imaginem, habituri. Atque hujus voluptatis ut participes nobiſcum fiant, quibus hæc ſcribimus inprimis, Lectores noſtri, *quartum* hoc, quod omnium poſtremum eſt, *Hungariæ novæ Volumen* non prius manibus deponemus, quam omnem ejus rationem, materiam, & quicquid in eo decoris & ornamenti eſt, velut in tabula expoſuerimus, &, deſcripta generatim forma Operis, eorum, quæ ſingularia & maxime notatu digna hic leguntur, plurimumque adeo aut roboris, aut gratiæ, ab Autoris non doctrina tantum, ſed inſigni etiam facundia, acceperunt, aliquem Lectori guſtum dederimus.

Continetur igitur *Volumine* hoc *quarto*, in cujus fronte auguſtiſſimum *Mariæ Thereſiæ*, Hungariæ Reginæ, nunc Romanorum Imperatricis, nomen, ſideris inſtar, & *Caroli Andreæ Belii* ad parentem *Matthiam* Carmen pium & venuſtum, gemmæ loco, fulget, hiſtoria *Comitatuum Hungariæ Cis-Danubianæ quatuor*, *Neogradienſis*, *Barſchienſis*, *Nitrienſis*, & *Hontenſis utriusque*; quibus cum addere, quod in animo habebat primum, duos alios, *Trentſinienſem* & *Arvenſem*, per accreſcentem libri molem non licuerit Autori, jam reſervandi hos *Hungariæ Trans-Tibiſcanæ*, ornaturæ totius Operis *Volumen ſextum*, capiendum ſibi conſilium vidit. Horum, quos diximus, quatuor Comitatuum Mappæ, ad leges aſtronomico-geometricas exactæ, eadem, quæ in ſuperioribus *Hungariæ*



Digitized by Google

*nova Partibus* tot artis ſuæ dederat pulcherrima ſpecimina, *Samuelis Mikovinii* dextra nobilique manu acceſſerunt, accuratam nobis terrarum, oppidorum, arcium, vicorum, & ſi quid aliud notari maxime meretur, imaginem exhibentes. Quod vero ad ipſam horum Comitatuum hiſtoriam attinet, hanc ita executus eſt *Belius* noſter, ut, more ſibi dudum familiari, ſingulorum Comitatuum *Partes duas*, *generalem* alteram, alteram *ſpecialem*, faceret. Et illam quidem, *generalem*, *Membris duobus* diſtinxit; *phyſico*, ſitum, naturam, & opportunitates, Comitatus explicante; & *politico*, incolas Comitatus, magiſtratus, prærogativas, & ditiones, commemorante; hujus autem, *ſpecialis*, capita, ſeu *Membra*, dedit tot, quot Comitatus cujusque *Proceſſus* ſunt, quorum arces, oppida, & vici, ſeparatis *Sectionibus* deſcripti ſunt. Hunc ſibi narrandi ordinem definivit *Belius*; hunc & ipſi nos in repetendis rerum narratarum potioribus momentis ſequemur. De *Neogradienſi* Comitatu, cum *Belianam* induſtriam primus occu-
Pag. 3. paverit, nos primum dicemus. Comitatui huic nomen datum eſt ab arce *Novigrad*, Slavorum lingua *arcem novam* ſignificante. Hæc Hungaris *Nograd*, & tota inde regio *Nograd Varmegye*, appellatur. Regionem ab occidente brumali Comitatus *Gömörienſis*, ab æſtivo *Heveſienſis*, ab occidente
4. *Nagy-Hontenſis*, a ſeptentrione *Kis-Hontenſis*, cum *Zölienſium* limite, a meridie *Heveſienſis*, & ora *Peſtienſis*, claudunt. Lon-
5. gam Autor milliaria duodecim, latam modo ſex, modo quinque, dicit, totum adeo ejus ambitum milliarium circiter 35 faciens. Montes, ſive ambientes, ſive varie dividen-
6. tes regionem, hi ſunt: *Matra*, *Medves*, *Satoros*, *Butſony*, *Karants*, *Malna-Patakenſes* & *Kornenſes*, *Oſztroſſky*, *Dobrocſenſes*, *Jenöienſes*, *Naszaly*, *Szanda*, & *Liszetz*. Nec ſilvis regio
9. caret, quarum aliis *Cſerbat*, aliis *Medves-Allja*, aliis *Banenſium*, aliis *Malnapatakenſium*, aliis denique *Cornenſium*, nomen eſt. Sed in his, ob intempeſtivas incolarum venationes, raræ
10. nunc, quæ olim frequentiſſimæ, feræ hoſpitantur. Si quas tamen invenias, urſi ſunt, linces, apri, cervi, damæ, vulpes, martes, lepores, & feles ſilveſtres. Avium ſilveſtrium varia

varia ſunt genera, tetraones, attagines, perdices, turdi, ficedulæ, nec nihil phaſianorum. Fluvios majores Autor duos, Pag. 11.
*Ipolam* & *Zagyvam*, amniculos minores quatuor & decem, acidorum fontium inprimis octo, numerat. Terra *Neogradienſis* ſtannum, plumbum, ferrum, aurum, & argentum, 18.
generat. Ingenium ſoli ad ſeptentriones, & intra ſinus montium, ſterile eſt, fœcundius in montium radicibus, optimum a *Szetſinenſi* ora in meridiem. Vineæ nunc melius, 19.
quam ſuperiori ætate, ſe habent, & in vinorum generibus celebrantur inprimis *Zölejenſia*, *Galaboczenſia*, *Szoloſienſia*, *Bujakenſia*, *Kürtöſienſia*, maxime vero *Kosdienſia*, *Radenſia*, *Etſegienſia*, & *Jobbagyenſia*. Mediocris eſt hujus regionis 21 ſeq.
res hortenſis æque ac pecuaria. Habitarunt olim has terras Jazyges Metanaſti, quos ſecuti ſunt Hunni Avares, ac po- 24.
ſtremo Hungari. Ex horum ſanguine omnis Nobilitas origi- 26.
nem ducit, avitæ virtutis tenax, & literarum æque ac militiæ laude illuſtris. Magnum inprimis nomen eſt *Verböczii*, Hungarorum Ulpiani, ac de horum Jurisprudentia immortaliter meriti, & *Nicolai Toldy*, militis non ſtrenui tantum, ſed inprimis etiam corpore robuſti, ut, quæ de eo vulgo narrari ſolent, ſuperare fidem videantur. Singulares in hac 27.
regione ritus funerum ſunt, quos jucunde eleganterque deſcriptos hic legere neminem pœnitebit. Fœminæ nobiles & 29.
venuſtate, & rei familiaris cura, & virtutis, maxime vero caſtitatis, ſtudio, ſunt commendatiſſimæ. Viduæ raro ad ſecunda vota tranſeunt; unde dicterium natum: Viduas Neogradienſium nobiles novam, ſuo iſto more, hæreſin invexiſſe. Ex ruſticis illi, qui Slavicæ gentis ſunt, præſtant Hun- 30.
garis, non morum tantum ſimplicitate, ſed laborum etiam ſtudio, a quibus ita abhorrent Hungari, ut vix unum invenias, qui non agreſtes labores in villa ſua permittere Slavis ſoleat. Magiſtratus *Neogradienſes* Autor noſter æqui juſtique, inpri- 31.
mis in imponendis tributis, ſtudioſiſſimos dicit. *Qua* quidem *æquitate*, ita ſunt verba Autoris, *fieri neceſſe eſt*, *ut & præ-* 34.
*ſtandis tributis tum quoque par ſit plebs*, *cum ſunt tempora difficillima; neque ad vertendum ſolum iniqua nimietate adiga-*

*tur.* Supremorum Comitum dignitatem inde a Seculi, & quod excurrit, ſpatio illuſtris gens *Forgachiorum* tenet, ex
Pag. 35. qua primus prodiit *Sigiſmundus II*, quem ſecuti *Adamus I*, *Adamus II*, *Joannes Adamus III*, & *Franciſcus IX*, nuper demum ad faſtigium hoc evectus. Gentis *Forgachianæ* origines vetuſtas, & in patriam merita cognoſcere licet ex *Ferdinandi III*, Rom. Imperatoris, Diplomate, quod hic integrum
36 ſeq. profertur. Ante *Forgachios* dignitatem hanc adminiſtrarunt *Bebekii*, *Raskaji*, *Orszagii*, & *Loſontzii*, ſed quorum nunc
42. in illa gente vix nomen ſupereſt. Ex aliis gentibus, quæ hac etiam ætate egregie florent, Comites fuerunt *Balaſſii*, *Banffii*, & *Berenyi*, ex quibus *Balaſſiorum* inprimis gentem
44. vetuſtas & rerum bellicarum gloria commendat. De equitum *Neogradienſium* ordine id univerſe affirmare licet, militiæ inprimis eſſe deditos, & pro patria fortiter pugnare; quæ cauſa a nonnullis putatur, cur inſignia *Neogradienſia* oſtendant virum cataphractum, & criſtata ornatum galea, qui dextra porrecta ſtrictum gladium, ſiniſtra inſignia regni Hungariæ, huic innixa, tenet; quæ inſignia ita aucta ſunt *Leopoldi* Imp. gratia, ut accederent regni inſignia, quæ jam vir cataphractus ſiniſtra prenſat, haud ſine virtutis ſignificatione. Præ-
45. ter Comites etiam Vice-Comites habet regio, quorum, ex antiquiori ætate, ab A. 1395 ad 1550, Autor ſex & viginti, ex recentioribus ſeptem & viginti, numerat. Qui nunc rerum potitur, *Georgius Szentivany* eſt, vir bonis ominibus ex
46. merito proſequendus. Regio tota novem Dynaſtiis, quas vulgo *Dominia* vocant, diſtincta eſt, *Gatſenſi*, *Divinenſi*, *Kekkoienſi*, *Gyarmathenſi*, *Filekienſi*, *Sagbienſi*, *Salgoienſi*, *Bu-*
49. *jakienſi*, & *Neogradienſi*. Inter prærogativas Comitatus illud inprimis referendum eſt, quod a *Leopoldo* Imp. ei conceſſum eſt jus *Neo-Acquiſticum* ſingulari Diplomate, quod in-
51. tegrum hic legitur. *Proceſſibus* Comitatus iſte abſolvitur quatuor, *Loſonczienſi*, *Filekienſi*, *Szetſenienſi*, & *Kekkoienſi*. *Loſonczienſis* Proceſſus, ab oppido cognomine dictus, totus montoſus, & ſilvis ex omni parte ſeptus, ab oriente *Filekienſem* Proceſſum, ab occidente *Kékkoienſem*, a meridie *Szetſe-*

Digitized by Google

*Szetſenienſem*, a ſeptentrione denique Comitatum *Zolienſem*, vicinitate attingit. Arces huic proceſſui duæ, *Gats* & *Divin*, Pag. 52.
ſunt. Illa, ab *Halitziis*, Ruſſiæ rubræ populo, cognominata, impoſita monti, atque adeo amœna æque ſitu, ac ad defenſandum idonea, diruta olim a *Joanne Corvino*, ſed a Comite *Sigiſmundo Forgach* funditus inſtaurata, ſuperioribus diſſidiis civilibus incolumis perduravit, nuperis autem *Rakoczianis* a nobilitate fortiter fuit defenſa; hæc, in prærupta & inacceſſa rupe poſita, A. 1576 in Turcarum venit poteſtatem, a Co- 56 ſeq.
mite *Palſſyo* recuperata A. 1593, longo tempore poſt, anno nempe 1674, ab *Emerico IV Balaſſa*, turbulentiſſimo homine, per inſidias capta, ſed huic a *Straſoldo*, Cæſariani exercitus duce, rurſus erepta, & ſolo æquata, nunc in triſtiſſimo hoc ſtatu *Zichyorum* illuſtri genti paret. Oppida *Loſontzienſis* Proceſſus tria ſunt: *Loſontz*, mercatibus annuis, & *Joannis* 60 ſeq.
*Corvini* clade, quam conſtat A. 1451 contigiſſe, illuſtratum, *Gats*, ſuos & ipſum mercatus habens, & *Divin*, ab arce cognomine appellatum, & eo nobilitatum, quod *Balaſſæ*, quem modo diximus, ſedes fuit, ceterum mercatibus ſolennibus 64.
clarum, & cives alens, olim fortes & ſtrenuos, nunc agreſtes, & venationi deditos. Vicos Proceſſus iſte unum & quinquaginta, ſed alios aliis majores & memoratu digniores, habet. 65 ſeq.
*Filekienſis* Proceſſus totam eam oram, quæ ab *Heveſienſium* confinio, per *Gömörienſium* & *Kis-Hontenſium* limites, uſque ad *Zolienſium* terminos, procurrit, ambitu ſuo complectitur. Arces huic ſunt quinque: *Filek*, quæ, in edito monte poſita, & anno 72 ſeq.
jam 1262 validis munitionibus inſtructa, olim in *Raſcayorum*, poſtea in *Bebekiorum*, poteſtate fuit, A. 1553 a Turcis capta, brevi poſt a *Tieſſenbachio* recuperata, inde A. 1604 a *Botskajanis* expugnata, ſed ex pacis Viennenſis conditionibus Cæſari reddita, tum medio fere Seculo XVI a *Tökölio* direpta 86 ſeq.
& deleta fuit; *Salgö*, olim ſatis nobilis, nunc ad vaſtitatem redacta; *Somosko*, a Turcis A. 1576 capta, ſed ab his rur- 89.
ſus A. 1593 relicta; *Zagyva*, a *Matthia Corvino* exſciſſa; & *Baglyas-Vara*, nunc adeo deſtructa, ut vix veſtigium arcis præbeat. Oppidum huic Proceſſui unicum, *Filek*, eſt, olim 91.
floren-

Digitized by Google

florentiſſimum, nunc adeo deſolatum, ut vix plateas, aut ædes,
Pag. 92. hic invenias. Vicos Proceſſus iſte numero 64 habet, in quibus
98. *Karants-Bereny* illuſtri genti Comitum *Bereny*, a Cel. Autore in
104 ſeq. tabulam genealogicam redactæ, originem dedit. *Szetſenienſis*
Proceſſus, ab arce & oppido *Szetſeny* nomen habens, ab oriente
*Zagyva*, ab occidente *Ipola*, fluviis, a ſeptentrione *Filekienſi*
regione, a meridie *Kekköienſi*, jungitur. Arces ei ſex, *Szet-*
*ſeny*, *Holloko*, *Bujak*, *Ecſegh*, *Samſon-Vara*, ſeu *Feierko*, & *Szan-*
*da*; oppidum unicum, *Szetſeny*; vici ſunt 63; quorum Au-
tor ſingulorum fata, viciſſitudines, veterem ac hodiernum ſta-
tum, ita diligenter deſcribit, ut nihil memoratu dignum intactum
125 ſeq. relinquat. Ultimus eſt Proceſſus *Kekkoienſis*, ab arce *Kekko* ita
cognominatus, qui per limites Comitatus *Nagy-Hontenſis* in in-
ſulam uſque *Totfaluſienſem* perpetuo tramite decurrit. Ex ar-
127. cibus hujus regionis prima eſt, quam modo diximus, *Kekko*, a
petræ, quam occupat, colore dicta, cujus fata diſcimus ex anti-
quo hoc marmore, portæ arcis interiori inædificato: *Anno*
*Domini 1237 ſum Arx Kekkö ab inclyta Domo Balaſſa fun-*
*data, & continue poſſidebar. Anno 1576 in poteſtatem perveni*
*Turcicam. Anno 1593 a Turcis pulvere disjecta, ac derelicta.*
*Domini Imperatoris Romanorum, ac Regis Hungariæ, Rudol-*
*phi II, præfectorum incuria, ad extremam deveni ruinam. Anno*
*1609 a Sereniſſimo Rege Hungariæ, Matthia II, hæreditariis meis*
*reddita dominis, induſtria ſpectabilis ac magnifici Domini, Si-*
*giſmundi Balaſſa, muris ac propugnaculis e fundamento am-*
*pliata, habitationibus exornata, in hunc, in quo ante fui, per-*
*veni ſtatum. Ab eadem illuſtri familia ut ævo durante feli-*
*citer poſſidear, faxit Deus Ter. Opt. Max. cui laus & gloria,*
*Anno 1612.* Turbantibus omnia *Rakoczianis* armis, nefarius
quidam *Kokay* arcem univerſam, ſubjecto tectis igne, exuſſit.
131. Ceteræ arces ſunt *Balaſſa-Gyarmath*, unde nomen habet bel-
licoſiſſima Comitum *Balaſſiorum* gens, ab Autore noſtro dili-
gentius deſcripta; *Nograd*, a Turcis capta A. 1544, ſed A.
1594 recuperata a *Matthia*, Auſtriæ Archiduce; denique
*Kamor*, dubiæ, at vetuſtæ, ætatis rudus. Oppida Proceſſus
iſte habet quinque: *Kekko*, *Balaſſa-Gyarmath*, *Nagy-Oroſzy*,
*Nograd*,

Digitized by Google

*Nograd*, *Vadkert*; vicos quinque & quinquaginta. Jam progreſſurus erat Autor ad deſcribendam *Hontenſis* Comitatus hiſtoriam; ſed, notitiarum adhuc inopia laborans, vidit ſibi eam Operis ſui partem in meliores temporum opportunitates differendam, magno, ut ait, dolore ſuo, & totius Operis incommodo. Convertit ſe igitur ad *Barſchienſis* Comitatus fata exponenda; quem, a civitate *Barſch* dictum, ab oriente *Zolienſis* & *Hontenſis*, ab occidente *Nitrienſis*, a meridie *Strigonienſis* & *Comaromienſis*, Comitatus claudunt. Qua ſeptentrionem ſpectat regio, montibus *Cremniczienſibus*, *Ujbanyenſibus*, aliisque multis, obſidetur. Sed per mediam etiam provinciam juga paſſim montium ſpectantur, quorum præcipui ſunt *Klyag*, *Hruſchowienſes*, & *Ghymeſienſis*. Amœnam per ſe regionem fluvii fœcundant, *Granus*, *Nitra*, & *Sitva*, cum tenuioribus multis, inter quos Autori nominantur *Cremnitzienſis* rivus, *Sanctæ Crucis* amnis, *Sklenenſis*, *Wibnenſis*, & *Zernoviczenſis* amniculi, denique *S. Benedicti* rivus. Nec aliis muneribus carere hanc regionem natura voluit, quæ thermas ei & fodinas auri dedit. In illis maxime *Sklenenſes*, quæ Germanis *Glasbüttner-Bad* vocantur, in his *Cremnitzienſes*, & *Ujbanyenſes*, celebrantur. Ingenium incolarum ſimplex, candidum, laborum, & duri vitæ generis, amans, eſt. Quod ſtomachum allio inprimis paſcant, id reprehenſione carere ideo videtur Autori noſtro, quod, magnam adverſus venena & nauſeam Hungaricam allio vim ineſſe, ſit longo uſu exploratum. Illuſtriora Comitatus *Dominia* ſunt *Sas-Köienſe*, *Reviſchtyenſe*, *Cremniczienſe*, *S. Crucis*, *Levenſe*, *S. Benedicti*, *Kis-Topolcſanenſe*, *Marotenſe*, *Verebelyenſe*, & *Sallajenſe*. Ceteras regionis terras præclaræ ac nobiles familiæ *Eſterbazyorum de Frakno*, & *de Galantha*, *Forgaciorum*, *Palffyorum*, *Zichiorum*, *Majtheniorum*, & his plurium, tenent. Supremorum Comitum, qui regunt hanc provinciam, temporaria dignitas eſt, quam nunc eſſe penes *Georgium Erdödy de Monyorokerek*, merito regionis cives gaudent. Diſtinguitur Comitatus univerſus *Proceſſibus quatuor*, *Oſzlanenſi*, *Levenſi*, *Kis-Topolcſchanenſi*, & *Verebelyenſi*. *Oſzlanenſis* Proceſſus, cujus pars

Pag. 158. — 159. — 160 ſeq. — 164. — 166. — 170 ſeq. — 173. — 176. — 177.

florentiſſimum, nunc adeo deſolatum, ut vix plateas, aut ædes,
Pag. 92. hic invenias. Vicos Proceſſus iſte numero 64 habet, in quibus
98. *Karants-Bereny* illuſtri genti Comitum *Bereny*, a Cel. Autore in
104 ſeq. tabulam genealogicam redactæ, originem dedit. *Szetſenienſis* Proceſſus, ab arce & oppido *Szetſeny* nomen habens, ab oriente *Zagyva*, ab occidente *Ipola*, fluviis, a ſeptentrione *Filekienſi* regione, a meridie *Kekköienſi*, jungitur. Arces ei ſex, *Szetſeny*, *Holloko*, *Bujak*, *Ecſegh*, *Samſon-Vara*, ſeu *Feierko*, & *Szanda*; oppidum unicum, *Szetſeny*; vici ſunt 63; quorum Autor ſingulorum fata, viciſſitudines, veterem ac hodiernum ſtatum, ita diligenter deſcribit, ut nihil memoratu dignum intactum
125 ſeq. relinquat. Ultimus eſt Proceſſus *Kekkoienſis*, ab arce *Kekko* ita cognominatus, qui per limites Comitatus *Nagy-Hontenſis* in inſulam uſque *Totfaluſienſem* perpetuo tramite decurrit. Ex ar-
127. cibus hujus regionis prima eſt, quam modo diximus, *Kekko*, a petræ, quam occupat, colore dicta, cujus fata diſcimus ex antiquo hoc marmore, portæ arcis interiori inædificato: *Anno Domini 1237 ſum Arx Kekkö ab inclyta Domo Balaſſa fundata, & continue poſſidebar. Anno 1576 in poteſtatem perveni Turcicam. Anno 1593 a Turcis pulvere disjecta, ac derelicta. Domini Imperatoris Romanorum, ac Regis Hungariæ, Rudolphi II, præfectorum incuria, ad extremam deveni ruinam. Anno 1609 a Sereniſſimo Rege Hungariæ, Matthia II, hæreditariis meis reddita dominis, induſtria ſpectabilis ac magnifici Domini, Sigiſmundi Balaſſa, muris ac propugnaculis e fundamento ampliata, habitationibus exornata, in hunc, in quo ante fui, perveni ſtatum. Ab eadem illuſtri familia ut ævo durante feliciter poſſidear, faxit Deus Ter. Opt. Max. cui laus & gloria, Anno 1612.* Turbantibus omnia *Rakoczianis* armis, nefarius quidam *Kokay* arcem univerſam, ſubjecto tectis igne, exuſſit.
131. Ceteræ arces ſunt *Balaſſa-Gyarmath*, unde nomen habet bellicoſiſſima Comitum *Balaſſiorum* gens, ab Autore noſtro diligentius deſcripta; *Nograd*, a Turcis capta A. 1544, ſed A. 1594 recuperata a *Matthia*, Auſtriæ Archiduce; denique *Kamor*, dubiæ, at vetuſtæ, ætatis rudus. Oppida Proceſſus iſte habet quinque: *Kekko*, *Balaſſa-Gyarmath*, *Nagy-Oroſzy*, *Nograd*,

Digitized by Google

*Nograd*, *Vadkert*; vicos quinque & quinquaginta. Jam progreſſurus erat Autor ad deſcribendam *Hontenſis* Comitatus hiſtoriam; ſed, notitiarum adhuc inopia laborans, vidit ſibi eam Operis ſui partem in meliores temporum opportunitates differendam, magno, ut ait, dolore ſuo, & totius Operis incommodo. Convertit ſe igitur ad *Barſchienſis* Comitatus fata exponenda; quem, a civitate *Barſch* dictum, ab oriente *Zolienſis* & *Hontenſis*, ab occidente *Nitrienſis*, a meridie *Strigonienſis* & *Comaromienſis*, Comitatus claudunt. Qua ſeptentrionem ſpectat regio, montibus *Cremniczienſibus*, *Ujbanyenſibus*, aliisque multis, obſidetur. Sed per mediam et- Pag. 158.
iam provinciam juga paſſim montium ſpectantur, quorum præcipui ſunt *Klyag*, *Hruſchowienſes*, & *Ghymeſienſis*. Amœ- 159.
nam per ſe regionem fluvii fœcundant, *Granus*, *Nitra*, & 160 ſeq.
*Sitva*, cum tenuioribus multis, inter quos Autori nominantur *Cremnitzienſis* rivus, *Sanctæ Crucis* amnis, *Sklenenſis*, *Wihnenſis*, & *Zernoviczenſis* amniculi, denique *S. Benedicti* rivus. Nec aliis muneribus carere hanc regionem natura voluit, quæ thermas ei & fodinas auri dedit. In illis maxime *Sklenenſes*, 164.
quæ Germanis *Glasbüttner-Bad* vocantur, in his *Cremnitzienſes*, & *Ujbanyenſes*, celebrantur. Ingenium incolarum ſim- 166.
plex, candidum, laborum, & duri vitæ generis, amans, eſt. Quod ſtomachum allio inprimis paſcant, id reprehenſione 170 ſeq.
carere ideo videtur Autori noſtro, quod, magnam adverſus 173.
venena & nauſeam Hungaricam allio vim ineſſe, ſit longo uſu exploratum. Illuſtriora Comitatus *Dominia* ſunt *Sas-Köienſe*, *Reviſchtyenſe*, *Cremniczienſe*, *S. Crucis*, *Levenſe*, *S. Benedicti*, *Kis-* 176.
*Topolcſanenſe*, *Marotenſe*, *Verebelyenſe*, & *Sallajenſe*. Ceteras regionis terras præclaræ ac nobiles familiæ *Eſterhazyorum de* 177.
*Frakno*, & *de Galantha*, *Forgaciorum*, *Palffyorum*, *Zichiorum*, *Majtheniorum*, & his plurium, tenent. Supremorum Comitum, qui regunt hanc provinciam, temporaria dignitas eſt, quam nunc eſſe penes *Georgium Erdödy de Monyorokerek*, merito regionis cives gaudent. Diſtinguitur Comitatus univerſus *Proceſſibus quatuor*, *Oſzlanenſi*, *Levenſi*, *Kis-Topolcſchanenſi*, & *Verebelyenſi*. *Oſzlanenſis* Proceſſus, cujus pars



Digitized by Google

florentiſſimum, nunc adeo deſolatum, ut vix plateas, aut ædes,
Pag. 92. hic invenias. Vicos Proceſſus iſte numero 64 habet, in quibus
98. *Karants-Bereny* illuſtri genti Comitum *Bereny*, a Cel. Autore in
104 ſeq. tabulam genealogicam redactæ, originem dedit. *Szetſenienſis* Proceſſus, ab arce & oppido *Szetſeny* nomen habens, ab oriente *Zagyva*, ab occidente *Ipola*, fluviis, a ſeptentrione *Filekienſi* regione, a meridie *Kekköienſi*, jungitur. Arces ei ſex, *Szetſeny*, *Holloko*, *Bujak*, *Ecſegh*, *Samſon-Vara*, ſeu *Feierko*, & *Szanda*; oppidum unicum, *Szetſeny*; vici ſunt 63; quorum Autor ſingulorum fata, viciſſitudines, veterem ac hodiernum ſtatum, ita diligenter deſcribit, ut nihil memoratu dignum intactum
125 ſeq. relinquat. Ultimus eſt Proceſſus *Kekkoienſis*, ab arce *Kekko* ita cognominatus, qui per limites Comitatus *Nagy-Hontenſis* in inſulam uſque *Totfaluſienſem* perpetuo tramite decurrit. Ex ar-
127. cibus hujus regionis prima eſt, quam modo diximus, *Kekko*, a petræ, quam occupat, colore dicta, cujus fata diſcimus ex antiquo hoc marmore, portæ arcis interiori inædificato: *Anno Domini 1237 ſum Arx Kekkö ab inclyta Domo Balaſſa fundata, & continue poſſidebar. Anno 1576 in poteſtatem perveni Turcicam. Anno 1593 a Turcis pulvere disjecta, ac derelicta. Domini Imperatoris Romanorum, ac Regis Hungariæ, Rudolphi II, præfectorum incuria, ad extremam deveni ruinam. Anno 1609 a Sereniſſimo Rege Hungariæ, Matthia II, hæreditariis meis reddita dominis, induſtria ſpectabilis ac magnifici Domini, Sigiſmundi Balaſſa, muris ac propugnaculis e fundamento ampliata, habitationibus exornata, in hunc, in quo ante fui, perveni ſtatum. Ab eadem illuſtri familia ut ævo durante feliciter poſſidear, faxit Deus Ter. Opt. Max. cui laus & gloria, Anno 1612.* Turbantibus omnia *Rakoczianis* armis, nefarius quidam *Kokay* arcem univerſam, ſubjecto tectis igne, exuſſit.
131. Ceteræ arces ſunt *Balaſſa-Gyarmath*, unde nomen habet bellicoſiſſima Comitum *Balaſſiorum* gens, ab Autore noſtro diligentius deſcripta; *Nograd*, a Turcis capta A. 1544, ſed A. 1594 recuperata a *Matthia*, Auſtriæ Archiduce; denique *Kamor*, dubiæ, at vetuſtæ, ætatis rudus. Oppida Proceſſus iſte habet quinque: *Kekko*, *Balaſſa-Gyarmath*, *Nagy-Orozy*, *Nograd*,

Digitized by Google

*Nograd*, *Vadkert*; vicos quinque & quinquaginta. Jam progreſſurus erat Autor ad deſcribendam *Hontenſis* Comitatus hiſtoriam; ſed, notitiarum adhuc inopia laborans, vidit ſibi eam Operis ſui partem in meliores temporum opportunitates differendam, magno, ut ait, dolore ſuo, & totius Operis incommodo. Convertit ſe igitur ad *Barſchienſis* Comitatus fata exponenda; quem, a civitate *Barſch* dictum, ab oriente *Zolienſis* & *Hontenſis*, ab occidente *Nitrienſis*, a meridie *Strigonienſis* & *Comaromienſis*, Comitatus claudunt. Qua ſeptentrionem ſpectat regio, montibus *Cremniczienſibus*, *Ujbanyenſibus*, aliisque multis, obſidetur. Sed per mediam et- Pag. 158.
iam provinciam juga paſſim montium ſpectantur, quorum præcipui ſunt *Klyag*, *Hruſchowienſes*, & *Gbymeſienſis*. Amœ- 159.
nam per ſe regionem fluvii fœcundant, *Granus*, *Nitra*, & 160 ſeq.
*Sitva*, cum tenuioribus multis, inter quos Autori nominantur *Cremnitzienſis* rivus, *Sanctæ Crucis* amnis, *Sklenenſis*, *Wihnenſis*, & *Zernoviczenſis* amniculi, denique *S. Benedicti* rivus. Nec aliis muneribus carere hanc regionem natura voluit, quæ thermas ei & fodinas auri dedit. In illis maxime *Sklenenſes*, 164.
quæ Germanis *Glasbüttner-Bad* vocantur, in his *Cremnitzienſes*, & *Ujbanyenſes*, celebrantur. Ingenium incolarum ſim- 166.
plex, candidum, laborum, & duri vitæ generis, amans, eſt. Quod ſtomachum allio inprimis paſcant, id reprehenſione 170 ſeq.
carere ideo videtur Autori noſtro, quod, magnam adverſus 173.
venena & nauſeam Hungaricam allio vim ineſſe, ſit longo uſu exploratum. Illuſtriora Comitatus *Dominia* ſunt *Sas-Köienſe*, *Reviſchtyenſe*, *Cremniczienſe*, *S. Crucis*, *Levenſe*, *S. Benedicti*, *Kis-* 176.
*Topolcſanenſe*, *Marotenſe*, *Verebelyenſe*, & *Sallajenſe*. Ceteras regionis terras præclaræ ac nobiles familiæ *Eſterbazyorum de* 177.
*Frakno*, & *de Galantba*, *Forgaciorum*, *Palffyorum*, *Zichiorum*, *Majtbeniorum*, & his plurium, tenent. Supremorum Comitum, qui regunt hanc provinciam, temporaria dignitas eſt, quam nunc eſſe penes *Georgium Erdödy de Monyorokerek*, merito regionis cives gaudent. Diſtinguitur Comitatus univerſus *Proceſſibus quatuor*, *Oſzlanenſi*, *Levenſi*, *Kis-Topolcſchanenſi*, & *Verebelyenſi*. *Oſzlanenſis* Proceſſus, cujus pars

 ſupe-

Digitized by Google

ſuperior *Granenſis* diſtrictus, inferior *Oſtlanenſis* ſpeciatim, dicitur, duas habet liberas regiasque urbes, *Cremnitzium* & *Regiomontum Hungariæ*. De *Cremnitzio*, quippe montanarum ac metallicarum urbium metropoli, paulo, quam ſolemus de ceteris, copioſius dicemus. Incertæ nominis æque ac ipſius ur-
Pag. 182. bis origines ſunt. Probabilis tamen Cel. Autoris conjectura eſt, illud a *Kramcze*, Slavorum vocabulo, quo illi montana tuguriola, a Saxonum coloniis hinc & illinc auri commodius ſcrutandi ergo poſita, appellare ſolebant, derivantis, hujus autem natales ad ætatem *Colomanni*, hoc eſt, annum circiter
183 ſeq. 1100, referentis. Incrementa ſua & florem urbs hæc montana munificentiæ Regum Hungariæ, ut fere omnium, ita inprimis *Caroli Roberti*, *Ludovici I*, *Sigiſmundi*, *Alberti*, *Matthiæ I*, *Vladiſlai II*, & *Ludovici II*, accepta retulit. Oppi-
185. dum hoc verius, quam urbem, ex omni parte vaſta montium juga cingunt, ut adventantium vix prius, quam ejus portis immineant, obtutui ſubjiciatur. Ædium numerus, ſi ſacras duas, alteram aſſumtæ ad cœlos B. V. *Mariæ*, alteram S. *Franciſco*, dicatam, excipias, tricenarium non excedit; nec, præter Germanos, quos ad rem metallicam priſca ætas aptiſſimos cognovit, ulli alii genti jus olim civitatis hic conceſſum eſt. Inter ædes illas duæ ſunt publicæ, rei monetariæ cauſa exſtru-
188 ſeq. ctæ, altera *Piſetaria*, altera *Camera Cæſareo-Regia*, dicta, quarum cum originem, antiquitates, memorabilia, exponit Autor, ſimul, quæ *Piſetarii*, quæ *Exploratoris*, ſeu *docimaſtæ monetalis*, *montium & ſilvarum magiſtri*, *Procuratoris Cameræ*, *Sculptoris ferramentorum*, *fodinarum procuratoris*, *ſupremi Cementarii*, *Scribæ metallici*, *Promi condi*, *Tribuni monetariorum*, ſive *Libripendis*, in adminiſtranda re monetaria partes ſint, copioſe ac diligenter explicat. Metallifodinarum, urbem hanc nobilitantium, regionem, conſtat, in poſteriorem & anteriorem (*Hinter- und Vorder-Zech*) diſpeſci. Et po-
198 ſeq. ſterior quidem juris tota eſt Cæſareo-Regii, nemine privatorum in laboris, aut fructuum, ſocietatem admiſſo. Fodinas hæc numero ſeptem habet, quibus nomen eſt *putei Rudolphi*, *S. Annæ*, *Kribani*, *Matthiæ Archiducis*, *Leopoldi*, *Divinæ Benedictionis*,

*benedictionis* (*Gottes-Seegen-Schacht*), & *fundi* (*Grund-Schacht*). Anterioris duas fodinas, alteram *opacæ ſtellæ* (*Finſter-Stern*) dictam, alteram a *Sacra Triade* (*Heilig-Dreyfaltigkeit-Schacht*) cognominatam, ſibi vindicant Reges Hungariæ, alias tres, quarum appellatio eſt *Communium urbis operarum* (*Gemeiner Stadt-Handel*), *Aſſumtionis B. V. M. in cælos* (*Mariæ Himmelfahrts-Stollen*), & *S. Joannis Evangeliſtæ* (*St. Johann-Evangeliſten-Stollen*), univerſa Cremniczienſis civitas communi jure tenet, nonnullas etiam proprio jure colunt nobiliores urbis cives, in quibus præcipuæ ſunt illa *Rothiorum de Rothenfels*, *Hülff Gottes-Schacht* appellata, & alia, *nova benedictio divina* (*Neu Gottes Seegen-Handlung*) dicta, cui excolendæ præcipuos ſumtus gens *Schindleriana* impendit, denique illis aliquando par futura, cui ab operis in ſpem futuri reditus ſuſceptis (*Hoffnungs-Gebau*) nomen dedit, qui in perficienda ea totus eſt, *Laurentius Bukowa*. Harum fodinarum aliæ aurum, aliæ argentum, aliæ vitriolum, ſed omnes metallum purum, & in ſuo genere optimum, reddunt. Olim, ut diximus, ſoli in urbe Germani jus civitatis tenuerunt; nunc commune id cum Slavis tenent, juribus tamen adhuc propriis quibusdam & peculiaribus utentes. In his, ſi de plebe homines ſpectes, ingenium ad ferendos labores aptum, ſed hebes cetera & impolitum, mores rudes & inconcinnos, ſermonem ruſticum & prorſus incultum, ſi de optimatibus requiras, erectiorem animum, conſilii præſentiam, morum inſignem quandam ſuavitatem, animadvertas. Familias opulentas & illuſtres nunc *Cremnitzium* paucas habet; ſed habet tamen *Freyſeiſeniam*, *Lemoniam*, *Mashgoam*, *Möſziam*, *Ortliam*, *Pevrelliam*, *Roſnaueriam*, *Rothiam de Rothenfels*, *Schindleriam*, *Schmideggiam*, *Schræteriam de Wohlgemuthsheimb*, denique *Weisziam*, conſulares pleraſque, & muneribus publicis ſæpe iterumque defunctas. De urbanis magiſtratibus, & regenda urbis ratione, non attinet multa dicere, cum hic omnia fieri ex more reliquarum urbium, quæ ſunt liberæ regiæque, ſoleant. Adjunctam urbi arcem videas, vetuſtam illam quidem, & muro cinctam non invalido, ſed qui obſidioni ſu-

Pag. 203. 206. 208.



Digitized by Google

ſtinendæ vix ſufficiat. Hanc mediam occupat parochiale templum, S. *Catharinæ* dedicatum, &, ſi re nulla alia, certe
Pag. 209. antiquitate, memorabile. Suburbia *Cremnitzio*, pro tenuitate urbis, ſunt ampliſſima, novem plateis diſtincta, quarum
210. nomina, ſi quis noſſe cupit, apud Autorem legat. Per ſuburbanam regionem iter eſt *Cremnitzienſi* rivo, cujus aquæ mi-
211. ram in opere metallico occupatis utilitatem præſtant. Parum amica *Cremnitzienſibus* Ceres eſt, ſed magis favet Pomona, nec nulla fama eſt hortorum, inprimis quos *Rothii* & *Sternbachii*, illuſtriſſimi homines, omni amœnitatum genere inſtru-
212 ſeq. xerunt. Fata urbis nullo tempore ſatis proſpera fuerunt, nunc *Giskranæ* dominationis incommoda perpeſſæ, nunc a *Botskaji* emiſſariis, nunc a *Bethlenio*, interceptæ, nunc a *Georgio Rakoczio* ſub poteſtatem redactæ, & in notiſſimis illis *Rakoczianorum* turbis ita afflictæ, ut ab anno inde 1703 ad 1708, quo Cæſaris placidiſſimo imperio reddita eſt, publica malorum & calamitatum omnium quaſi quædam offici-
216. na fuerit. Vicos priſci Reges Hungariæ *Cremnitzienſi* urbi in *Thuroczienſi* & *Barſchienſi* provincia varios conceſſerunt,
218 ſeq. quorum reditus ſufficiunt alendæ, non ditandæ, urbi. Inſigne urbis S. *Catharinam* refert, ſiniſtra ſcutum tenentem, humi innixum. Jam per reliquam Hungariam proſequendum nobis eſt, aut, quia nimis diu nos tenuit *Cremnitzium*, accelerandum potius, iter noſtrum. Alteram *Oſzlanenſis* Proceſſus urbem diximus *Regiomontum*, quæ, Hungaris *Uj-Banya* appellata, olim fodinas habuit aurarias, easque valde divites, ſed poſtea ipſorum maleficio civium ita perditas, ut, qui A. 1722 educendis aquis ſubterraneis, quibus oppreſſæ & ſuffocatæ fuerant fodinæ, machinam admoverat *Potterus*, Anglus, conatuum ſuorum ſucceſſus prorſus irritos habuerit.
225 ſeq. Oppidis Proceſſus *Oſzlanenſis* quatuor, *Oſzlany*, *S. Crucis*, *Zarnoczino*, *Welka-Polya*, arcibus, præter *Cremnitzienſem*, duabus, *Sas-Kö*, & *Reviſchtye*, caſtellis numero non paucis, Dominiis tribus, *Sasköienſi*, ſeu *Hladomerienſi*, *Reviſchtyenſi*, & *S. Crucis*, vicis bene multis, & ex parte amœniſſimis, ab-
243 ſeq. ſolvitur. *Levenſis* Proceſſus urbs, quod conſtet, nulla, oppida

pida ſunt tria, *Leva*, *O-Barſch*, & *Nagy-Sarlo*. In his *Leva* nomen Proceſſui dedit, illuſtris maxime fama nundinarum, quæ magna hominum frequentia hic celebrantur, & arcem oſtendens munitiſſimam, ſed diris hoſtium incurſionibus ſæpiſſime vaſtatam. Vicos hujus Proceſſus Autor duos Pag. 262. & quinquaginta numerat. Ad Proceſſum *Kis-Topolcſanenſem* 265 ſeq. oppidum & caſtellum *Kis-Topolcſan*, arx *Hruſſow*, fanum *S. Benedicti*, oppidum *Aranyos-Maroth*, vici quinquaginta, pertinent. Ultimus eſt Proceſſus *Verrbelyienſis*, quem & Sedem 283 ſeq. vocat Autor noſter, quod ab antiquiſſimis temporibus præcipua quædam Archiepiſcopi Strigonienſis & Nobilium Prædialiſtarum jura hic obtineant, afflicta ſæpius & imminuta, ſed ita tandem a *Sigiſmundo* & *Wladislao* Regibus confirmata, ut jam ii tantum Nobiles, quibus ſua extra oppidum *Verebely* ſunt prædia, & quicquid in illa regione plebis ruſticanæ eſt, Comitum imperio regantur. Ipſum oppidum, olim, quam nunc, nobilius, inter præcipuas commoditates ſuas refert annuos mercatus, qui qualicunque hominum frequentia aguntur. Vicos iſta regio ſeptem & viginti alit. Jam ad *Nitrienſem* Comitatum progreſſus Autor, hunc, docet a *Nitria*, 292 ſeq. Epiſcopali civitate, dictum; ab Oriente adjunctum eſſe *Barſchienſi*, ab aquilone *Thuroczienſi* & *Trentſchinienſi*, ab occidente *Moraviæ* partim, partim *Poſonienſi*, a meridie *Poſonienſi* æque ac *Comaromienſi*, Comitatibus; montibus, inde e Carpatho exortis, totum obſideri, principesque in his Hungarorum vocabulo appellari *Kraszna Lipa*, *Jaworina*, *Oſztry-Wrch*, *Zaloszna*, *Kitschera*, *Inowecz*, *Radoschinszka-Hora*, *Hawran*, *Homola*, *Klag*, *Ghymes*, *Tabor*, *Kozlicza*, & *Zobor*; fluvios, quibus irrigetur, eſſe *Vagum*, *Nitram*, *Zitwam*, *Livinam*, *Dudvag*, *Blawam*, *Holeſchkam*, *Mijawam*, *Chwoynitze*, rivos præterea & fontes æque ſalutares, thermas etiam, ad roboranda corpora miram vim habentes, in quibus maxime nominari mereantur *Bajmoczenſes*, *Pöſtinenſes*, & *Bilicxenſes*; ſoli montani ingenium aſperius, felicius campeſtris, eſſe, notæ optimæ triticum, ſiliginem, avenam, profeſentis; vini eximium hic proventum eſſe, cerevifias ſatis bonas

nas coqui, hortos oſtendi pomis ornatiſſimos, maxime vero croci feraces, quo vix ulla regio nobiliorem ferat, rem pecuariam ſatis regioni quæſtuoſam eſſe, minus autem metallicam, huc uſque aut neglectam plane, aut Hungarorum more remiſſius cultam; incolas Comitatus Hungaros, Slavos, & Germanos, eſſe, quorum illi, qui in montibus degant, ovilia remque frumentariam curent, qui campeſtrem regionem colant, alendis armentis pauperem vitam ſuſtentent; ſupremorum Comitum dignitatem a multis inde Seculis Epiſcopis Nitrienſibus attributam, niſi quod vetuſtiſſima monumenta paſſim Comites Nitrienſes, quos tiara Epiſcopali minus conſtet inſignitos, nominent; inſignia Comitatus S. *Ladiſlaum* referre cataphractum, dextra ſecurim militarem, ſiniſtra ſcutum, tenentem; in familiis, quibus floreat provincia, principes eſſe Comitum *Palffy ab Erdad*, *Erdody de Monyorokerek*, *Forgach de Ghymes*, *Czobor de Czobor Szent-Mihaly*, *Nyary de Bedek*, *de Reva*, Baronum etiam *Zay*, *Revay*, *Majteniorum*, *Ujfaluſiorum*, *Aponiorum*, *Mednyanszkiorum*, & *Sanderorum*. Proceſſus hujus Comitatus numerantur quinque, *Nitrienſis*, *Ujbelicenſis*, *Bajmotzenſis*, *Bodokienſis*, & *Szakolczenſis*, cui &
Pag. 313 seq. nomen *Szeniczenſis* eſt. De *Nitrienſis* primum Proceſſus arcibus agens Autor, nominat nobis *Nitriam*, arcem æque, ac oppidum, claram epiſcopali dignitate, quam qui inde ab A. 1158 ad 1737 tenuerunt, non interrupta ſerie hic exhi-
330 seq. bentur; tum *Ujvarinum*, mira memorabile viciſſitudine fatorum, rebusque nunc a Botskajanorum, nunc a Turcarum, nunc ab Hungarorum, oppugnatione afflictiſſimis, quarum is fuit finis, ut A. 1724 juſſu Cæſaris ſolo æquaretur. Omnem hanc arcis olim munitiſſimæ hiſtoriam, copioſa oratione a ſe expoſitam, breviori tandem elegantiſſimus Autor monumento
379. complexus eſt, arci tum, cum ſolo æquaretur, a ſe poſito, & tali prorſus, quale ab uno *Belio*, Gratiarum digniſſimo alumno, exſpectes. Dabimus id Lectori integrum, nobis eo nomine gratias habituro: *Subſiſte Viator! & rerum viciſſitudines, his ruderibus expreſſas, mirare, ac time. Ujvarinum, oppidum inexuie, fui, dum, cincta viris Hungaria, mœnibus*

ut

*ut cingeret, non indigebat: at, ſimul viris, & viribus, deſtituta, in vallis robur, præſidium in muris, cogebatur quærere; Marti me Ferdinandus I Cæſar dedicavit; conſecravit ſummus Iſtragani Præſul; Paulus de Varda denique operibus incinxit, Hungarus, Bohemus, Moravus. Ergo, omine a Marte accepto, mutavi ſimul nomen, ut Ujvarinum, id eſt, arx nova, dicerer, datura mox novam bellorum tragœdiam. Primus, qui me infeſtis armis contemerare auſus eſt, civis fuit; ſi civis dicendus eſt, qui patriam evaſtavit. Ecquis ille? Stephanus Botskay, Tranſilvaniæ Princeps, eo unico non culpandus, quod furorem in favorem vertit, quando cavit, ne ab auxiliatoribus ſuis Turcis ſub jugum raperer: quin providit caute, ut parerem ſibi, dum me Cæſar recuperaret. Quicquid hoc beneficii ſit; tamen ille meæ ſpolium virginitatis habet. Nondum injuriam dedolueram, cum iteratus e Tranſilvania turbo Hungariam perturbat denuo, me deturpat penitus. Calamitatis autor Gabriel Bethlen exſtitit. Crederes, gaviſam priori clade mea Tranſilvaniam, iteraviſſe maleficium. Poſtea, bello depulſo, ſimul pax reddita eſt, poſtliminio ad Dominum meum Ferdinandum II redii: felici, uti orbis melior augurabatur, ſidere; niſi tricennio poſt, excitus ab orco barbarus, ante vires meas accidiſſet, quam tentaret obſidionem. Adamo Forgachio, arcis præfecto, dicam ideo annales ſcribunt; ego Marchioni Pio, qui volentem receptui canere Forgachium, leſſum ut caneret, coegit, dum invitum in immanem hoſtium manum impegit. Tunc demum gravior mihi procella incubuit. Dixiſſes, iratum Jovem detonuiſſe, Tartara furias omnes in me armaviſſe; ita ferro, igne, & qua non peſte alia, ſævitum in me eſt. Quis molitor tanti fuerit facinoris, ne quære. Mehmetem Tyrannum nominaviſſe ſatis eſt. Igitur, ut me pro virili defenſarent duces, omni illi quidem ope elaboraverunt; ſed, ne poſſent incolumem ſervare, militum conſternatio, an perfidia, effecit. Inter diverſa ducum militumque hæc ſtudia, Tyranno dedor, nunquam antea mitiori, quam cum dedititia ſigna conſpexiſſet. Nunc eſt, cur lugeas Hungaria! quæ tibi in Ujvarino, tot excitato laboribus, cruentam latrociniorum officinam poſuiſti: habes tamen ſimul, cur Deo O. M. gratias referas,*

Digitized by Google

*ras, qui calamitati tuæ, pace inopina, modum poſuit, atque tuum tibi reſtituit Ujvarinum. Incomparabilis hæc felicitas Leopoldi Magni fuit, prudentia Lotharingi, ardore Capraræ, virtute Chriſtiani exercitus, procurata. Jam ad quietem vocari videbar, felix, poſt tot ærumnas, Ujvarinum, cum inopinus Rakoczianorum torrens, univerſam inundat Hungariam, me abſorbet. Nolo injurias queri, id in novo maleficio collatum mihi beneficii recordor, (ſi ineſt quædam beneficii ratio, ubi comparantur perduellioni præſidia,) quod debilem multis me operibus obfirmavit Franciſcus Rakoczy: tandem vindex Nemeſis Joſepho Cæſari, Heiſtero, Palffyo, Læffelholtzio, domantibus, me in integrum aſſeruit. Quid inde? Tot funerum, quæ ſive dedi, ſive accepi, pertæſum, a Carolo VI Imperatore, Rege Hungariæ, Pio, Felici, Victore, Triumphatore, Patre Patriæ, alta jam pace, funus ut fierem, impetravi, Anno 1724, poſteaquam, ultra ſeſqui ſeculum, inter tot belli mala ſuperfui. Abi viator! &, cum rudera mea cernis, tumulum eſſe memento centum millium Virorum.* Jam reliquas Proceſſus *Nitrienſis* arces Autor memorat, *Ghymes* nempe, a *Forgachiis* con-
Pag. 383. ditam, cujus gentis, vetuſtate æque ac nobilitate illuſtriſſimæ, genealogiam Autor duabus tabulis contextam exhibet; & *Schempte*, ſive *Schintaviam*, a Turcis oppugnatam ſæpius, ſed expugnatam nunquam. Oppida huic Proceſſui, præter
393 ſeq. *Nitriam* & *Ujvarinum*, tenuiora ſunt, *Suran, Sallye, Urmeny, Schemmate*, *Mocſonok*, *Komjathi*, *Ujlak;* vici novem & nonaginta. *Bajmoczenſis* Proceſſus arces, quam pro ſitus com-
411 ſeq. moditate, pauciores, *Bajmocz* & *Keſſellö-Kö*, oppida, præter *Bajmoczenſe*, leviora nonnulla, *Prividiam*, *Nemet-Pronam*, *Sambokretum*, & *Szkacſanum*, vicos habet unum & nonaginta, in quibus unus, Hungaris *Divek-Ujfaſu*, Germanis *Neudorff*,
435. appellatus, inclaruit gentis *Ujfaluſianæ* natalibus, ab Autore
446 ſeq. in tabula repræſentatæ. Proceſſus *Bodokienſis* non adeo magna eſt celebritas, nec numerare hic, niſi arcem unicam, *Bodok*, & oppida tenuiora quatuor, *Bodok*, *Nagy-Topolcſanum*, *Baynam*, *Radoſchinum*, liceat. Hoc major copia vicorum eſt, quorum unus ſupra centum memoratur Noſtro.

In

Digitized by Google

In his *Raicſanum* proprium inde ab A. 1301 genti cogno- Pag. 452.
mini fuit, cujus genealogiam hic, quorum intereſt, ex veteris ævi monumentis concinnatam legant. Ad *Ujbelyienſis* 459 ſeq.
Proceſſus, quem totum, quam longus eſt, amnis *Vagus* interlabitur, terras referuntur Autori oppidum *Ujbelyinum*, olim a *Bela IV* monaſterio S. *Martini* in poſſeſſionem datum, poſtea a *Stephano*, *Ladislao*, & *Ludovico*, in ditionem *Laurentii* Comitis redactum; arcem & oppidum *Cſejthe*, nefando maleficio *Eliſabethæ Bathori*, Comitis *Franciſci de Na-* 469.
*dads* viduæ, quæ in famularum ſuarum prope ſexcentas crudeliſſimam lanienam & carnificinam exercuit, memorabile inprimis factum; *Verbovia*, ſatis amplum, nec incolis deſtitutum, oppidum; *Pöſteny*, ſaluberrimis a natura thermis donatum; *Vittencz*, locus vaſtus, & opificum plenus; arx *Jokö*, monti petroſo inædificata; *Leopoldopolis*, a *Leopoldo* Cæſare A. 1665 exſtructum caſtellum; arx & opidum *Galgocz*, a Germanis *Freyſtadt*, & Græco vocabulo *Eleutheropolis*, appellatum; arx *Temetveny*, vetuſtiſſimæ molis, at proſpectus amœniſſimi; oppida *Ujvaros*, *Kosztolan*, ô *Tura*, *Brezowa*; vici denique duo & octoginta. Extremus *Nitrienſis* provinciæ
Proceſſus eſt *Szakolczenſis*, Auſtriæ & Moraviæ fines pro- 498 ſeq.
xime attingens. Hujus partes ſunt libera regiaque urbs *Szakolcza*, a priſcis Moravis, ex conjectura Autoris noſtri, condita, inſtaurata autem a *Belo Cæco*, & ab hoc privatis publicisque ædificiis condecorata, poſtea, fervente bello Huſſitico, a *Sigiſmundo* munita, inde a *Pancratio* Liptovienſi, nefario prædone, infeſſa, nec minus a *Botskajo*, & *Bethleniana* factione, afflicta, a Regibus vero Hungaris, inprimis *Fer-*
*dinando I*, liberalius habita, variisque juribus donata; arx & 508 ſeq.
oppidum *Holitſch*, a *Bethleniana* factione igni ferroque deletum; oppidum *Ekbel*, ambitu modicum, civium autem fama olim, quam nunc, florentius; arx & oppidum *Sebaſſin*; oppida leviora alia, *Radoſchocz*, *Szeniczium*, *Szabatiſtinum*, *Sandorffium*, arces etiam *Berentſch*, *Korlatkö*, & *Eleskö*, vici vero pro dominiorum ratione varii, omnes octo & quadraginta numero. Ad extremam *Voluminis* hujus partem properamus, *Hontenſis* nempe Comitatus hiſtoriam, ea non minus cura, quam ſermonis elegantia, deſcriptam, ut, hanc le-



Digitized by Google

gentes, in fine Operis nos conſtitutos, non, quod alias ſolemus, gaudeamus, ſed doleamus vehementer. Comitatum hunc cum bifariam dividere vulgo ſoleant, in *Nagy-Hontenſem* (*Hont-majorem*), cujus tres ſunt Proceſſus, & *Kis-Hontenſem* (*Hont-minorem*), qui, conjunctus licet priori illi, & quarti Proceſſus nomine inſignitus, ſeparatæ tamen provinciæ præ ſe ferre habitum videtur; eundem Noſter in dicendo ordinem ſecutus, ſingulorum Comitatuum deſcriptionem ſingulatim exequitur.

Pag. 524 ſeq. De *Nagy-Hontenſi* igitur primum diſſerens, univerſæ provinciæ nomen petitum, docet, a duce quodam, *Hunt*, ortu Germano, qui ſub S. *Stephani* vexillo adverſus *Cupan* Simigienſem militaverit; utramque ejus provinciæ regionem, tam *Nagy-Hontenſem*, quam *Kis-Hontenſem*, ab oriente *Gömörienſis*, *Heveſſienſis*, & *Neogradienſis*, ab occidente *Barſchienſis*, a ſeptentrione *Neogradienſis* partim, partim *Zolienſis*, a meridie *Barſchienſis* & *Strigonienſis*, Comitatuum finibus concludi; totam montibus turgere, nec tamen fertilitatis laude carere; *Nagy-Hontenſem* Comitatum, ſi longitudinem ſpectes, ad novem propemodum milliaria, ſi latitudinem, non niſi ad quinque, extendi; montibus hunc & cingi, & impleri, *Schemnicienſibus*, *Börſönyenſibus*, *Palaſtienſibus*, *Szenobradienſibus*, *Szitna*, omnium celſiſſimo, & minoribus aliis; fluviis fœcundari *Danubio*, *Grano*, *Ipola*, *Schemnicienſi*, *Carponenſi*, *Bakabanyenſi*; thermis a natura donatum *Gyögyenſibus* & *Szantoienſibus*, nec minori copia acidorum fontium, *Szantoienſi* nempe, *Szalatyenſi*, *Gyögyenſi*, *Felſo-Palojtenſi*, & *Schemnicienſi*, quibus jungi mereantur fons periodicus montis *Szitna*, & aquæ medicatæ *Bakabanyenſes* & *Drſeniczenſes*, magnam inprimis ad tollendas ſtrumas vim habentes, atque adeo contrariæ aliis laticibus, qui per metallicos montes & in ipſis fodinis ſcatent, & inde bibentes ſtrumis deformatos dimittunt; agri fertilitatem aliis in locis difficiliorem, in aliis lætiorem, eſſe, nec optimæ ubique notæ vina generari, in quibus præcipuam eſſe commendationem *Hontenſis* conſtet; rei pecuariæ, apiariæ, & piſcationi, parum oportunam, magis autem accommodatam ad aucupia & venationes, regionem eſſe; metallis ita divitem, ut nulli alii regioni ea laude ſecunda ſit, quippe ferax auri, argenti, plumbi,

Digitized by Google

plumbi, ferri, æris Cyprii, pretioſorum lapidum, colorum, & varii generis terrarum; a gentibus nunc quidem variis, Hungaris, Slavis, & Germanis, ingenio & vivendi genere valde inter ſe diverſis, coli; Comiti utramque provinciam, tam *Nagy-Hontenſem*, quam *Kis-Hontenſem*, uni, ſed Vicecomitibus ſingulas ſingulis, parere. Et Comites quidem inde ab anno 1583, (nam ſuperiorum temporum Comites æterna oblivione ſepulti ſunt,) ad præſens uſque tempus, octo nominantur Autori noſtro; Vicecomites autem *Nagy-Hontenſis* regionis ab anno inde 1565 ad praeſentem uſque duo & triginta. Inſignia Comitatus ſpectandum præbent ſcutum rubro colore, in quo catafractum hominis brachium enſem ſtrictum, ad ſummam ſcuti oram pertingentem, tenet, ſupra brachium a dextro ſcuti latere ſtella, a ſiniſtro vero nova luna, conſpicitur. Comitiola provinciæ olim *Schemnicii*, poſtea *Carponæ*, celebrata ſunt, nunc in oppido *Szebeklib* haberi ſolent. Univerſum *Hontenſem* Comitatum *Proceſſus* quatuor abſolvunt, *Schemnicienſis*, *Bathenſis*, *Bozokienſis*, & *Kis-Hontenſis*, quorum priores tres *Nagy-Honto* adſcripti ſunt, ultimus, per *Neogradienſium* & *Zolienſium* laxa collimitia diremtus, ſuis, ut ſupra diximus, finibus circumſcribitur. *Schemnicienſem* Pag. 558 ſeq.
Proceſſum liberæ regiæ ac montanæ urbes duæ, *Schemnicium*, quæ nomen regioni dedit, & *Bela-Banya*, Germanis *Diln*, Slavis *Bela*, dicta, nobilitant. In his *Schemnicium* incolarum multitudine, & metallorum celebritate, inprimis floret, omnibus aliis montanis urbibus hac laude ſuperior. Hujus, *Bana* primum, poſtea *Sebenicium*, tandem *Schemnicium*, appellatæ, natales in annum 745 ſchedæ *Schemnicienſium* domeſticæ reponunt; at idoneis certiſque rationibus doctiſſimus *Belius* oſtendit, in recentiori ac multo feliciori ætate collocandos. Primi urbis incolæ fuere Slavi, ſed qui, ſub tertii decimi forte Seculi initium, Saxonibus ceſſere, rerum metallicarum ſtudio huc delatis, tantaque animorum contentione in urbe dominatum affectantibus, ut inſolentiam eorum (hanc enim illis, neſcimus, an quodam forte gentis odio, Autor noſter, Hungarus, tribuit,) ſuſtinere Slavi haud poſſent. Tandem lege publica, in comitiis anni 1608 perlata, Saxones, una cum Hungaris, tam ad jura civitatis capeſſenda, quam ad magiſtratus



Digitized by Google

alternis adminiſtrandos, idonei ſunt judicati. In magna illa Tartarorum in Hungariam invaſione, quæ regnante *Bela IV* contigit, incendio non ipſa tantum urbs, ſed tuguria etiam, & metallicæ paſſim machinæ, ſunt deletæ. Inſtauratam poſtea, & novis juribus donatam, a *Bela IV*, *Stephano*, *Ladislao Cumano*, *Carolo I*, *Ludovico I*, *Sigiſmundo*, *Joanne Corvino*, *Matthia*, *Ladislao II*, & *Ludovico II*, urbem, nova calamitas affecit, cum, defuncto *Alberto*, Rege Hungarorum, alii *Ladislaum*, Polonum, alii *Albertum*, filium poſthumum, ex *Eliſabetha* natum, Regem eligerent. Tunc enim *Schemnicium*, *Alberti* filio deditum, a *Simone Rosgon*, Epiſcopo Agrienſi, qui ab *Eliſabetha* ad Polonum defecerat, bello petitum, direptum, &, plurimis civium trucidatis, fœdiſſime exuſtum eſt. Acceſſit terræ motus vehementiſſimus, quo, quicquid urbis ab incendio fuerat reliquum, A. 1443 concuſſum, disjectum, dirutumque fuit. Eodem anno novam, quæ nunc ſuperſtes eſt, ex veteris ruinis urbem ſurrexiſſe, ſcriptores paſſim referunt, ſed quorum narrationem non tam falſam, quam aliqua ex parte dubiam, Autor noſter pronuntiat. Novæ hujus urbis quæ & quam triſtia inde ab origine ejus fata, quam propenſa Regum Hungaricorum in eam voluntas, quantum ejus ex Cæſaris cum *Rakoczio* pacificatione nomen, quam felices & quam bene inſtructæ metallifodinæ, fuerint, quæ nunc etiam civium ingenia, quæ decora familiarum, quæ magiſtratuum in tuenda juſtitia ſeveritas, civium in urgenda re metallica induſtria, quæ denique urbis inſignia, ſint, non minori, quam cetera omnia, aut, ni fallimur, majori etiam, ſermonis copia & elegantia exponit, arcis quoque *Schemnicienſis*, & Cœnobiorum ædiumque ſacrarum, quibus iſta urbs abundat, hiſtoriam attexens, de ſecturis autem metallicis tam plene commemorans, ut nec ipſa harum, quaſcunque aut priſca ætas habuit, aut
Pag. 677 præſens oſtendit, nomina ignorari a Lectore patiatur. Ea-
ſeq. dem Scriptoris noſtri diligentia eſt in tradendis rebus alterius
681 ſeq. urbis liberæ ac montanæ *Bela-Banya*, arcis item *Szitna*, op-
691 ſeq. pidorum *Szebeklib*, *Nemethy*, & *Saagh*, vicorum denique *Schemnicienſium* quatuor & quinquaginta. Properandum nobis ad finem eſt, indignantibus ſpatii, quo circumcludimur, anguſtia, & in tali Opere, quale hoc *Belianum* eſt, hoſpita-

turis,

Digitized by Google

*ſ*teris, ſi liceret, per omnem vitam noſtram. Docemus igitur Lectores, de Proceſſus *Bathenſis* libera regia montanaque urbe *Baka-Banya*, ſeu *Buggantz*, oppidis *Bath* & *Börſöny*, arce Pag. 703 *Dregely*, & vicis, quorum quatuor & quinquaginta ſunt, in- ſeq. de de *Bozokienſis Proceſſus* arce & oppido *Bozok*, arcibus *Cſabrao* & *Drekely*, vicisque ſeptem & quinquaginta; denique de 710 ſeq. 720 ſeq. altera Comitatus *Hontenſis* parte, cui *Kis-Hont* nomen, ejusque 740 ſeq. ſitu, opportunitatibus, incolis, magiſtratibus, oppidis *Rimaszombathino*, & *Tiszoltz*, caſtellorum *Margith-Vara*, *Szabathka*, *Rabo*, & *Oſgyan*, ruderibus, vicisque numero quatuor & triginta, ita commemorare *Belianam* Muſam, ut eundem ubique diligentiæ æque, ac facundiæ, *Auguſti* ſeculo digniſſimæ, velut tenorem ſervet, &, quod vere dicere poſſumus, talis Hiſtorici, quales eſſe omnes deberent, ſed neſcimus an hac ætate oſtendi adeo multi poſſint, omnes numeros impleat. Nos feliciſſimam tanto rerum ſuarum ſcriptore Hungariam judicamus, & incomparabilem hunc ei civem, qui aliarum gentium numeroſis legionibus opponi poteſt, pleni votorum pro gentis *Belianæ* diuturna incolumitate, & ex hac certiſſima incrementa bonis literis augurantes, ex animo gratulamur.

## *INDEX VERBORUM AC PHRASIUM LUCIANI, ſive Lexicon Lucianeum, ad editiones omnes, maxime noviſſimam Wetſtenianam, concinnatum a CAR. CONRADO REITZIO.*

Trajecti ad Rhenum, ex typographia Hermanni Beſſeling, 1746, 4 maj.

Alph. 2 plag. 12.

Longam hujus libri recenſionem nemo a nobis exſpectet. Quid enim de Indice multa dicamus? Quam utile et laudabile inſtitutum ſit, indices verborum & phraſium, quibus uſi ſunt veteres utriusque ſermonis ſcriptores, contexere, inter omnes conſtat, et ipſe rerum uſus docet. Ut adeo non poſſimus hunc doctiſſimi *Car. Conradi Reitzii*, jam Rectoris Gymnaſii Velavienſis apud Harderovicum, laborem non laudare, & meliore de nota omnibus commendare, quibus Græcæ linguæ ſtudium curæ cordique, & facetus Autor, qualis *Lucianus*, in deliciis eſt, idque eo magis, quo pauciores ſunt, qui labores

hujus generis, perquam utiles quidem eos & prorſus neceſſarios, at tædioſos tamen, et invincibilem requirentes patientiam, ſubire audeant, & valeant exantlare. *Reitziorum* Fratrum bene de literis merendi ſtudium abunde jam claruit, laudemque ſuam meretur. Et, ſi qui ſint, qui non omnia putent ab iis præſtita, quæ deſiderari poterant, æquitas tamen dictat, etiam bonam voluntatem amandam & probandam; neque omnes omnibus pares a natura factos eſſe. Autores veteres non ſolos ſibi Criticos flagitant, ſed etiam viros, qui, quamvis non doctos, laborioſos tamen, ut ita dicamus, labores, qualis hic *Reitzianus* eſt, in ſe ſuſcipiant. Index hic pure Græcus eſt, non, ut alii, Græco-Latinus; raro ſparſa quædam habet Latina. Utile inprimis eſt illud inſtitutum, quo ſtuduit Cl. Autor hunc Indicem etiam illis utilem facere, qui noviſſimam editionem *Hemſterhuſio-Geſnerianam* non poſſident. Indicem nempe ſubjecit illi magno, ſeu Lexico, quo exhibuit initia Capitum cujusque libri *Lucianei*, in quæ hunc Autorem κατακερματίζειν placuit curatoribus editionis noviſſimæ Amſtelodamenſis. Melius tamen, noſtro quidem judicio, proceſſiſſet Cl. Autor, ſi, non ſecundum alphabeticum, (ut *Abdicatus*, *Accuſatus*, *Adverſus indoctum*,) ſed eum, ordinem, quo in libris vulgatis ſeſe libri excipiunt, Indicem diſpoſuiſſet. Si quis jam levem illam operam ſubire velit, ex hoc Indice numeros Capitum ſuo, cujuscunque editionis, exemplari adſcribendi, poterit is hoc Indice valde utili, &, quod nulli dubitamus, completo, uti. Indices quoque ſunt præmiſſi duo alii, alter criticus omnium Autorum veterum, quorum lectio in Notis ad *Lucianum* emendatur, vel qui cum elogio allegantur, & quorundam recentiorum, qui laudantur, vel caſtigantur, alter, qui allegationes utriusque ſacri Codicis, in Notis ad *Lucianum* obvias, exhibet. Tandem etiam Cl. *Jo. Friderici Reitzii* legitur brevis defenſio ſui adverſus Autorem recenſionis, noſtris hisce *Novis Actis Eruditorum Anni 1745 Menſe Majo pag. 241 ſeq.* inſertæ, quæ judicium de ejus in *Lucianum* meritis, ut ipſe credit, haud æquum tulit. Ac, de peccatis quidem typographicis in contextu Græco, fatetur, item de minutiis grammaticis & puerilibus; quas tamen in unum collatas non ultra octo paginas completuras dicit, & hoc nomine veniam rogat; fert etiam,

Digitized by Google

iam, ſe moneri de nonnullis; ſed tamen in quibusdam ſibi injuriam factam queritur: tanquam, quod *Brodæi* pueriles notas addiderit, & *Bourdelotii* peccata non reprehenderit: quod *Elſneri* loca Obſ. S. ubi *Lucianum* ad partes vocarit, adjecerit etiam, quamvis levibus in rebus: neque ſe commiſiſſe, ut aut non ſatis æquus *Geſnero*, quia Germanus ſit, aut injurius in *Grævium*, fuiſſe diceretur, cujus notam, in qua, manifeſte per errorem operarum, *ἐκατηγορεῖτο* poſitum eſt, alia nota reprehenderit potius, quam errorem ſuſtulerit. Ad hæc, non eſt, quod quidquam reponamus, iſtaque reprehendere ſi injuria, aut convicium, eſt, veniam rogamus. Unum eſt, de quo reſpondere pauca voluimus. Nempe niquiſſimi fuimus, quod *Solano*, & ipſi, inſultavimus, ut ait, propterea, quod legi voluerint *παρ' ἐλπίδος, præter ſpem*, ipſe autem etiam *πέρα ἐλπίδος*: cum *Solanus* diſerte dicat, ſe legere *παρ' ἐλπίδα*, eique ipſe aſſenſus ſit. Nos autem hoc nuſpiam negavimus. Vidimus enim oculis noſtris. Sed o! viri boni, ſi ſcitis, neque *πέρα ἐλπίδος*, neque *παρὰ ἐλπίδος*, rectum eſſe, ſed contra ſenſum illud, hoc autem contra præcepta grammatica: quare, quæſumus, chartam maculatis, & notas oneratis talibus conjecturis proponendis, & lectorum otio abutimini ſic? Si reperit v. c. *πλοῦτους* dici in plurali poſſe, cur non delegit priorem notam, in qua negaverat? Quid enim lectores emant notas, e quibus diſcant, quid aliquando neſciverit? Nam, qualis defenſio ſit, quod non ſatis temporis ſe habuiſſe dicit, ut poſſet priorem notam delere, nemo non videt.

**EPISTOLA AD VIRUM ERUDITUM, CONYERS MIDDLETON, *Vitæ M. T. Ciceronis ſcriptorem, in qua ex locis ejus Operis quamplurimis, recenſionem Ciceronis Epiſtolarum ad Atticum & Quintum Fratrem deſiderari, oſtenditur: de illarum vero, quæ Ciceronis ad Marcum Brutum, Brutique ad Ciceronem, vulgo feruntur, Epiſtolarum αὐθεντίᾳ nonnulla differuntur. Autore* JAC. TUNSTALL, *Coll. Div. Joan. Cantab. Socio, & Academiæ Oratore. Accedit* JO. CHAPMAN *Diſſertatio chronologica de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus.***

Canta-

Digitized by Google

Cantabrigiæ, apud Guil. Thurlbourn, 1741, 8.
Alph. 1 plag. 3.

De *Middletoni*, V. C. Commentario de Vita *Ciceronis*, diu eſt, quod copioſe in his Annalibus commemoravimus. Is, cum multa bona multasque ſuavitates haberet, avide lectus eſt, inprimis in Anglia. Idem cum veniſſet in *Tunſtalli*, V. C. manus, qui magna cum diligentia aliquamdiu erat in excutiendis emendandisque *Ciceronis* ad *Atticum*, *Q. Fratrem*, & *M. Brutum*, Epiſtolis verſatus; ſtatim ille animadvertit, a *Middletono* quædam vel minus recta pro certis venditata, vel recta nonnunquam perperam intellecta, fuiſſe. Quare, cum ad literarum utilitatem intereſſe putaret, ſi earum ſtudioſi de ea re admonerentur, inſtituit hanc Epiſtolam ſcribere, in qua minus recte tradita ex *Epiſtolis ad Atticum* & *ad Q. Fratrem* convinceret. Quod ille ita perfecit, ut ſimul multa earum Epiſtolarum loca explicaverit, multa etiam emendare tentarit. Quo magis nos gratam rem Lectoribus ſperamus facturos, ſi hujus libri argumentum breviter exponamus, &, ſpeciminibus quibusdam propoſitis, de toto Opere judicandi Lectoribus poteſtatem faciamus. Cum *Nepos* in *Vita Attici* de XVI voluminibus Epiſtolarum *Ciceronis* ad *Atticum* dicat, eas a Conſulatu *Ciceronis* ad extremum uſque tempus miſſas eſſe, easque qui legat, non multum deſideraturum temporum eorum con-
Pag. 3. textam hiſtoriam; id male ita accepit *Middletonus*, ut crederet, nihil tum accidiſſe, cujus non accurata & ampla narratio in illis Epiſtolis reperiretur. Nam primo altius, quam *Nepos* dicit, earum initium repetendum, nempe a quinto ante *Ciceronis* Conſulatum anno; deinde non pertinent ad extremum uſque *Ciceronis* tempus, ſed plus quam integrum annum ante deſinunt; denique intervalla quædam Epiſtolarum ſcribendarum fuere. Nam v. c. circa ipſum *Ciceronis* Conſulatum plus quam triennium totum ſine ulla Epiſtola interceſſit. Neque integram illam, qua *Nepos* uſus eſt, συναγωγὴν ad nos perveniſſe putat *Tunſtallus*, cum in iis, quas habemus, Epiſtolarum ad *Atticum* miſſarum mentio fiat, quarum nulla particula hodie ſupereſt. Sed, quo magis elegantes & plenæ hiſtoria doctrinaque ſunt, quas habe-
5. mus, eo magis perditæ deſiderandæ ſunt. In iis, quas habemus, egregie verſati ſunt *P. Victorius*, *P. Manutius*, *Simeo Boſius*,

ſius, J. G. Grævius, & Cl. Mongaltius, Francogallus. Sed multa tamen reſtant difficilia, corrupta, & perperam mutata. Ejus rei indicium etiam hoc eſt, quod *Middletonus* loca dubia aut non attigit, aut ſæpe male ad partes vocavit. Idque ei hoc magis in Epiſtolis *ad Q. Fr.* accidit, quod in iis viri docti non eadem, ac in illis, diligentia ſunt verſati. Inprimis autem in multos errores *Middletonum* induxit hoc, quod non animadvertit, Epiſtolas ad *Atticum* non eſſe accurate ad ordinem temporis diſpoſitas; (quod tamen non primus *Tunſtallus* vidit, ſed jam *Simeo Boſius* monuit, item *Manutius* & *Popma*, qui etiam primi Libri Epiſtolas eodem prope modo ac *Tunſtallus* digeſſere,) ſed in rerum temporibus definiendis eundem, qui Epiſtolarum eſt, ordinem fecit. Ceterum ex perturbato Epiſtolarum ad *Atticum* ordine colligit *Tunſtallus*, haud ſcimus, an vere, eas Epiſtolas non *Tironem*, ut *Middletonus* putat, ſed *Atticum* ipſum, lucri faciendi ſtudio digeſſiſſe, qui non modo gladiatorum familiis, ſed etiam ſervis literatis & plurimis librariis alendis, quæſtum fecerit. Quodſi *Tiro* eos digeſſiſſet, non dubitat Vir doctus, quin eas ita jam, ut a *Cicerone* datæ erant, diſpoſitas haberemus: quaſi Epiſtolæ ad Familiares a *Tirone* iſto ordine digeſtæ ſint. Neque tamen hoc audet confirmare, nihil in ordine, ab *Attico* facto, mutatum fuiſſe: cum ſæpe una in plures diviſa ſit, plures in unam coaluerint, id quod etiam Epiſtolis ad *Q. Fratrem* accidiſſe putat. His explicatis, Vir doctus ſe ad res *Ciceronianas* ipſas convertit, quæ partim ad rem publicam, partim ad privatam *Ciceronis*, & ejus ſcripta ſententiasque, pertinent; in quibus omnibus demonſtrat luculentis exemplis, *Middletonum* ſubinde erraſſe, cum vel, quod in aliis tamen ipſe merito reprehendit, fideliſſima Epiſtolarum ad *Atticum* & *Q. Fr.* teſtimonia ſubmoverit, vel in iis, optimis per ſe, partim ex ſua brevitate, rerumque ipſarum ingenio, obſcuratis quamplurimum, partim ex vetuſtatis injuria miſere obliteratis, monumentis, aliorum autoritate niti, quam ſuo uti judicio, maluerit. Illud etiam erroribus quibusdam locum feciſſe, quod non meminerit, *Ciceronem* in aliis ſcriptis virum optimum eſſe præſtantiſſimumque civem, in Epiſtolis autem inconſtantiam cupiditatemque ſubinde prodere, eoque fieri, ut

Pag. 15. — 24 ſeq. — 48.

veræ ejus vitæ ſtultitia quædam in tanta ſictæ eloquentiæ pru-
dentia deliteſcat, &, niſi ab attentis Epiſtolarum lectoribus, con-
Pag. 50. ſpici non poſſit. Fefelliſſe eum hanc quoque opinionem, quod
putaret, Orationes *Ciceronis*, etſi veras de rebus philoſophicis
ſententias raro exhibeant, rerum tamen geſtarum, earum certe,
quæ vel in ſenatu, vel ad populum actæ ſint, teſtes certiſſimas
eſſe: cum hæc veteris eloquentiæ vel maxima ars fuerit, ut
non modo vera tacerentur, ſed etiam res, ut cauſæ ſervirentur,
55. vel augerentur, vel minuerentur. Atque hujus oratoriæ οἰκονο-
μίας veſtigia non ſolum in Orationibus, ſed in rhetoricis etiam
philoſophicisque operibus, reperiri, non modo quoad perſo-
narum & ſermonis fictionem, qui mos eſt dialogorum, ſed even-
torum etiam rerumque geſtarum. Μνημονικὰ *Ciceronis* ἁμαρτή-
ματα in hiſtoricis rebus animadvertiſſe multos; ἐντέχνως au-
tem meditateque nonnulla παρὰ τὴν ἱστορίαν poſita eſſe, non
ita eſſe proclive judicare; quod tamen niſi fiat, hiſtoriam ex
*Ciceronis* libris congeri veram non poſſe. Ejus rei quatuor
exempla affert, e quibus hoc unum ponemus, quod *Cicero* in
*Bruti* procœmio dicit, ſibi, e Cilicia decedenti, Rhodum cum
veniſſet, nuntiatam eſſe *Hortenſii* mortem, idque, eo loco ad-
ductus *Middletonus*, poſt alios, verum eſſe judicavit. Sed idem
*Cicero* ad *Att. VI, 6*, e Cilicia ſcribit: *De Hortenſio te certo ſcio
dolere. Equidem excrucior. Decreram enim cum eo valde fa-
miliariter vivere.* Epiſtola ſequente autem ſcribit, *ſe Rhodum
velle.* Dicet aliquis: quare autem aliter ſcripſit, ac res erat?
Nempe ad *Bruti* ſui materiam accommodatiſſimum erat, ut Rho-
di potiſſimum, in nobiliſſimo eloquentiæ emporio, de morte
*Hortenſii*, cujus laudes tantopere in *Bruto* celebrantur, primum
nuntiatum diceret. Hinc jucundiſſimi procœmii occaſio na-
ſcebatur, operæque ab utroque Oratore ſummo, *Cicerone* &
*Hortenſio*, apud unum optimum eloquentiæ magiſtrum *Molo-
nem* Rhodi olim poſitæ ſuaviſſima recordatio. Conf. *Brut. Cap.
90.* Hoc artificium cum non aſſequerentur librarii in *ſecundo de
Legibus Cap. 1*, ubi *Atticus* dicit: *Equidem, qui nunc primum huc
venerim, ſatiari non queo: magnificasque villas, & pavimenta
marmorea, & laqueata tecta, contemno*, cum credere non poſſent,
*Atticum* tum *primum* in illam *Ciceronis* villam veniſſe, neque id
intelli-

Digitized by Google

intelligerent, conſilio ita ſcriptum eſſe, & exquiſita aliqua ratione, ut nempe τοποθεσία Arpini his Dialogis includi poſſet, in qua ſcilicet ſuavitas quædam ineſſet, ad exornandum librum accommodata, repoſuerunt *nunc potiſſimum*; quo totus locus corrumpitur. Nam, ſi *Atticus* inductus eſſet talis, ut jam ſæpe vidiſſet Arpinum, ſane tota illa τοποθεσία aliena fuiſſet & ſcholaſtica. Jam inde a *pag. 66* ad *pag. 192* multis per omnem vitam *Ciceronis* exemplis demonſtratur, quam graviter in multis rerum *Ciceronianarum* partibus a vero aberrarit, eaque omnia ex iis, quas diximus, Epiſtolis repetita ſunt. Nobis hic ſatis erit, huc referre ea, quæ ad *leges Clodias* pertinent, ceteris lectorum diligentiæ relictis. Quatuor leges tulit *Clodius* in initiis tribunatus: primam, ut frumentum populo gratis daretur in poſterum, non, ut e lege Sempronia datum erat antea, ſemiſſibus & trientibus; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceat, de cœlo ſervaret; tertiam, de collegiis reſtituendis, noviſque (*innumerabilibus Cicero* dicit *pro Sext. Cap. 25*) inſtituendis; quartam, ne Cenſores, niſi accuſatum apud ſe, & de communi utriusque ſententia, notarent (*Cicero* dicit *ibid.* ut Cenſoria notio de rep. tolleretur). Sed poſt has leges *Middletonus* putat aliam legem latam ab eo, *ut lex Ælia Fuſia ne valeret, eaque lege in perpetuum ſublatam eſſe legem Æliam Fuſiam*; & deinde ſubtiliter exquirit rationes, quare in republica ejus legis vis aliqua reliqua videatur. Hic *Tunſtallus* recte docet, *Ciceronem* non intellectum eſſe a *Middletono*. Nam ea, ut dicitur, non nova lex fuit, ſed eadem, quam antea loco ſecundo commemoravimus, ſive potius ejus pars. Nam in eadem erat, *ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus faſtis diebus legem ferre liceret, ut lex Ælia, lex Fuſia, ne valeret*. Erroris autem cauſa hæc fuit, quod *Middletonus* non vidit, quæ *Cicero* de legibus *Clodianis* dixit, ea non eſſe ita, uti dicuntur, accipienda, ſed eſſe oratorie aucta. Quis enim credat, *Clodium*, hominem popularem, auſum eſſe lege tollere religionem, auſpicia, obnuntiationem, interceſſionem? Quis credat porro ſublata, cum poſtea valuerint? Poterat autem *Middletonus* ex *Dione Caſſio* diſcere, *Clodium*, cum timeret, ne lex in *Ciceronem* ferenda impedire- Pag. 66.



Digitized by Google

pediretur, tuliſſe, ne quis de cœlo ſervaret per eos dies, quibus neceſſe eſſet, plebem aliquid ſciſcere', hoc eſt, ut per proximos dies comitiales lege Ælia Fuſia ſolutus eſſet. Neque inuſitatum hoc erat, ut aliquis ad tempus ea lege ſolveretur. Nam biennio ante *Lurco trib. pl. ſolutus eſt lege Ælia & Fuſia, ut legem de ambitu ferret, ad Att. I, 16.* Et, cum lex de *Cicerone* revocando ferenda eſſet, Senatusconſultum factum eſt, *ne quis de cœlo ſervaret, ne quis moram ullam afferret.* Ceterum miramur, qui factum ſit, ut *Tunſtallus* ſemper legem *Fuſiam* appellet, cum ſatis conſtet hodie, legem *Fufiam* dicendam eſſe, niſi forte errore operarum ita expreſſum eſt: quod ſi eſt, miramur, quomodo, qui alios errores, tanquam *pag. 32* πολυτελὴν οἰκίαν, in addendis ſuſtulit, non hunc quoque tam frequentem emendarit. Deinde non aſſequimur, quare non modo *Middletonus* inducatur ita diſputans, quaſi unam legem Æliam Fuſiam putarit, ſed ipſe etiam *Tunſtallus* ita loquatur, cum duæ diverſæ leges fuerint. Sed, antequam in argumento libri enarrando progrediamur, illud quoque monendi ſunt lectores, *Tunſtallum*, dum *Middletoni* ſententias ex Epiſtolis *Ciceronis* ad *Atticum* & *Q. Fr.* refellit, multis locis medicinam afferre ſtuduiſſe: quam rem, etſi non negaverimus, ei interdum non adeo infeliciter ceſſiſſe, tamen & illud fatemur, multas atque adeo pleraſque conjecturas nimis a vulgata lectione recedere, multisque dubitationibus obnoxias eſſe; quod pluribus exemplis doceremus, ſi nobis tam longis eſſe liceret, neque alia nobis ex hoc libro narranda reſtarent. Verſatur autem reliqua libri pars in eo, ut oſtendatur, *Epiſtolas* eas, quæ *ad Brutum* ſcriptæ *a Cicerone* putantur, atque *a Bruto ad Ciceronem*, quæque Epiſtolis ad *Quintum Fr.* ſubjici ſolent, ſpurias eſſe, & utri-
Pag. 192. que ab impoſtore quodam ſuppoſitas. In quo Vir doctus non eo ſolum argumento utitur, quo vulgo in hujusmodi cauſa uti ſolent, quodque a dicendi genere abhorrente a *Ciceroniani* elegantia ductum, lubrico illo ſane & ſæpe fallaci, ſed etiam luculentiori & potentiori, quod a rebus ſumitur. Nempe, cum primum ille paulo diligentius legere has Epiſtolas inſtituiſſet, ſta-
194. tim *Ciceronianæ* orationis candorem & copiam deſideravit, eas-
221. que ita dictis ſententiiſque concinnatas animadvertit, ut ex

περιερ-

περιεργίᾳ potius & meditatione ſcholaſtica, quam ex negotiis Pag. 193.
ipſis, vitæque veræ actione, natæ eſſe viderentur. Miratus deinde eſt, qui factum ſit, ut reliquæ Epiſtolæ utriusque mutuæ & ante & poſt ea tempora ſcriptæ, in quæ hæ incidunt, quarumque adeo mentio fit apud veteres, *Plutarchum* inprimis & *Quintilianum*, interierint omnes, hæ remanſerint ſolæ, quæ ad *Atticum* ſcriptarum hiſtoriam producant, & quaſi Epilogi vicem ſuſtineant. His rebus adductus, diligentius 194.
rem excuſſit, in iis Epiſtolis invenit multa & νοήσει abſona, & λέξει inconcinna, multa, ex utraque parte, rerum futurarum mira auguria, narrantis porro *Ciceronis* & conjicientis *Bruti*, & viciſſim, repentinos quosdam mirabilesque concurſus, quod autem maximum eſt, in hiſtoria non ſolum novata atque immutata quamplurima, ſed & nonnulla palam falſa, *Ciceronis* certe veris genuinisque operibus ex adverſo repugnantia. Hæc ille in hoc libro pluribus exequitur, initio facto ab eo, quod ultimo loco poſuerat, & quod eſt rei caput. Digna ſane res eſt, quæ etiam atque etiam conſideretur. Nam, ut non omnia argumenta probamus, quædam tamen ſunt, non contemnenda ſane, digna certe, quæ diligenter a doctis hominibus excutiantur. Hic quidem neque ſpatium, neque ratio, fert, ut omnia argumenta commemoremus & examinemus: inprimis cum adhuc aliquid dicendum videatur de *Jo. Chapmanni*, Viri doctiſſimi, Diſſertatione chronologica, *de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus*, quæ huic libro *Tunſtalliano* ſubjecta eſt. Vulgo quidem horum librorum natales ad annum U. C. 702, e calculo *Pighiano*, & *Servium Sulpicium* & *M. Claudium Marcellum* Conſules, referuntur. Fuere tamen, nominatimque *J. A. Fabricius* & *Morabinus*, Francicus eorum librorum interpres, qui, paulo ante mortem *Ciceronis* ſcriptos, putarent, id eſt, A. U. 710 *Hirtio* & *Panſa* Coſſ. Cl. *Chapmanus* quidem plurimis, iisque egregiis, ut nobis videtur, argumentis contra primam illam ſententiam prolatis, de Legibus libros extremo A. U. 709 ſcriptos eſſe, defendit.

*CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, SERENISS. Saxon. Ducibus a Conſiliis aulicis, in Academia Jenenſi Juris & Hiſtor. Prof. Ordin. &c. Opuſcula, quibus ſe-*

*lectiora Juris publici, feudalis, eccleſiaſtici, Germanici, & Hiſtoriæ patriæ ac literariæ, argumenta exhibentur.*

Jenæ, apud Chriſt. Henr. Cuno, 1745, 8 maj. Alph. 2 plag. 1.

Opuſcula eruditorum minora, ea maxime, quæ vulgo Diſſertationum Academicarum inſigniri nomine ſolent, cum non modo rarius in regiones exteras perferantur, ſed eorum etiam ſæpiſſime manibus excidant, qui propius vivunt, & alias in conquirendis ſcriptis ejusmodi nec operæ parcunt, nec ſumtibus; publico ſane dignus elogio eſt Illuſtris Autor, quod Diſſertationes & Programmata, quæ inde a triginta annis ſeparatim ediderat, uno juncta volumine, hiſtoriarum pariter & Juris publici amatoribus exhibuit. Qua in re ſicuti exemplo præſtantiſſimorum virorum, quos idem laudabiliter feciſſe novimus, incitatum ſe ipſe profitetur Celeberrimus *Buderus*; ita etiam id habet hæc Sylloge præ multis aliis præcipuum, quod omnia ſecundis ſub examen curis vocata, pluribusque hinc inde acceſſionibus locupletata fuerint, addita ſimul, quæ antea lucem non viderat, Oratione inaugurali, bonæ frugis pleniſſima. Largus igitur & exteris, & civibus noſtris, fons patet, ex quo haurire cum voluptate poſſint, quæ ab aliis vel non obſervata, vel non erudite ſatis tractata, & in illuſtribus tamen rerum argumentis obtinent. Quod ut appareat luculentius, vel ſolos Opuſculorum titulos ſubjunxiſſe juvabit, qui non paucos profecto ad ipſam eorundem lectionem allicient. Scilicet primum occupant locum *Vindiciæ juris Imperatorii adverſus Epiſcopos Romanos*; alterum *Diatribe de juramentis Principum eccleſiaſticorum S. R. Germ. Imp.* qua ad finem perducta, occurrit expoſitio *de Feudis ſceptri*, itemque *de Feudis officialium hæreditariorum Procerum & Provinciarum Germaniæ*, quam *de Legationibus obedientiæ Romam miſſis* liber ſingularis excipit. Deinceps *de Canonicatibus Imperat. Augg. Germaniæque Regum ac Præbenda regia* diſſeritur, cui ſcripto ſuccedunt Commentationes *de S. R. I. Vicariorum jure præſentandi ad beneficia eccleſiaſtica*; *de Commiſſario imperiali in cauſis feudalibus*, *ſigillatim ad inveſtituras*;

Digitized by Google

*tatis*; *de Commiſſario Imperiali ad cauſas feudales varias*; *de Feudo jurisdictionis*, & *de Judiciis duodecimviralibus populorum ſeptentrionalium ac Germaniæ*. Poſt Oratio conſpicitur, notis literariis inſtructa, *de inſtauratione ſtudii hiſtoriarum patriæ Friderico III & Maximiliano I Augg. imperantibus*, quam indixerat Programmate ſolenni *de Friderico III Electore Saxon. ſtudiorum hiſtoricorum patrono ac propagatore*. Huic vero Illuſtris Autor comites dedit partim Programmata alia, partim Diſſertationes epiſtolares, *de fatis doctrinæ Juris publici in Academiis maxime Germaniæ*; *de Bibliothecis legatis*; *de Bibliotheca diplomatica*; *de jure manus mortuæ*; *de compendiis fiſci regii & cameræ apud Germanos*; *de verbi Reich*, *terrulis adſcripti*, *ſignificatione*, ac tandem *de Sigilliferis Epiſcoporum*, *cumprimis Germaniæ*. Lætentur nunc hiſce politiſſimi ingenii monumentis Themidos elegantioris cultores, &, ne ſolus hic *Tomus* maneat, optent reipublicæ literariæ cauſa, quæ tanto plures *Budero*, de ſe optime merito, honores decernit & laudes, quantò magis ſpectata Viri modeſtia omnes deprecatur.

## LECONS DE PHYSIQUE EXPERIMENTALE, &c.

hoc eſt,

## *LECTIONES PHYSICÆ EXPERIMENTALIS, Autore Abbate NOLLET, Academiæ Scientiarum Pariſienſis, & Societatis Regiæ Londinenſis, Socio.*

## *Tomus II & III.*

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1746, 12 maj.

Tom. II plag. 21 Tab. 20, Tom. III plag. 22 Tab. 19.

Pergimus in recenſione elegantiſſimi Curſus Phyſicæ experimentalis, a doctiſſimo *Nolleto* edi cœpti. Totam inſtituti rationem, methodumque, qua in eo exequendo verſatus eſt, nuper, cum de *Tomo primo* verba faceremus, expoſuimus. Exorſus eſt ibi doctrinam de motu, atque hujus eam partem, quæ de motu ſimplici agit, abſolvit. *Motus* itaque *compoſiti*, *atque virium centralium*, *conſideratio* initium *Tomi ſecundi*, & quidem *Lectionem* V, conſtituit. Poſt explicatam hujusmodi motus naturam, variæ ſiſtuntur

hujus generis, perquam utiles quidem eos & prorſus neceſſarios, at tædioſos tamen, et invincibilem requirentes patientiam, ſubire audeant, & valeant exantlare. *Reitziorum* Fratrum bene de literis merendi ſtudium abunde jam claruit, laudemque ſuam meretur. Et, ſi qui ſint, qui non omnia putent ab iis præſtita, quæ deſiderari poterant, æquitas tamen dictat, etiam bonam voluntatem amandam & probandam; neque omnes omnibus pares a natura factos eſſe. Autores veteres non ſolos ſibi Criticos flagitant, ſed etiam viros, qui, quamvis non doctos, laborioſos tamen, ut ita dicamus, labores, qualis hic *Reitzianus* eſt, in ſe ſuſcipiant. Index hic pure Græcus eſt, non, ut alii, Græco-Latinus; raro ſparſa quædam habet Latina. Utile inprimis eſt illud inſtitutum, quo ſtuduit Cl. Autor hunc Indicem etiam illis utilem facere, qui noviſſimam editionem *Hemſterhuſio-Geſnerianam* non poſſident. Indicem nempe ſubjecit illi magno, ſeu Lexico, quo exhibuit initia Capitum cujusque libri *Lucianei*, in quæ hunc Autorem κατακερματίζειν placuit curatoribus editionis noviſſimæ Amſtelodamenſis. Melius tamen, noſtro quidem judicio, proceſſiſſet Cl. Autor, ſi, non ſecundum alphabeticum, (ut *Abdicatus*, *Accuſatus*, *Adverſus indoctum*,) ſed eum, ordinem, quo in libris vulgatis ſeſe libri excipiunt, Indicem diſpoſuiſſet. Si quis jam levem illam operam ſubire velit, ex hoc Indice numeros Capitum ſuo, cujuscunque editionis, exemplari adſcribendi, poterit is hoc Indice valde utili, &, quod nulli dubitamus, completo, uti. Indices quoque ſunt præmiſſi duo alii, alter criticus omnium Autorum veterum, quorum lectio in Notis ad *Lucianum* emendatur, vel qui cum elogio allegantur, & quorundam recentiorum, qui laudantur, vel caſtigantur, alter, qui allegationes utriusque ſacri Codicis, in Notis ad *Lucianum* obvias, exhibet. Tandem etiam Cl. *Jo. Friderici Reitzii* legitur brevis defenſio ſui adverſus Autorem recenſionis, noſtris hiſce *Novis Actis Eruditorum Anni 1745 Menſe Majo pag. 241 ſeq.* inſertæ, quæ judicium de ejus in *Lucianum* meritis, ut ipſe credit, haud æquum tulit. Ac, de peccatis quidem typographicis in contextu Græco, fatetur, item de minutiis grammaticis & puerilibus; quas tamen in unum collatas non ultra octo paginas completuras dicit, & hoc nomine veniam rogat; fert etiam,

Digitized by Google

iam, ſe moneri de nonnullis; ſed tamen in quibusdam ſibi injuriam factam queritur: tanquam, quod *Brodæi* pueriles notas addiderit, & *Bourdelotii* peccata non reprehenderit: quod *Elſneri* loca Obſ. S. ubi *Lucianum* ad partes vocarit, adjecerit etiam, quamvis levibus in rebus: neque ſe commiſiſſe, ut aut non ſatis æquus *Geſnero*, quia Germanus ſit, aut injurius in *Grævium*, fuiſſe diceretur, cujus notam, in qua, manifeſte per errorem operarum, ἐκατηγορεῖτο poſitum eſt, alia nota reprehenderit potius, quam errorem ſuſtulerit. Ad hæc, non eſt, quod quidquam reponamus, iſtaque reprehendere ſi injuria, aut convicium, eſt, veniam rogamus. Unum eſt, de quo reſpondere pauca voluimus. Nempe niquiſſimi fuimus, quod *Solano*, & ipſi, inſultavimus, ut ait, propterea, quod legi voluerint παρ᾽ ἐλπίδος, *præter ſpem*, ipſe autem etiam πέρα ἐλπίδος: cum *Solanus* diſerte dicat, ſe legere παρ᾽ ἐλπίδα, eique ipſe aſſenſus ſit. Nos autem hoc nuſpiam negavimus. Vidimus enim oculis noſtris. Sed o! viri boni, ſi ſcitis, neque πέρα ἐλπίδος, neque παρὰ ἐλπίδος, rectum eſſe, ſed contra ſenſum illud, hoc autem contra præcepta grammatica: quare, quæſumus, chartam maculatis, & notas oneratis talibus conjecturis proponendis, & lectorum otio abutimini ſic? Si reperit v. c πλοῦτος dici in plurali poſſe, cur non delegit priorem notam. in qua negaverat? Quid enim lectores emant notas, e quibus diſcant, quid aliquando neſciverit? Nam, qualis defenſio ſit, quod non ſatis temporis ſe habuiſſe dicit, ut poſſet priorem notam delere, nemo non videt.

***EPISTOLA AD VIRUM ERUDITUM, CONYERS MIDDLETON, Vitæ M. T. Ciceronis ſcriptorem, in qua ex locis ejus Operis quamplurimis, recenſionem Ciceronis Epiſtolarum ad Atticum & Quintum Fratrem deſiderari, oſtenditur: de illarum vero, quæ Ciceronis ad Marcum Brutum, Brutique ad Ciceronem, vulgo feruntur, Epiſtolarum αὐθεντίᾳ nonnulla diſſeruntur. Autore JAC. TUNSTALL, Coll. Div. Joan. Cantab. Socio, & Academiæ Oratore. Accedit JO. CHAPMAN Diſſertatio chronologica de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus.***

Canta-

hujus generis, perquam utiles quidem eos & prorſus neceſſarios, at tædioſos tamen, et invincibilem requirentes patientiam, ſubire audeant, & valeant exantlare. *Reitziorum* Fratrum bene de literis merendi ſtudium abunde jam claruit, laudemque ſuam meretur. Et, ſi qui ſint, qui non omnia putent ab iis præſtita, quæ deſiderari poterant, æquitas tamen dictat, etiam bonam voluntatem amandam & probandam; neque omnes omnibus pares a natura factos eſſe. Autores veteres non ſolos ſibi Criticos flagitant, ſed etiam viros, qui, quàmvis non doctos, laborioſos tamen, ut ita dicamus, labores, qualis hic *Reitzianus* eſt, in ſe ſuſcipiant. Index hic pure Græcus eſt, non, ut alii, Græco-Latinus; raro ſparſa quædam habet Latina. Utile inprimis eſt illud inſtitutum, quo ſtuduit Cl. Autor hunc Indicem etiam illis utilem facere, qui noviſſimam editionem *Hemſterhuſio-Geſnerianam* non poſſident. Indicem nempe ſubjecit illi magno, ſeu Lexico, quo exhibuit initia Capitum cujusque libri *Lucianei*, in quæ hunc Autorem *κατακερματίζειν* placuit curatoribus editionis noviſſimæ Amſtelodamenſis. Melius tamen, noſtro quidem judicio, proceſſiſſet Cl. Autor, ſi, non ſecundum alphabeticum, (ut *Abdicatus*, *Accuſatus*, *Adverſus indoctum*,) ſed eum, ordinem, quo in libris vulgatis ſeſe libri excipiunt, Indicem diſpoſuiſſet. Si quis jam levem illam operam ſubire velit, ex hoc Indice numeros Capitum ſuo, cujuscunque editionis, exemplari adſcribendi, poterit is hoc Indice valde utili, &, quod nulli dubitamus, completo, uti. Indices quoque ſunt præmiſſi duo alii, alter criticus omnium Autorum veterum, quorum lectio in Notis ad *Lucianum* emendatur, vel qui cum elogio allegantur, & quorundam recentiorum, qui laudantur, vel caſtigantur, alter, qui allegationes utriusque ſacri Codicis, in Notis ad *Lucianum* obvias, exhibet. Tandem etiam Cl. *Jo. Friderici Reitzii* legitur brevis defenſio ſui adverſus Autorem recenſionis, noſtris hiſce *Novis Actis Eruditorum Anni 1745 Menſe Majo pag. 241 ſeq.* inſertæ, quæ judicium de ejus in *Lucianum* meritis, ut ipſe credit, haud æquum tulit. Ac, de peccatis quidem typographicis in contextu Græco, fatetur, item de minutiis grammaticis & puerilibus; quas tamen in unum collatas non ultra octo paginas completuras dicit, & hoc nomine veniam rogat; fert etiam,

Digitized by Google

iam, ſe moneri de nonnullis; ſed tamen in quibusdam ſibi injuriam factam queritur: tanquam, quod *Brodæi* pueriles notas addiderit, & *Bourdelotii* peccata non reprehenderit: quod *Elſneri* loca Obſ. S. ubi *Lucianum* ad partes vocarit, adjecerit etiam, quamvis levibus in rebus: neque ſe commiſiſſe, ut aut non ſatis æquus *Geſnero*, quia Germanus ſit, aut injurius in *Grævium*, fuiſſe diceretur, cujus notam, in qua, manifeſte per errorem operarum, ἐκατηγορεῖτο poſitum eſt, alia nota reprehenderit potius, quam errorem ſuſtulerit. Ad hæc, non eſt, quod quidquam reponamus, iſtaque reprehendere ſi injuria, aut convicium, eſt, veniam rogamus. Unum eſt, de quo reſpondere pauca voluimus. Nempe niquiſſimi fuimus, quod *Solano*, & ipſi, inſultavimus, ut ait, propterea, quod legi voluerint παρ' ἐλπίδος, *præter ſpem*, ipſe autem etiam πέρα ἐλπίδος: cum *Solanus* diſerte dicat, ſe legere παρ' ἐλπίδα, eique ipſe aſſenſus ſit. Nos autem hoc nuſpiam negavimus. Vidimus enim oculis noſtris. Sed o! viri boni, ſi ſcitis, neque πέρα ἐλπίδος, neque παρὰ ἐλπίδος, rectum eſſe, ſed contra ſenſum illud, hoc autem contra præcepta grammatica: quare, quæſumus, chartam maculatis, & notas oneratis talibus conjecturis proponendis, & lectorum otio abutimini ſic? Si reperit v. c. πλοῦτος dici in plurali poſſe, cur non delegit priorem notam, in qua negaverat? Quid enim lectores emant notas, e quibus diſcant, quid aliquando neſciverit? Nam, qualis defenſio ſit, quod non ſatis temporis ſe habuiſſe dicit, ut poſſet priorem notam delere, nemo non videt.

## *EPISTOLA AD VIRUM ERUDITUM, CONYERS MIDDLETON, Vitæ M. T. Ciceronis ſcriptorem, in qua ex locis ejus Operis quamplurimis, recenſionem Ciceronis Epiſtolarum ad Atticum & Quintum Fratrem deſiderari, oſtenditur: de illarum vero, quæ Ciceronis ad Marcum Brutum, Brutique ad Ciceronem, vulgo feruntur, Epiſtolarum αὐθεντίᾳ nonnulla diſſeruntur. Autore JAC. TUNSTALL, Coll. Div. Joan. Cantab. Socio, & Academiæ Oratore. Accedit JO. CHAPMAN Diſſertatio chronologica de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus.*

Canta-

Cantabrigiæ, apud Guil. Thurlbourn, 1741, 8.
Alph. 1 plag. 3.

De *Middletoni*, V. C. Commentario de Vita *Ciceronis*, diu eſt, quod copioſe in his Annalibus commemoravimus. Is, cum multa bona multasque ſuavitates haberet, avide lectus eſt, inprimis in Anglia. Idem cum veniſſet in *Tunſtalli*, V. C. manus, qui magna cum diligentia aliquamdiu erat in excutiendis emendandisque *Ciceronis* ad *Atticum*, *Q. Fratrem*, & *M. Brutum*, Epiſtolis verſatus; ſtatim ille animadvertit, a *Middletono* quædam vel minus recta pro certis venditata, vel recta nonnunquam perperam intellecta, fuiſſe. Quare, cum ad literarum utilitatem intereſſe putaret, ſi earum ſtudioſi de ea re admonerentur, inſtituit hanc Epiſtolam ſcribere, in qua minus recte tradita ex *Epiſtolis ad Atticum* & *ad Q. Fratrem* convinceret. Quod ille ita perfecit, ut ſimul multa earum Epiſtolarum loca explicaverit, multa etiam emendare tentarit. Quo magis nos gratam rem Lectoribus ſperamus facturos, ſi hujus libri argumentum breviter exponamus, &, ſpeciminibus quibusdam propoſitis, de toto Opere judicandi Lectoribus poteſtatem faciamus. Cum *Nepos* in *Vita Attici* de XVI voluminibus Epiſtolarum *Ciceronis* ad *Atticum* dicat, eas a Conſulatu *Ciceronis* ad extremum uſque tempus miſſas eſſe, easque qui legat, non multum deſideraturum temporum eorum con-
Pag. 3. textam hiſtoriam; id male ita accepit *Middletonus*, ut crederet, nihil tum accidiſſe, cujus non accurata & ampla narratio in illis Epiſtolis reperiretur. Nam primo altius, quam *Nepos* dicit, earum initium repetendum, nempe a quinto ante *Ciceronis* Conſulatum anno; deinde non pertinent ad extremum uſque *Ciceronis* tempus, ſed plus quam integrum annum ante deſinunt; denique intervalla quædam Epiſtolarum ſcribendarum fuere. Nam v. c. circa ipſum *Ciceronis* Conſulatum plus quam triennium totum ſine ulla Epiſtola interceſſit. Neque integram illam, qua *Nepos* uſus eſt, συναγωγὴν ad nos perveniſſe putat *Tunſtallus*, cum in iis, quas habemus, Epiſtolarum ad *Atticum* miſſarum mentio fiat, quarum nulla particula hodie ſupereſt. Sed, quo magis elegantes & plenæ hiſtoria doctrinaque ſunt, quas habe-
5. mus, eo magis perditæ deſiderandæ ſunt. In iis, quas habemus, egregie verſati ſunt *P. Victorius*, *P. Manutius*, *Simeo Bo-*

*ſius*,

Digitized by Google

*ſius*, *J. G. Grævius*, & *Cl. Mongaltius*, Francogallus. Sed mul-
ta tamen reſtant difficilia, corrupta, & perperam mutata. Ejus
rei indicium etiam hoc eſt, quod *Middletonus* loca dubia aut
non attigit, aut ſæpe male ad partes vocavit. Idque ei hoc
magis in Epiſtolis *ad Q. Fr.* accidit, quod in iis viri docti
non eadem, ac in illis, diligentia ſunt verſati. Inprimis autem
in multos errores *Middletonum* induxit hoc, quod non ani-
madvertit, Epiſtolas ad *Atticum* non eſſe accurate ad ordinem
temporis diſpoſitas; (quod tamen non primus *Tunſtallus* vidit,
ſed jam *Simeo Boſius* monuit, item *Manutius* & *Popma*, qui et-
iam primi Libri Epiſtolas eodem prope modo ac *Tunſtallus* di-
geſſere,) ſed in rerum temporibus definiendis eundem, qui Epi-
ſtolarum eſt, ordinem fecit. Ceterum ex perturbato Epiſtola- Pag. 15.
rum ad *Atticum* ordine colligit *Tunſtallus*, haud ſcimus, an ve-
re, eas Epiſtolas non *Tironem*, ut *Middletonus* putat, ſed *Atti-
cum* ipſum, lucri faciendi ſtudio digeſſiſſe, qui non modo gla-
diatorum familiis, ſed etiam ſervis literatis & plurimis libra-
riis alendis, quæſtum fecerit. Quodſi *Tiro* eos digeſſiſſet,
non dubitat Vir doctus, quin eas ita jam, ut a *Cicerone* datæ
erant, diſpoſitas haberemus: quaſi Epiſtolæ ad Familiares a *Tirone*
iſto ordine digeſtæ ſint. Neque tamen hoc audet confirmare,
nihil in ordine, ab *Attico* facto, mutatum fuiſſe: cum ſæpe
una in plures diviſa ſit, plures in unam coaluerint, id quod
etiam Epiſtolis ad *Q. Fratrem* accidiſſe putat. His explicatis, 24 ſeq.
Vir doctus ſe ad res *Ciceronianas* ipſas convertit, quæ partim ad
rem publicam, partim ad privatam *Ciceronis*, & ejus ſcripta ſen-
tentiasque, pertinent; in quibus omnibus demonſtrat luculentis
exemplis, *Middletonum* ſubinde erraſſe, cum vel, quod in aliis
tamen ipſe merito reprehendit, fideliſſima Epiſtolarum ad *At-
ticum* & *Q. Fr.* teſtimonia ſubmoverit, vel in iis, optimis per
ſe, partim ex ſua brevitate, rerumque ipſarum ingenio, obſcu-
ratis quamplurimum, partim ex vetuſtatis injuria miſere obli-
teratis, monumentis, aliorum autoritate niti, quam ſuo uti ju-
dicio, maluerit. Illud etiam erroribus quibusdam locum fe- 48.
ciſſe, quod non meminerit, *Ciceronem* in aliis ſcriptis virum
optimum eſſe præſtantiſſimumque civem, in Epiſtolis autem
inconſtantiam cupiditatemque ſubinde prodere, eoque fieri, ut

veræ ejus vitæ ſtultitia quædam in tanta ficta eloquentiæ prudentia deliteſcat, &, niſi ab attentis Epiſtolarum lectoribus, con-
Pag. 50. ſpici non poſſit. Fefelliſſe eum hanc quoque opinionem, quod putaret, Orationes *Ciceronis*, etſi veras de rebus philoſophicis ſententias raro exhibeant, rerum tamen geſtarum, earum certe, quæ vel in ſenatu, vel ad populum, actæ ſint, teſtes certiſſimas eſſe: cum hæc veteris eloquentiæ vel maxima ars fuerit, ut non modo vera tacerentur, ſed etiam res, ut cauſæ ſervirentur,
55. vel augerentur, vel minuerentur. Atque hujus oratoriæ οἰκονομίας veſtigia non ſolum in Orationibus, ſed in rhetoricis etiam philoſophicisque operibus, reperiri, non modo quoad perſonarum & ſermonis fictionem, qui mos eſt dialogorum, ſed eventorum etiam rerumque geſtarum. Μνημονικὰ *Ciceronis* ἁμαρτήματα in hiſtoricis rebus animadvertiſſe multos; ἐντέχνως autem meditateque nonnulla παρὰ τὴν ἱστορίαν poſita eſſe, non ita eſſe proclive judicare; quod tamen niſi fiat, hiſtoriam ex *Ciceronis* libris congeri veram non poſſe. Ejus rei quatuor exempla affert, e quibus hoc unum ponemus, quod *Cicero* in *Bruti* procemio dicit, ſibi, e Cilicia decedenti, Rhodum cum veniſſet, nuntiatam eſſe *Hortenſii* mortem, idque, eo loco adductus *Middletonus*, poſt alios, verum eſſe judicavit. Sed idem *Cicero* ad *Att. VI, 6*, e Cilicia ſcribit: *De Hortenſio te certo ſcio dolere. Equidem excrucior. Decreram enim cum eo valde familiariter vivere.* Epiſtola ſequente autem ſcribit, *ſe Rhodum velle.* Dicet aliquis: quare autem aliter ſcripſit, ac res erat? Nempe ad *Bruti* ſui materiam accommodatiſſimum erat, ut Rhodi potiſſimum, in nobiliſſimo eloquentiæ emporio, de morte *Hortenſii*, cujus laudes tantopere in *Bruto* celebrantur, primum nuntiatum diceret. Hinc jucundiſſimi procemii occaſio naſcebatur, operæque ab utroque Oratore ſummo, *Cicerone* & *Hortenſio*, apud unum optimum eloquentiæ magiſtrum *Molonem* Rhodi olim poſitæ ſuaviſſima recordatio. Conf. *Brut. Cap. 90.* Hoc artificium cum non aſſequerentur librarii in *ſecundo de Legibus Cap. 1*, ubi *Atticus* dicit: *Equidem, qui nunc primum huc venerim, ſatiari non queo: magnificasque villas, & pavimenta marmorea, & laqueata tecta, contemno*, cum credere non poſſent, *Atticum* tum *primum* in illam *Ciceronis* villam veniſſe, neque id intelli-

intelligerent, conſilio ita ſcriptum eſſe, & exquiſita aliqua ratione, ut nempe τοποθεσία Arpini his Dialogis includi poſſet, in qua ſcilicet ſuavitas quædam ineſſet, ad exornandum librum accommodata, repoſuerunt *nunc potiſſimum*; quo totus locus corrumpitur. Nam, ſi *Atticus* inductus eſſet talis, ut jam ſæpe vidiſſet Arpinum, ſane tota illa τοποθεσία aliena fuiſſet & ſcholaſtica. Jam inde a *pag.* 66 ad *pag.* 192 multis per omnem vitam *Ciceronis* exemplis demonſtratur, quam graviter in multis rerum *Ciceronianarum* partibus a vero aberrarit, eaque omnia ex iis, quas diximus, Epiſtolis repetita ſunt. Nobis hic ſatis erit, huc referre ea, quæ ad *leges* Pag. 66. *Clodias* pertinent, ceteris lectorum diligentiæ relictis. Quatuor leges tulit *Clodius* in initiis tribunatus: primam, ut frumentum populo gratis daretur in poſterum, non, ut e lege Sempronia datum erat antea, ſemiſſibus & trientibus; alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceat, de cœlo ſervaret; tertiam, de collegiis reſtituendis, novisque (*innumerabilibus Cicero* dicit *pro Sext. Cap.* 25) inſtituendis; quartam, ne Cenſores, niſi accuſatum apud ſe, & de communi utriusque ſententia, notarent (*Cicero* dicit *ibid.* ut Cenſoria notio de rep. tolleretur). Sed poſt has leges *Middletonus* putat aliam legem latam ab eo, *ut lex Ælia Fuſia ne valeret, eaque lege in perpetuum ſublatam eſſe legem Æliam Fuſiam*; & deinde ſubtiliter exquirit rationes, quare in republica ejus legis vis aliqua reliqua videatur. Hic *Tunſtallus* recte docet, *Ciceronem* non intellectum eſſe a *Middletono*. Nam ea, ut dicitur, non nova lex fuit, ſed eadem, quam antea loco ſecundo commemoravimus, ſive potius ejus pars. Nam in eadem erat, *ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus faſtis diebus legem ferre liceret, ut lex Ælia, lex Fuſia, ne valeret.* Erroris autem cauſa hæc fuit, quod *Middletonus* non vidit, quæ *Cicero* de legibus *Clodianis* dixit, ea non eſſe ita, uti dicuntur, accipienda, ſed eſſe oratorie aucta. Quis enim credat, *Clodium*, hominem popularem, auſum eſſe lege tollere religionem, auſpicia, obnuntiationem, intercesſionem? Quis credat porro ſublata, cum poſtea valuerint? Poterat autem *Middletonus* ex *Dione Caſſio* diſcere, *Clodium*, cum timeret, ne lex in *Ciceronem* ferenda impedire-

pediretur, tuliſſe, ne quis de cœlo ſervaret per eos dies, quibus neceſſe eſſet, plebem aliquid ſciſcere, hoc eſt, ut per proximos dies comitiales lege Ælia Fuſia ſolutus eſſet. Neque inuſitatum hoc erat, ut aliquis ad tempus ea lege ſolveretur. Nam biennio ante *Lurco trib. pl. ſolutus eſt lege Ælia & Fuſia, ut legem de ambitu ferret, ad Att. I, 16.* Et, cum lex de *Cicerone* revocando ferenda eſſet, Senatusconſultum factum eſt, *ne quis de cælo ſervaret, ne quis moram ullam afferret.* Ceterum miramur, qui factum ſit, ut *Tunſtallus* ſemper legem *Fuſiam* appellet, cum ſatis conſtet hodie, legem *Fuſiam* dicendam eſſe, niſi forte errore operarum ita expreſſum eſt: quod ſi eſt, miramur, quomodo, qui alios errores, tanquam *pag. 32* πολυτελὴν οἰκίαν, in addendis ſuſtulit, non hunc quoque tam frequentem emendarit. Deinde non aſſequimur, quare non modo *Middletonus* inducatur ita diſputans, quaſi unam legem Æliam Fuſiam putarit, ſed ipſe etiam *Tunſtallus* ita loquatur, cum duæ diverſæ leges fuerint. Sed, antequam in argumento libri enarrando progrediamur, illud quoque monendi ſunt lectores, *Tunſtallum*, dum *Middletoni* ſententias ex Epiſtolis *Ciceronis* ad *Atticum* & *Q. Fr.* refellit, multis locis medicinam afferre ſtuduiſſe: quam rem, etſi non negaverimus, ei interdum non adeo infeliciter ceſſiſſe, tamen & illud fatemur, multas atque adeo pleraſque conjecturas nimis a vulgata lectione recedere, multiſque dubitationibus obnoxias eſſe; quod pluribus exemplis doceremus, ſi nobis tam longis eſſe liceret, neque alia nobis ex hoc libro narranda reſtarent. Verſatur autem reliqua libri pars in eo, ut oſtendatur, *Epiſtolas* eas, quæ *ad Brutum* ſcriptæ *a Cicerone* putantur, atque *a Bruto ad Ciceronem*, quæque Epiſtolis ad *Quintum Fr.* ſubjici ſolent, ſpurias eſſe, & utri-
Pag. 192. que ab impoſtore quodam ſuppoſitas. In quo Vir doctus non eo ſolum argumento utitur, quo vulgo in hujusmodi cauſa uti ſolent, quodque a dicendi genere abhorrente a *Ciceroniani* elegantia ductum, lubrico illo ſane & ſæpe fallaci, ſed etiam luculentiori & potentiori, quod a rebus ſumitur. Nempe, cum primum ille paulo diligentius legere has Epiſtolas inſtituiſſet, ſta-
194. tim *Ciceronianæ* orationis candorem & copiam deſideravit, eas-
221. que ita dictis ſententiiſque concinnatas animadvertit, ut ex

περιερ-

περιεργίᾳ potius & meditatione ſcholaſtica, quam ex negotiis Pag. 193.
ipſis, vitæque veræ actione, natæ eſſe viderentur. Miratus deinde eſt, qui factum ſit, ut reliquæ Epiſtolæ utriusque mutuæ & ante & poſt ea tempora ſcriptæ, in quæ hæ incidunt, quarumque adeo mentio fit apud veteres, *Plutarchum* inprimis & *Quintilianum*, interierint omnes, hæ remanſerint ſolæ, quæ ad *Atticum* ſcriptarum hiſtoriam producant, & quaſi
Epilogi vicem ſuſtineant. His rebus adductus, diligentius 194.
rem excuſſit, in iis Epiſtolis invenit multa & νοήσει abſona, & λέξει inconcinna, multa, ex utraque parte, rerum futurarum mira auguria, narrantis porro *Ciceronis* & conjicientis *Bruti*, & viciſſim, repentinos quosdam mirabilesque concurſus, quod autem maximum eſt, in hiſtoria non ſolum novata atque immutata quamplurima, ſed & nonnulla palam falſa, *Ciceronis* certe veris genuinisque operibus ex adverſo repugnantia. Hæc ille in hoc libro pluribus exequitur, initio facto ab eo, quod ultimo loco poſuerat, & quod eſt rei caput. Digna ſane res eſt, quæ etiam atque etiam conſideretur. Nam, ut non omnia argumenta probamus, quædam tamen ſunt, non contemnenda ſane, digna certe, quæ diligenter a doctis hominibus excutiantur. Hic quidem neque ſpatium, neque ratio, fert, ut omnia argumenta commemoremus & examinemus: inprimis cum adhuc aliquid dicendum videatur de *Jo. Chapmanni*, Viri doctiſſimi, Diſſertatione chronologica, *de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus*, quæ huic libro *Tunſtalliano* ſubjecta eſt. Vulgo quidem horum librorum natales ad annum U. C. 702, e calculo *Pighiano*, & *Servium Sulpicium* & *M. Claudium Marcellum* Conſules, referuntur. Fuere tamen, nominatImque *J. A. Fabricius* & *Morabinus*, Francicus eorum librorum interpres, qui, paulo ante mortem *Ciceronis* ſcriptos, putarent, id eſt, A. U. 710 *Hirtio* & *Panſa* Coſſ. Cl. *Chapmanus* quidem plurimis, iisque egregiis, ut nobis videtur, argumentis contra primam illam ſententiam prolatis, de Legibus libros extremo A. U. 709 ſcriptos eſſe, defendit.

*CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, SERENISS. Saxon. Ducibus a Conſiliis aulicis, in Academia Jenenſi Juris & Hiſtor. Prof. Ordin. &c. Opuſcula, quibus ſe-*

 *lectiora*

Digitized by Google

*lectiora Juris publici, feudalis, eccleſiaſtici, Germanici, & Hiſtoriæ patriæ ac literariæ, argumenta exhibentur.*

Jenæ, apud Chriſt. Henr. Cuno, 1745, 8 maj.
Alph. 2 plag. 1.

Opuſcula eruditorum minora, ea maxime, quæ vulgo Diſſertationum Academicarum inſigniri nomine ſolent, cum non modo rarius in regiones exteras perferantur, ſed eorum etiam ſæpiſſime manibus excidant, qui propius vivunt, & alias in conquirendis ſcriptis ejusmodi nec operæ parcunt, nec ſumtibus; publico ſane dignus elogio eſt Illuſtris Autor, quod Diſſertationes & Programmata, quæ inde a triginta annis ſeparatim ediderat, uno juncta volumine, hiſtoriarum pariter & Juris publici amatoribus exhibuit. Qua in re ſicuti exemplo præſtantiſſimorum virorum, quos idem laudabiliter feciſſe novimus, incitatum ſe ipſe profitetur Celeberrimus *Buderus*; ita etiam id habet hæc Sylloge præ multis aliis præcipuum, quod omnia ſecundis ſub examen curis vocata, pluribusque hinc inde acceſſionibus locupletata fuerint, addita ſimul, quæ antea lucem non viderat, Oratione inaugurali, bonæ frugis pleniſſima. Largus igitur & exteris, & civibus noſtris, fons patet, ex quo haurire cum voluptate poſſint, quæ ab aliis vel non obſervata, vel non erudite ſatis tractata, & in illuſtribus tamen rerum argumentis obtinent. Quod ut appareat luculentius, vel ſolos Opuſculorum titulos ſubjunxiſſe juvabit, qui non paucos profecto ad ipſam eorundem lectionem allicient. Scilicet primum occupant locum *Vindiciæ juris Imperatorii adverſus Epiſcopos Romanos*; alterum *Diatribe de juramentis Principum eccleſiaſticorum S. R. Germ. Imp.* qua ad finem perducta, occurrit expoſitio *de Feudis ſceptri*, itemque *de Feudis officialium hæreditariorum Procerum & Provinciarum Germaniæ*, quam *de Legationibus obedientiæ Romam miſſis* liber ſingularis excipit. Deinceps *de Canonicatibus Imperat. Augg. Germaniæque Regum ac Præbenda regia* diſſeritur, cui ſcripto ſuccedunt Commentationes *de S. R. I. Vicariorum jure præſentandi ad beneficia eccleſiaſtica*; *de Commiſſario imperiali in cauſis feudalibus, ſigillatim ad inveſtituras*;

Digitized by Google

*ſuras*; *de Commiſſario Imperiali ad cauſas feudales varias*; *de Feudo jurisdictionis*, & *de Judiciis duodecimviralibus populorum ſeptentrionalium ac Germaniæ.* Poſt Oratio conſpicitur, notis literariis inſtructa, *de inſtauratione ſtudii hiſtoriarum patriæ Friderico III & Maximiliano I Augg. imperantibus*, quam indixerat Programmate ſolenni *de Friderico III Electore Saxon. ſtudiorum hiſtoricorum patrono ac propagatore.* Huic vero Illuſtris Autor comites dedit partim Programmata alia, partim Diſſertationes epiſtolares, *de fatis doctrinæ Juris publici in Academiis maxime Germaniæ*; *de Bibliothecis legatis*; *de Bibliotheca diplomatica*; *de jure manus mortuæ*; *de compendiis fiſci regii & cameræ apud Germanos*; *de verbi Reich, terrulis adſcripti, ſignificatione*, ac tandem *de Sigilliferis Epiſcoporum, cumprimis Germaniæ.* Lætentur nunc hiſce politiſſimi ingenii monumentis Themidos elegantioris cultores, &, ne ſolus hic *Tomus* maneat, optent reipublicæ literariæ cauſa, quæ tanto plures *Budero*, de ſe optime merito, honores decernit & laudes, quanto magis ſpectata Viri modeſtia omnes deprecatur.

## LEÇONS DE PHYSIQUE EXPERIMENTALE, &c.
hoc eſt,
## *LECTIONES PHYSICÆ EXPERIMENTALIS, Autore Abbate NOLLET, Academiæ Scientiarum Pariſienſis, & Societatis Regiæ Londinenſis, Socio.*
## *Tomus II & III.*

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1746, 12 maj.
Tom. II plag. 21 Tab. 20, Tom. III plag. 22 Tab. 19.

Pergimus in recenſione elegantiſſimi Curſus Phyſicæ experimentalis, a doctiſſimo *Nolleto* edi cœpti. Totam inſtituti rationem, methodumque, qua in eo exequendo verſatus eſt, nuper, cum de *Tomo primo* verba faceremus, expoſuimus. Exorſus eſt ibi doctrinam de motu, atque hujus eam partem, quæ de motu ſimplici agit, abſolvit. *Motus* itaque *compoſiti*, *atque virium centralium*, *conſideratio* initium *Tomi ſecundi*, & quidem *Lectionem* V, conſtituit. Poſt explicatam hujusmodi motus naturam, variæ ſiſtuntur

tur machinæ elegantes, quibus varii ejus caſus re ipſa ad experientiam revocari poſſunt; & plurimorum phænomenorum, quæ in natura ſunt obvia, & attentione vel ideo digna, quod minus expertis aliter conſequi debere videantur, ratio redditur. De viribus centralibus quoque peringenioſæ quædam exhibentur machinæ, quibus effectus vis centrifugæ & centripetæ, motus vorticis, corporumque, ei innatantium, motus corporum in curvis, ut ſpiralibus, ellipſibus, &c. clare ante oculos ponuntur. Vis centrifuga applicari poteſt maximo cum uſu in variis machinis conſtruendis, quibus motus fluidorum producitur; quo pertinet *Papini Suctor* rotatilis, in his *Actis* olim deſcriptus, antliæ, aquam elevantes, a *Galleno* expoſitæ, folles, quibus in locum quendam continuo aer recens injici poteſt, a *Deſagulerio* conſtructi, aliave. Simili artificio utitur Noſter, ceu remedio Thermometris applicando, ſi, ut interdum fieri ſolet, accidat, ut liquor diſſipetur, & intervalla vacua inter ſe relinquat. Modo enim Thermometrum ſuperiori ſua parte manu teneatur, & aliquoties celerrime convertatur, adeo ut globus in peripheria circuli ſic deſcripti exiſtat, tubus autem radium ejus conſtituat; ſtatim liquor iterum unietur. Expertus eſt aliquoties, mortem, vel ſaltem permagnam violentiam, animalibus inferri poſſe, ſi per aliquod tempus celeriter in gyrum agantur. Proponit hac occaſione, an non motus gyratorius inſervire queat paralyticis, ad humores in priſtinum curſum reſtituendos. De phænomenis corporum, in vortice fluido motorum, eorumque cauſis, varia notatu digna affert. Sequens *Lectio VI* de *gravitate corporum* agit. Phænomena, a gravitate proficiſcentia, ſunt vel ita comparata, ut gravitati ſoli debeantur, vel ut alia inſuper vis ad effectum concurrat. Prius fit, ſi corpus motu libero in verticali decidat; poſterius duobus præcipue caſibus accidit, ſi corpus aut in plano inclinato, vel curva quavis, motu non libero deſcendat, aut a vi quadam in directione quavis projiciatur, ac dein libere moveatur. In quæſtione de cauſa gravitatis, de qua adeo in diverſa abierunt Philoſophi, Noſter, quemadmodum & in aliis ejusmodi, experimenta ſolum afferre contentus, in nullius caſtra tranſire audet. Cum, omnia corpora, etſi apparenter levia, & in aere

adſcenden-

Digitized by Google

adſcendentia, gravitate tamen prædita oſtendiſſet, quæſtionem de adſcenſu vaporum attingit. Expoſitis variis hac de re ſententiis, nonne, quærit, aer atmoſphæricus ſimul diſſolvere & elevare poteſt ſpongii in modum corpora, ipſum circumdantia? Videmus enim, aquam, vaſi, cujus fundus ſale tegitur, infuſam, hoc in partes minimas diſſolvere, ubique in poros ſuos recipere, & per totam ſuam maſſam uſque ad ſupremam ſuperficiem elevare; idque eo magis, quo magis diſſipatæ, quo minores, & quo magis aqua jam impraegnatæ, ſunt hujus particulæ. Hujusmodi autem granis aſſimilantur corporum omnium moleculæ, quarum pori continuo aere opplentur, quæque adeo nec cum reliquis penitus cohærent, nec unquam in perfecta quiete conſtituuntur. Haud quoque huic rei obſtabit, eas eſſe aere graviores, cum, aquam in ſpongio ſponte adſcendere, conſtet. Fatetur Cl. Autor, rem ſic non ad primam cauſam deduci, ſed phænomenon unum ſaltem per aliud explicari; ſed quid aliud agendum in tanta cauſarum obſcuritate? Ceterum hac Lectione varia, ad motus ex gravitate ſpectantia, tam rationibus geometricis explicantur, quam machinis variis ad experientiam revocantur. *Hydroſtaticam Lectiones VII* & *VIII* complectuntur. Hæc tractatio verſatur vel circa fluida in ſe ſpectata, ubi de conditionibus æquilibrii fluidorum, aut homogeneorum, aut heterogeneorum, vel circa æquilibrium ſolidorum in fluidis. Dum æquilibrium fluidorum heterogeneorum inter ſe conſiderat, doctrinam de preſſione atmoſphæræ, ejusque effectibus in barometris, antliis, &c. ſimul attingit. Hac occaſione affert inſtrumentum valde ſimplex, denſitates duorum fluidorum abſque prolixiori apparatu ſecum conparandi. Conſtat exigua antlia ſuctoria, e qua prodeunt duo tubi æquales vitrei, aſſerculo in partes minimas diviſo affixi; qui ſi duobus vaſibus, horum fluidorum plenis, ad æqualem profunditatem immergantur facta elevatione emboli, fluida ad altitudines adſcendent, denſitatibus reciproce proportionales; modo uterque tubus ad minimum 3, aut 4, pollices diametro interiori contineat. Appendicis loco accedunt duæ diſquiſitiones, altera de *tubis ca-*

*pillaribus*, de *cauſis fluiditatis & ſoliditatis corporum* altera. Ad tres potiſſimum claſſes redeunt Phyſicorum de cauſis phænomenorum in tubis capillaribus ſententiæ. Alii ea preſſioni inæquali fluidi ſubtilis ambientis adſcribunt, quam in vas liquore plenum facilius, quam intra tubulum, exerceri poſſe putant. Aerem id eſſe non poſſe, ſtatim docent experimenta, ſub antlia haud minus, quam in aere libero, procedentia. Huic quidem reſponderi poſſet, aerem ſub antlia ubique æqualiter rarefieri, proinde eandem adhuc proportionem inter preſſiones intra & extra tubum aeris expanſi, quam inter preſſiones naturalis, ſubſiſtere. Sed novum repugnat experimentum. Si enim aer preſſionem intra tubum libere exercere nequit, ſequitur, ipſam eo magis imminui, quo longior eſt tubus; cum tamen longitudo tubi nihil omnino ad altitudinem fluidi intra eum conferre deprehendatur. Aliud ergo fluidum aere ſubtilius in uſum vocant, quod adhuc in vaſibus aere evacuatis ſubſiſtat. Huic partes globuloſas tribuunt, ſicque tubum nunquam exacte replere putant; unde preſſio oriatur inæqualis, idque eo magis, quo tubus ſit anguſtior. Verum enim vero conceptu eſt difficile, quomodo fluidum adeo ſubtile, ut poros vitri permeare queat, tam male ſeſe applicet parietibus tubi, ut inæqualitas preſſionum evadat ſenſibilis. Præterea, poſita hac preſſionum differentia, altitudines liquorum intra tubos deberent eſſe denſitatibus reciproce proportionales, contra experientiam. Quin & prorſus non pendere videtur hic effectus a preſſione externa, cum is eodem modo conſequatur, ſi tubus non immittatur vaſi liquore pleno, ſed ſaltem guttula ei extrorſum applicetur. Secunda opinio eorum eſt, qui ſtatuunt, extremitate tubi in liquorem immerſa, columnam exiguam, eum ingreſſam, pondus ſuum adhæſione ad vitrum perdere; unde ab exteriorum columnarum preſſione elevetur; eodem modo elevari ſecundam, & ita porro, donec altitudo fiat proportionalis frictioni, quæ ſit reciproce ut diameter tubi. Verum non perpendunt ii, columnam fluidi ſuſtineri quidem poſſe frictione, quamdiu in quiete verſatur, eandem vero frictionem ſuperandam

dam eſſe, ſi movenda ſit, quod nullo modo a preſſione externa fieri poſſe liquet. Sed & ipſi repugnat experientiæ. Idem enim effectus conſequitur, ſive tubus ſaltem attingat liquoris ſuperficiem, ſive, quantum poteſt, profunde immergatur; quod, preſſionem columnarum externarum nihil eo conferre, docet. Tertia itaque & maxime recepta ſententia attractione liquoris & vitri mutua nititur. Quæ hac de re affert Noſter, eo potiſſimum redeunt: Qui attractionem pro principio phyſico venditent, iis duo probanda incumbere: primo tale principium actu exiſtere, dein effectus, ipſi tributos, per leges impulſionis explicari non poſſe; qui vero pro cauſa tantum ſecundaria ſumant, iis de ipſa ad leges naturæ ordinarias reducenda laborandum eſſe. Præterea forſan incaſſum in his effectibus per unicam hypotheſin explicandis deſudari, ſed potius plures una cauſas ad eos concurrere poſſe; nimirum, præter inæqualem fluidi cujusdam ſubtilis preſſionem, inſuper adhæſionem, ſeu viſcoſitatem naturalem liquorum, quantitatem & figuram partium, motum internum, & ita porro. De cauſis duritiei & fluiditatis corporum acturus, primo experimenta affert, quibus adhæſio corporum mutua adſtruitur; quo pertinet cohæſio duorum marmorum politorum, & ſuſpenſio Mercurii intra tubum ſub antlia uſque ad 75 pollices. Hos effectus preſſioni fluidi ſubtilis adſcribendos colligit. Ex eodem fundamento quoque vel duritiem, vel fluiditatem, corporum deducit, prout vel preſſio fluidi hujus exterior excedit reactionem ipſius intra poros corporis, vel prout fluidum adeo ſe poris inſinuat, ut preſſionem exteriorem ſuperet; quæ omnia ita explicat, ut, ejus hypotheſin veritatis ſpeciem maximam præ ſe ferre, negari nequeat.

*Tomi tertii Lectio IX Mechanicam* explicat. Cum enim leges æquilibrii & motus corporum ſolidorum ac fluidorum in præcedentibus Autor expoſuerit; nunc de mediis, æquilibrium producendi, motumque applicandi, agit. De machinis autem ſimplicibus inprimis dicere hic inſtituit. Harum tres tantum numerat, vectem, planum inclinatum, & funes. In

omni machina ad quatuor res primarias attendendum eſſe monet: potentiam, reſiſtentiam, ſeu onus, hypomochlium, ſeu centrum motus, & velocitatem, quacum moventur potentia & onus. De vecte experimenta omnia unius ope machinæ abſolvit, per quam non ſolum hypomochlium in vecte pro lubitu variari, ſed & vectis contrapondii ope ita diſponi, poteſt, ut lineæ mathematicæ vicem ſubeat. Simul de machinis, a vecte pendentibus, libra, axe in peritrochio, trochlea, & polyſpaſto, agit. Omnia autem ita pertractat, ut non ſolum palmarias eorum proprietates explicet, ac experimentis confirmet, ſed & ipſorum applicationem in rerum natura, ac in vita communi, oſtendat. Cum plano inclinato cuneum cochleamque conjungit. De funium partim uſu, partim quoque reſiſtentia, quam eorum applicatio afferre poteſt, varia notat: reſiſtentiam, ex rigore ipſorum oriundam, augeri directe, ut vires tendentes, & ut diametri eorum, illosque flecti eo difficilius, quo cylindri, quibus circumvolvuatur, ſint minores, hanc tamen reſiſtentiam non creſcere directe ut diametri, oſtendit, experimentisque confirmat, *Amontenium* (in *Comm. Acad. Scient. A. 1699*) ſecutus. Maximopere igitur in machinarum, in quibus funes uſurpantur, fabrica & uſu ad hancce reſiſtentiam reſpiciendum eſt, Hac occaſione ex eo diſcimus, *Duhamelium du Monceau*, inſpectorem rei maritimæ generalem, theoriam & praxin artis funes fabricandi parare, eaque de re jam varia cum Academia Scientiarum communicaſſe, multaque experimenta inſtituiſſe. Experiundo quoque probat, quod Cel. *Reaumurius* primus detexit, (vid. *Comm. Acad. Scient. A. 1712*) funes contorquendo multum de vi ſua perdere, nec unquam tantum ſuſtinere contortos, quantum ſeparatim ſimul applicati. Denique, quos effectus ſiccitas & humiditas in funibus edant, oſtendit; ſimulque de hygrometris verba facit. His abſolutis, doctrinam *de natura & proprietatibus aeris Lectione X* aggreditur. Aerem duplici ratione hic conſiderat: quatenus nempe in ſe ſpectatur, ceu corpus peculiaris naturæ, abſque reſpectu ad quantitatem & figuram totius ejus maſſæ; & quatenus partem magnam telluris

Digitized by Google

luris noſtræ, ſeu atmoſphæram, conſtituit. Ad priorem pertinet aeris materia, fluiditas, gravitas, elaſticitas, condenſatio, vel expanſio, inprimis a calore, neceſſitas ad reſpirationem in corporibus animalibus, & ad geneſin ignis, inſinuatio in poros corporum. Notiſſima eſt, aerem ope globi vitrei ponderandi, methodus. Huic vero proceſſui objici poſſet, acceſſionem ponderis, quæ in globo antea evacuato poſt immiſſum aerem deprehenditur, non tam ipſi aeri, quam particulis heterogeneis & vaporibus aquoſis, in eo continuo hoſpitantibus, deberi; quod commovit *Bœrhaavium*, ut ipſum aerem haud magis, quam ignem, gravitate præditum conjectaret. Cui dubio ut occurreret Noſter, rem ita inſtituit: Globi aere pleni pondus bilance examinavit; aere dein eum evacuavit, quo factum eſt, ut vapores, ei innatantes, ad fundum vaſis deciderent; hac ratione maximam partem corporum heterogeneorum, in eo contentorum, quibusque pondus ipſius tribui poſſet, in globo retinuit, ſolumque aerem puriorem ex eo ſuſtulit; interim tamen, clauſo epiſtomio, globoque denuo ponderato, tantum quam proxime ei deceſſiſſe ponderis, quantum antea acceſſerat, deprehendit. Inſtrumentum, aerem puriorem reddendi, materiasque heterogeneas ab eo ſeparandi, Noſtro debetur, ejusque deſcriptio in *Comm. Acad. Scient. A. 1741* exſtat. Dum de aere, ex variis corporibus producto, agit, prodigioſam ejus quantitatem, volumen horum multum ſuperantem, explicari poſſe notat ex eo, quod hic aer non ſit purus, ſed procul dubio ex multis materiis heterogeneis compoſitus; quod ex ejus effectibus manifeſtum fit, cum aer, ex plurimis vegetabilibus elicitus, ignem exſtinguat, vaporem violentum ſpargat, &c. Ut, quantum aeris, quantoque tempore, in ſe recipere poſſit aqua, ab eo primum purgata, exacte & perfacile cognoſci queat, inſtrumentum excogitavit. Proponit quoque, an non hac ratione certi odores ope aeris in fluida introduci queant, aliaque nova effici; qua de re jam varia ſe tentaſſe affirmat, idque aliis quoque Phyſicis ad indagandum commendat. Quod jam ad conſiderationem aeris, ceu atmo-

ſphæræ, tellurem ambientis, attinet, ea iterum duplex eſſe poteſt; quatenus ipſe eſt fluidum, aut in æquilibrio, aut in motu, conſtitutum. Priori reſpectu atmoſphæra partim ut gravis, partim ut infinitis particulis diverſiſſimæ naturæ repleta, occurrit, quæ dein variis modis in terram recidunt. Poſteriori duo imprimis motus in aere obſervantur, alter tremulus, minimasque particulas ejus agitans, manente ipſarum ſitu mutuo, ſonus nempe; alter, magnum ejus volumen concitans, certaque velocitate ac directione propellens, ventus. Doctrina itaque de ſono hic fuſe exponitur, tribus potiſſimum rebus palmariis conſideratis, corpore ipſo ſonoro, medio ſonum transmittente, denique organo, eum percipiente. De hiſce omnibus variæ notatu dignæ obſervationes afferuntur, ſimulque machinæ, huc ſpectantes, deſcribuntur.

## *D. JOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, Profeſſoris Pathologiæ Publici in Academia Lipſienſi, Pathologia Funiculi umbilicalis, quam Diſſertatione propoſuit Lipſiæ A. 1747.*


Vita fœtus in utero matris, circuitu ſanguinis inter matrem atque fœtum, ſubſiſtit unice, nec quidpiam liquoris amnii, qui embryonem, ſua amnio (*Fig. 1, BB,*) obvelatum, alluit, ab eo deglutitur, uti contra diſſentientes a *Monro*, Edimburgenſi, *Medical Eſſays Tomo II* argumentis evictum fuit. Quamvis enim liquor, ab amnii liquido haud multum diſcrepans, in ventriculis fœtuum reperiatur, licet bilis utraque, in duodenum embryonis derivata, & motus inteſtinorum periſtalticus, a *Ruyſchio* viſus, alimentorum per os ingeſtionem ſupponere poſſit, uti etiam meconium aliunde, quam ex alimentis, ore captis, proficiſci haud poſſe arguitur; tamen debilia omnino ſunt iſta argumenta, cum, quod in ventriculis reperitur, liquor ſit gaſtricus, quod fœculentum de ano neogeniti exit, bilis & liquor inteſtinalis cenſeatur, motus autem periſtalticus liquoribus inquilinis propellendis deſtinetur. Proinde ſolo matris ſanguine nutritur fœtus, nec obſtat, ovulum primis diebus

TAB. IV Fig. 1.

Digitized by Google

Nov. Act. Erud. A. 1747. Menſ. Juli a pag. 422 ad 427.

Fig. II.



diebus

Digitized by Google

diebus haud radicari utero, proinde nec ſanguinem a matre accipere, cum tam tenero, uti eſt primis diebus, fœtui nec deglutitio tribui poſſit, proinde putandi ſint villi, de chorio naſcentes, (*Fig. 4*) mucum uteri ſugere, donec, uteri parietibus ovulum innaſcatur. Ab illo tempore funiculus umbilicalis ſuo officio fungi incipit. Mater enim arterioſum ſanguinem, ſinubus uterinæ ſubſtantiæ infuſum, villis chorii tradit. Hi ſenſim, intertexta glanduloſa materie, in placentam concreſcunt, hinc ſanguinem acceptum ad radices venæ umbilicalis porro transferunt, non equidem materno ſimilem, ſed legibus nutritionis pro tenelli fœtus conditione accommodatum. Nam fieri omnino oportet haud levem ſanguinis materni mutationem, ut ille tenerrimis fibris fœtuum quam ſimillimus efficiatur. Sanguis maternus ad hepar fœtus uno indiviſo tramite ducitur, ſed, poſtquam ille umbilicum embryonis vena ſubiit, ſiniſtro hepatis ſinu exceptus, majore parte jecur tranſit, aliqua parte per canalem venoſum venæ cavæ infunditur. Progreditur ille ſanguis, variis cauſis moventibus compulſus. Ex altera enim parte ſanguinis arterioſi continuus ex matre affluxus columnam ſanguineam protrudit. Ex altera autem arteriæ, quæ de fœtu exeunt, & circa venam (*Fig. 5, A,*) flectuntur, eandemque ſerpentinis flexibus (*Fig. 5, BB,*) amplexantur, pulſibus ſuis inertiam venæ ſuperant, & ſanguinem contentum urgent. Aſt nec otioſa omnino iſta vena habetur. Licet enim pulſu prorſus deſtituatur, tunica tamen utitur elaſtica, cujus virtute ſanguis iſte propellitur. Neminem autem arbitrari fas eſt, ſanguinem illum, qui vena umbilicali ad cor fœtus ducitur, a matre omnem eſſe, ſed arteriæ umbilicales, cordis infantilis pulſu excitatæ, ſanguinis haud parvam molem de fœtu ad placentam transferunt, ibidem novis dotibus augendam, & venæ umbilicalis oſtiis infundendam. Nam arteriarum lumina ſimul ſumta, ex rationibus Celeberrimi *Halleri*, venæ umbilicalis lumen aliqua parte ſuperant; ergo plus abiret de fœtu, quam ad illum convehitur, id quod cum vita & celeri illo, quo fœtus proficit, augmento, ſtare nequit.

TAB. IV Fig. 4.

Fig. 5.

Digitized by Google

quit. Proinde a dubio longiſſime abeſt, venam umbilicalem illius ſanguinis, qui per arterias de fœtu exiit, magnam partem colligere, & embryoni reddere. Stabilitus adeoque per naturam eſt perpetuus inter fœtum & placentam uterinam circulus; hinc ipſa placenta ſanguinis, a fœtu exeuntis, eſt diverticulum. Cum ſyſtemate arteriarum fœtus longe aliter ſeſe res habet, quam cum ſyſtemate arterioſo hominis, poſt natales ſuos conſiderati. Embryonis uterque ventriculus cordis in unum tubum ſalientem conſpirat; ventriculus cordis
TAB. IV anterior arteriam ſuam (*Fig. 3, A,*) ita dirigit, ut illa, minimis
Fig. 3. per pulmones projectis ramis, in aortam deſcendentem demergatur. Canalem arterioſum iſtam arteriæ pulmonalis cum aorta conjunctionem nominare moris eſt, verum tantum abeſt, ut canalis, ſeu tubus, diverſi generis vaſa uniens, hoc vas ſit, ut potius ipſa arteria pulmonalis, quanta eſt, in arteriam magnam convergat, adeoque vis tam hujus, quam magnæ arteriæ (*Fig. 3, B,*) in unam arteriam aortam deſcendentem conſpiret. Quæ cum ita ſint, cumque ſanguis arterioſus in fœtu duplicis cordis potentia propellatur, fieri aliter nequit, quam quo projectionis vis in fœtu, quam in nato homine, duplo ſit auctior. Ab iſta ſanguinis duplicata vibratione oritura eſt violentia, quam vaſa corporis tenelli ferre nequeunt, adeoque proſpexit Creator, ut eſſet auxilium frangendo ſanguinis impetui aptum, ſeceſſus ſcilicet ſanguinis, mediantibus arteriis
Fig. 2. umbilicalibus (*Fig. 2, CC,*) extra corpus ad placentam, ejusque per venam umbilicalem ad cor refluxus. Numerus arteriarum iſtarum quandoque a conſuetudine abludit. Videas interdum unicam arteriam umbilicalem de fœtu exire, aſt eo ampliore
Fig. 7. diametro donatam (*Fig. 7*); rariſſime illud ita evenit, a *Veſalio* aliquando obſervatum, & a me nuper viſum. Contingit illud non defectu alterius arteriæ, ſed utriusque in unam conſenſione, uti videmus, duplicem arteriam vertebralem in unam baſilarem conſpirare. His legibus unice vivit fœtus. Quare, cum chylo de alimentis elaborato utatur nullo, nec excretionibus quidem opus illi fuit. Uti enim non ſudat, vel tranſpirat, fœtus

Digitized by Google

fœtus glutinoſo amnii liquore tubulos halantes ad iſtam actionem ineptas efficiente, ita nec urinæ plus elaboratur, quam quantum ejus opus eſt, ut cavum veſicæ a concretione liberum ſervetur. Adeoque nec via opus fuit, qua urina de veſica fœtus effunderetur. Eſt equidem in fundo veſicæ quidpiam, quod umbilico fœtus reſpondet, quodque urachum appellant Anatomici. (*Fig. 2, D.*) De fœtus umbilico exire, per funiculum umbilicalem continuari, inque veſiculam aliquam, allantoideæ nomine inſignitam, exſpirare, iſtud, quicquid eſt, dicitur, qua via urinam fluere, non antiqui tantum, ſed etiam ex recentioribus haud pauci, perhibent. Aſt vexata valde hæc eſt ſententia. Nam rei iſtius, quæ urachi nomine indicitur, extra umbilicum fœtus nullum apparet veſtigium, uti *Arantius* jam ſuperiore ſeculo, ex noſtris eruditus *Hallerus*, & *Trewius*, fruſtra quæſiverunt, licet, ſe vidiſſe, Clariſſimus *Neufville* perhibeat. Alia adeoque urinæ iſtius ad allantoideam via eſſe deberet; aſt aliud haud ſupereſſet effugium, quam aliquam arbitrariam opinionem amplecti, qua liquor obſcœnus per cellulas vaſis umbilicalibus (*Fig. 11*) intermedias depluere ad allantoideam diceretur; verum nec iſta quidem via multum probabilitatis habet: nam alius aliquis & ab urinoſo tota natura diſcrepans humor iſtas cellulas occupat, quem *Whartonus* gelatinam appellat, qua omnes cellulas occupante efficitur, ne quidquam transcolari commode poſſit. Receptaculum ipſum, cui inſtillanda eſt urina, allantoideam puta, dubio haud caret. Hanc animalibus brutis natura dedit, quorum contemplatione inducti veteres, homini eandem ſimiliter adjudicaverunt. Aſt ſane permultum dubii ſupereſt, an ille folliculus, in ſecundis brutorum repertus, uti illum nemo negaverit, ſit urinale fœtus receptaculum, & an liquor, intus collectus, pro vera urina haberi debeat, cum de uracho pervio penes bruta nihil plus conſtet. Humor illius capſulæ cum copioſiſſimus ſit, partui facilitando, lubricandisque partus viis, uti eſt, glutinoſus deſtinatus magis eſſe videtur, nec ita ſita eſt iſta capſula, ut de fœtu, amnii pomœriis penitus circumſcripto, quidpiam illi infundi poſſit: multo minus penes hominem talis eſt congenita

TAB. IV Fig. 2.



Digitized by Google

fœtui matula. Allantoideam, pro confutata habitam, inſtaurare annisus eſt Celebris *Haleus*, ejusque eruditus defenſor, *Neufville*; aſt argumentis ſententiam iſtam aggreſſus eſt eruditus *Nortwyck*. Uti *Neufville* allantoideam deſcribit, datur aliquod cavum, aſt nulli humori dedicatum. Si enim, qua parte funiculus placentæ immergitur, tunicam inſpicis vaſis umbilicalibus circumductam, laxa ibi fit iſta & rugoſa, utpote quæ de amnio verſus funem adſcendente, ſenſimque collecto, oriatur. Ex plicis adeoque laxæ amnii fit cavum, quod flatu per celluloſam chordæ ſubſtantiam immiſſo in burſam extumeſcit. Hæc burſula *Ruyſchio* pſeudo-allantoideæ nomine cognita fuit
TAB. IV (*Fig. 8 AA*). Aſt nullus inibi deprehenditur humor, quem
Fig. 8. uberrimum, ſi urinam colligeret, eſſe deceret. Enimvero ne opus quidem iſto urinæ receptaculo eſſe videtur, cum fœtubus veſica
Fig. 2. data ſit ad proportionis cum corpore leges capacior, (*Fig. 2, B,*) & continendæ, quæ omni geſtationis tempore colligi poteſt, urinæ haud impar, uti inteſtina continendo meconio ſufficiunt. Uti funiculus umbilicalis complexu arteriæ duplicis atque
Fig. 9. unius venæ, quæ ſeptis (*Fig. 9*) diſtinguuntur, conſtat; ita forma ejus & menſura conſideratione ſunt digniſſimæ. Nam præ-
Fig. 5. ter, quod (*Fig. 5*) ſpiralis ſit horum vaſorum circumductio, ſit quoque, ut arteriæ plerumque, vena quandoque, in nodos contorqueantur. Arteriarum ſcilicet mos eſt, interea, dum
Fig. 6. ab umbilico ad placentam feruntur, paſſim orbiculos (*Fig. 6, A,*) flectere; vena autem non tam torquetur, quam varicoſo
Fig. 8. quodam tumore (*Fig. 8, A,*) elevatur ſæpe. Fit quoque, quo, ſicuti *Hobokenius* obſervavit, maculæ ſanguineæ variæ umbilicalibus vaſis interſint, quarum alias Autor iſte ad arterias, alias ad venas, refert, maculasque arterioſas ac venoſas appellat, id quod ſine dubio de ecchymoſi aliqua eſt, quando funiculi in partu colliduntur. Longitudo funiculi, utut ad certam menſuram revocari haud poſſit, ſemper fœtus proceritatem excedit, eſtque talis, quæ motum & volutationem fœtus in liquore amnii, ejusque ad partum converſionem, permittere poſſit. Aſt ea ipſa longitudo ſæpe morborum, qui embryonibus eveniunt, cauſa ſit. Nam, dum volvitur, ſeſeque jactitat, fœtus, funiculum ſæpe

Digitized by Google

ſæpe peſſime complicat. Obſervati fuerunt nodi in medio fune nexi, funis frequenter jugulo fœtus obvolvitur, vel circa artus flexu fertur, unde vel mors præmatura, vel in ipſo partu interitus. Si gemelli unius ovi (*Fig. 1, BB,*) incolæ fuerint, ſæpe enim diverſo ovo fiunt, diverſisque adeo ſecundis involvuntur, tunc ſepto, quod de amnio chorioque, coaleſcentibus, fit, (*Fig. 1, AA,*) tanquam pariete intergerino diviſam ſtationem obtinent; aliter enim evitari mutua funiculorum implicatio vix poſſet; hinc raro naſcerentur vivi; aſt, quæ ſingularis eſt ſummi Numinis in regendis vitæ humanæ primordiis providentia, diverſa eſt amnios, diverſus liquor; linea dividente diſterminantur placentæ. Plures eveniunt funiculis ſtatus præternaturales, propter quos fœtibus vivere haud licet. Breviores funiculi efficiunt, ut moveri ſufficienter fœtus, hinc, qui a motu eorum dependet, expeditus ſanguinis circuitus celebrari nequeat. A brevitate funium conſequitur maturus, in partu, ſecundinarum a fundo uteri diſceſſus, hinc hæmorrhagia. Marcidi funiculi efficiunt, ut abortivi naſcantur. Propendens de utero, colliſus, collo brachiisque implicatus, funis, durante partu, circulum ſanguinis ad vitam fœtus neceſſarium ſufflaminat. Fit aliquando, ut prope umbilicum fœtus cutis cum muſculis dehiſcat, hinc inteſtina elabantur. Hoc in caſu *Ruyſchius* motum periſtalticum viſcerum imi ventris penes fœtum vidit. Præſectus, nec obligatus, funis, maxime evulſus de umbilico, lethalem naſcenti hæmorrhagiam procurat; aliquando tamen, ſi prælonga eſt relicta de umbilico pars, nodisque arterioſis diſtincta, ſanguinis effuſio, flaccido fune, ſiſtitur ſponte. Quare in renuntiatione legali de funiculis haud obligatis, uti iſte neglectus mortis fœtuum cauſa fit, cautione opus eſt, ne rea accuſetur præcipitantius. Aſt ſectio legalis, viſa vacuitate vaſorum ſanguineorum fœtus, vel eorum plenitudine intellecta, declarat, an hæmorrhagia ex fune abreptus fuerit fœtus, nec ne. Ex iſtis omnibus clarum fit, de minimo viſo organo multa dici ſcribique poſſe, quæ ad artem exercendam conferunt.

TAB. IV Fig. 1.



Digitized by Google

## *SEBALDI RAVII, J. E. FIL. S. MIN. CAND. Diatribe de Epulo funebri gentibus dando, ad Jeſ. Cap. XXV, 6, 7, 8, cum Præfatione DAV. MILLII.*

Trajecti ad Rhenum, apud Paddenburgios, 1747, 8.
Plag. 6.

Quo ſanctior a nobis Codex divinitus perſcriptus habetur,
eo major cura atque occupatio circa veritates ex abyſ-
ſo verborum eruendas eſſe debet. Laudabile hujus laboris
nobiſcum jam ſpecimen communicat doctiſſimus *Ravius*, fama
laudeque majorum inſignis, occaſionem largiſſimam præbente
vaticinio *Jeſaiæ*, quod venuſtiſſimo emblemate bona gratiæ,
ſub temporibus N. T. profanis gentibus offerenda, velata ex-
Pag. 3. hibet. Prædicat hic ante omnia Cl. Autor, quod quidem
cauſam ipſius nonnihil adjuvat, multiplicem rerum ſcientiam
in *Jeſaia* conſpicuam, verborumque non minus, quam re-
rum, pondere, amplitudine, gravitate, venuſtate, & ele-
gantia, eminentem. Apparet hoc vel ex præſenti vaticinio,
in quo profanarum gentium mores ſuperſtitioſos attingit,
miram dicendi facultatem oſtendit, & ſingulare artificium
rhetoricum adhibet, dum per *παρανομασίαν*, *ἀναφορὰν*, &
*ἀναδίπλωσιν*, maximam eloquio vim addit, & legentium ani-
6. mos perſtringit. Nec eſt, quod hujus loci dilucidam inter-
pretationem a Rabbinis & Chaldæis, omnino hic hallucinanti-
bus, aut a Chriſtianis, non accurate ſatis hic commentanti-
bus, repetere velimus. Ipſe *Vitringa*, nobiliſſimum *Jeſaianæ*
dictionis decus, circa verborum propriam ſignificationem a
veri janua hic aberrare videtur, pericopam noſtram de epulo
triumphali, non funebri, accipiens. Nexus verborum, in præſenti
vaticinio occurrentium, cum præcedentibus iſte videtur eſſe:
8. Dixerat Propheta de gentibus, cœtum ſanctiorem afflicturis;
hinc occaſionem arripit, impulſu divino de iis etiam aliquid
prædicendi, qui ex gentibus illis ad ſacra Chriſtiana quondam
acceſſuri ſint. Atque adeo ex mente Cl. Autoris hic deſcriptio
communis gentium ſortis exhibetur, ante introitum ipſarum in
eccleſiam, atque mox inſecuturæ e ſtatu illo mortis per
Meſſiam

Digitized by Google

Meſſiam liberationis, auferendæque hoſtilitatis inter Judæos & gentes. Proponitur id omne ſub imagine epuli funeralis ac rituum, qui illud ingrediebantur, ut lugentes obliviſcerentur ſuorum defunctorum, quos ſuperſtioſe adamaverant.
Poſt ſententiæ hujus brevem delineationem verba ſingula ex- Pag. 12.
penduntur, &, per שמנים non pinguia ſtricte ſic dicta, ſed 15.
omnis generis opipara & lauta, intelligi debere, oſtenditur.
Circa explanationem vocabuli שמרים major occurrit difficul- 20.
tas e medio tollenda. Plurimi, qui de potu nocivo, vel de
vino defæcato, hoc intelligunt, optimis rationibus & exem-
plis refelluntur. Genus potius potulenti e vinaceis expreſſi 23.
ſub hoc ſigno declarari, ex *Pſ. LXXV, 9*, atque traditionibus
quibusdam Talmudicis, apparet. Lora Judæorum fuiſſe vide- 26.
tur, quæ ex vinaceis aqua mixtis exprimebatur in torculo,
& per colum transmittebatur. Suavioris ſaporis ſine dubio po-
tus iſte fuit, qui Latinis etiam ſcriptoribus de re ruſtica igno-
tus plane non eſt. Emergit hinc venuſtiſſimum emblema. Signi- 29.
ficat enim Dominus Jehova, fore olim, ut potionem gentium,
quam quotidiano uſui & ſacris adhibere ſolebant, ab omni no-
civa impuritate & fæcibus diligenter purgare velit. Additur 31.
denique מזוקקים, *percolatos factos*, ubi ejusmodi eſt concipien-
dum animo vaſculum, per quod liquor ſtillando emittitur,
ut nempe coletur & mundetur ab impuritate. His præſtru-
ctis, pergitur ad reliqua, ubi, ex mente Autoris, cauſa lu-
ctus & mortis ſpiritualis, incumbens ſcilicet maledictio, a gen- 34.
tibus removetur, ut hoc modo ſuperſtitionis avitæ obliviſce-
rentur. Verba הלוט הלוט abſtruſiora ſane, & ænigmatis
loco habita, ex *Zjaukario*, Lexicographo Arabe, ita enodan-
tur, ut *adhærendi*, *adglutinandi*, *obducendi*, & *oblinendi*, notio- 37.
ne explicanda optime veniant. Qua ex principe ſignificatio-
ne plurimis Scripturæ S. locis, ubi idem occurrit vocabulum,
lux affunditur clariſſima. In præſenti vero oraculo proprie 39.
illud gluten ab Autore noſtro indigitatur, quod ex aroma- 45.
tibus & unguento cadaveribus conſervandis obducebatur.
Hanc quidem cruſtam informem & ſqualidam e medio eſſe
tollendam ex ſententia Jehovæ, qui hanc ob cauſam בלע פנים
addere Prophetam jubet, Noſter prolixius docet. Dictio-



Digitized by Google

Pag. 49. nem denique ultimam exponens, per המסכה הנסוכה intel-
ligit imagines ære conflatas, coram quibus genua flectere
ſolebant profani homines, quin aromata atque unguenta,
quæ ipſi in cadaveribus ita profundebant, ut corpora talibus
*μίγμασι* circumfuſa quaſi natarent. Fiebant hæc omnia ideo
a gentibus profanis, ut incertam poſt fata vitæ ſpem diuturno
55. cadaverum condimento lenirent. Verbis ita omnibus ſin-
gulisque expoſitis, emblema vaticinii conſtituitur firmandum
moribus atque inſtitutis gentilium. Altius rem omnem Au-
tor repetit a conviviis Hebræorum publicis, quæ in monte
Sionis multifarie a ſacerdotibus, & populo ſacrificia offerente,
57. inſtituebantur. Has epulas *Jeſaiæ* occaſionem præbuiſſe pu-
tat loquendi de epulo in monte Sion, ubi tamen inprimis
tale epulum eſſe ait cogitandum, quod iis, qui morte co-
gnatorum triſtes eſſe ſolebant, propinatur, perpetua ſci-
licet alluſione facta ad pollincturam & curationem funeris
59. profanorum populorum. Epulæ hinc funerales apud Græcos
& Romanos ſtrictim enarrantur, &, qui illorum, aliarumque
gentium, circa eaſdem mores fuerint, breviter attingitur. Ad
ſepeliendi inde cadavera modum pergit, qualis inter Ægy-
69. ptios, Aſſyrios, Æthiopes, Hebræos, Græcos, & Romanos,
obtinuit, ratione inprimis cremationis pollincturæque habita,
quæ omnia ad rem præſentem applicantur, & quam maxime
76. ad epulum funebre profanarum gentium referuntur. Ne
quid denique supereſſe videatur, quod addi poſſit interpreta-
tioni hujus vaticinii, implementum ejus perquirit Noſter,
certiſſimum quaſi robur ſuæ ſententiæ apponens. Miſeram
ante tempora N. T. gentium fuiſſe conditionem, quod ad ſa-
79. lutem æternam attinet, facile licet conjectura aſſequi. Præ-
ſens inprimis *Jeſaiæ* teſtimonium populos iſtos, extra commu-
nionem eccleſiæ viventes, ſiſtit tales, qui ſine ſpe ſalutis tri-
ſtiſſimi atque afflictiſſimi ſunt mortalium, quibusque perinde,
atque iis, qui mortem cognatorum lugent, fomento opus
81. eſt atque ſolatio. Non quidem proprie de morte temporali
agitur, quatenus illa ſe terribilem præbuit fidelibus in perſe-
cutione tyrannorum; ſed de ſpirituali, cui obnoxii omnes
84. erant gentiles, ſua culpa luce veræ cognitionis orbati. Hanc ut
amove-

amoveret Deus, epulum inſtruit lautiſſimum, e tenebris mortis eos & triſtitiæ revocans, propinando bona gratiæ, quæ ſæpius in S. S. ſub figura epuli atque convivii indicantur, ut hac de cauſa omnes fere res circumſtantes cum epulo funebri conveniant. Sub calcem libri ii refelluntur interpretes, qui *Jeſaianum* noſtrum vaticinium de epulo triumphali accipiunt. Non vulgari hanc Commentationem linguarum rerumque orientalium peritia commendari, primo ſtatim intuitu unicuique apparebit. Pag. 85.

INTRODUCTION A LA SYNTAXE LATINE, &c.
hoc eſt,

*INSTITUTIO SYNTAXIS LATINÆ, AD FAcile diſcendam compoſitionem Latinam; exemplis atque argumentis ad omnes συντάξεως regulas accommodatis per gradus aliquos ad utilitatem liberorum, adiuncto ſimul compendio Hiſtoriæ Græcæ ac Romanæ ad utilitatem liberorum magis progreſſorum in cognitione linguæ Latinæ; una cum regulis, ad genus nominum Latinorum ſpectantibus, Autore JOANNE CLARKIO, principe Collegii urbis Hullenſis in Eboracenſi Comitatu. Opus converſum ad ſextam editionem Anglicanam; cum quibusdam additionibus atque emendationibus in uſum Collegiorum, lingua Gallicana utentium.*

Genevæ, apud Henr. Alb. Goſſium, 1745, 8 maj.

Plag. 14.

Pauca ſunt iſtum ad librum annotanda. *Speccii* atque aliorum ad modum compoſitus eſt, eidemque exempla potius propria, ſermone patrio concepta, vocabulisque Latinis inſtructa, quam optimi cujusque Latinorum ſcriptorum, ſubjuncta reperiuntur. Qui conatus, quodque exercitium, quatenus puerorum ex uſu fuerit, aliorum eſto judicium; dum præſertim Autoris magis, quam interpretis, ad rationes pertinet. Ceterum eſt iſthæc inde a paucis annis ſecunda grammaticorum libellorum Anglicana de lingua converſio apud Genevenſes publici

blici juris facta. Prior Grammaticæ Latinæ atque Anglicanæ *Raddimanianæ* titulum habet: *Rudimens de la langue Latine, ou Introduction ſimple & aiſée à la Grammaire Latine: ou les principes de la Langue ſont expoſés methodiquement en François & en Latin; avec des Notes & des Obſervations qui expliquent les termes de la Grammaire & qui en étendent les Régles. Traduit de l'Anglois ſur la huitiéme edition, par* J. A. Porte, *Miniſtre du S. Evangile & Régent au Collége de Geneve,* 1746, 8. Hæc poſterior, ut illa principia & regulas Grammaticæ, ſic exempla continet ad locutionum atque argumentorum, ſecundum easdem regulas, compoſitionem. Interpres iſtam rationem proponendi tam facilem, tamque bene conceptam, exiſtimat, ut audeat theſaurum tam docentium, quam diſcentium, nominare. Autor unamquamque compoſitionis regulam ſingulari Capite proponit, ſecundum ordinem libellorum grammaticorum, in Anglia receptiſſimorum; ſubjungens varii generis magno numero locutiones, ad vocabulorum atque aliarum rerum copiam facientes: & ita quidem, ut a facilioribus ſemper ad difficiliora ſurgat. Præterea non niſi in caſu primo, aut prima perſona, ponuntur ad latus vocabula; per numeros ſimul declinationibus, vel conjugationibus, annotatis. Ordo vocabulorum ad ſtilum eſt Latinum accommodatus. Electio rerum non erit minus notabilis. Vel ut ratio, vel ut animus, formetur, accommodata ſunt omnia. Eodem fine & compendium hiſtoriæ, lectioni ſcriptorum claſſicorum inſerviturum, ſubnectitur. Interpres ad viginti annos linguam Latinam atque elegantiores literas in Anglia ipſa docuerat ante; adeoque tanto magis idoneus fuit ad iſtum laborem ſuſcipiendum: præſertim dum XL annos generatim artem grammaticam docuit. Puritatem tamen ſtili Gallici a quibusdam deſideratum iri arbitratur. Ita ſeſe defendit, ut facile quidem eſſe dicat, de Anglicana lingua in Latinam, & vice verſa, difficilius autem de Gallica in Latinam, & contra, convertere. De utilitate tandem hujus operæ, quæ declinationem, conjugationem, cognitionem generum ac præteritorum, ſupponit perfectam, adeo ſecurus eſt, ut pueros novem annorum nominet, hac diſcendi ratione magnos qui progreſſus fecerint, adeoque eam inſtitutioni publicæ pariter ac privatæ commendet.

✱ ✱ ✱

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Auguſti Anno MDCCXLVII.*


---

## *MUSEUM ETRUSCUM, EXHIBENS INSIGNIA veterum Etruſcorum monumenta æreis tabulis C, nunc primum edita, & illuſtrata obſervationibus ANTONII FRANCISCI GORII, publici Hiſtoriarum Profeſſoris. Accedunt V. C. JO. BAPTISTÆ PASSERII, JCti Piſaurenſis, Diſſertationes V, quas ſubjectus elenchus declarat, nunc primum editæ.*

## *Volumen III.*

Florentiæ, excudit Cajetanus Albizinius, typographus, 1743, fol.

Alph. 4 plag. 6, Tab. æn. 100.

Opus hoc, Præſuli ampliſſimo, *Mario Guarnaccio*, Patricio Volaterrano, optime de Cel. *Gorio*, & re publica literaria, merito, dicatum, ſuperiora *duo*, de eodem argumento edita, *Volumina* vel æquat, vel ſuperat, ſplendore & dignitate. Jure meritoque id ſibi Cel. *Gorius* tanquam proprium vindicare poteſt, ut omnium popularium ſuorum in eruendis e tenebris Etruriæ antiquitatibus & diligentiſſimus & ſagaciſſimus ſit exiſtimandus. Superioribus *duobus Voluminibus* monumenta, ducentis Tabulis expreſſa, atque ex ditiſſimo Etruriæ depromta penu, obſervationibus ſuis illuſtravit. Nunc vero alia profert fere majoris & dignitatis & antiquitatis documenta; quæ æri in centum Tabulis incidenda curavit: in quo imitatur veterum convivio-

rum ἐπιφορήματα, ſive menſas ſecundas, quæ, teſte *Athenæo*, ciborum lectiſſimorum ſuavitate, vinorum optimorum pretio, coronarum unguentorumque luxu, primis menſis præſtabant. Quemadmodum autem in convivio, opipare ita apparato, omnia mirari quidem, ſed pauca deguſtare, licet; ſic omnium rerum, in ampliſſimo hoc *Volumine* propoſitarum, facilis quidem eſt admiratio, recenſio vero difficilis. Proinde totius Operis elegantiſſimi formam, primis adumbratam lineis, ante oculos Lectorum ponere animus eſt. In Præfatione 32 paginarum & inſtituti rationem Autor explicat, & indicem proponit argumentorum. Eſt vero univerſum Opus in *duas* diviſum *Partes*, quarum *prior Gorianas* ſiſtit Diſſertationes; *poſterior* vero Diſſertationes ſex Cel. *Joannis Baptiſtæ Paſſerii*, JCti Piſaurenſis.

P. I pag. 1. *Prima* Diſſertationum in *priori Parte* eſt Cel. *Gorii* de Etruſcorum antiquis publicis ædificiis. Huic Diſſertationi pauca præfatur de Etruſcæ gentis potentia, imperii amplitudine, ac gloria ad poſteros transmiſſa; inprimis de horum architectura, quæ ceterarum in Italia gentium ædificandi rationem multis partibus vincat. Deinde *Cap. I*

2. Etruſcorum ritus in condendis urbibus recenſet, & illuſtrat. Quæ vero ab his antiquiſſimis temporibus conditæ ſint urbes, quæ oppida munita, peculiari expoſiturum ſe promittit Diſſertatione, de coloniis & regimine veterum Tuſcorum inſcribenda. Ipſum ritum urbium apud Etruſcos condendarum ex *Varronis Lib. IV de Lingua Latina* repetit, cujus hæc verba ſunt: *Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu, multa: id eſt, junctis bubus, tauro & vacca, interiori aratro circumagebant ſulcum; hoc faciebant religionis cauſa, die auſpicato, ut foſſa & muro eſſent munita. Terram, unde exſculpſerant, foſſam vocabant, & introrſum factum, murum. Poſtea, quod fiebat orbis, urbis. Principium, quod erat poſt murum, pomœrium dictum, ejusque ambitu auſpicia urbana finiuntur*, &c. Temporum injuria perditis Autoribus Tuſcis, pontificalibusque Etruſcorum libris, converſis quondam in Latinum, locum *Varronis* hunc claſſicum ex ſcriptoribus Romanis antiquis ex-

3. plicat. Inprimis, cum inter omnes conſtet, Romam antiquam

Digitized by Google

quam a *Romulo* & *Remo* ad Etruſcorum inſtituta conditam eſſe, hujus rationem diligenter evolvit, oſtenditque ex *Livio* & *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, quid urbem ſit *auſpicato* condere; quid Pag. 4.
porro *augurium auguſtum*; qui dies natalis Romæ; quæ, re 5.
divina peracta, placatisque Diis, epulæ inſtructæ; qui invoca- 6.
tus, ſacrisque cultus, Genius; qui rurſus urbis Romæ ambi- 7, 8.
tus & termini; quid ſibi velit tauri & vaccæ junctio ad ara- 9.
trum; quid orbis in deſignanda urbe deſcriptus; quem ulti- 10.
mum ritum eleganter ab Ægyptiis repetit. Sulcum a foſſa 12.
recte disjungit, idque contra *Thomam* monet *Dempſterum*, cujus omnino major fuit diligentia, res controverſas dijudi-
candi. Diſputat rurſus de cinctu Gabino, quo ſacrum 13, 14.
opus peregiſſent. *Cap. II* agit de urbium antiquarum mœ- 15.
nibus, pomœrio, & cippis, ſive terminis, *Varrone*, *Solino*, & 16, 17.
*Tacito*, autoribus, conſtituitque mœnium pomœriique lo- 18.
cum & ſanctitatem. Veteres pomœrii locum deſignant 19, 20.
jam *poſt murum*, jam *prope murum*, jam *proximum muro*, jam *circa murum*. Hinc recentiorum alii pomœrium ponunt intra muros, alii extra hoſce. Melius *Onuphrius Panvinius*, magnæ vir eruditionis, pomœrium tam intra, quam extra, urbis murum cenſet; in cujus ſententiam recte diſcedit Cel.
Autor. *Cap. III* agitur de Etruſcorum antiquorum in re ædi- 21.
ficatoria ingenio, induſtria, peritia, & in condendis urbium
mœnibus magnificentia. Etruſci primi omnium excoluerunt 22.
artem extruendi mœnia, Italisque monſtrarunt, unde Tyrrheni, vel Tyrſeni, dicti. Hæ enim munitiones, *Dionyſio* autore, τύρσεις, tyrſes, id eſt, turres, dicuntur tam Tuſco ſer-
mone, quam Græco. Deinde Cel. Autor mœnium ſtructu- 23.
ram antiquam ſiſtit e quadratis lapidibus; laudat majorum ſuo- 24.
rum prudentiam in locis urbium figendis, ut qui in arduis acceſſuque difficillimis eas condidiſſent; deſcribit urbium for-
mam variam, rotundam, polygonam; addit nonnulla de tu- 25.
telaribus urbium Diis, quos ignotos eſſe Etruſci voluiſſent, ne evocati, obſeſſa urbe captaque, ad hoſtes migrarent.
Quin etiam, non mœnia tantum, ſed urbes quoque, ſacras ha- 26.
bitas eſſe, docet. *Cap. IV* Volaterrarum, Cortonæ, Fæſula- 27, 28.

tum,aliarumque Etruriæ urbium, mœnia profert atque illuſtrat.
Quamvis enim injuria temporum plurima Etruriæ priſcæ mo-
Pag. 29. numenta diruerit atque deleverit; mœnibus tamen pluribus in
locis quodammodo pepercit, ut ipſæ reſiduæ partes admiran-
darum molium ac ſubſtructionum ſpeciem quandam referant
priſcæ majeſtatis. In exemplum quædam affert, & quidem
30. *Tab. I* mœnia Volaterrarum, quæ in duodecim interioris
Etruriæ civitatibus numerantur. Jam *Ariſtoteles* & *Strabo* hu-
jus urbis mœnia laudarunt. Cel. Autor urbis hujus originatio-
31. nem explicat, ipſosque deſcribit muros, horum ambitum,
32-34. ſitum, altitudinem, amplitudinem, quoad ex ruderibus fieri
conjectura poteſt. Singuli lapides quadrati ſunt, & minores
tantæ magnitudinis plurimis in locis, ut fere Florentinas ul-
nas quinque, pedesque Romanos circiter novem, majores fe-
re pedes duodecim, ſuperent. Omnes e tophaceis cryptis
35. eruti ſunt, ipſaque mœnia, ſine calce & opere cæmentitio
exſtructa, perelegantis marmoris ſpeciem referunt. In lau-
36, 37. des municipii Volaterranorum excurrit Cel. Autor, vel pro-
pterea laudandi, quod ejus patronus *M. T. Cicero* fuerit,
uti ex *Epiſtolis ad diverſos* apparet. Cortonenſium muri
paucis in locis pulcherrimam adhuc ſpeciem oſtentant.
Ipſa murorum ratio convenit cum ſuperioribus; quod etiam
38. confirmandum de Fæſularum antiquiſſimarum mœnibus,
40. quorum altitudo Romanos pedes fere triginta exceſſit. De
41. tempore autem mœnium horum exſtructorum exiſtimat,
Etruſcos, cum, *Romulum*, cernerent, & ſubſequentes Re-
ges Romani imperii fundamenta jacere, illudque ampliare,
ac munitionibus augere, ipſos quoque ſaluti quietique ſuæ
ædificatis fortiſſimis conſuluiſſe muris. Sed malimus origines
murorum apud Etruſcos a temporibus ante *Romulum* repe-
tere. Certe Vejentes, gens Etruſca, jam *Romuli* ætate inco-
lebant *urbem muris validam*, uti *Livius* autor eſt *Lib. I, 9*,
42. quod etiam ex *Dionyſio* apparet. *Cap. V* tractantur portæ
urbium Etruſcarum; & in exemplum utraque facies inſignis
Portæ Etruſci operis Volaterrarum urbis affertur. Portæ in

Etruria

Etruria non eam, quam muri, fortunam expertæ ſunt, quandoquidem una modo ſupereſt ad noſtram ætatem, cujus Cel. Autor ichnographiam *Tabula IV*, interiorem formam *Tabula V*, Pag. 43.
& exteriorem *Tabula VI*, oſtendit. Unicum hoc monumen- 45.
tum omnino dignum eſt viſum, quod tanquam inſigne Tuſcanicæ architecturæ exemplum proferretur. Ejus formam maluimus integram apud Autorem legi, quam hic mutilatam. Reliquis Etruriæ oppidis non deſunt quidem antiquæ portæ, ſed
magna ex parte dirutæ ſunt, atque obſtructæ. Denique tangit 46.
ſanctitatem & ornamenta portarum. *Cap. VI* Etruſcarum ur- 47.
bium inſigniora templa, & ſtatuæ Deorum, publica ædificia, circi, theatra, amphitheatra, & piſcinæ, indicantur, horumque omnium afferuntur exempla. Decima urbium ornamenta fuere Deorum fana ac templa, quæ antiquiſſimis temporibus Tuſci habuerunt, uti longo exemplorum ſyrmate oſtenditur. In ſingulis civitatibus præter patrios Deos templis celebrabantur Dii majores; *Jupiter*, *Juno*, *Minerva*, quos *Conſentes* dixere: quod mirifice auxit templorum numerum. Inſigne inprimis eſt *Nortiæ* Deæ templum apud Volſinienſes propter clavi figendi rationem, quam ab Etruſcis Romani didicerunt. Nec minus celebre *Voltumnæ* Deæ fanum, ad quod frequentes habiti ſunt quondam conventus. Plurima tamen *Baccho*
& *Herculi* poſita templa. Hac occaſione data inveſtigat ali- 48-50.
quantum templorum origines apud Etruſcos, qui ſacra Diis 51.
ſub arboribus primum fecere: integram autem & dedita opera ſuſceptam harum originum rationem in commodius rejicit tempus. Erant autem prima Tuſcorum templa admodum anguſta & exigua, pro magnitudine ſtatuarum parum alta. Fuerunt tamen columnis, epiſtyliis, gradibus, aris, ſuſpenſis armis, donariis, & ſimulacris Deorum, ornata. Documentum ſolertiæ & peritiæ Tuſcorum hac in re eſt, quod Romani, ſacras exſtructuri ædes, illos arceſſi curaverint, atque in con-
ſilium adhibuerint ſemper. Atriorum propter templa inven- 52.
tores itidem ſunt Tuſci, ſed tantum in Italia. Jam enim mul-
tum ante iis in templis uſi ſunt Ægyptii, teſte *Strabone*. Quod 53, 54.
porro ad circos attinet, ad hiſtriones, ad theatra, rurſus primi

 ſunt

ſunt in Italia, qui hiſce rebus operam dedere; atque ha-
Pag. 55- buerunt fere Romanos his in rebus imitatores. *Tab. VII*
62. Arretinii Amphitheatri facies expreſſa, quod, cum a *Laurentio Guazzeſio*, Patricio Arretino, Commentario ſit doctiſſimo illuſtratum, paucis adumbrat, iisque ex dicto hoc volumine
63. repetitis. De piſcinis unam affert ſubterraneam, quæ adhuc integra Volaterris eſt. Hanc, cum fama eſſet, repletam ſerpentibus eſſe, ipſe Cel. Autor primus omnium per ſcalas adiit A. 1739, atque inſigne comperit antiquitatis opus, delineatum *Tab. XI, XII, XIII.* Excipiebant ejusmodi piſcinæ aquam ex aquæductibus, atque ad futuros uſus continebant
64. ſervabantque. *Cap. VII* oſtendere conatus eſt doctiſſimus Autor, Etruſcos priſcos in ædificandi ratione cum Ægyptiis & Græcis conſpiraſſe; Romanos vero ſub Regum imperio imitatos Etruſcos in publicis ædificiis, quorum inſignes reliquiæ adhuc perſtarent. Diſputat primum de Ægyptiis ædificiis, atque deinde de Græcis. Ægyptiorum ædificiorum exemplum præbent Thebæ Ægyptiæ, quarum formoſiſſima rudera ſiſtit *Tab. XIV*, a *Nordeno* oculis uſurpata; Græcorum vero duo templa in eadem *Tabula* a *Cyriaco Anconitano* deſcripta. Utro-
65. rumque par & una ratio eſt cum Etruſcis cum ad materiam,
66. tum ad formam quoque. Idem de Romanis dicendum, quod ex cloaca maxima & templo *Jovis Capitolini*, *Tab. XV* expreſſo,
68. colligitur. Inprimis hoc patet ex arce *Sullana*, caſtello nimirum a *L. Cornelio Sulla* exſtructo in edito monte Volaterrani agri, quod ipſum inſpexit, duabusque *Tabulis XVII & XVIII* nitidiſſime exprimendum curavit *Gorius*. Silent hoc caſtrum *Cluverius*, *Cellarius*, alii, hoc magis commemorandum. Ejus hexagona eſt forma, &, ut tum tempora erant,
69. inprimis ad arcendos comparata hoſtes. *Diſſertatio ſecunda*
70-72. agit de Etruſcorum antiquis privatis ædificiis. In Præfatione comprobat, Etruſcos Ægyptiorum imitatores etiam in ſepulchris fuiſſe. *Cap. I* Hypogæum ſepulcrum apud Cortonenſes,
73-75. quadratis ingentibus lapidibus exſtructum, deſcribitur, & obſervationibus nonnullis illuſtratur. Exhibetur hoc *Tab. I & II* ſe-
76. cundæ Claſſis. Fama eſt apud Crotonenſes, hanc Cryptam olim inco-

incoluiſſe *Pythagoram*, in Italiam delatum, *Polycratis* nimi-
rum tyrannidem fugientem. Sed haud dubie hæc fama Cro-
tonenſes cum Crotoniatis confundit, apud quos, teſte *Dioge-
ne Laertio*, *Pythagoras* mortuus eſt. *Cap. II* ſiſtit Cryptam ſe- Pag. 77.
pulcralem apud Falarim, Etruriæ urbem, inſignem compluri- 79.
bus loculis in rupe exciſis, Etruſciſque literis; nec non alte-
rius Etruſci hypogæi ſepulcri ichnographiam & deſcriptio-
nem; *Cap. III* Iguvinorum ſepulcrum, pereleganti Tuſca- 80·81.
nio opere quadratis lapidibus exſtructum; *Cap. IV* Peruſi- 82·83.
norum ſepulcrum, Tuſcanio opificio & Etruſca prælonga in-
ſcriptione inſigne. Peruſia enim inprimis ejuſmodi antiquiſ-
ſimis conditoriis ſuperbit. *Cap. V* pergit ad ſepulcrum, effoſ- 84.
ſum prope Cluſium, quatuor cellis, lacunaribus, ſcamnis, ſtatuis,
& picturis, ornatum. Ita vetuſtum hoc, ut ſuperiora, non eſt,
ſed multo illis elegantius, forte inventum A. 1734 a ruſticis vi-
nitoribus. In topho ſcitiſſime excavatum eſt. Crucis formam 85·87.
hujus cryptæ non a Chriſtianis, ſed Ægyptiis, repetit: quam,
veremur, ut ex documentis Ægyptiis uſurpatam in ſepulcris ſit
comprobaturus. Inſignis elegantia cryptæ ſuadet recentius
tempus. *Cap. VI* Cryptæ ſepulcrales explicantur, inventæ pro- 88.
pe antiquum Cornetum, picturis, lacunaribus, ſcamnis, urnis,
pictis vaſculis, Etruſciſque inſcriptionibus, ornatæ. Cel. Au-
tor ſub initium huius *Capitis* promittit, alio in loco de Graphi-
ces origine apud Tuſcos ſe acturum; cujus laboris præclara jam
documenta ſiſtit. Obſervat de Inſcriptionibus Cryptarum, has, 89.
in parietibus excavatis in molli terra pictas, aere ingreſſo, quod
ſuperficiem tantum argillæ occupent, brevi evaneſcere, adeoque
ſtatim deſcribendas eſſe. Sequentibus *Capitibus* non minoris di-
gnitatis illuſtrantur monumenta; ut *Cap. VII* ſepulcreta apud
Volaterranos; inprimiſque *Cæcinæ* gentis ſubterraneum condi- 92·95.
torium, porta, aditu, ſcamnis, urnis marmoreis, anaglypho opere
ſculptis, iiſdemque pictis & inauratis, araque marmorea perele-
ganti, auctum; *Cap. VIII* aliud inventum inagro Senenſi, ejuſ- 96·98.
que oſtium, cineraria, & ollæ, Etruſcis literis inſcriptæ. Has
Diſſertationes excipiunt Cl. *Joannis Baptiſtæ Paſſerii* de Etruſco-
rum ſepulcris obſervationes, quibus Peruſinum, Iguvinum, &
Tarqui-

Digitized by Google

Tarquinienſe ſepulcrum, adhuc obvium, illuſtratur, quod
negotium *Paſſerio*, Architecturæ gnaro, & antiquitatis ſcien-
tiſſimo, præclare ſucceſſit. Numerat autem Peruſinum &
Pag. 109. Iguvinum in publicis; Tarquinienſe in privatis. *Diſſerta-*
*tione III Goriana* explicantur ſepulcrorum Etruſcorum or-
110-112. namenta. Debet hæc Cl. Autor beneficio ampliſſimi Ro-
manæ aulæ Præſulis *Marii Guarnaccii*, Patricii Volaterrani,
in cujus nomine hic *Tomus tertius* apparuit. Hic enim,
ad literas hujus generis promovendas natus, inde ab
A. 1738 ad hoc tempus ingentibus ſumtibus ac perpetuis
curis patria hæc Tuſcorum Volaterranorum ornamenta e ter-
ræ latebris proferenda curavit, atque iiſdem muſeum exſtru-
xit perinſigne ſuum. Tractantur autem hæc *ſedecim Capiti-*
113. *bus. Cap. I* ante lectorum oculos exponuntur urnæ cinerariæ
& ollæ, tanquam præcipua ſepulcrorum Etruſcorum orna-
menta. Conferunt autem plurimum ejuſmodi cinerariæ arcu-
læ, anaglypho opere ſculptæ, ad ritus moresque veterum
Etruſcorum cognoſcendos. Hæ enim oſtendunt, quæ ad reli-
gionem hujus inclytæ gentis pertineant, quæ opiniones, quique
Dii atque Heroes, cum Græcis Latiniſque communes, apud eos
culti, quæ ſacrificia, quæ donaria, quæ in funeribus habita
ſacra, qui luctus, quæ lugubres veſtes, qui honores mor-
tuis tributi, qui ludi in horum memoriam inſtituti, quæ de-
nique illuſtriores apud eos familiæ fuerint. Neque hæc omnia
adhuc accurate expoſita. *Thomas Dempſterus*, dedita opera
ritus tractans Etruſcos, funus Etruſcum ſilet. Solus fere Cel.
Autor in hac clariſſima antiquitatis Etruſcæ parte fecit operæ
114. pretium. Dijudicat materiam, formam, figuram, urnarum
Tuſcarum, diſputatque de ſculptoribus Tuſcis, & de illorum
116,117. emblematibus. Inprimis memorabile cinerarium eſt, allatum in
*Tab. XV Sect. III*, atque inventum in ſepulcro *Cuelniorum*, cu-
jus interior pars duobus loculis exciſa eſt. Factum autem hoc,
ut, qui vivi ſanguine juncti fuerant, mortui una caperen-
118. tur urna. *Cap. II* inquirit in antiquitatem plaſtices, ſculptu-
ræ, & picturæ Etruſcorum. Eſt autem plaſtice ars omnium, uti

conſtat,

Digitized by Google

conſtat, antiquiſſima, & mater ſtatuariæ, ſculpturæ, & cælaturæ, uti jam *Plinius* obſervavit. Hanc Tuſci vel invenerunt, Pag. 119.
vel mirifice excoluerunt, uti accurate Cel. Autor comprobat. 121.
Simile de ſculptura & pictura confirmandum, cujus utriusque 123.
antiquiſſimus fuit in Etruria uſus. Pergit Cel. Autor ad urna- 124.
rum architecturam, quam vocat, *Cap. III*, quæ in nonnullis
prorſus eximia eſt, in aliis mediocris, in aliis rudis admodum.
*Cap. IV* ſiſtit imagines defunctorum virorum & mulierum, qui 128.
recumbentes, vel dormientes, ſculpti ſunt in operculis ſepulcralium urnarum. Cum Etruria omnes gentes & nationes cultu & pietate in defunctos ſuos ſuperaverit; mirum non eſt, quod Cel. Autor tot & tanta monumenta hanc in cauſam attulerit. Licet autem in his peculiare aliquid obſervare. Defunctorum imagines, ſculptæ in operculis, expreſſæ ſunt, tanquam viventes genio ſuo & hilaritati in conviviis indulgeant, ſpecie atque habitu corporis diſcumbentium & epulantium. Occurrunt etiam culinæ ſacræ in ſepulcris Etruſcis veſtigia, forte in uſum parandarum feralium epularum pro mortuis. *Cap. V* ad nobilius hi- 131.
ſtoriæ Etruſcæ monumentum eruendum progreditur Cel. Autor, nimirum ad comprobandum, Etruſcos hos crediſiſſe animarum immortalitatem, & divinitatem poſt mortem. Aſſe- 133-136.
rit autem hoc cum ex apparatu ferali, tum ex veterum te-
ſtimoniis. Quin *Cap. VI* ex ſacrificiis, oblationibus, & donariis, 136 139.
evincit, cultos defunctorum manes ab Etruſcis. Sequente *Cap.* 140-145.
*VII* totus eſt in titulis urnarum & variis emblematibus eruendis & interpretandis. Fuerunt, qui, titulos, exiſtimarent, proponere præcepta quædam morum, vel rerum geſtarum compendia; ſed primus Cel. *Gorius*, eruto Etruſcarum literarum Alphabeto, oſtendit, hoſce titulos nomina duntaxat ſiſtere de-
functorum. *Caput VIII* Muſeo *Guarnaccii* dicatum eſt, hujusque 146-152.
ſepulcrales urnas, peregrinas hiſtorias, Trojanumque bellum, exhibentes, explicat. Ex his inter alia apparet, quibus armis mortalium primi in bello uſi ſint, nimirum ſaxis, bipennibus, trabibus aduncis, ſudibus, haſtis, facibus, jaculis, ſagittis,
& quæ clypeorum galearumque forma fuerit. *Cap. IX* verſatur 153-158.
in emblematibus urnarum, e Troica hiſtoria depromtis, eruendis.

Kkk Sunt,

Digitized by Google

Sunt, qui confuſæ Græciæ & Etruriæ culpam in Cel. Autorem devolvere auſi ſunt; ſed, quemadmodum jam *A. 1739 Menſe Januar.* hanc maculam, Muſeo ejus Etruſco fruſtra affictam, in *Actis* his delevimus, ſic et in præſentia ejus rei nos non pœnitet. Mirus eſt in ſingulis fere rebus Græciæ & Etruriæ conſenſus; nec illa Trojana in urnis mentio aliorſum eſt trahenda. Quod idem quoque de ſepulcris intelligendum, inſcul-
Pag. 159- ptis feralibus emblematibus, cum Trojana hiſtoria conjunctis,
166. tragicisque celebrioribus thematibus, quæ *Cap. X* in lumine ponuntur. Cel. Autor, ex Græcia in patriam redux, *Cap.*
167-169. *XI* ſacra Deorum myſteria, initia, luſtrationes, atque expiationes, ex urnis oſtendit. Egregie his illuſtrantur Etruſca, vel ſacra, vel civilia, inſtituta; quin imo multarum aliarum gentium. Nam expiationes illæ innumerabiles, ab *Arnobio* allatæ, ſuas origines haud dubie ab Etruſcis repetunt. Occurrunt autem exempli cauſa in *Tab. XVIII* ſacra *Dianæ Tauricæ.* A
170-172. ſacris ad nuptias, pompas, & epulas nuptiales, in urnis obvias, progreditur *Cap. XII.* Atque hic *Tab. XX, XXI, XXII* & *ſeq.* pulchre apparet veſtium nuptialium forma, imago porro Pronubæ Etruſcæ, & alia. Superſunt *quatuor primæ Partis Capita*, quorum ſingula haud contemnendum tractant argu-
173-177. mentum. *Cap. XIII* adumbrat luctum Etruſcorum in funere, ſacros ritus, pompas, honores, luſtrationes, eorumque de ſtatu animarum poſt mortem opiniones. Nam, etſi hanc rem ſupra jam tetigit, tamen complura nova, præſertim ad luctum,
178. hic adduntur. *Cap. XIV* ſiſtit ex urnis civiles ritus, mores, & conſuetudines; quorum jam mentionem fecerat in *duobus* ſuperioribus *Tomis.* Verum nova hic urna eſt in *Tab. XXVII*, in qua magiſtratus ſuam dignitatem auſpicantur, & procedunt.
180. *Cap. XV* evolvit ſymbola in urnis. Erant autem ſymbolica Etruſcorum ſepulcra, quorum anaglypha nullas hiſtorias, nullasque fabulas, præferebant, neque civilia, vel ſacra, documenta, aut Heroum geſta, repræſentabant, ſed modo themata ex antiquæ theologiæ fontibus, ut rudes homines, his ſymbolis obſervatis, Deorum inferorum poteſtatem venerarentur, Ma-
184-186. nes Deos metuerent, colerentque. Tandem *Cap. XVI* additur fune-

Digitized by Google

funebris defunctorum ſupellex, inventa in Volaterranis ſepulcris, atque aſſervata in Muſeo *Guarnaccio*. Univerſam hanc in tres claſſes dividit, quarum prima reſpicit ſuperos atque inferos Deos; ſecunda continet vaſa & inſtrumenta, quæ ad ſacrificia in honorem tum Deorum, tum mortuorum, pertinebant; uti ſacrificales pateras, tripodes, arulas, candelabra, lucernas, coronas, & his plura; tertia denique ea complectitur ornamenta, quæ viris mulieribusque, dum viverent, grata fuerunt. Omnia hæc expreſſa in *Tab. XXX, XXXI, XXXII, & XXXIII. Pars II.* non quidem lucubrationes Cel. *Gorii* complectitur, ſed Diſſertationes ſex *Jo. Baptiſtæ Paſſerii*, JCti Piſaurenſis; quæ tamen dignæ omnino ſunt, ut *Gorianis* addantur. Eandem enim ſpirant diligentiam, atque idem fere in eruendis antiquitatibus acumen. P. II
*Prima* eſt de genio domeſtico ad Cl. Virum, *Andream Joannellium*. In hac agitur primo de genio, univerſi autore & præſide, de ceteris geniis, rerum creatarum gubernatoribus; & tandem de genio domeſtico, cujus munera, expiatio, cultus, & ſimulacra, ſiſtuntur. Singula hæc in *Tab. IV, V, VI, VII*, aliisque quampluribus, nitide exprimuntur. *Altera Diſſertatio* inſcribitur *Acheronticus, ſive de ara ſepulcrali*, ad Virum Cl. *Philippum* Lib. Bar. *de Stoſch*, quæ cum *quindecim Capita* contineat, graviſſimis rebus conferta, ſingula veluti digito indicabimus, ut eorum argumentum in aprico ponatur. *Cap. I* deſcribuntur *columellæ* quædam, literis exaratæ Etruſcis, & quæ nuper defoſſæ ſunt. *Cap. II Acherontici* vocem ex Etruſca repetit lingua, qua ſacrum ſignificet, ſimulque veterum Acheronticorum librorum, in Etruria celeberrimorum, recenſet argumentum, quod totum in religione Etruſca occupatum fuiſſe conſtat. *Cap. III* aggreditur ſepulcralis Aræ deſcriptionem. Nimirum A. 1731 emtus fuit lapis albi coloris, tereti figura, ad tres palmos productus, acuminatus in cupreſſi formam, ingenti atque rudi hypobaſi, quæ ex eodem lapide conſtat, Etruſcarum literarum lineis ex una parte inſignitus. Præclarum hoc monumentum, a villico in ſtabulum domeſticum invectum, ita in pariete obfirmatum erat, ut, proſiliente

Margin notes: pag. 1. — 6-17. — 19. — 21. — 24-25.

cylindro in clavi ſpeciem, ruralem ſupellectilem inde ſuſpenderet: cui uſui per ſexennium inſervivit, donec ad *Paſſe-*
Pag. 27. *rium* perveniret. Ita ipſe *Paſſerius*. *Cap. IV* comprobatur, hanc columellam fuiſſe ſepulcralem. Occurrit hic elegans digreſſio de columellarum uſu in ſepulcris apud pleroſque populos.
29. *Cap. V* inveſtigatur aræ ſepulcralis origo, & mos referendi mor-
32. tuos inter divos publica & privata autoritate. *Capite* vero *VI* explicatur modus, quo divinitas a Diis tradi ſit credita, & ab hominibus impetrari; quod argumentum uberius tractat *Cap.*
34-37. *VII* & *VIII*. Ad conciliandam divinitatem neceſſaria nimirum erant piamina, adſperſiones ex liquoribus, quæ ambroſiæ & nectaris vicem ſuſtinerent, abditi porro in tumulo liquores, in vaſculis incluſi; coronæ cum mortuo ſepultæ; qua data occaſione agitur de coronis Cuprenſibus. *Cap. IX* expenditur forma ſepulcralium vaſculorum, quæ & Deorum inferorum imagines, & animalium, Diis ſacrorum, referunt. In his animalibus inprimis eſt leo, cujus figura lapidea ſæpe in ſepulcris viſitur. Afferuntur non tantum antiqua, ſed etiam recen-
44. tiora, teſtimonia. Eſt autem inter aras ſepulcrales, quæ publica, & inter eas, quæ privata autoritate poſitæ ſunt, aliquod diſcrimen, quod *Cap. X* explicatur, atque oſtenditur, ejusmodi aras ab Etruſcis Laribus defunctorum, a Latinis Manibus, dicatas eſſe. Intelliguntur autem per Lares Etruſcorum & Latinorum manes animæ defunctorum, inter Deos relatæ, vel Senatuſconſulto, vel domeſticis modo hæredum cogna-
47. torumque ſuffragiis. Cur vero Manes plurali numero ſint invocati, etſi perobſcura ſit ſuſpicio, tamen *Cap. XI* ex *Servio* colligit, hoc factum, quod antiqui quatuor exiſtimaverint in homine uno animas eſſe. Diverſus Larium Maniumque cultus evolvitur *Cap. XII*. Ab his ſejungendus Genius;
48. cujus originem, cultum, ſpeciem in urnis fictam variam, ſi-
55. ſtit, atque idoneis *Cap. XIII* comprobat argumentis, mortuis, cum pro Diis haberentur, plures Genios adminiſtros traditos
58. eſſe. Habent Etruſca monumenta hoc ſingulare, ut, cum Latinorum Genii tantum mares ferantur, illa & Genios ſiſtant; quæ ultimæ, *Junones* perpetuo dictæ, nihil commune

cum Jovis uxore habent. Harum officia ex monumentis eruuntur *Cap. XIV. Caput XV* & Concluſio plures exhibet columellas Pag. 60.
ſepulcrales vetuſtiſſimas, Etruſcis literis inſculptas, primumque nunc e tenebris erutas. Scriptio in his columellis fere ſemper, ut orientalium, a dextra ad ſiniſtram ducitur; uti antiquiſſima Græcorum, quorum literas multas imitata eſt Etruſcorum ſcribendi ratio. Sed, quod quoque obſervandum, 69.
occurrit in illis τὸ βυστροφιδὸν, uti in Græcis vetuſtis. *Diſſertatio tertia* Cl. *Paſſerii* eſt de Etruſcorum funere, ad Virum Clariſſ. *Diamantem* Comitem *de Montemellino*, Patricium Peruſinum. Obſervat in hac bene multa, ab aliis ita non animadverſa, uti de ratione excipiendi ore ſpiritum morientis; cur priſci in funere crines evellerint. Ex urnis porro Etruſcis 103 ſeq.
agit *Diſſ. quarta* de antiqua Velciorum Etruſcorum familia Peruſina, ad *Franc. Antonium Domitianum*, Tudertem; *Diſſert.* vero *quinta* de architectura Etruſca urnarum aliquot ſepulcra- 111.
lium, earumque emblematibus, ad Virum Cl. *Antonium Franciſc. Gorium.* Antiquum eſt marmor, cujus inſcriptione explicata, expreſſam formam pingit. Gratumque ſine dubio erit hoc ſim- 116.
pliciſſimæ Etruſcæ antiquitatis ſpecimen, poteritque cum pauciſſimis, quæ ſuperſunt, monumentis conferri. Ipſam elegantem ejus deſcriptionem, pluribus a Cl. *Paſſerio* traditam, malumus apud eam legi, quam a nobis minus plene repeti. In univerſum 123.
monet, nullam regulam certamque formam fuiſſe apud Etruſcos, plerumque Doricos cultus referre monumenta, ſæpe tamen etiam Ionicos & Corinthiacos, incertique ordinis, quos quisque ſculptor pro ingenio & arbitrio ſuo inveniſſet. Neque mirandum hoc eſt, cum Etruria ex innumeris pæne populis conſtitiſſet, qui ex Aſia, Græcia, & Oriente, profecti, eam occupantes, aliquid ſemper ex patriis ſedibus retinuiſſent. Diſ- 129.
ſertationis corollarium eſt de Rege Nemorenſi, uti dicebatur *Dianæ Tauricæ* ſacerdos, cujus imago ſæpe in urnis & gemmis Etruſcis apparet. Ultima denique Cl. *Paſſerii* Diſſertatio eſt 133.
de antiquis tegulis ſepulcralibus Etruſco-Latinis, ad Virum Cl. *Petrum Paulum Aſtancollium*, Patricium Tudertem. Magni pretii hæc monumenta ſunt, quod ex his Etruſcæ & linguæ &

 ſcriptu-

Digitized by Google

ſcripturæ, in Latinam migrantis & dilabentis, veſtigia non obſcura, ſed expreſſa, adſunt, cujus rei admodum rara ſunt exempla.
Pag. 134. Fuit autem uſus harum tegularum ad obſtruendas columbariorum valvulas, in quibus urnulæ ſepulcrales, defun-
135. ctorum cineribus oppletæ, conditæ erant. Refert autem has tegulas Etruſco-Latinas ad ea tempora, quibus preſſa Etruria bellis Romanorum, lingua, commercio, & autoritate, primas tenentium, veterem linguam & ſplendorem amittere incepiſſet. Suave igitur eſt, in his tegulis intueri Etruſcarum literarum formas, ſe paulatim in Latinarum literarum ductus in-
145. duentes. Duplex Index, qui Opus hoc *Gorianum* doctiſſimum
156. præſtantiſſimumque finit, res, & in *Paſſerianis*, & in *Gorianis*, Diſſertationibus obvias, ante oculos ponit. Ceterum optamus, & haud dubie nobiſcum orbis literatus, ut, quas paſſim in hoc Volumine promittit Doctiſſ. *Gorius* novas lucubrationes, ut *P. I pag. 2* de coloniis & regimine veterum Tuſcorum, *pag. 88* de origine & progreſſu Graphices apud Etruſcos, *pag. 126* quæſtiones Etruſcas, *pag. 142* duo Lexica, Hetruſcum & Pelasgicum, denique *pag. 185* Commentarium *Lazari Bayſii* de vaſculis veterum, acceſſionibus ſuis locupletatum, propediem cum eruditis communicare velit.

*EPISTOLARUM REGINALDI POLI, S. R. E. Cardinalis, & aliorum ad ipſum, Pars prima, quæ ſcriptas complectitur ab A. 1520 uſque ad A. 1536, ſcilicet a primo Reg. Poli Patavium adventu uſque ad delatum ei a Paulo III Cardinalatum. Præmittuntur Animadverſiones in Epiſt. JO. GEORG. SCHELHORNII, Vita Card. Poli, & quaedam hujus ſcripta, atque Diatriba ad easdem Epiſtolas. Pars ſecunda, quæ ſcriptas complectitur annis 1537, 1538, 1539, ſcilicet ab inita Legatione Belgica uſque ad deſitam Legationem Hiſpanicam. Præmittuntur Animadverſiones in Epiſt. JO. GEORG. SCHELHORNII, Diatriba, & Monumenta quædam præliminaria ad easdem Epiſtolas.*

Brixiæ,

Brixiæ, excudebat Joannes Maria Rizzardi, 1744, 4 maj.
P. I Alph. 3 plag. 14, P. II Alph. 3 plag. 4.

*Reginaldus Polus*, doctrina, conſilio, rerum geſtarum magnitudine, virtute, enixiſſimo eccleſiam Romanam juvandi amplificandique ſtudio, quondam inſignis admodum, non facile illuſtriorem, nec digniorem, laudum ſuarum præconem, & ſcriptorum ſuorum inſtauratorem, quam quidem *Angelum Mariam Quirinum*, Purpuratum Eminentiſſimum, cujus non minora in ſedem Romanam merita, quam decora, quibus in orbe literato fulget, exiſtunt, invenire potuiſſet. Splendidum hoc Opus, quod in fronte effigiem *Poli*, affabre pictam, oſtentat, inſcriptum eſt *Dominico Urſino*, pariter Eccleſiæ Romanæ Purpurato, cui ſe ob conciliatam ſibi *Benedicti XIII* beneficentiam, quem ſanguine attingat, obſtrictum agnoſcit. In Præfatione *Partis primæ* ſiſtit *Animadverſiones in Epiſtolam, a Schelbornio ad ſe ſcriptam*. Ægre fert, quod is *Burneti* de *Polo* narrationi nimium tribuat, cum tamen ex hujus epiſtola, in *Amœnitatibus* publicata, rectiora ſcire potuiſſet. A *Polo* de- Pag. 1-6.
pellit ſuſpicionem, ipſum, galeri purpurei potiundi deſiderio ineſcatum, per *Henrici* Regis infamiam ad ſummum illum honorum apicem graſſatum eſſe. Num recte fecerint primæ digni- 6-12.
tatis in eccleſia Romana viri, inque his ipſe *Joannes Petrus Caraffa*, poſt ſub nomine *Pauli IV* ad Pontificium faſtigium evectus, ipſum, ubi de novo Pontifice eligendo deliberaretur, graviſſimorum vitiorum reum agendo, quærit. Aliquanto acer- 12-14.
biore ſtilo adverſus *Henricum* uſum fuiſſe *Polum*, non diffitetur. Odio acerbiſſimo in Regem arſiſſe *Polum*, nec ullam 14-21.
pietatis et beneficentiæ in ſe rationem habuiſſe, aſſeveraverat *Schelbornius*. Contrarium demonſtrat *Quirinus*, ipſum ab amore & pietate in Regem nunquam diſceſſiſſe, &, ſi quæ duriora ipſi aliquando exciderint, feciſſe id officii ratione ductum, & ut ſaluti ipſius & regni conſuleret. Sed enim, ſi 21-38.
*Polus* tanta de ſalute Regis & incolumitate regni ſolicitudine fuit affectus, numne lenioribus ſuaſionibus & blandioribus adhortationibus animum ejus ſibi conciliare debuiſſet, quo facilius aurem accommodaſſet? Spiritus certe Chriſti manſuetudinem totus ſpirat; & fidiſſimi regni ipſius internuntii non

ver-

verborum ſtrepitu, nec conviciorum tumultu, hominum ani-
mos perculerunt, ſed doctrinæ ſuæ præſtantia, & graviſſima-
rum rationum ponderibus, horum pervicaciam expugnarunt,
ut lubentes ipſorum præceptiones admiſerint. Non illi ſu-
mus, qui patrocinium rerum omnium, ab *Henrico* geſtarum,
ſuſcipiamus, ſed & illud apparet, *Polum* molitionibus ſuis id
egiſſe, ut Regem ad obſequium Præſulis Romani revocaret,
ipſumque ad exſtirpandos emendatæ religionis confeſſores in-
flammaret; non ut veram pietatem, virtutisque ſtudium, ipſi
ingeneraret. Affirmat Illuſtriſſimus *Quirinus*, *clerum Anglica-
num* & reliquos *ordines* regni Regem *Henricum eccleſiæ prote-
ctorem*, *unicum & ſupremum dominum*, *& caput*, non niſi in-
vitos & adactos agnoviſſe; quod de quibusdam quidem, non
Pag. 38-42. de omnibus, dici poteſt. Notaverat *Schelhornius*, *conſilium de
emendanda eccleſia*, in quod *Sturmius* calamum ſtrinxerit, *Po-
lum* una cum aliis Cardinalibus, jubente ita *Paulo III*, conce-
piſſe, ac ſcripto conſignaſſe, inque indicem librorum prohibi-
torum relatum eſſe. *Quirinus* hoc ita diluit: Sententiam ju-
dicii non tam fuiſſe directam in conſilium, quam quidem ea,
quæ in Germanica editione eidem adjecerit *Sturmius*, cum vel
*Cochlæi diſcuſſio vindiciarum Sturmii* eodem infortunio ſit af-
fecta, quandoquidem cenſores nullas omnino in conſilium
iſtud annotationes, quales etiam fuerint, probare voluerint.
42-49. *Antonii Braccioli* Italicas Bibliorum verſiones jure proſcriptas
eſſe, in easdemque *Juſtum Fontaninum* merito invehi, docet,
49, 50. non autem ipſius Dialogos notari. Crimini dederat *Polo
Schelhornius*, quod *Carolum V* Imp. & alios Principes Chriſtia-
nos adverſus *Henricum* concitare, ſicque ipſum & regnum il-
lius in diſcrimen adducere, ſit anniſus. Contrarium demon-
ſtrare annititur Noſter, cauſatus, ſcriptum illud ad Imperato-
rem, alioſque Principes, nunquam fuiſſe miſſum, nec alio ſpe-
ctaſſe, quam quo *Henricus* ſanioribus conſiliis aurem præberet.
51-71. Sed ſit ita, *Polum* non ſcripto id egiſſe, quorſum ſpectaverunt
hujus legationes, nonne ut Imperatorem alioſque Principes
adverſus Regem & regnum Angliæ armaret? Et, qui in alium
omnia convicia impotentia quadam animi conjicit, illumne
ſibi adjunget, ut ſe illi facilem & benignum præbeat? Enu-
merat

merat hinc viros doctrina & vitæ ſanctitate in eccleſia Romana, tempore *Pauli III* & *Poli*, ex ordine Purpuratorum, antiſtitum, & hominum religioſorum, conſpicuos, quos cum illis, qui vivo *Luthero* novas de religione ſententias in Germania propalarint, contendendos, imo illis forte ſuperiores, eſſe arbitratur; interim non it inficias, & illa, & adhuc noſtra, tempeſtate conqueſtos bene multos fuiſſe, labis haud parum adhærere eccleſiæ, illamque emendatione indigere, propterea tamen vinculum conſociationis diſſuendum haud fuiſſe, nec in ſegreges cœtus diſcedendum, concludit.

Sequuntur jam *Monumenta præliminaria hujus Voluminis.* Pag. 76.
In Præfatione ad Lectorem diſſerit Emin. Autor 1) de *vita Poli*, 80.
quam ex Italica deſcriptione *Ludovici Beccatelli* in Latinum ſermonem convertit *Andreas Dudithius*, cujus indolem, doctrinam, virtutes, dilaudat, ſed dolet, *laudes eum ſuas miſerandum in modum Catholicæ religionis deſertione fœdaviſſe*; 2) de *Apologia ad* 83-87.
*Carolum V* Imp., quam prooemii loco operi *de Unitate eccleſiaſtica* præmiſerat, conſignata, poſtquam A. 1538 dirum excommunicationis carmen a *Paulo III* in *Henricum* evulgatum erat. Num vero verborum acrimonia, qua *Henricum* inſectatur, & conſilium, Imperatori datum, Regem armis perſequendi, ſi aliter malo mederi nequeat, & quod plus periculi ab illo ſit metuendum eccleſiæ, quam ab ipſis Turcis, hac ratione excuſari queat, quod *loquatur non ſua, ſed eccleſiæ, voce, quæ ejus miniſterio utebatur, & ex munere, injuncto ipſi a Dei vicario*, viderint alii. Agit 3) de *altero Proœmio*, cujus 87-95.
partem, quam Codex MStus Vaticanus exhibet, tertio loco inter *præliminaria Monumenta* repoſuit. Directum eſt ad *Jacobum*, Scotiæ Regem, quem ob conſtantiam in avita religione prædicat, monens eum, ut ab inſidiis *Henrici* ſibi caveat. 4)
De *Apologia Reginaldi Poli* diſſerit. Subjicitur *Hermanni Sam.* 95-97.
*Reimari*, V. C. ad *Angelum Mariam* Cardinalem *Quirinum* Epiſtola de *libro* ipſius, *ad Reginaldi Poli geſta* pertinente, quem multa laude proſequitur, ab omni tamen judicio de controverſiis religionis pro moderatione ſua abſtinens.

Sed, miſſis Prolegomenis, nos ad opus ipſum accingamus. 97-104.
In illo primum comparet *Vita Reginaldi Poli.* Hic il-

 luſtriſſima

Digitized by Google

luſtriſſima proſapia, quæ & paterno & materno ſanguine Angliæ Reges attingebat, A. 1500, menſe Martio, eſt procreatus. Patre ipſi puero, præcipitato fato, prærepto, mater ipſum Londini primum, inde in Cartuſianorum Collegio, non multum ab urbe diſſito, omni literarum genere erudiendum curavit, in quibus adeo profecit, ut pæne puer diſputationem publicam & ſolennem, cunctis plaudentibus, habuerit. His rudimentis ad ſumma quæque præparatus, cum miro literarum elegantiorum amore flagraret, regia munificentia adjutus, decimum nonum ætatis annum agens, Patavium contendit, ibique & cum ſummis viris amicitiam conciliavit, & præcipuos quos-
Pag. 1-6. que doctores ſedulo coluit. Quinquennio in Italia exacto, in patriam eſt reverſus, aque Rege & Regina, præcipuæque nobilitatis flore, multa cum gratiæ & benevolentiæ demonſtratione eſt exceptus. Sed, ubi *Henricus Catharinam* repudiaſſet, tempeſtates imminentes proſpiciens, Pariſios abiit.
7. Exacto ibi anno in Britanniam redux, Rex, ampliſſimis præmiis propoſitis, ipſum ad partes ſuas pertrahere allaboravit,
7-10. ſed a conſtantia ſua ſe dimoveri non eſt paſſus. Quare Rex, ira percitus, impetrato ab illo per amicos annuo ſtipendio, Avenionem primum, inde Patavium & Venetias, eſt profectus.
10, 11. Cum Rex ſupremum ſe eccleſiæ Anglicanæ caput appellaſſet, ipſius ſententiam per literas requiſivit. Scripſit igitur *quatuor*
12. *Libros de Unitate eccleſiæ*. Ab hoc tempore in luce eccleſiæ Romanæ eſſe cœpit. Primum adſcriptus eſt ſocietati illorum, qui de reformanda diſciplina conſultationem inſtituerant, poſtea A. 1536 d. 11 Cal. Jan. a Pontifice *Paulo III* Cardi-
12-14. nalis eſt renuntiatus. Diverſas legationes in cauſa Angliæ obiit in Galliam, Belgium, ad *Carolum* Imperatorem, & in Hiſpaniam,
14-18. ſed quæ proſpero fere eventu caruerunt. Cui ut gratum animum teſtaretur Pontifex, ipſi legationem Viterbienſem detulit,
18-20. eundemque Tridentum ad Concilium ablegavit. Mortuo *Paulo III*, parum abfuit, quin Pontifex fuiſſet creatus, Gallicanis Cardinalibus obnixe intercedentibus, ne partes Cæſarea-
20-25. næ novo hoc incremento invaleſcerent. Cum, *Eduardo* Rege præmature mortuo, *Maria* in regni ſolium eveheretur, illaque matrimonii ſocietate cum *Philippo*, Hiſpano, jungeretur, qui

Pontifi-

Digitized by Google

Pontificiam religionem revocabat, *Polus* rogatu Regis ac Re-
ginæ Britanniam, qua legatus Pontificis, repetiit. A primo Pag. 25-
igitur ſtatim adventu decreta, contra Pontificem & religio- 33.
nem Catholicam lata, abrogavit, regnum in fidem & obſe-
quium Præſulis Romani recepit, eaque omnia fecit, quæ ad
reducendos ritus Romanos ſpectabant. Poſt a Regina Archi- 33-38.
epiſcopus Cantuarienſis declaratus, convocavit Concilium in
urbe Londinenſi, in quo de diſciplina eccleſiaſtica inſtauranda,
& ſacris ad morem rituum Romanorum reducendis, eſt actum.
Qui obnitebantur, vel blanditiis ſunt pellecti, vel pœnis
plexi, ex quibus *Thomas Cranmerus*, Præſul quondam Can-
tuarienſis, vivus flammis eſt uſtulatus. Quanto vero cun- 39-42.
que ſtudio res Pontificis in Anglia promotas cuperet *Polus*,
non tamen optimam gratiam reportavit. Diſſenſiones, in-
ter *Philippum* & Pontificem exortæ, in apertum bellum proru-
perant; arbitrum igitur ſe interpoſuit, & hunc ſui officii admo-
nuit *Polus*. Hoc Pontifex adeo indigne tulit, ut legationem ipſi
abrogaret, eundemque Romam ad ſe purgandum arceſſeret.
Quo minus autem res effectui daretur, Regina ſuis effecit mo-
nitis. Ipſe *Polus* certum hominem Romam, qui de objectis ſi-
bi criminibus reſponderet, ablegavit. Interea Regina, multa 42-47.
ægritudine & morbis confecta, A. 1558, 17 Cal. Dec. in-
opinato deceſſit, cumque ipſo illo tempore *Polus* ex febri
graviſſime laboraret, nuntio hoc accepto, inſequenti die pa-
riter fato eſt functus, natus annos 58, menſes 6. Subjicit de- 47-51.
ſcriptionem habitus corporis, morum, virtutum, dictorum, fa-
ctorum, ſtudiorum, familiaritatum, itemque recenſionem ſcri-
ptorum ipſius, tum quæ edita ſunt & abſoluta, tum quorum
tantum lineas aliquas duxit, & fragmenta reliquit.

Sequuntur jam ſcripta *Poli*, & quidem 1) *Apologia ad Ca-* 51-65.
*rolum V Cæſarem ſuper IV Libris, a ſe ſcriptis, de unitate eccle-
ſiæ.* In illa explicat & propugnat, quæ ante *IV Libris* contra
Regem *Henricum* ſcripſerat, poſtquam is ſupremi capitis eccle-
ſiæ in regno nomen ac dignitatem aſſumſerat. Quanta ipſum
vehementia aggrediatur, apparet ex ſequentibus. Poſtquam
Rex a Pontifice hoſtis eccleſiæ declaratus erat, recepit, *ſe fa-
cturum, ut apud Principes ejus nequitia ſic pateret, ut aperte co-*

*gnoſcerent, illum multo graviorem hoſtem eccleſiæ eſſe, quam Turcam tyrannum; &, ſi alter bello eſſet perſequendus, multo juſtius contra illum arma convertenda, quam contra Turcam, ut e quo major pernicies.* Nec multo poſt, *ſe Cæſarem a bello Turcico abducere conari, &, quantum poſſit, ſuadere, ut arma ſua eo convertat, ſi huic tanto malo aliter mederi non poſſit,*
Pag. 78. *quo ipſum major eccleſiæ neceſſitas vocet.* Verborum duritiem eo excuſat, quod ſe voluntate Dei, & nutu Pontificis, qui vicem Dei gerat, impulſum eſſe ſentiat. Ubi ſe caput eccleſiæ in regno appellari voluerit, crimen omnium graviſſimum ad-
81. miſiſſe, ſeque judicio divino expoſuiſſe. Qui ipſius lapſus eo gravior, quo majora divinæ benevolentiæ indicia in ipſum ante exſtiterint, pietate in Deum, multisque aliis virtutibus, egregie eluxerit, ut etiam adverſus *Lutherum* pro cauſa eccleſiæ calamum ſtrinxerit, indeque titulum *Defenſoris fidei*
83-88. promeruerit. Statum regni quietum turbaſſe, ubi filiæ, omnibus virtutibus regiis illuſtri, in pellicis gratiam jus ſucceſſionis eripuerit, *Achaſo* ſimilem factum, qui ad nutum *Jeſabelis* ſe totum compoſuerit, conjugem obtentu voluntatis divinæ thalamo ejecerit, ſe impio auſu caput eccleſiæ dixerit, populum nimiis exactionibus exhauſerit, monaſteria expilarit, & illorum ultra trecenta & ſexaginta funditus everti curarit.
88-93. Porro, ubi inauditam crudelitatem in Epiſcopum Roffenſem, *Thom. Morum*, religioſos, aliosque conſpicuos & probos viros, exercuerit, *Thomæ Pecqueti* corpus, 300 annis ante trucidati, & Sanctorum cœtui adſcripti, terra erui, igne comburi, inque aerem cineres ſpargi, donaria, mauſolæo ipſius illata, diripi, & *Auguſtini* ſepulcrum una cum templo & monaſterio di-
93-113. rui, juſſerit. Fontem tantæ mutationis in Rege, cum ante virtuti ſtuduerit, ait fuiſſe cupiditatem, qua in *Boleniam* fuerit raptus, quæ non ante corporis ſui Regi copiam facere voluerit,
113-118. quam ſe conjugem ſibi, *Catharina* exturbata, junxiſſet. Hinc, cum adhuc legum vinculis & religione teneri videretur, hominem callidum, cui nomen *Cromwello*, ipſum oratione ad fallendum compoſita legum obligatione exſolvere allaboraſſe, &, quantum emolumenti ad ipſum & regnum redundaret, ſi ſe obſequio Pontificis ſubtraheret, prolixe oſtendiſſe. Totam hominis

Digitized by Google

hominis orationem refert, &, quid in illa deſideret, fuſe de- Pag. 118-
clarat; qui cum innutritus fuiſſet principiis *Machiavelli*, in 136.
hujus doctrinam acriter invehitur, &, quæ inde incommoda
ad religionem, rempublicam, ipſos Principes, proficiſcantur,
oratione gravi ſignificat. Equidem, *Henricum* ſimulandi ar- 136-148.
tem probe calluiſſe & exercuiſſe, vel ipſa illa nihil aliud effe-
ciſſe, quam ut omnes in ipſius actiones ſint intuiti curatius, &
latentia ipſius vitia detexerint, ſummi Numinis ipſe vindictam
& Pontificis ultionem provocarit. Queritur, ſe ab ipſo ho- 148-154.
ſtem & proditorem publice eſſe declaratum, in cineres *Thomæ*, in ſanctos, in innocuos, ſæviiſſe, jusjurandum de ſer-
vanda religione ſusque deque habuiſſe, religionem, leges,
ſacramenta, mutaſſe, ſeque his facinoribus antichriſtum & *Neronem*, imo *Nerone* deteriorem, demonſtraſſe. Non igitur eſſe,
ut quisquam vel Principum, vel aliorum, cum ipſo amicitiam
colat; eſſe potius, ut odio eum proſequatur, in ipſumque cau-
ſa Dei & religionis inſurgat. Odium, pergit, exercuiſſe in ami- 154-161.
cos, illisque mala multa intuliſſe, conjugi moribundæ ne quidem
conceſſiſſe, ut filiam ante deceſſum ſuum complecteretur, eique
gratiam divinam apprecaretur. Nec mitiorem ſe præbuiſſe 161-163.
Pontifici, Imperatori, Regi Galliæ, cum Germanis, de reli-
gionis negotio diſſidentibus, amicitiam conciliare voluiſſe,
quo illos in factione confirmaret, ne in pacis conditiones de-
ſcenderent. Poſtremo ſe ad Deum convertit, eidemque ec- 163-165.
cleſiam committit, Reges vero excitat, ut mala illa ab eccle-
ſia depellant; non minus ab hoc pertimeſcendum eſſe, excla-
mans, quam ab antichriſto *Mohammedico*. 165-171.

Legitur hinc *Proœmium alterum ejusdem libelli, a Reginaldo Polo transmiſſi ad Regem Scotiæ*. Laudibus tollit conſtantiam
Regis in priſca religione tuenda, cavere eum jubet ab inſidioſis
libellis, aliam religionem, alias cerimonias, ſuadentibus, ex vicino
regno ipſi ſubmiſſis, deſcribit denique artes *Cromwelli*, quibus 172-178.
*Henricum* circumvenerit.

Ultimum inter *Monumenta* locum occupat *Apologia Reginaldi Poli ad Angliæ Parlamentum*. Suprema curia ipſum inſi-
mulaverat, ac ſi honorem Regis libello famoſo proſciderit; ab
illa igitur accuſatione ſe defendit, oſtendens, quicquid fecerit,

 in

Digitized by Google

in ſalutem Regis feciſſe. Scripſiſſe ſoli Regi, nec libri ſui legendi cuiquam copiam feciſſe. Inde juſtitiam cauſæ ſuæ demonſtrat actionibus, quas in ſalutem Regis direxerit, nec crimini ſibi verti poſſe, quod Romam abierit, ac galerum, ſibi oblatum, ex manibus Pontificis acceperit.

Comparet jam Eminentiſſ. Præſulis *ad primi* hujus *Voluminis Epiſtolarum Reg. Poli Diatriba, ſex Capitibus* diſtincta, quibus, quicquid pertinet ad vitam, ſcripta, & in Eccleſiam merita, *Reg. Poli*, copioſe, maxime vero ex ejuſdem Epiſtolis, illuſtratur, additis hinc inde, quibus omnis illius temporis hiſtoria explicatur, doctiſſimis, lectuque dignis, obſervationibus.

Pag. 179- Ad ipſas jam *Epiſtolas* accedimus, quæ in *primo Volumi-*
187. *ne* ſunt numero XLVI, partim ab amicis ad *Polum*, partim ab
ipſo ad illos, exaratæ. Illæ utplurimum ſunt officioſæ, ſub-
inde tamen quædam notatu digna occurrunt, quorum ali-
qua in medium adducemus. *Epiſtola XI Eraſmus* de *Luthero*
queritur: *Lutherus, offenſus mea diatriba, modeſtiſſime diſpu-*
*tante, ſcripſit in me magnum volumen, quale nemo ſcriberet*
*in Turcam. Huic ex parte reſpondimus. Nam ſero volumen*
395. *illius nacti ſumus. Ego ille pacis & quietis amantiſſimus, cogor*
*eſſe retiarius, nec hoc ſatis, cogor θηριομαχεῖν. Caſp. Conta-*
*reno Epiſtola XXII* ſcribit *Polus* de libro Epiſcopi Vintonienſis,
cui titulum fecerat *de Obedientia*, in quo Regem præcipuum
caput eccleſiæ Anglicanæ aſſeruerat, Pontifici vero omnem
autoritatem abrogarat, ab illo multum mali ad alios manatu-
429. rum eſſe, cum ab eo ſit profectus, qui jus Pontificis vindica-
re debuiſſet. Librum ſuum adverſus *Sanſonem de Pontificis*
*Romani primatu* mittit *Epiſtola XXV* ad *Contarenum*, rogitans,
ut, ſi quæ emendanda ipſi viderentur, refingeret; nec diffi-
434-437. tetur, ſe acerbius in Regem ſcripſiſſe, ſed & illa ipſius arbi-
trio permittit. Quod duriter in Regem ſcripſerit, *Epiſtola*
*XXVI* ad *Aloyſium Priolum* defendit, quoniam ad meliorem
mentem reduci non poſſet, niſi peccata ipſi ſua dilucide ob
438, 439. oculos ponantur; maxime cum lenia remedia adhuc nil quid-
quam effecerint. Librum ſuum adverſus Regem Pontifici
oſtendi, et ab illo aliqua legi, non prohibet *Epiſtola XXVIII*,
modo ne id fama dimanet in Angliam, illum ante a Pontifice
lectum

Digitized by Google

lectum fuiſſe, quam ad Regem delatus eſſet. *Epiſt. XXXI* Pag. 443.
refert de Cæſaris adventu in urbem, optat, ut congreſſus ille eccleſiæ ſit ſalutaris, cenſet, rationes belli gerendi utilitatibus eccleſiæ anteferendas non eſſe. *Epiſt. XXXII* comme- 451-454.
morat, a Rege ſibi ſignificatum eſſe, ut in patriam & ad aulam revertatur, quo melius de quibusdam rebus cum ipſo agere poſſit; hoc vero, niſi Rex ad eccleſiam ſe recipiat, detrectavit. Cum Rex aliquam ſpem ad eccleſiam redeundi oſten- 456.
diſſet, monet *Epiſt. XXXIII*, quid Pontifici Max. in tantæ rei negotio incumbat. *Contarenus Epiſt. XXXVI* diſſuadet, ne, in- 458,459.
vitatus etiam abs Rege, in Britanniam redeat, ſeque præſentiſſimo periculo exponat. *Epiſt. XXXIX Paulus III*, Pont. Max. ipſum 463.
Romam arceſſit, ut una cum aliis viris doctis & piis de Concilii habendi ratione deliberet. *Epiſt. XLV* ſignificat *Conta-* 466,467.
*reno*, literas ſibi ex Britannia a *Cromwello*, & *Tunſtallo*, Epiſcopo Dunelmenſi, miſſas eſſe, qui iram Regis denuntiarint, ni præpropere in regnum remigraret, & diſſuaſerint, ne Romam cogitaret; rogat igitur, ut ſuper hac re Pontificis ſententiam requirat. Negari quidem nequit, *Polum* ſummo ingenio 483.
præditum fuiſſe, & pro cogitationum varietate, quæ animo ipſius ſe ſimul ingeſſerunt, orationem ipſius fluminis inſtar decurrere, ut ad Aſiaticam luxuriem proxime accedat; ſed ardor iſte, quo in ſupremam Pontificis Romani dominationem ferebatur, ipſum præpedivit haud raro, ut non reputaret, quibus argumentis decertaret, & adverſarios ſuos non tam rationibus convincere allaboraret, quam conviciis protereret. Chartæ nitor & typorum elegantia Opus hoc commendant, mendæ ſtudioſe ſunt ſublatæ, ſubinde tamen quædam minus recte ſcripta, & quæ ſenſum turbant, occurrunt.

*Voluminis ſecundi* frontem ornant *Animadverſiones* ad alteram Epiſtolam *Schelhornii*, cum ſubjuncta *Diatriba, qua Epiſtolæ hujus Voluminis recenſentur*. Ubi ampliſſimus Purpuratus priorem *Schelhornii* Epiſtolam cum animadverſionibus publicaverat, hic aliam illi deſtinavit, plenam omnis modeſtiæ, humanitatis, ac ſtudii. Sed vero de novo inſtat, *Polum* non ita inſontem eſſe declarandum, *qui populum Britannicum ad ſeditionem*

in

*in Regem, & exteros Principes ad bellum ei inferendum, concitare ſit anniſus, adeoque jure dici queat, Vatiniano in illum odio flagraſſe.* Quod ne temere pronuntiaſſe videretur, provocat ad teſtimonium non *Sleidani* ſolum, verum etiam *Beccatelli* & *Raynaldi*, teſtantium, ipſum juſſu *Pauli III* Regem Galliæ, Scotiæ, Reginam *Mariam*, Flandriæ gubernatricem, eo conſilio adiviſſe, quo ipſos contra Britannum concitaret, ipſique ex ſeditionibus Anglicis fructum atque utilitatem aliquam caperent. Quæ ut dilueret, redit ad id, quod in ſuperioribus ingeminaverat, medici munere ſolum functum eſſe, qui morbum indicare, indeque apta remedia ſuadere, debuerit, &, ſi quidem aliquando modum exceſſerit, id excuſationis loco affert, in legationibus iſtis non propriam, ſed Pontificis, cui obedire neceſſe fuerit, cauſam egiſſe. Pontifex ægre ferebat, regnum ſibi ſuoque ærario quondam adeo lucroſum eripi; omnem igitur movebat lapidem, ut id ipſum ad obſequium ſuum reduceret. Num autem, qui operam ſuam illi accommodat, qui minas atque iras adverſus alium ſpirat, eidemque mala quævis arceſſere laborat, ab omni culpa vacet, illi judicent, qui æquitatem atque manſuetudinem in religionis negotio ſequendam eſſe dictitant. In *Diatriba* ſubjecta id agit, ut, quæ ad illuſtrationem *Epiſtolarum Poli* faciunt, adducat, notitiamque illorum tradat, ad quos ſunt ſcriptæ, vel quorum in illis injicitur mentio. Potiſſimum opera hæc omnis eo directa eſſe videtur, ut *Paulus III*, ejusdemque ſenatus, ac eccleſiæ Romanæ doctores, a doctrina, ſapientia, moderatione, vitæque ſanctimonia, commendentur, quo ſacrorum emendatorum anteſignanos argueret, non ſat rationis ipſis fuiſſe, a ſocietate eccleſiæ Romanæ diſceſſionem faciendi. Quædam ſpeciminis loco proferemus. Sic, *Pauli III* ſanctitatem & ſapientiam, qua viros quoque præſtantiſſimos in ſanctiorem ſenatum allegerit, probaturus, teſtem citat *Ciacconium*. Sed, quantum inter fucatum oratoris ſermonem, & hiſtorici fide digni relationem, interſit, nemo ignorat; certe rumores, qui, teſtante *Thuano Hiſt. Lib. VI pag. 119*, poſt ejus obitum per Italiam & alias terras ſpargebantur, non multum laudis ipſi attulerunt. Ipſum illum

illum cum ſenatu ſuo eo anniſum eſſe, ut eccleſia in veterem dignitatem reſtitueretur; infert igitur, heterodoxos non habuiſſe rationem, ut ab eccleſiæ Romanæ ſocietate ſe ſejungerent, illorum potius fuiſſe, *conſilia cum Catholicis conferre ad ejusdem maculas eluendas.* Maculas plures, ſedem Romanam & ſacrorum adminiſtros deturpantes, illi notaverant, quibus hoc a *Paulo* datum erat negotii, ut conſilium de emendandis moribus, & reformanda curia, conſcriberent, cujus exemplum nobis *Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Sec. XV & XVI pag. 177-192* exhibet. Sed num ad horum indicium ſordes iſtæ ſunt deterſæ? Malum omne a Pontifice, ſacerdotibus, & religioſis, profluere, libere teſtabantur. An vero ab illo tempore curia Romana nitidiorem faciem induit? Num querelæ Imperatoris, Regum, atque Principum, de corrupto eccleſiæ ſtatu ſunt auditæ? An illis medela aliqua eſt allata? Præter morum corruptionem ſacrorum emendatorum doctores taxabant graviſſimos errores, & male ſanam ſuperſtitionem, utque religionis doctrina ſecundum oraculorum divinorum ductum ad primævam ſimplicitatem & puritatem reduceretur, contendebant. Sed tantum abfuit, ut æquas his atque faciles præbuerint aures, ut potius diris eos execrationum fulminibus protererent, eosdemque, ubi poterant, igne ac ferro exſcinderent. Aſtrologiæ divinatrici *Paulum* nimis deditum fuiſſe, nixus teſtimonio *Mendozæ* & *Cardani*, ſcripſerat *Schelbornius.* Hanc ab ipſo infamiam depellit Eminentiſſ. Præſul, non negans, Aſtronomiam ab ipſo deamatam, ab Aſtrologia vero judiciaria animo alienum fuiſſe, aſſeverans. Verum enim vero & alii ſcriptores Pontificii hujus ipſius vitii eundem inſimulant. *Onuphrius Panvinius* haud obſcure id innuit, *eorum ſtudiorum*, inquiens, *quod occulta & exitu plerumque vana ſint*, & alioqui *ſacratis viris parum digna, culpam ſuſtinuit*, de Vita Pauli III pag. 384. Diſertius *Thuanus: Siquidem ille Pontifex Aſtrologiæ divinanti, quæ de ſingulorum fortunis judicat, valde addictus erat*, Lib. IV pag. 87. *Menckenius* noſter in *Vita Fracaſtorii*, hujus nimium aſſentandi ſtudium, quo *Paulum* ſibi adjungere nitebatur, notaverat, qui ſibi hæc verba excidere ſit paſſus: *Ipſum* (Paulum) *in ſtellas orbesque poteſtatem unum*

Pag. 28, 29. 45. 46-56.

*ex mortalibus cunctis habere.* Porro: *Nihil in inferiori hoc mundo eſſe, nihil in ſuperiori, quod ipſi ſe non aperiat.* Hoc
Pag. 78- *Quirinus lividi heterodoxorum ingenii indicium eſſe,* pronun-
82. tiat. At enim Lectoris, extra partes conſtituti, conſcientiam imploramus, num verba illa, in ſe conſiderata, homini, cujus etiam ſit dignitatis, aptari queant. Ornaverit *Menckenius Fracaſtorium* hoc elogio, *ipſum quaſi quoddam in terris eſſe delapſum Numen*, & *Gibertum Diis cœleſtibus velut æquaverit*, hæ certe locutiones, per ſimilitudinem quandam prolatæ, illis *Fracaſtorii* æquiparari minime poſſunt. Dicere, illas pro more Poetarum, in qua arte mire excelluerit *Fracaſtorius*, molliorem ſenſum admittere poſſe, rem non conficit. Quem fugit, Poetas, ubi omnia fingendi licentiam ſibi ſumunt, etiam haud raro ad turpe adulandi ſtudium ſe demiſiſſe, & veremur admodum, ut hæc explicandi ratio ſtrenuis Pontificiæ potentiæ propugnatoribus arrideat. Sint *Petro* commiſſæ claves cœlorum, eademque illa poteſtas ad Pontifices ſucceſſores transmiſſa, propterea tamen ex vero dici nequit, ipſos *in ſtellas orbesque habere poteſtatem, nihil eſſe in mundo ſuperiori & inferiori, quod ſe ipſis non aperiat*, quod nemini certe competit, niſi cui poteſtas in cœlo & terra eſt data, quod ipſum tamen etiam nonnulli aſſentatores Pontifici Romano cum multorum offenſione tribuere nulli dubitarunt. *M. Antonium Flaminium* explanationes in *XXXII Pſalmos Davidis* monitu *Poli* typis exprimendas curaſſe, memorat, quas dicit *multis* verborum encomiis tollere heterodoxos, ſpirantes eximiam in Deum pietatem, in quibusque animi ſui ſenſa de præcipuis Chriſtianæ fidei capitibus, deque pia & recta vitæ inſtitutione, ita expoſuerit, ut ne Evangelicæ eccleſiæ addictus aliquid amplius poſſit deſiderare. Qui ipſe, cum in Dedicatione, ad *Paulum III* directa, eundem *cuſtodem & principem omnis ſanctitatis* appellet, ab illis expoſcit, ut & hoc admittant: quaſi vero, qui de neceſſariis fidei Chriſtianæ capitibus recte ſentit, etiam hoc credere teneatur, Pontificem Rom. eſſe cuſtodem &
109-115. principem omnis ſanctitatis. *Albertus Pighius*, Purpuratus, unus ex familiaribus *Poli*, nonnullis de juſtificatione ſecundum mentem eccleſiæ Romanæ minus recte ſenſiſſe videtur, nec deſunt

Digitized by Google

deſunt ex ipſis Pontificiæ ſocietatis Theologis, qui ipſi dicam propterea ſcribant, quod cummaxime fecit *Ruardus Tapperus*, Lovanienſis Theologus; ſed, hunc a ſententia de juſtitia inhærente non diſceſſiſſe, prolixe diſputat Reverendiſſimus Antiſtes, addens quædam de *eccleſiaſtica* ipſius *hierarchia*. Commentatur dehinc de *Davide Betonio*, & *Jo. Fiſchero*, in Purpuratorum ſenatum a *Paulo* adſcitis, quorum Pag. 128-
uterque doctrinam eccleſiæ ſanguine ſuo obſignarit, itemque 143.
de *Henrici VIII* facinoribus & crudelitate, in ſanctos homines exercita; qua occaſione in *Thuanum*, mitius de Rege ſentientem, calamum ſtringit, crimina hujus ſilentio prætermittendo. In ſcenam productis viris nonnullis, qui, quo tempore ſacra emendabantur, in eccleſia Romana doctrina & virtute eminebant, ſubdit, non habere heterodoxos, quod aſſeverent, *in Catholicis doctoribus ne micam quidem ſanctitatis deprehenſam fuiſſe*, cum contra *Eraſmus* paſſim reformationem, a *Luthero* ac aliis ſuſceptam, *irrideat* ac *execretur*, & ſpeciatim in quadam Epiſtolarum ſcribat: *Nunc Lutherus ſcribit in ſe ipſum, videns, rem alio verti, quam putarat, & exoriri populum non evangelicum, ſed diabolicum, cum interitu omnium bonorum ſtudiorum*. *Eraſinum* reformationis opus prorſus improbaſſe, dici nequit, modus agendi in omnibus ipſi minus 173.
placuit. Fuit is in ſententiis, quæ ad religionem attinent, inconſtans, &, uti Pontificii ipſius judicio non ſemper ſtare volunt, ita æquitati adverſatur, ex hujus ſententia dijudicare Proteſtantes. Dura illa verba procul omni dubio feriunt *Anabaptiſtas*, genus hominum ſub religionis prætextu inquietum & turbulentum, omnique ſapientiæ humanæ & optimis literis infeſtum, qui, uti ex *Lutheri* primorumque Reformatorum ſchola non prodierunt, ita illos nunquam pro ſuis agnoverunt. *Paulum* Nicæam, Galliæ Narbonenſis oppidum, iter inſtituiſſe, quo pacem inter Cæſarem & Galliæ Regem conciliaret, non autem ut privatis ſuorumque commodis conſuleret, contra *Sarpium* & *Courayerium* diſputat. *Sadoleti* librum *de ædificatione eccleſiæ*, de quo prolixe commentatur, a *Du-* 174-182
*pinio*, pariterque *Niceronio*, non memorari obſervat, quem tamen *Montfauconius* inter Codices MStos Vaticanos annotet 213.

 in

Digitized by Google

in *Bibliotheca MStorum. Bernardinum Ochinum* ante ob virtutem & ſanctimoniam principibus in eccleſia Romana viris probatum, poſt, ubi Genevam ſe contulerit, Reformatorumque cœtui ſe addixerit, *agni veſte depoſita, ſquamoſum draconem apparuiſſe, acerrimumque hæreſeos patronum factum* fuiſſe, judicat. Alia, quæ acerbius in Proteſtantes ſunt dicta, paſſim occurrunt.

Pag. 256-258.

Exhibentur jam Eminentiſſ. Autori *Monumenta* hujus *Voluminis præliminaria*, numero quatuor, quæ ſunt hæc: 1) *Epiſtolæ octo Pauli III in forma Brevis;* 2) *Inſtruzione, overo informazione, ſopra le coſi d' Inguilterra, data dal Card.* Polo *a Papa* Paolo III, *quando vi fu deſtinato Legato;* 3) *Inſtructio pro Rev. Card.* Polo, *ad Cæſaream Majeſtatem proficiſcente;* 4) *Epiſtolæ quatuor,* Italice Toleto ſcriptæ, *Card. Alexandri Farneſii, tres ad Pontificem Paulum III, una ad Card. Polum.*

His ſubjectæ ſunt ipſæ *Poli* Epiſtolæ, numero LXXXVIII, elegantiſſime omnes ſcriptæ, & unde illius temporis res geſtæ plurimum lucis accipiunt, ſed quas ſigillatim perſequi, ſpatii, nobis definiti, anguſtia prohibemur. Has igitur legendas iis, quorum intereſt, illius temporis ſtatum in Anglia eccleſiaſticum habere cognitum, vehementer commendamus.

## *SCRIPTORUM, A SOCIETATE HAFNIENSI, bonis artibus promovendis dedita, Danice editorum, nunc autem in Latinum ſermonem converſorum, interprete P. P. Pars prima.*

Hafniæ, ſumtibus & typis Orphanotrophii Regii, excudit Gottmann. Frid. Kiſel, 1745, 4.

Alph. 2 plag. 5.

Eximium eſt ſpecimen, quod Societas hæc literaria, ſub illuſtriſſimi *Jo. Lud. de Holſtein* præſidio florens, eruditorum civitati exhibere potuit primum. Neque habemus, cur impenſas facientium poſtulationes vituperare queamus; quippe qui, ſolorum popularium auxilio, lingua Danorum patria edi cœptas Commentationes in Latinam vertendas curarunt, ut & alii inde proficerent. Spectant hæc quidem ad ſeptentrionales Danicasque inprimis plagas, ſed, cum eruditi ſint κοσμοπολῖται,

Digitized by Google

μονοπώλιον, exteri pariter ſibi partem hujus inſtituti quandam ſibi vindicant. Novem autem hoc in *Volumine* Commentationes occurrunt. Sunt illæ *M. W.* Meditatio de M. *Jo. Tauſſani* verſione Danica Pentateuchi; *J. G.* de anno, quo *Canutus M.* iter ſuum Romanum ſuſcepit; *E. P.* de linguæ Danicæ fatis & conditione, cum ſuperiori, tum præſenti, ævo in Cimbria auſtrali, ſive Ducatu Sleſvicenſi; *M. W.* Explicatio numi cujusdam Judæocabbaliſtici; *C. L. S.* Demonſtratio, quod Dania imperio Germanico nexu feudali nunquam fuerit ſubjecta; *B. M.* Periculum genealogicum, ſtemma *Eskilli*, Archiepiſcopi, ediſſerens; *J. G.* de Pulvere pyrio, quando in Europa inventus, & quamdiu in uſu fuerit apud Danos; *E. P.* Mauſolæum Gothicum, ſive brevis relatio de quodam A. 1744 prope arcem Jægerspriis in colle reperto monumento giganteo, vulgo *Jetteſtuve* dicto, cum quatuor in eo conditis ſceletis, ſive cadaveribus exareſactis, cujus monumenti ætas, quoad fieri potuit, in gratiam antiquitatum patriæ amatorum, indagatur; ac denique *J. F. R.* hiſtorico-phyſica enarratio de ſtupendis luminis borealis phænomenis, natura, & origine. *Tauſſanus*, de quo prima Commentatio agit, & cujus labor A. 1535 lucem publicam adſpexit, anno nimirum ante, quam *Chriſtianus III* Pontificis jugum penitus excuteret, eſt inter divinæ veritatis reparatores non ultimo loco nominandus, neque tamen poſtea tempus habuit reliquum ad cœptam telam perficiendam; unde & in Danorum lingua totus ſanctiſſimus Codex non niſi A. 1550 comparuit. *Canutum* illum, Daniæ atque Angliæ Regem, A. 1027 Romæ fuiſſe, contenditur, *Baronii* ſententia plurimos adverſus diſſentientes, qui annum 1031, vel 1032, nominant, defenſa. Tertiam Commentationem, cum ceteræ magis ſint peculiaris argumenti, vel ſolam paulo penitius perſequamur. Spectat illa ſolum Ducatum Slesvicenſem, ubi pariter quondam Danica florens lingua, variis deinde caſibus, a Saxonica, vel Teutonica, fuit abſorpta. Quodſi hypotheſin Islandicam, vulgo receptam, noſtram facimus, factionem *Othini*, ex Aſia profugam, his terris ſuum ſic dictum Aſarum idioma intuliſſe, negari nequit, idemque, certum eſt, in Saxonia eſſe diſſeminatum, quam Aſarum propago non minus, quam Daniam &

Pag. 3 ſeq.

55.

56.

 Sueçiam,

Digitized by Google

Sueciam, incoluit. Noſter hic, quanquam pomum eridos perpetuum eſſe concedit diverſam de migrationibus populorum opinionem, tamen, ex vetuſtiſſimis Græcorum ac Romanorum monumentis ſe quidem confirmare poſſe, credit, Teutones, vel Teutonos, ſi quidem illi Germanicæ gentis autores fuerint, in Dania domicilium habuiſſe ante, quam Germaniam occuparent, atque idem illud ex *Pomp. Melæ Lib. III Cap. 3* & *6* confirmatur; cui de recentioribus *Chriſtophori Cellarii* conſenſus additur, indidemque elicitur, linguam pariter ex Dania in Germaniam migraſſe. His poſitis, variis argumentis probatur, antiquiſſimam, veriſſimam, & familiariſſimam, Sleſvi-
Pag. 57. cenſium linguam minime eſſe Teutonicam, ſed Danicam. Primo, quod incolarum, in quatuor ſi partes dividatur, dodrans domi ſuæ Danice loquatur, una quadrans Germanice, pauci Friſonice, occidua qui littora inſederunt. Deinde, quod loca plurima Danicis gaudeant nominibus: hinc, quod ſaxa, Ru-
58. nicis literis inciſa, idem illud prodant. Notatur hac occaſione,
61. Runica, vel Gothica, literarum elementa tribus modo gentibus ſeptentrionalibus familiaria, neque ultra, quam earum extendebatur dialectus, fuiſſe uſitata; idque non tam antiquiſſimo, quam medio potius, ævo. Novum præbet argumentum, quod, cum doctrina Chriſtiana Seculo IX & ſequentibus eo inferre-
63. tur, lingua Danica, nonnulli etiam Friſonica, incolæ utebantur, unde præcones, ab antiſtite primario Hamburgenſi ac Bremenſi eodem miſſi, ſurdis narrabant fabulam, donec linguam illorum didicerant; vel interpretes adhibere cogebantur. Diu etiam deinceps rei ſacræ antiſtites ac miniſtri Dani gente fue-
64. runt. Quintum eſt atque ultimum argumentum, quod hæc
65. provincia inde ab Aboriginum ſeculis iisdem paruit Principibus, iisdem adſtricta legibus, eodemque regiminis modo, quo ceteræ Danorum provinciæ, adminiſtrata; ſemper quippe Danico regno, nunquam imperio Romano, juncta. His omnibus tamen non obſtantibus momentis, partim Principum, par-
68. tim provinciæ ordinum, ſingulatim nobilium & ſacri, opera factum eſt, ut Teutonica lingua publice adoptaretur: idque factum eſt ab eo tempore, quo *Waldemarus* Rex inter qua-
69. tuor filios provincias ſuas divideret, qua diviſione *Abel* Dux

Cim-

Digitized by Google

Cimbriam auſtralem obtinuit. Numus Judaicus, quem *Marcus Wældike* explicavit, magicus eſt, in utraque parte quatuor habens circulos, inter ſeſe concluſos, verbis ſingulos Rabbinicis, & primum ſimul planetarum ſignis, notatos, geſtantibus forſitan in ſingulos hebdomadis dies proſpera quæque promittens. Quæ ſequuntur, Diſſertationes ſunt longiores, atque ita omnino comparatæ, ut per ſpatii noſtri anguſtiam haud ſatis digne a nobis excerpi poſſint. Finem igitur dicendi facimus, Autoribus doctiſſimis ac prorſus egregiis vires porro corporis ingeniique firmas, & proſequendo huic inſtituto ſufficientes, ex animo comprecantes.

THE EPISTELS OF M. T. CICERO TO M. BRUTUS and of Brutus to Cicero, with the Latin Text on the oppoſite page and English Notes to each Epiſtle, &c.
id eſt,

*EPISTOLÆ CICERONIS AD M. BRUTUM ET hujus ad illum Latinæ, cum appoſita verſione Anglicana, Notis ad quamque Epiſtolam Anglicanis, & Diſſertatione præliminari, in qua dictæ Epiſtolæ vindicantur a Rev.* TUNSTALLI *objectionibus, quarum quæque ſeorſim conſideratur & confutatur, a* CONYERS MIDDLETONO, *Theol. D. & primo Bibliothecario Academiæ Cantabrigienſis.*

Londini, apud Richard Manby, 1743, 8 maj.
Plag. 20½.

Qualis hic liber ſit, & quo tendat, apparet ex inſcriptione. Scilicet, cum *Middletonus* in illo celebri ſuo libro, *Vita Ciceronis*, (vel, ex judicio *Tunſtalli*, rectius Hiſtoria temporum *Ciceronis*,) ad probandas ſuas hiſtoricas aſſertiones ſæpe *Ciceronis* atque *Bruti* Epiſtolas amœbeas advocaſſet, deinde vero *Jo. Tunſtallus* earum probitatem feciſſet dubiam edita Latina Epiſtola; credidit eo libello Noſter ſe quaſi provocatum fuiſſe in duellum, voluitque ſimul aviditati Anglorum lectorum gratificari, controverſas illas Epiſtolas non tantum Latine exhibendo, ſed etiam Anglice, quo ſcilicet omnes pariter judicare

dicare poſſent etiam Latine non periti; ſimul etiam adverſarii tentavit argumenta ſingula, maxime quidem in Anglicana Præfatione, octo plagulas implente, aliqua vero, minorisque ea momenti, in Notis, cuique ſubjectis Epiſtolæ, confutare. Aliisne ſatisfecerit ita, ut ſibi, valde dubitamus. Certe *Tunſtallus* adeo territus & repreſſus hoc opuſculo non fuit, quin ei alium opponeret, ſat grandem, librum Anglicanum, inſcriptum: *Obſervations of the preſent Collection* &c. de quo proxime plura; in quo non tantum ſibi olim Latine dicta repetiit & ampliavit, & ſolidioribus argumentis fulſit, ſed etiam nova quædam contra *Middletonum* protulit. Neceſſe non putamus eſſe in re manifeſta, ut *Middletoni* argumenta allegemus, quæ debilia & inania non eſſe procul dubio nequeunt. Ideoque perlegendo libro & examinando noluimus operam impendere. Quam certe impeditus in hypotheſi ſua, quam ad anguſtias redactus, ſit noſter Editor harum Epiſtolarum, & quam ipſe prodat ſe diffidere illarum probitati, ſatis indicat illud, quod earum antiquum ordinem turbavit, librosque duos, inventionis tempore diverſos, in unum conflavit, &, quod majus eſt, æras plurimarum, ſeu, ut nos dicimus hodie, data, pro lubitu contra fidem librorum omnium mutavit. Et neque ſic tamen cavere potuit, quin iſtæ Epiſtolæ cum aliorum Autorum relationibus & hiſtorica fide perſæpe pugnent, & lectores implicent. Debuerat ſaltem tabulam appoſuiſſe ordinis, quo hæ Epiſtolæ in præcedentibus editionibus, & quo in ſua, legerentur. Supplevit hunc defectum *Tunſtallus*, & ad finem Præfationis ad librum ſuum proxime recenſendum differentiam editionum ſub uno conſpectu exhibet, quam tabulam neceſſe duximus hic repetere. Prima quidem columna præfert ordinem Epiſtolarum in editione *Gronovii* Leidenſi A. 1692, & Hagana A. 1725, altera in editione *Middletoni*.

*Gronov.* I. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
13. 14. 15. 16. 17. 18.
*Middlet.* 1. 14. 9. 11. 10. 13. 12. 7. 16. 19. 6. 17.
18. 20. 21. 22. 15. 23.
II. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
8. 3. 2. 4. 2. 4. 5.

Anglicam

Digitized by Google

Anglicam examinare verſionem. Epiſtolarum quid opus eſt? Ideo, niſi fallimur, illa fuit edita, ut Angli, Latine non docti, de celeberrima hac controverſia judicare poſſent. Nos ceteri, qui poſſumus ex ipſo textu arbitrari, tali adminiculo non indigemus. Quia tamen hanc verſionem *Tunſtallus* obſcuram haud raro & male fidam affirmat eſſe, agedum, & eam vocemus ſub cenſuram, ab *Epiſtola X* (ſeu *I, 5,*) quæ forte nobis occurrit, orſi. Verba itaque: *Ad fidem & ad dignitatem tuam pertinere, eum perſequi*, reddit: *It concerns your character and dignity, to purſue him.* Rectene vox *fides* ſit reddita per vocem *character*, videant Angli. Quamvis enim *character* poſſit accipi pro nota alicujus fide; putamus tamen nos certe, eam vocem amplioris eſſe ſignificatus. In verbis *Epiſt. XI* (ſeu *I, 4,*): *Prudentia porro, quæ tibi ſupereſt, nulla abs te deſideratur, niſi modus in tribuendis honoribus*, putamus, eum prorſus falſum fuiſſe, quando ſic ea reddit: *Nor is any prudence required from you for the time to come, but a moderation in confering honours.* Quomodo in eam venerit opinionem, ut, *quæ tibi ſupereſt*, verteret *for the time to come, pour le tems à venir, in tempus futurum*, non valde intelligimus; niſi dicamus, eum, loci corruptela implicitum, maluiſſe utcunque ſenſum bonum extundere, quam prorſus præterire locum. *Supereſt* enim eſt corruptum, & (ſi fas eſt, impoſtoris ſolœciſmos emendare,) legi debet *ſuperat*, id eſt: *No other thing is required from your prudence, of which you have a great ſhare. De tua prudentia, qua polles amplisſima, & abundanter es inſtructus, nihil aliud requiritur,* &c. Etiam illa verba ejusdem Epiſtolæ: *Itaque timeo de Conſulatu, ne Cæſar tuus altius ſe adſcendiſſe putet decretis tuis, quam inde, ſi Conſul factus ſit, adſcenſurum*, non recte verſa nobis videntur ſic: *I am in pain therefore about the Conſulſhip, leſt this Ceſar of yours ſhould think himſelf raiſed higher already by yours decrees, than it would be from is preſent hight to be advanced ſtill to a Conſul.* Debuerat potius: *higher, than he could he, even from the Conſulſhip, if he had reached that degree. Altius, quam ipſo a Conſulatu, putet ſe poſſe adſcendere, ſi, quod fingemus, eum attigerit.* Male etiam proxime cohærentia:

*Quod ſi Antonius ab alio relictum regni inſtrumentum occaſionem regnandi habuit*, ſic reddit: *If Antony took the enſigns of royalty* &c. *Inſtrumentum regnandi* non ſunt *inſignia regiæ dignitatis*, ſed illæ opes, quibus regnum acquiritur & retinetur, nempe milites & pecuniæ. Paulo melius hic idem *Middletonus* infra *Epiſt. XXI* (*I, 15,*) *inſtrumentum regni delatum ad Lepidum & Antonium*, *the equippage of Kingly power.* In ejusdem Epiſtolæ fine: *Quod utinam inſpectare poſſis timorem de illo meum*, vertit: *I wish that you could look into the fears which i conceive in my breaſt about him.* Debuerat *about that. Illo* enim eſt neutrum, (id eſt, *illa de re,*) non vero redit ad *Cæſarem. Epiſtola XII* (*I, 7,*) initio: *L. Bibulus quam carus mihi eſſe debeat, nemo melius judicare poteſt, quam tu, cujus tantæ pro republica contentiones ſollicitudinesque fuerunt*, turbat, noſtro quidem judicio. Nam *cujus*, quod conſtructio prodit ad *tu*, proxime præcedens, id eſt, ad *Ciceronem*, pertinere, retulit ad *Bibulum. How dear L. Bibulus ought to be to me after ſo many ſtruggles and anxieties, which he has ſuſtained for the republic, no man is better able to judge than you.* Fatemur, ſenſum ſic ſaniorem fore & ratiocinium aptius, ſi *cujus* ad *Bibulum* redeat, quam ſi ad *Ciceronem*. Verum an non ineptus erit ſcriptor & infans dicendus & tricator, qui verba collocat, ut jacent, quæ debuerat ſic collocare, & ſic enuntiare: *L. Bibulus, cujus tantæ pro republica contentiones ſollicitudinesque fuerunt, quam carus mihi eſſe debeat, nemo melius judicare poteſt, quam tu, qui ejus merita, ſi quis alius, maxime habes perſpecta.* Sic certe exſpectaremus a ſcriptore, non dicam eloquente, ſed humane tantum fari docto. Deinde, quæ ſequuntur, *Bibuli* encomia tanta certe non ſunt, ut inde colligas, ei pro republica ſummas contentiones & ſollicitudines fuiſſe; quas fuiſſe *Ciceroni*, omnis loquitur hiſtoria, & nemo eſt, qui neſciat. Manet ergo, *cujus* pertinere ad *Ciceronem*, & hunc, quisquis ille fuit, Sophiſtam hominem ineptum & artis argumentandi imperitum fuiſſe. Eadem Epiſtola exeunte, *ſed Domitius in ſua epiſtola celebrabitur*, reddit: *But Domitius's pretenſions will be ſet forth in his own epiſtel.*

Digitized by Google

*epiſtel.* Nos certe credimus, hunc illorum verborum ſenſum eſſe: *We ſhall ſpeak of Domitius and his merits more at large in our lettre to you, which you ſhall receive by him. Laudes Domitii celebrabimus ſeorſim & amplius in epiſtola, quam per illum ad te deſtinabimus.* Quæ proxime adhærent: *Bibulum noli dimittere ex ſinu tuo, tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, poteſt evadere, qui veſtris paucorum reſpondeat laudibus*, ſic vertit: *Do not fail however to admit Bibulus into your confidence, ho is already — — ſo accompliſhed a man, that he bids fair to merit the honour of being ranked amongſt the few of your claſſ.* Apparet, eum ſcriptoris mentem prorſus non perſpexiſſe. Hic enim *Bibulum* appellat virum, τοιαύτῃ κεχρημένον ἀρετῆς ἀφορμῇ, ἀφ᾽ ὅιας ὁρμώμενον ἀυτὸν ἐνδέχεται ὅμοιον ἔσεσθαι τῇ ἀυτῶν δόξῃ τῶν ὀλίγων τῶν ἐπὶ ἀρετῇ καὶ ἀνδρείᾳ ὠνομασμένων. *Epiſt. XIII* (*I*, *6*,) locum difficilem: *Conſtituemus de reditu ejus* (*Ciceronis* filii) *ad petitionem* (Pontificatus), *aut ad commendationem honoris*, ſic reddit: *We will ſettle the matter together about his return to perſecute his petition, or to recommend it to the next occaſion.* Paulo quidem hæc Latinis clariora, verum tamen neque ſic ſenſus omnino eſt expeditus, neque dictio. Eadem Epiſtola *Cycbereus* aliquis memoratur. Vitium illud aliisne inhæreat editionibus, neſcimus, putamus tamen. Atqui, ſi Criticus fuerat noſter *Middletonus*, debuerat aut emendare, aut certe vitium indicare. Difficile non eſt emendare. *Cythereus* eſt nomen homini, non *Cycbereus*, quod nihili eſt. In *Epiſtola XIV* (*I*, *2*,) Criticum quoque deſideres. *Cum magis mihi probatur militum ſeveritas, quam tua*, vertit, ut jacet, *i am better pleaſed with the ſeverity of the ſoldiers than with yours.* Non melior ſenſus ex Anglicis emergit, quam e Latinis. *Quam tua clementia* debebat, *than your mercy*, ut recte *Marklandus* deprehendit. Neque in illis ipſi de vitio ſuboluit ejusdem Epiſtolæ: *Me maximo otio egiſſe, ut inſectarer Antonios.* Nam vertit: *That i have managed ſo, as to be able to purſue the Anthony's much at my eaſe.* Quis, quæſumus, bonus ſenſus? Ni ſcripſerit, certe ſcripſiſſe debebat Autor, *me maximo opere* (vel

potius *negotio,*) *egiſſe* &c. id eſt, omnes in id nervos intendiſſe, *that i have ſpend all my power.* Paulo poſt: *Vehementer a te, Brute, diſſentio, nec clementiæ tuæ concedo*, vertit ſic: *I differ widely from you, Brutus, not that i yield to you in point of clemency, but a ſalutary* &c. Apparet, eum ſic voluiſſe reſi-ctum habere textum: *Vehementer a te, Brute, diſſentio, & tibi ſum diſſimilis, non quidem ac ſi tibi quidquam in clementia concederem*, id eſt, *minus clemens forem, quam tu es.* Verum non intellexit phraſin, hic poſitam, *concedere alicujus clementiæ*, ὁμολογεῖν πρᾳότητι, vel ἐπιεικείᾳ τινὸς, id eſt, ad alicujus ſententiam de exercenda clementia accedere, eamque approbare. *Epiſtola XVIII (I, 13,)* verba: *Alii aliter cum ſuis vivunt: nihil ego poſſum in ſororis meæ liberis facere, quo poſſit expleri voluntas mea, aut officium*, ſic incruſtavit: *Other people live in a different manner with ther friends, but i can never do enough for my ſiſter's children, to ſatisfy either my inclination, or my duty.* Nulli dubitamus, iſti loco vitium inhærere, & legendum eſſe: *Nihil ego poſſum in ſororis meæ liberis non facere.* Ratiocinatur ſic: Alii quidem amicos & affines liberosque ſuos negligunt, & eos exponunt periculis, ut *Lepidus* ſuos liberos, eosdemque ſororis meæ; verum ego, impulſus ab ingenio meo, debeo facere, & non poſſum non facere, ea omnia, quibus poſſit expleri mea voluntas & meum officium. In illo *Epiſtolæ XX, (I, 14,)* quod jam *Marklandus* notavit, obſcuro & ambiguo, non ſtuduit Anglus clariora verba efficere: *Ciceronem meum ne dimittas, tecumque adducas, quod ipſum tibi jam jamque faciendum eſt. You would not dimiſſ my ſon, but bring him hither along with you. This you muſt do inſtandly.* Debuerat enim: *For you muſt come inſtandly. Epiſtola XXI (I, 15,)* recte vertit, *tantumque vigilat in ſtudio, he ſpends ſo much of his time in ſtudy.* Recte quidem hæc, & bene Anglis auribus ſonant. Verum *evigilare in ſtudio*, pro *literarum ſtudiis invigilare*, veremur, ne multis fœdus ſolœciſmus videatur. In eadem Epiſtola, dubitamus, num Angli, ſuo utentes acumine, melius hoc Anglicanum capiant ratiocinium, quam nos Latinum impoſtoris. *While theſe (Lepidus & Antonius) were*

*were ardently wiſhing to raiſe freſh diſturbances in the ſtate, we had no troops about us, which we could oppoſe to them. For the whole was eager and unanimous in aſſerting it's liberty.* Sic vertit hæc Latina: *His ardentibus perturbandæ reipublicæ cupiditate quod opponi poſſet, præſidium non habebamus. Erexerat enim ſe civitas, in retinenda libertate conſentiens.* Nihil hic ſani videmus, nihil cohærens, nihil concludens, nihil, quod *enim* reſpiciat, aut requirat. At, ſi dixiſſet, *exuerat enim ſe civitas*, id eſt, ipſa ſe præſidiis omnibus nudaverat, utpote conſentiens in retinenda libertate, neque putans, in ſinu ſuo ſe tyrannos gerere latentes, ille certe foret ſanus & aptus ſenſus. *The ſtate had himſelf ſpoiled from all his forces, thinking them to no uſe for him at all; as being beyond all danger of oppreſſion, by a unanimous zeal for aſſerting of the liberty.* Iſta ejusdem Epiſtolæ vitioſa: *Sed animus idem, qui ſemper infixus eſt patriæ caritate, diſceſſum ab ejus periculis ferre non potuit*, ſic incruſtat: *Yet my mind always the ſame, and ever fixed on the love of my country could not bear the thought of leaving it in it's diſtreſſ.* Verum quis non videat, Latina, quæ circumferuntur, Latina non eſſe: *animus infixus patriæ caritate.* Et quorſum illud *eſt?* quod aut abundabit, aut deerit & poſt *caritate.* Verum ſic locus emendandus & interpungendus eſt: *Sed animus, idem qui ſemper infixus, ex patriæ caritate diſceſſum ferre non potuit.* Cur, paulo poſt, illa: *Cum Auſter me in Italiam retuliſſet*, vertens: *when an uncommon ſouth wind has driven me bak to Italy*, vocem *uncommon* addiderit, rationem non videmus. Certe in Latinis non eſt. In eadem non intellexit, *ſi ita vis.* Nam verba: *eos per ipſos dies effudi, ſi ita vis, honores*, id eſt, ſi permittis mihi, ut illa metaphora, aut hyperbole, utar, ita vertit: *I poured out honours, ſince you will have it ſo;* quaſi legiſſet *ſiquidem*, vel *quando quidem ita vis.* Ex illis *Epiſtola XXII (I, 16,): Vindici quidem alienæ dominationis, non vicario, ecquis ſupplicat, uti optime meritis de republica liceat eſſe ſalvis?* extudit hunc ſenſum: *One may ſupplicate indeed the ſucceſſor, but never the avenger of another's tyrannie, that thoſe may be ſafe.* Id eſt,

*poſſit aliquis ſucceſſori in alienam tyrannidem ſupplicare, ſed non item vindici.* Sine dubio, qui hunc ſenſum tribuit Autori, debuit verba ſic collocaſſe: *Vicario quidem alienæ dominationis, non vindici, quis ſupplicet,* omiſſo ſigno interrogationis. Atqui hoc eſt vim ſcriptis facere. Scilicet non pervidit, locum mancum eſſe, & ſic ſcribendum: *Vindici quidem alienæ dominationis, non dicam vicario, ecquis ſupplicet?* Obſcurum illum locum in fine ejusdem Epiſtolæ: *Itaque, reſiſtere Antonio Ciceronem, etſi magna laude dignum eſt, tamen, quia ille Conſul hunc Conſularem merito præſtare videtur, nemo miratur,* non juvat: neque extricat hac interpretatione: *Wherefore, for Cicero to act againſt Antony, though it be a part highly commendable, yet becauſe ſuch a Conſul ſeems of courſe to promiſe ſuch a Conſular, no body wonders at it.* Quid enim? Eſtne apta & naturæ rerum conſona idea, Conſulem aliquem, qualis fuit *Octavius*, puer imberbis, præſtare, id eſt, ordinarie efficere talem Conſularem, qualis fuit *Cicero*, humilem & ſervum. Non cohærent rerum & idearum nexus atque neceſſitudines. Si loco *merito præſtare* eſſet *temere terere*, ſenſus emergeret aliquantum commodior. Nempe, quod *Cicero* reſiſtit *Antonio*, in laudem ipſi cedit. Sed, quando idem *Cicero*, tantæ famæ conſularis vir, ab imberbi Conſule ſe patitur absque neceſſitate cogente terreri atque ductitari, nemo illud prius amplius laudat, aut miratur. In proxime ſequentibus: *Idem Cicero ſi flexerit adverſus alios judicium ſuum,* non felicius fuit verſatus Interpres noſter, ita reddens: *But if the ſame Cicero, with reſpect to others, ſhould waver at laſt in that reſolution.* Omnia alia cogitabat Autor. Sed mirum non eſt, ſi dictio inepta & ſibi adverſa verſionem trahat ineptam & incongruam. Primum quidem abeſſe debebat illud *but, verum,* vel *at.* Non enim arguit præcedentia, ſed eſt novum ratiocinium. Sed locum integrum apponemus, ſane monſtroſum, in quo nihil ſani: *Idem Cicero ſi flexerit adverſus alios judicium ſuum, quod tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando Antonio, non modo reliqui temporis gloriam eripuerit ſibi, ſed etiam præterita evaneſcere coget.* Videmus quidem,

dem, quid ſenſerit Autor, hæc ſcribens, & quid effari voluerit. Nempe hoc: Idem *Cicero*, qui tanto & tam firmo animo reſtitit *Antonii* ambitioni & tyrannidi, ſi aliis tribuerit ſuum favorem, eoque illos ad dominationem evexerit, efficiet hoc modo, ut non tantum annos, quos ipſi fatum adhuc indulgebit, inglorius & contemtus exigat, ſed etiam ceteris, a ſe antea bene & cum gloria peractis, excidat. Subſtitue jam verbis: *flexerit adverſus alios judicium ſuum*, hæc: *flexerit ad alios favorem ſuum*; videbis, quam portentoſus & immanis ſenſus emergat: Si *Cicero* flexerit ad alios (id eſt, *Octavium*,) ſuum favorem, quem tanta firmitate ac magnitudine direxit in exturbando *Antonio*. Itane homo ſanus loquatur? Adeone poteſt aliquis favorem ſuum dirigere in alterum exturbandum (ſic enim ſaltem ſcribere debuerat)? Nos vero putabamus, ad id efficiendum, id eſt, ad ſubvertendum & exturbandum aliquem, infeſtum animum & odia adhiberi. Ἡράκλεις, τῆς ἀναισθησίας. Poterat ex hoc ſolo loco impoſtor ſophiſta, ſed is non ſemper ſibi ſimilis, detegi atque deprehendi. Verum jam ſatis putamus hanc Anglicanam verſionem a nobis excuſſam eſſe. Deſinimus itaque, ad *Tunſtalli* librum luſtrandum, hoc eſt, ad lautiores dapes, proxime acceſſuri.

*FRANCISCI TORTI, MUTINENSIS, PHILOSOphiæ & Medicinæ Doctoris, in patrio Lyceo Profeſſoris primarii, Sereniſſimi Raynaldi I, Mutinæ, Regii, Mirandulæ, Ducis, Medici, a conſiliis quatuor Virorum publicæ valetudinis, & Societatis Regiæ Londinenſis Sodalis, Therapevtice ſpecialis ad febres periodicas pernicioſas; cui ſubnectuntur Reſponſiones iatro-apologeticæ ad Cl. RAMAZZINUM; addita in hac quarta editione Autoris vita, a LUDOVICO ANTONIO MURATORIO conſcripta, atque aliis ejusdem Opuſculis.*

Venetiis, apud Laurentium Baſilium, 1743, 4.

Alph. 3 plag. 4.

Quinque

Quinque Opuſculorum genera hoc volumen complectitur, de quorum tribus, quoniam ſæpius jam edita ſunt, nihil hoc loco commemorabimus. Eaque Therapevtice ſpecialis ſunt, quæ jam quartum in lucem emittitur, Reſponſiones iatro-apologeticæ, quibus, in Therapevtica, de Cortice Peruviano, data præcepta, contra Cl. *Ramazzinum*, Autor tuetur, eæque tertio prodeunt, & iterum editæ Diſſertationes de Mercurii motione in barometro. Duo tamen ſunt, quæ & his addidit typographus, Præfatio & Dedicatio Therapevtices, quales in prima editione anni 1712 fuerunt; prætereaque ea Therapevtices loca, ad quæ *Tortus* in Reſponſionibus provocavit, cum primæ editioni accommodata eſſent, ad hanc quartam accommodavit. Sed hæc quidem nullius momenti ſunt. Amplius de vita *Torti*, ac de tribus ejus Epiſtolis, dicendum eſt, quæ jam primum apparent, & quæ *Muratorio*, V. C. debentur, Vita, tanquam autori Epiſtolæ, ut editori; ad *Muratorium* enim a *Torto* ſcriptæ ſunt. *Tortus* igitur, Mutinæ natus, patriam habuit, quæ ſpatio Seculi circiter plures, præcipue ob medendi ſcientiam, claros viros procreavit: *Saucaſſanium*, *Pacchionum*, *Gberlium*, *Davinium*, *Monrealum*, *Leprotum*, *Vandellium*, *Ramazzinum*, & *Valliſnerium*, qui omnes ex illa regione orti ſunt, cui Duces Ateſtini dominantur. Suſtulit *Franciſcum* pater *Franciſcus*, militum tribunus, pridie Cal. Decembris A. 1658. Ubi literis humanioribus ac Philoſophiæ uſque ad A. 1675 operam dederat, ad Juriſprudentiæ ſtudium ſe contulit; at, cum, nihil eam amœnitatis habere, conſpiceret, ad medendi ſe artem convertit, &, ſibimet ipſe magiſter factus, theoriam ex libris petiit. Paulo poſt ſe *Antonio Fraſſonio*, celebri Mutinenſium Medico, in diſciplinam dedit, qui, cum in eo ingenium vividum, tenacem memoriam, judicii ſupra ætatem perſpicaciam, cerneret, ad ægrorum lectos deduxit, & hoc magiſtro tantum profecit *Tortus*, ut A. 1673 in Bononienſi Gymnaſio Medicinæ & Philoſophiæ Doctor crearetur. Reverſus in patriam, cum, vix viginti tres annos natus, aliis medendi artem cum fructu traderet, datus ipſi in Mutinenſi Gymnaſio proximus a *Ra-*

*mazzino*

*mazzino* locus fuit, & hoc Medicinam docendi munere multa cum laude functus eſt, ſiquidem & cum *Ramazzino* Galeniſtarum methodum abrogavit. Cum eodem dignus judicatus fuit, cujus conſilio *Franciſcus* Dux uteretur, adverſa valetudine uſus, cui etiam eleganti & feſtivo ingenio, & elegantibus verſibus, placuit, quibus ſæpe in Latina & Italica lingua ludebat. Tum quoque *Taſſi*, & in univerſum patriæ ſuæ Poetarum, tutelam contra Gallos *Tortus* ſuſcepit, atque in ſatirico inprimis genere excelluit, cujus a *Muratorio* aliquod ſpecimen adjunctum eſt. Primum phyſici argumenti ſcriptum, quod in lucem emiſit A. 1694, de Mercurii motione in barometro Diſſertatio fuit, exercendi ingenii cauſa ſcripta, qua, *Borellum* excuſari, ejusque, in quem prolapſus erat, errorem quodammodo defendi poſſe, oſtendit. Quatuor annos poſt, altera Diſſertatione emiſſa, ad *Schelhammeri* fundamenta dejicienda ſtilo ſcholaſtico ſe contulit. Eodem anno Anatomico Theatro Mutinæ præfectus eſt, quod ipſius conſilio Dux *Raynaldus*, qui *Torto* ad valetudinem ſuam tuendam utebatur, nuper exſtrui curaverat. Maximam deinde famam comparavit *Torto* Therapevtice ſpecialis, in quo opere primus docuit, adverſus periodicas febres, quæ primo adſpectu mites, inopinato malignæ & lethales, fiant, in ſolo Peruviano Cortice quærendum auxilium eſſe, ac certo inveniri, modo major ejus modus adhibeatur. Is liber A. 1712 demum prodiit, etſi diu ante reperta hæc Corticis vis fuerat, & ſynopſis ejus libri tres ante annos in lucem emiſſa. Fuit autem hic liber tanto, apud exteros etiam, applauſu exceptus, ut non ſolum *Hequetus*, *Lanciſius*, *Hofmannus*, aliique Medici, *Torto* de tam præclaro opere edito gratularentur, verum etiam Sociis Regiæ Londinenſis Societatis adſcriberetur. Soli fere *Ramazzino* hic *Torti* labor tam parum placuit, ut & A. 1714 Diſſertationem de abuſu Chinæ Chinæ ederet, qua omnem fere uſum hujus corticis proſcribere ex medendi arte volebat. *Ramazzinus* eodem anno vivere deſierat, neque in hoc libello *Tortum* nominaverat; tamen is altero anno poſt Reſponſiones Iatro-Apologeticas edi-

dit, cumque & his aliqua cum in vita *Ramazzini*, tum a *Mangeto*, opponerentur, per *Ferrandem Ferrarium* curavit librum A. 1719 emitti, qui Mutinenſium Medicorum methodus antipyretica vindicata inſcribitur. Præter hæc nihil adeo edidit *Tortus*, etſi *Muratorio* Tractatum promiſerat de febribus continuis acuti generis. Quo major Medicus fuit, eo magis & libentius incertitudinem & impotentiam artis in gravioribus præſertim morbis tum agnovit, tum quoque publice interdum faſſus eſt. Bis in alias Academias vocatus cum lautis admodum conditionibus, & ampliſſimo ſtipendio, A. 1717 Taurinum, & tribus annis poſt Patavium. Cum vero commoveri non poſſet, ut patriam relinqueret, plures ipſi a Duce ſuo honores collati, immunitatis privilegium conceſſum, duplicatum quoque honorarium fuit. A. 1731 improviſo paralyſi corripiebatur, &, quanquam reſtitutus eſſe videretur, tamen minus proſpera valetudine utebatur, &, hydrope tandem A. 1741 accedente, eodem anno octoginta tres annos natus, finem vivendi fecit, meruitque, ut duæ ipſi a diſcipulis marmoreæ tabulæ ponerentur.

Hæc de vita *Torti*. Quæ ſequuntur *Epiſtolæ*, iis *Tortus* ad quatuor a *Muratorio* quæſita, & *prima* quidem ad hoc, reſpondit, cur, quæ ægris conſilia dederit, non reviſa emiſerit in lucem. Duas ſibi cauſas fuiſſe ait, alteram, quod, cum reſponſiones accommodaverit ſyſtemati Medicorum, conſilium petentium, noluerit has ita mutare, ut ſemper doctrinæ, quam alias profitebatur, reſponderent, alteram, quod pauciſſimorum morborum exitum ſciat, de quorum curatione quæſitus fuerit. *Secunda Epiſtola* rationes aperiebat, cur Tractatum *de Febribus continuis* non perfecerit; cum vero eam *Muratorius* perdiderit, *tertia* ſequitur, in qua, cur nolit porro medendi artem exercere, rationes reddit. Quæ fere omnes in hac conveniunt, nolle ſe, ſenectutis incommodis fere oppreſſum, cum exercitio medendi artis conjunctas moleſtias porro ferre, præcipueque eas, quæ ab hoc proveniant, quod vel ipſi ægri velint quaſi cogere Medicum, ut hanc, vel illam, medendi viam ingrediatur, vel cum ejusmodi

Medicis

Digitized by Google

Medicis habenda res ſit, qui, etſi neque ſedem mali, neque naturam, cognitam habeant, neque etiam in utramque inquiſiverint, tamen ſe opponere *Torto*, propoſitamque ab ipſo medendi rationem damnare, audeant, quod ſibi ſcribit aliquoties, præcipue ratione uſus Corticis Peruviani, accidiſſe. Neque vero ſe inde proveniente damno moveri poſſe, quia didicerit paucis contentus eſſe. Supereſt, ut de *quarta* Epiſtola dicamus, in qua cauſas exponit, cur noluerit Academiis celebrioribus adſcribi. Gloriæ igitur ſe dicit non adeo cupidum eſſe, præcipueque illius, quæ non adeo ſemper vera ſit, ſe vero ſummam gloriam, qualis ex ſervatis civibus poſſit naſci, libro illo conſecutum eſſe, in quo docuerit, quomodo certo alias morituri homines per corticem Peruvianum ſervari poſſint, & propter hunc librum ſe in majore fortaſſis laude apud poſteros futurum eſſe, quam ſi plurium Academiarum ſocius fuerit. Hæ quatuor Epiſtolæ lingua Italica ſcriptæ ſunt.

*BIBLIOTHECA HISTORICA BRANDENBURGIca, Scriptores rerum Brandenburgicarum, maxime Marchicarum, exhibens, in ſuas claſſes diſtributa, & duplici Indice inſtructa, a GEORG. GODOFR. KUSTERO, Gymnaſii Frider. Rectore, & Regiæ Societatis Scient. Collega.*

Vratislaviæ, 1743, 8.
Alph. 2 plag. 16.

Celeberrimus Autor inde ab annis bene multis horas ſubſecivas excolendæ Hiſtoriæ Marchicæ dicavit, inque hoc ipſo ſtudio tam præclaros fecit progreſſus, ut dignum illud plauſu publico judicaverit & Societas Regia Berolinenſis, & alii quidam viri ordinis in republica literaria ſuperioris. Undique igitur conquiſivit & collegit ea ſubſidia, quibus vel aliquid lucis affundi poſſe Hiſtoriæ Marchicæ arbitratus eſt. Quod cum intelligerent nonnulli, Autoremque ante aliquod temporis ſpatium in recudendo, notisque ac ſupplementis locupletando, *Rentſchii* libro, qui *Brandenburgiſcher Cedern-*

*Hayn* inſcribitur, eſſe reſcirent occupatum, frequenter cohortati ſunt eundem, ut, quæ ad *ſeptimum* hujus libri *Caput*, de Scriptoribus Hiſtoriæ Brandenburgicæ, explicandum illuſtrandumque ſpectant, novæ *Rentſchii* editioni præmitteret. Nec ſane voluit refragari, edoctus nempe experientia, qui Bibliothecas hiſtoricas, vel univerſales, vel particulares, ediderunt, *Herzium*, *Lipenium*, *Struvium*, *Menckenium*, aliosque, perpaucos commemorare ſcriptores, res Marchicas exponentes. Plures enim proſtare, jam illo tempore comprobavit doctiſſimus *Kuſterus*, quo notitiam Scriptorum, Hiſtoriam Marchiæ illuſtrantium, ordine alphabetico adornatam, & *Leutingeri* annexam Operibus, in dias luminis auras exire paſſus eſt. Nunc vero apparatus iſte librorum ejusmodi hiſtoricorum, ſive ad Scriptorum numerum, ſive rectum, quo diſpoſita ſunt, ordinem, reſpexeris, uberior longe ac ſplendidior exhibetur, & propterea ſeſe commendat ſimul, quod Autor præſtantiſſimus non plagulas tantum eorum ſcriptorum adjecit, quæ vel poſſidet ipſe, vel oculis uſurpavit, ſed ſæpiuſcule etiam de uno alterove candidum ſubjunxit judicium, nec minus Anonymos Pſeudonymosque, quantum fieri poterat, detexit, ut, quisnam, *Apellis* exemplo, ſe poſt tabulam abdiderit, ſubinde cognoſceretur. Vides ex his generatim, Lector, qua ratione compoſitus ſit liber elegantiſſimus; nunc, ut ipſa quaſi corporis viſcera tuo ſubjiciantur conſpectui, efficiemus.
Pag. 1-44. *Libro* ſcilicet *primo* de originibus Marchiæ & Marchionum,
ſcriptoribusque geographicis potiſſimum, agit *quinque Capi-*
45-88. *tibus*; *Liber ſecundus*, qui *novem* complectitur *Capita*, ſcri-
ptores, ad hiſtoriam Marchiæ naturalem ſpectantes, in me-
89-299. dium profert; *tertius* recenſet eos, qui hiſtoriam Marchiæ
eccleſiaſticam illuſtrarunt, & *Capitibus viginti tribus* abſolvitur.
300-384. *Quarti Libri Sectio I* de libris genealogicis editis & ineditis, Com-
pendiis hiſtoricis, Annalibus, ſcriptoribusque Marchiæ, partim
ineditis, partim adfectis, partim deperditis, partim fabuloſis
385-687. etiam, *duodecim* continet *Capita*. *Sectionis II* argumenta ſunt
de vitis Principum, qui Marchiæ cum imperio præfuerunt,
de meritis Electorum Brandenburg. in imperium S. R. G.; de
titulis & inſignibus Brandenburgicis, potentiſſimæ Domus
eminentia,

Digitized by Google

eminentia, ſigillo majeſtatis, nexu cum Domo Saxonica, pacto confraternitatis, ordinibus equeſtribus, ac denique Deductionibus, quæ omnia *Capitibus quinquaginta novem* pertractantur. *Sectio III tribus Capitibus* ſcriptores ſiſtit generales ac ſpeciales, itemque ſpecialiſſimos, qui notitiam Comitum, Baronum, & Nobilium, ſuppeditarunt. In *Sectione IV Capita ſex* occurrunt de Chorographis ac Poleographis, ſive iis ſcriptoribus, quorum induſtriæ provinciarum, urbium, & vicorum, hiſtoriam debemus. *Quintus Liber*, & is quidem poſtremus, ſcriptorum, qui ad Marchiam literatam referendi, catalogum *octo Capitibus* exhibet, inque his Autor Celeberrimus diſſerit, ac ſcriptores producit, de favore Principum Brandenburgicorum erga literas, de Academia Viadrina, ſocietatibus eruditis, Gymnaſiis & ſcholis, Bibliothecis, tam publicis, quam privatis, ſcriptoribus juris Marchici, numis Brandenburgicis, & numophylaciis Marchiæ præſtantioribus. Finem Operi pulcherrimo imponunt Supplementa, quibus ea, quæ interea temporis, dum Bibliotheca ſub prelo ſudabat, vel adhuc incognita, vel rectiora, intellexit, nos ignorare noluit *Küſterus* omni laude digniſſimus.

Pag. 688-759. 760-848. 849-888.

## ANG. MAR. BANDINII IN ANTIQUAM *Tabulam eburneam, ſacra quædam D. N. Jeſu Chriſti myſteria anaglypho opere exhibentem, Obſervationes.*

Florentiæ, ex typographio ad inſigne Apollinis, 1746, 4.
Plag. 7, Fig. æn. 2.

Quanti pretii & uſus apud antiquos ebur fuerit, vel ex ædibus eburneis, quarum in literis ſacris fit mentio *3 Reg. XXII, 39, Pſ. XLIX, Amos III, 14*, quales & *Menelao* tribuit Poetarum princeps *Odyſſ.* Δ. *v. 72 ſeq.* ſatis patet. Apud Romanos eminebant præſertim eburneæ ſellæ, quales deinceps Exarchorum quoque Ravennatum fuiſſe dicuntur, & quarum partem eſſe cenſuit, qui exemplum tradidit Autori noſtro atque explicatori doctiſſimo, eburneam iſtam tabellam, conditione illius idem prodente. *Bandinius* eam, ex ſculpendi modo, ad Seculum

lum circiter ſeptimum refert, cujus poſt dimidium ſpatium Exarchorum dignitas interiit. Utraque tabulæ pars ad magnitudinem eboris inciſa æri ſiſtitur. Altera facies miraculum exhibet, *Jo. II* deſignatum, dum aquam, ſex hydriis contentam, Chriſtus in vinum convertit. Capacitate comprehendiſſe dicuntur ſingulæ duas, vel tres, μεϕητάς. Dum igitur ſacrum iſtum locum ϕιλολογικῶς luſtrat, interpretationis ſuæ ſpecimen hac occaſione daturus; illa quæ menſura fuerit, expendere ſolet. *Tremellius* ex Syriaca verſione *quadrantalia* tranſtulit. *Quadrantal* autem, ait *Ludovicus de Dieu*, eſt octava pars cadi, ſive modii. LXXII varie utuntur, modo ſcilicet pro Batho, modo pro Satho, quæ erat tertia pars bathi, & ſemper ὑδρίαν vertunt. Ideoque hydria eſt, quæ Ebraice כדים, vel amphora, non Romana, ut nonnullis placet, ſed, ut melioris notæ Criticis, Attica. Græca vero Romanam dimidio ſuperabat, & continebat Χόας, hoc eſt, congios Atticos XII, ſextarios Atticos LXXII, cotylas CXLIV, libras vini CXX, libras aquæ CXXI, cum dimidio, ut *Capellus* computat. Quibus evictis, ingenue ſuppoſitas atque affictas eſſe hydrias, profitetur, quæ integra, aut quorum fragmenta inter pretioſa templorum cimelia oſtentantur, quaſi miraculo inſervierint. Et artifex ipſe deceptus eſt, qui amphorarum formam ſiſtit, cum tamen iſta fuerint vaſa, lotionibus ante ſacra & convivia quæ inſerviebant. Hæc expiationis conſuetudo ab Ebræis ad Græcos, & ab iis ad Romanos, manavit, qui propterea juxta ſua templa fontes & vaſa ponebant, ad purificationem juſſu XII Tabularum, in quibus legebatur: AD DIVOS CASTE ADEUNTO. Erant vero hæ aquæ viduæ, ut vocat acerrimus *Tertullianus*, quoniam nulla expiandi animos virtus in illis erat. Etiam apud Chriſtianos obtinuit, qui profanarum gentium conſuetudinem iſtam ad ſuos tranſtulerunt. Hinc aqua in fontibus, ciſternis, & magnis vaſibus, ante templa ſervabatur. Agitur hac occaſione de immerſione in ſacrum fontem, pluribus ſeculis uſitata, ut oſtendit *Edmundus Martene Lib. I de Ritibus eccleſ. pag. 128*, & *Joſeph. Martinus* in *Theatr. Baſilic. Piſ.* *Apoſtolicæ* traditionis inſtitutum eſſe, contendunt *Northonus Knatchbull ad 1 Petr. III, 20*, *Gabriel Tawerſon* Libr. Angl. *de Baptiſmo*, *Carolus Maria de Veiel*, & *Salmaſius* in *Apparatu de primatu Papæ*, *Schlichtingius* ad *Jo. I, 26*, aliique. In figura

tonſura

tonſus ſiſtitur Servator, ut ordinis ſacri viri apud Pontificios. Hac occaſione de origine ritus diſputatur, quem alii a Judæorum Naſiræis, alii a profanarum gentium ſacerdotibus, ac virginibus Veſtalibus, repetunt, ut *Jo. Dougthejus* in *Analectis ad V. T. pag.* 477, & *Lindebrogius pag.* 1378 ad Codicem legum antiquarum, alii a ſervis, quorum de raſione *Pignorius*, alii aliunde, ut *Fabric.* in *Bibliogr. ant. Cap.* 18 *pag.* 566, *Caſp. Zieglerus de Tonſura Clericorum*, *Salmaſius* in *Primatu Papæ*, & Epiſt. ſive libro *de Coma ad Colvium*. Indutus eſt porro tunica & pallio. Propior Chriſto eſt figura maſcula forſitan architriclini, Chriſtum autorem miraculi plicatis aliquantulum digitis, indice excepto, indicantis. Tertio loco ſiſtitur ſponſus, ſcyphum dextra tenens, ſiniſtra aperta, & ad Chriſtum directa, ipſumque veluti ſtupefactus indicans. Notabiles hic ſunt ſcyphus & tunica manicata. Scyphus erat vas admodum capax & amplum, nonnunquam præterea inſigni labore cælatum. Tunicas porro manicatas, quas Græci χειριδώτες vocant, quod χειρῖδας, ſive manicas, habeant, adhibebant mulieres, & apud barbaros pleroſque pariter viri.

In altera tabulæ parte ſomnium *Joſephi* ſiſtitur, atque Bethlehemum cum *Maria* gravida & aſino inſidente via. Utrobique ſpiritus aliquis divinus ſimul conſpicitur, alis præditus ad indicandam velocitatem, tenui atque expedita veſte, hilarique vultu. Baculum, ut Noſter arbitratur, vel, ut nos interpretamur, facem, tenet ſiniſtra. Facem, inquam, quod in parte tenetur inferiore, non niſi dimidium ad corpus pertinet, inque ſuperiore ac latiore flammam ſatis luculenter oſtendit; noctem autem circumfuſa obſcuritas indicat. Dextra ſuperius ſomnum capienti in ſtragulis *Joſepho* anterioribus digitis porrectis benedicit; inferius aſinum ducit capiſtratum. Opinatur Noſter, fugam iſta inferiore figura in Ægyptum deſcribi, ſed infans nuſquam apparet, contra vero, quam *Joſephus* juxta vadens amplectitur, virgo luculenter ſatis uterum ferre conſpicitur. Somnium quidem, ſuperius depictum, Autoris noſtri opinionem confirmat; neque vero & altera tantopere obſtat, prætereaque ſpiſſis illis tenebrarum in temporibus tantas fuiſſe, ut, gravidam in Ægyptum fugiſſe, crediderint, exiſtimamus. Præſertim, cum cetera ſint ſatis accurate deſcripta, & nominatim *Joſephi* dormientis cum proficiſcentis figura exacte conſentiat. Interim arbitratur Cl. *Bandinius*, infantem concipi debere matris veſte tectum, atque ab aeris injuria munitum; quam quidem difficultatem, cum veſtigium inveniatur nullum, neutiquam nos removere poſſe, profitemur.

*GRAMMATICA LATINA, METHODO NOVA ET artificioſa, in uſum illuſtris Gymnaſii Bethleniani, adornata a MICHAELE AJTAI.*

Cibinii,

Quinque Opuſculorum genera hoc volumen complectitur, de quorum tribus, quoniam ſæpius jam edita ſunt, nihil hoc loco commemorabimus. Eaque Therapevtice ſpecialis ſunt, quæ jam quartum in lucem emittitur, Reſponſiones iatro-apologeticæ, quibus, in Therapevtica, de Cortice Peruviano, data præcepta, contra Cl. *Ramazzinum*, Autor tuetur, eæque tertio prodeunt, & iterum editæ Diſſertationes de Mercurii motione in barometro. Duo tamen ſunt, quæ & his addidit typographus, Præfatio & Dedicatio Therapevtices, quales in prima editione anni 1712 fuerunt; prætereaque ea Therapevtices loca, ad quæ *Tortus* in Reſponſionibus provocavit, cum primæ editioni accommodata eſſent, ad hanc quartam accommodavit. Sed hæc quidem nullius momenti ſunt. Amplius de vita *Torti*, ac de tribus ejus Epiſtolis, dicendum eſt, quæ jam primum apparent, & quæ *Muratorio*, V. C. debentur, Vita, tanquam autori Epiſtolæ, ut editori; ad *Muratorium* enim a *Torto* ſcriptæ ſunt. *Tortus* igitur, Mutinæ natus, patriam habuit, quæ ſpatio Seculi circiter plures, præcipue ob medendi ſcientiam, claros viros procreavit: *Sancaſſanium*, *Pacchionum*, *Gherlium*, *Davinium*, *Monrealum*, *Leprotum*, *Vandellium*, *Ramazzinum*, & *Valliſnerium*, qui omnes ex illa regione orti ſunt, cui Duces Ateſtini dominantur. Suſtulit *Franciſcum* pater *Franciſcus*, militum tribunus, pridie Cal. Decembris A. 1658. Ubi literis humanioribus ac Philoſophiæ uſque ad A. 1675 operam dederat, ad Jurisprudentiæ ſtudium ſe contulit; at, cum, nihil eam amœnitatis habere, conſpiceret, ad medendi ſe artem convertit, &, ſibimet ipſe magiſter factus, theoriam ex libris petiit. Paulo poſt ſe *Antonio Fraſſonio*, celebri Mutinenſium Medico, in diſciplinam dedit, qui, cum in eo ingenium vividum, tenacem memoriam, judicii ſupra ætatem perſpicaciam, cerneret, ad ægrorum lectos deduxit, & hoc magiſtro tantum profecit *Tortus*, ut A. 1673 in Bononienſi Gymnaſio Medicinæ & Philoſophiæ Doctor crearetur. Reverſus in patriam, cum, vix viginti tres annos natus, aliis medendi artem cum fructu traderet, datus ipſi in Mutinenſi Gymnaſio proximus a *Ra-*

*mazzino*

*mazzino* locus fuit, & hoc Medicinam docendi munere multa cum laude functus eſt, ſiquidem & cum *Ramazzino* Galeniſtarum methodum abrogavit. Cum eodem dignus judicatus fuit, cujus conſilio *Franciſcus* Dux uteretur, adverſa valetudine uſus, cui etiam eleganti & feſtivo ingenio, & elegantibus verſibus, placuit, quibus ſæpe in Latina & Italica lingua ludebat. Tum quoque *Taſſi*, & in univerſum patriæ ſuæ Poetarum, tutelam contra Gallos *Tortus* ſuſcepit, atque in ſatirico inprimis genere excelluit, cujus a *Muratorio* aliquod ſpecimen adjunctum eſt. Primum phyſici argumenti ſcriptum, quod in lucem emiſit A. 1694, de Mercurii motione in barometro Diſſertatio fuit, exercendi ingenii cauſa ſcripta, qua, *Borellum* excuſari, ejusque, in quem prolapſus erat, errorem quodammodo defendi poſſe, oſtendit. Quatuor annos poſt, altera Diſſertatione emiſſa, ad *Schelhammeri* fundamenta dejicienda ſtilo ſcholaſtico ſe contulit. Eodem anno Anatomico Theatro Mutinæ præfectus eſt, quod ipſius conſilio Dux *Raynaldus*, qui *Torto* ad valetudinem ſuam tuendam utebatur, nuper exſtrui curaverat. Maximam deinde famam comparavit *Torto* Therapevtice ſpecialis, in quo opere primus docuit, adverſus periodicas febres, quæ primo adſpectu mites, inopinato malignæ & lethales, fiant, in ſolo Peruviano Cortice quærendum auxilium eſſe, ac certo inveniri, modo major ejus modus adhibeatur. Is liber A. 1712 demum prodiit, etſi diu ante reperta hæc Corticis vis fuerat, & ſynopſis ejus libri tres ante annos in lucem emiſſa. Fuit autem hic liber tanto, apud exteros etiam, applauſu exceptus, ut non ſolum *Hequetus*, *Lanciſius*, *Hofmannus*, aliique Medici, *Torto* de tam præclaro opere edito gratularentur, verum etiam Sociis Regiæ Londinenſis Societatis adſcriberetur. Soli fere *Ramazzino* hic *Torti* labor tam parum placuit, ut & A. 1714 Diſſertationem de abuſu Chinæ Chinæ ederet, qua omnem fere uſum hujus corticis proſcribere ex medendi arte volebat. *Ramazzinus* eodem anno vivere deſierat, neque in hoc libello *Tortum* nominaverat; tamen is altero anno poſt Reſponſiones Iatro-Apologeticas edi-

dit, cumque & his aliqua cum in vita *Ramazzini*, tum a *Mangeto*, opponerentur, per *Ferrandem Ferrarium* curavit librum A. 1719 emitti, qui Mutinenſium Medicorum methodus antipyretica vindicata inſcribitur. Præter hæc nihil adeo edidit *Tortus*, etſi *Muratorio* Tractatum promiſerat de febribus continuis acuti generis. Quo major Medicus fuit, eo magis & libentius incertitudinem & impotentiam artis in gravioribus præſertim morbis tum agnovit, tum quoque publice interdum faſſus eſt. Bis in alias Academias vocatus cum lautis admodum conditionibus, & ampliſſimo ſtipendio, A. 1717 Taurinum, & tribus annis poſt Patavium. Cum vero commoveri non poſſet, ut patriam relinqueret, plures ipſi a Duce ſuo honores collati, immunitatis privilegium conceſſum, duplicatum quoque honorarium fuit. A. 1731 improviſo paralyſi corripiebatur, &, quanquam reſtitutus eſſe videretur, tamen minus proſpera valetudine utebatur, &, hydrope tandem A. 1741 accedente, eodem anno octoginta tres annos natus, finem vivendi fecit, meruitque, ut duæ ipſi a diſcipulis marmoreæ tabulæ ponerentur.

Hæc de vita *Torti*. Quæ ſequuntur *Epiſtolæ*, iis *Tortus* ad quatuor a *Muratorio* quæſita, & *prima* quidem ad hoc, reſpondit, cur, quæ ægris conſilia dederit, non reviſa emiſerit in lucem. Duas ſibi cauſas fuiſſe ait, alteram, quod, cum reſponſiones accommodaverit ſyſtemati Medicorum, conſilium petentium, noluerit has ita mutare, ut ſemper doctrinæ, quam alias profitebatur, reſponderent, alteram, quod pauciſſimorum morborum exitum ſciat, de quorum curatione quæſitus fuerit. *Secunda Epiſtola* rationes aperiebat, cur Tractatum *de Febribus continuis* non perfecerit; cum vero eam *Muratorius* perdiderit, *tertia* ſequitur, in qua, cur nolit porro medendi artem exercere, rationes reddit. Quæ fere omnes in hac conveniunt, nolle ſe, ſenectutis incommodis fere oppreſſum, cum exercitio medendi artis conjunctas moleſtias porro ferre, præcipueque eas, quæ ab hoc proveniant, quod vel ipſi ægri velint quaſi cogere Medicum, ut hanc, vel illam, medendi viam ingrediatur, vel cum ejusmodi

Medicis

Digitized by Google

Medicis habenda res ſit, qui, etſi neque ſedem mali, neque naturam, cognitam habeant, neque etiam in utramque inquiſiverint, tamen ſe opponere *Torto*, propoſitamque ab ipſo medendi rationem damnare, audeant, quod ſibi ſcribit aliquoties, præcipue ratione uſus Corticis Peruviani, accidiſſe. Neque vero ſe inde proveniente damno moveri poſſe, quia didicerit paucis contentus eſſe. Supereſt, ut de *quarta* Epiſtola dicamus, in qua cauſas exponit, cur noluerit Academiis celebrioribus adſcribi. Gloriæ igitur ſe dicit non adeo cupidum eſſe, præcipueque illius, quæ non adeo ſemper vera ſit, ſe vero ſummam gloriam, qualis ex ſervatis civibus poſſit naſci, libro illo conſecutum eſſe, in quo docuerit, quomodo certo alias morituri homines per corticem Peruvianum ſervari poſſint, & propter hunc librum ſe in majore fortaſſis laude apud poſteros futurum eſſe, quam ſi plurium Academiarum ſocius fuerit. Hæ quatuor Epiſtolæ lingua Italica ſcriptæ ſunt.

*BIBLIOTHECA HISTORICA BRANDENBURGIca, Scriptores rerum Brandenburgicarum, maxime Marchicarum, exhibens, in ſuas claſſes diſtributa, & duplici Indice inſtructa, a GEORG. GODOFR. KUSTERO, Gymnaſii Frider. Rectore, & Regiæ Societatis Scient. Collega.*

Vratislaviæ, 1743, 8.
Alph. 2 plag. 16.

Celeberrimus Autor inde ab annis bene multis horas ſubſecivas excolendæ Hiſtoriæ Marchicæ dicavit, inque hoc ipſo ſtudio tam præclaros fecit progreſſus, ut dignum illud plauſu publico judicaverit & Societas Regia Berolinenſis, & alii quidam viri ordinis in republica literaria ſuperioris. Undique igitur conquiſivit & collegit ea ſubſidia, quibus vel aliquid lucis affundi poſſe Hiſtoriæ Marchicæ arbitratus eſt. Quod cum intelligerent nonnulli, Autoremque ante aliquod temporis ſpatium in recudendo, notisque ac ſupplementis locupletando, *Rentſchii* libro, qui *Brandenburgiſcher Cedern-*



Digitized by Google

*Hayn* inſcribitur, eſſe reſcirent occupatum, frequenter cohortati ſunt eundem, ut, quæ ad *ſeptimum* hujus libri *Caput*, de Scriptoribus Hiſtoriæ Brandenburgicæ, explicandum illuſtrandumque ſpectant, novæ *Rentſchii* editioni præmitteret. Nec ſane voluit refragari, edoctus nempe experientia, qui Bibliothecas hiſtoricas, vel univerſales, vel particulares, ediderunt, *Herzium*, *Lipenium*, *Struvium*, *Menckenium*, aliosque, perpaucos commemorare ſcriptores, res Marchicas exponentes. Plures enim proſtare, jam illo tempore comprobavit doctiſſimus *Kuſterus*, quo notitiam Scriptorum, Hiſtoriam Marchiæ illuſtrantium, ordine alphabetico adornatam, & *Leutingeri* annexam Operibus, in dias luminis auras exire paſſus eſt. Nunc vero apparatus iſte librorum ejusmodi hiſtoricorum, ſive ad Scriptorum numerum, ſive rectum, quo diſpoſita ſunt, ordinem, reſpexeris, uberior longe ac ſplendidior exhibetur, & propterea ſeſe commendat ſimul, quod Autor præſtantiſſimus non plagulas tantum eorum ſcriptorum adjecit, quæ vel poſſidet ipſe, vel oculis uſurpavit, ſed ſæpiuſcule etiam de uno alterove candidum ſubjunxit judicium, nec minus Anonymos Pſeudonymosque, quantum fieri poterat, detexit, ut, quisnam, *Apellis* exemplo, ſe poſt tabulam abdiderit, ſubinde cognoſceretur. Vides ex his generatim, Lector, qua ratione compoſitus ſit liber elegantiſſimus; nunc, ut ipſa quaſi corporis viſcera tuo ſubjiciantur conſpectui, efficiemus.
Pag. 1-44. *Libro* ſcilicet *primo* de originibus Marchiæ & Marchionum,
ſcriptoribusque geographicis potiſſimum, agit *quinque Capi-*
45-88. *tibus; Liber ſecundus*, qui *novem* complectitur *Capita*, ſcri-
ptores, ad hiſtoriam Marchiæ naturalem ſpectantes, in me-
89-299. dium profert; *tertius* recenſet eos, qui hiſtoriam Marchiæ
eccleſiaſticam illuſtrarunt, & *Capitibus viginti tribus* abſolvitur.
300-384. *Quarti Libri Sectio I* de libris genealogicis editis & ineditis, Com-
pendiis hiſtoricis, Annalibus, ſcriptoribusque Marchiæ, partim
ineditis, partim adfectis, partim deperditis, partim fabuloſis
385-687. etiam, *duodecim* continet *Capita*. *Sectionis II* argumenta ſunt
de vitis Principum, qui Marchiæ cum imperio præfuerunt,
de meritis Electorum Brandenburg. in imperium S. R. G.; de
titulis & inſignibus Brandenburgicis, potentiſſimæ Domus

eminentia,

Digitized by Google

eminentia, ſigillo majeſtatis, nexu cum Domo Saxonica, pacto confraternitatis, ordinibus equeſtribus, ac denique Deductionibus, quæ omnia *Capitibus quinquaginta novem* pertractantur. *Sectio III tribus Capitibus* ſcriptores ſiſtit generales ac ſpeciales, itemque ſpecialiſſimos, qui notitiam Comitum, Baronum, & Nobilium, ſuppeditarunt. In *Sectione IV Capita ſex* occurrunt de Chorographis ac Poleographis, ſive iis ſcriptoribus, quorum induſtriæ provinciarum, urbium, & vicorum, hiſtoriam debemus. *Quintus Liber*, & is quidem poſtremus, ſcriptorum, qui ad Marchiam literatam referendi, catalogum *octo Capitibus* exhibet, inque his Autor Celeberrimus diſſerit, ac ſcriptores producit, de favore Principum Brandenburgicorum erga literas, de Academia Viadrina, ſocietatibus eruditis, Gymnaſiis & ſcholis, Bibliothecis, tam publicis, quam privatis, ſcriptoribus juris Marchici, numis Brandenburgicis, & numophylaciis Marchiæ præſtantioribus. Finem Operi pulcherrimo imponunt Supplementa, quibus ea, quæ interea temporis, dum Bibliotheca ſub prelo ſudabat, vel adhuc incognita, vel rectiora, intellexit, nos ignorare noluit *Küſterus* omni laude digniſſimus.

Pag. 688-759. 760-848. 849-888.

## *ANG. MAR. BANDINII IN ANTIQUAM Tabulam eburneam, ſacra quædam D. N. Jeſu Chriſti myſteria anaglypho opere exhibentem, Obſervationes.*

Florentiæ, ex typographio ad inſigne Apollinis, 1746, 4.

Plag. 7, Fig. æn. 2.

Quanti pretii & uſus apud antiquos ebur fuerit, vel ex ædibus eburneis, quarum in literis ſacris fit mentio *3 Reg. XXII, 39, Pſ. XLIX, Amos III, 14*, quales & *Menelao* tribuit Poetarum princeps *Odyſſ.* Δ. *v. 72 ſeq.* ſatis patet. Apud Romanos eminebant præſertim eburneæ ſellæ, quales deinceps Exarchorum quoque Ravennatum fuiſſe dicuntur, & quarum partem eſſe cenſuit, qui exemplum tradidit Autori noſtro atque explicatori doctiſſimo, eburneam iſtam tabellam, conditione illius idem prodente. *Bandinius* eam, ex ſculpendi modo, ad Secu-

 lum

lum circiter ſeptimum refert, cujus poſt dimidium ſpatium Exarchorum dignitas interiit. Utraque tabulæ pars ad magnitudinem eboris inciſa æri ſiſtitur. Altera facies miraculum exhibet, *Jo. II* deſignatum, dum aquam, ſex hydriis contentam, Chriſtus in vinum convertit. Capacitate comprehendiſſe dicuntur ſingulæ duas, vel tres, μεϕητάς. Dum igitur ſacrum iſtum locum ϕιλολογικῶς luſtrat, interpretationis ſuæ ſpecimen hac occaſione daturus; illa quæ menſura fuerit, expendere ſolet. *Tremellius* ex Syriaca verſione *quadrantalia* tranſtulit. *Quadrantal* autem, ait *Ludovicus de Dieu*, eſt octava pars cadi, ſive modii. LXXII varie utuntur, modo ſcilicet pro Batho, modo pro Satho, quæ erat tertia pars bathi, & ſemper ὑδρίαν vertunt. Ideoque hydria eſt, quæ Ebraice בדוס, vel amphora, non Romana, ut nonnullis placet, ſed, ut melioris notæ Criticis, Attica. Græca vero Romanam dimidio ſuperabat, & continebat Χόως, hoc eſt, congios Atticos XII, ſextarios Atticos LXXII, cotylas CXLIV, libras vini CXX, libras aquæ CXXI, cum dimidio, ut *Capellus* computat. Quibus evictis, ingenue ſuppoſitas atque affictas eſſe hydrias, profitetur, quæ integra, aut quorum fragmenta inter pretioſa templorum cimelia oſtentantur, quaſi miraculo inſervierint. Et artifex ipſe deceptus eſt, qui amphorarum formam ſiſtit, cum tamen iſta fuerint vaſa, lotionibus ante ſacra & convivia quæ inſerviebant. Hæc expiationis conſuetudo ab Ebræis ad Græcos, & ab iis ad Romanos, manavit, qui propterea juxta ſua templa fontes & vaſa ponebant, ad purificationem juſſu XII Tabularum, in quibus legebatur: AD DIVOS CASTE ADEUNTO. Erant vero hæ aquæ viduæ, ut vocat acerrimus *Tertullianus,* quoniam nulla expiandi animos virtus in illis erat. Etiam apud Chriſtianos obtinuit, qui profanarum gentium conſuetudinem iſtam ad ſuos tranſtulerunt. Hinc aqua in fontibus, ciſternis, & magnis vaſibus, ante templa ſervabatur. Agitur hac occaſione de immerſione in ſacrum fontem, pluribus ſeculis uſitata, ut oſtendit *Edmundus Martene Lib. I de Ritibus eccleſ. pag.* 128, & *Joſeph. Martinus* in *Theatr. Baſilic. Piſ. Apoſtolicæ* traditionis inſtitutum eſſe, contendunt *Northonus Knatchbull ad 1 Petr. III,* 20, *Gabriel Towerſon* Libr. Angl. *de Baptiſmo, Carolus Maria de Veiel,* & *Salmaſius* in *Apparatu de primatu Papæ*, *Schlichtingius* ad *Jo. I,* 26, aliique. In figura

conſu-

tonſus ſiſtitur Servator, ut ordinis ſacri viri apud Pontificios. Hac occaſione de origine ritus diſputatur, quem alii a Judæorum Naſiræis, alii a profanarum gentium ſacerdotibus, ac virginibus Veſtalibus, repetunt, ut *Jo. Dougthejus* in *Analectis ad V. T. pag.* 477, & *Lindebrogius pag.* 1378 ad Codicem legum antiquarum, alii a ſervis, quorum deraſione *Pignorius*, alii aliunde, ut *Fabric.* in *Bibliogr. ant. Cap.* 18 *pag.* 566, *Caſp. Zieglerus de Tonſura Clericorum*, *Salmaſius* in *Primatu Papæ*, & Epiſt. ſive libro *de Coma ad Colvium*. Indutus eſt porro tunica & pallio. Propior Chriſto eſt figura maſcula forſitan architriclini, Chriſtum autorem miraculi plicatis aliquantulum digitis, indice excepto, indicantis. Tertio loco ſiſtitur ſponſus, ſcyphum dextra tenens, ſiniſtra aperta, & ad Chriſtum directa, ipſumque veluti ſtupefactus indicans. Notabiles hic ſunt ſcyphus & tunica manicata. Scyphus erat vas admodum capax & amplum, nonnunquam præterea inſigni labore cælatum. Tunicas porro manicatas, quas Græci χειριδώτυς vocant, quod χειρῖδας, ſive manicas, habeant, adhibebant mulieres, & apud barbaros pleroſque pariter viri.

In altera tabulæ parte ſomnium *Joſephi* ſiſtitur, atque Bethlehemum cum *Maria* gravida & aſino inſidente via. Utrobique ſpiritus aliquis divinus ſimul conſpicitur, alis præditus ad indicandam velocitatem, tenui atque expedita veſte, hilarique vultu. Baculum, ut Noſter arbitratur, vel, ut nos interpretamur, facem, tenet ſiniſtra. Facem, inquam, quod in parte tenetur inferiore, non niſi dimidium ad corpus pertinet, inque ſuperiore ac latiore flammam ſatis luculenter oſtendit; noctem autem circumfuſa obſcuritas indicat. Dextra ſuperius ſomnum capienti in ſtragulis *Joſepho* anterioribus digitis porrectis benedicit; inferius aſinum ducit capiſtratum. Opinatur Noſter, fugam iſta inferiore figura in Ægyptum deſcribi, ſed infans nuſquam apparet, contra vero, quam *Joſephus* juxta vadens amplectitur, virgo luculenter ſatis uterum ferre conſpicitur. Somnium quidem, ſuperius depictum, Autoris noſtri opinionem confirmat; neque vero & altera tantopere obſtat, prætereaque ſpiſſis illis tenebrarum in temporibus tantas fuiſſe, ut, gravidam in Ægyptum fugiſſe, crediderint, exiſtimamus. Præſertim, cum cetera ſint ſatis accurate deſcripta, & nominatim *Joſephi* dormientis cum proficiſcentis figura exacte conſentiat. Interim arbitratur Cl. *Bandinius*, infantem concipi debere matris veſte tectum, atque ab aeris injuria munitum; quam quidem difficultatem, cum veſtigium inveniatur nullum, neutiquam nos removere poſſe, profitemur.

## *GRAMMATICA LATINA, METHODO NOVA ET artificioſa, in uſum illuſtris Gymnaſii Bethleniani, adornata a MICHAELE AJTAI.*

Cibinii,

Cibinii, 1744, 8.
Plag. 8.

Felici non minus inſtituto, quam maximo rei literariæ apud Transſyluanos incremento, Cl. Viri, *Mich. Ajtai*, laudabili induſtria prodiit linguæ Latinæ, quam vocant Grammaticam, inſtitutio, facili ac nova apud ſuos methodo concinnata, quæ elementa linguæ Latinæ in brevi & perſpicua ſynopſi ita exhibet, ut tenellorum ingeniis, in intimos Latini ſermonis receſſus penetrare cupientibus, multum lucis accendat, illaque eo, quo tendunt, miſſis ambagibus omnibus, per compendium ducat. Naturali enim methodo ac ſingulari artificio digeſta, ſuis quæque locis comprehendit, ſubnexis cuilibet parti primis ac præcipuis maximeque neceſſariis vocum inter ſe conneƈtendarum regulis, ut, qui nomina per caſus declinare, verbaque per modos ac tempora inflectere, didicerint, ſubſtantiva cum adjeƈtivis componere, verbaque ſuis, quos regunt, caſibus jungere, rite norint. Valere Autor juſſit veterem illam, qua hactenus obruti pæne fuerant parum firmi puerorum animi, Grammaticam perplexam ſatis & confuſam, barbarieque plenam, verſibus incluſam, quorum non minori, minusve difficili, labore mens evolvenda, quam verba memoriæ infigenda erant. Nam Poeticen a prima ſtatim ætate ſic deſipere magis, quam ſapere, cogebantur tirones. Quæ omnia qui perpenderit, facili intelliget negotio, non poſſe non novam hanc Inſtitutionem Linguæ Latinæ, teneriori ætati aptam, brevitate perſpicua, methodo facillima, puritate ſermonis nunquam obſcura uſam, memoriæ, quod dudum ſummopere juventus ſcholaſtica deſiderabat, conſulentem, ingenia adoleſcentum juvantem, eaque puritatis ac elegantiæ Romanæ novis, quibus locupletata eſt, præceptis imbuentem, omnibus, quos optimarum artium tenet deſiderium, mirifice ſeſe commendare. Nec pœnitebit igitur pauca quædam adhuc dixiſſe de ſcripto non inutili, totiusque libelli œconomiam lecturis ob oculos poſuiſſe. Diviſus autem eſt in *Claſſes tres*. *Prima* eſt de Elementis Latinitatis, in qua nominum & pronominum declinandi pariter ac verbi inflectendi formas, eorumque accidentia, ſeu qualitates, breviter dilucideque exponit, regulasque generales nominum ac pronominum æque ac verborum ſubjungit; *altera* eſt de ipſa Grammatica in qua apte loquendi & ſcribendi rationem perſpicue tradit, additis regulis de generibus nominum, regulisque ſpecialioribus conſtructionis eorundem ac verborum, reliquarumque partium orationis; *tertia* de Syntaxi, quæ tota in eleganti & concinna vocum ac ſententiarum in oratione diſpoſitione verſatur, ac, quicquid orationem exornat, certis ac novis compluribus de elegantia ſermonis Latini præceptis docet, & figuras ſyntacticas, quæ orationem mirum in modum ornant, perſpicua brevitate explicat. Denique ars poetica, non prolixa quidem, ſed clare tamen dilucideque, expoſita, ſubjicitur.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Septembris Anno MDCCXLVII.*

*Pars I.*


## DELLE ANTICHE STATUE GRECHE E ROMANE, &c. hoc eſt,

## *ANTIQUÆ STATUÆ GRÆCÆ ET ROmanæ, quæ in atrio Bibliothecæ D. Marci, & in aliis locis publicis urbis Venetiarum, reperiuntur.*

## *Pars I & II.*

Venetiis, 1740 & 1743, fol. max.
P. I Alph. 1 plag. 4, Tabb. æn. 50, P. II Alph. 1 plag. 2, Tabb. æn. 50.

Cum fauſtiſſimo bonarum artium & literarum bono egregius hic & ſplendidiſſimus ſignorum ſtatuarumque priſcarum, Venetiis collectarum, apparatus in lucem prodierit; noſtrarum inprimis eſſe partium judicamus, relictis omnibus aliis, incomparabilium horum operum divitias Lectoribus noſtris commendare, arteſque *Phidiarum* & *Polycletorum*, ſi poſſunt ſatis prædicari, apud humaniſſimum quemque judicem multum per ſe æſtimationis habituras, literulis utcunque noſtris ornare. Ante vero, quam hujus propoſiti fidem exſolvamus, non a re alienum erit, varias imaginum, ſignorum, ſtatuarumque veterum, ſyllogas a patrum inde temporibus in memoriam revocare. Primum vero, quæ vis & poteſtas vocabulis Latinis inſit, quibus ſignorum quælibet



Digitized by Google

libet genera denotare fas eſt, explicemus, ne vel cum vulgo in errorem inducamur, vel ipſas ſtatuarum formas parum accurate loquendo confundamus. Multum hac in re juſta & ſubtilis *Plinii* diligentia præſtitit, quem ducem ſequi nullo modo poenitebit. Statuas ſcilicet nominarunt veteres, in quibus totum corpus apparebat, quarum ſunt nonnullæ pro amplitudinis, veſtium, armorum, ornamentorumque, diſcriminibus vel Coloſſeæ, vel Auguſtæ, vel Achilleæ, paludatæ, chlamydatæ, togatæ, ne quid de ceteris eius generis formis dicamus. In eo tamen ſermo Latinus inopia quadam dictionum laborat, quod ſymplegmata luctatorum, aut alias plurium hominum inter ſe nexorum ſpecies (*groupes*), vel generali vocabulo ſigni, vel ſtatuæ, denotari legimus. Quodſi hæc ſculptilia vel infantis menſuram æquant, ſuperant aliquantum, vel eadem minora habentur, peculiari nomine ſigillorum, ſtatuarum cubitalium, palmarum, & imaguncularum, veniunt, adeo ut mirum cuiquam videri poſſit, ſtatuarum fruſta, hoc eſt, capita & cultus hominum tenus humero expreſſos, (Gall. *buſtes,*) tantummodo imaginum ſibi vocem vindicaſſe & retinuiſſe. His breviter expoſitis, & in ordines ſuos numerosque relatis, in his generibus quomodo doctiſſimorum hominum diligentia laboraverit, rectius judicari poteſt. Imagines Deorum *Vincentii Cartarii* huc non pertinere, nemo non videt, utpote ex numis maximam partem, quanquam ſcite & ſubtiliter, ſumtas. Primus omnium, quantum ſcimus, operæ pretium fecit *Achilles Statius*, cum *illuſtrium* ex antiquitate *virorum vultus* excuderet Romæ A. 1569 fol. Paulo poſt *Theodori Gallæi* manus non infeliciter ſe applicuit *Imaginibus Fulvii* depingendis A. 1598 in 4, quas luculento dein Commentario ornavit *Jo. Faber*, vir doctus, Antwerp. A. 1606, 4. Non diu ante *Urſinum* prodierunt *antiquarum ſtatuarum urbis Romæ icones* Romæ A. 1584, 4, & ineunte priori Seculo iisdem optimis ac veriſſimis rerum antiquarum monumentis *Bartholomæus Roſſus* hoc libro: *Ornamenti di Fabriche antichi e moderni della Città di Roma*, Romae 1600, 4. Nec minor accurationis & elegantiæ laus debetur *Jo. Andreæ*

*Borbonii*

*Borbonii de Statuis* libro Romæ A. 1661, 4, & *Jo. Petri Bellorii veterum Philoſophorum, Poetarum, & Rhetorum, imaginibus*, Romæ, 1685, fol. Recentiora vero plerorumque ſunt in oculis, atque ideo nobis non commemoranda, quod in his Annalibus pleraque velut in tranſcurſu dicere nos oportet. Præterimus hic elegantiſſimos *Simonis Thomaſſini* labores, & *Franciſci Perrierii* ſtatuas, radio deſcriptas, & Amſtelædami in fol. promulgatas. Horum enim omnium ſtudia vicit *Dominici Roſſi* aſſiduitas, cui pleniſſimam ſtatuarum veterum deſcriptionem, obſtetricante *Paulo Alexandro Maffeo*, debemus. Qua contentione, etſi egregia, in eum tamen locum res nondum deducta fuit, ut poſt largam meſſem nihil ſpicilegii ſupereſſe videretur, ſed contigit, ut vel temporis beneficio plura in lucem protraherentur monumenta, quæ antea eſſent ſepulta, vel e Muſeorum latebris in conſpectum totius literarii orbis & lucem principum virorum munificentia venirent. Illi generi profuerunt *Blanchinii, Scip. Maffei, Ficoronii*, ſcripta; harum ſplendorem quis neſcit mirabiliter creviſſe *Muſeo Florentino*, & *Muſeo Regio Dreſdenſi*, quorum neutri ſtatuarum affluentia, dignitas, & elegantia, deeſt? Tot igitur icones cum tanta diligentia, ingenio, dexteritateque, a renatis inde literis certatim e tenebris protractæ vulgatæque ſint; nemo ſibi forte perſuadeat, numerum aliquanto majorem illis, quæ in libris exſtant, adhuc ſupereſſe, niſi animum & oculos ad hunc theſaurum convertat, in quo quid potiſſimum mireris, copiamne ſimulacrorum, anaglyphorumque operum, an magnificentiam tabularum, radio ſcriptarum, haud dictu facile eſt. Nullis enim hic ſumtibus pepercit Editor, ſed tot picturis linearibus, in ære effictis, ubique exornavit, ut major in hoc librorum genere pulchritudo & decor vix votis peti poſſet. Quælibet tabula unico tantum ſigno, vel imagine, exſplendeſcit, cujus habitum, menſuram, proceritatem, formam ἀρχέτυπον, feliciſſime imitatus eſt cælandi artifex. Quemadmodum vero ſigna multum ſui ſplendoris & gratiæ amiſiſſent, niſi additis enarrationibus dilucidatus eorum ſenſus fuiſſet, per quas vita & anima bonis poſt mortem ducibus redire ſolet; ſic in hanc

 potiſſimum

potiſſimum curam cogitationemque incubuit Editor, ut res geſtas viri illius principis, quem retulit ſimulacrum, ex illorum temporum noſtræque memoriæ libris ore Etruſco exponeret, præmiſſoque aliquo numi, aut gemmæ veteris, typo, quem *Zanettianum*, *Theupolum*, & *Apoſtoli Zeni*, forte Muſeum ſubminiſtrabat, incredibilem monumentorum accurationem & convenientiam inter ſe declararet. Neque Commentarius ſuis ornamentis deſtituitur, ſed omni ex parte ſigillorum, animalium, capitum, perſonarum, picturis, velut cancellis quibusdam, novo exemplo includitur, e quarum profecto contemplatione, dici vix poteſt, quantam oculi voluptatem capiant. In eam autem ſplendidiſſimam & vere regiam collectionem ea tantum ſigna immigrarunt, quæ majores Venetorum e Græcia olim ſecum aſportantes, in atrio Bibliothecæ D. *Marci*, ceteriſque publicis et illuſtribus in locis, collocarunt, non tantum ut claſſici eſſent victoriæ a Turcis reportatæ teſtes, ſed ut magnificentiæ urbis memoriam ad poſteros ſervarent. His ſpoliis Græciæ principum non minus illius urbis virorum, ſed privatorum quoque hominum, ſtudia adeo incenſa ſunt, ut ſequenti tempore ſigna, longinquis in regionibus diſperſa, in eundem locum cogerent. Laudem hic inprimis meretur *Dominici*, Cardinalis, & *Joſephi*, Patriarchæ Aquilejenſis, *Grimanorum*, munificentia & præclara literas juvandi ambitio, qua factum eſt, ut gloriæ patriæ illi memores, ſigna veterum ſcite & venuſte elaborata, quæ poſſent, ſcrutarentur & perquirerent, nec ad ſuum quæſtum nundinationemque, ut mos eſt, traducerent, ſed ad claritatem dignitatemque Muſei publici conferrent. Jam igitur, ſi tot marmora & ſtatuas antiquas maximo hiſtoriæ, cum veræ, tum fabularis, commodo ſervatas requirimus, quam parum eſt præſtitum, ſi admirabilem majorum diligentiam cum his opibus, & hac ſtatuarum nova farragine, contendimus? Quare, ſi quid unquam dignum interpretis cura, & nomine *Chriſtiani VI*, Regis Daniæ, fuit, hæc certe monumenta fuerunt. Ne vero Lectores noſtri exiſtiment, vana nos de amplitudine hujus apparatus ſcripſiſſe, age, omnes utriusque *Tomi* icones in me-

dium

dium proferamus, in quo tamen conſilio ratio nos & via admonet, ut in ſuos quasque generum ordines deſcriptas exſignatasque procedere jubeamus. Quod uterque *Tomus* tabulis æneis abſolvantur, in principio hujus libri jam obſervatum eſt. *Primus Tomus* meris propemodum imaginibus conſtat, quarum numerus eſt triceſimo major, inſertis tamen ſubinde aliquot ſtatuis & marmoribus anaglyphi operis. Imagines plerorumque Imperatorum Romanorum Auguſtarumque vultus a *C. Julio Cæſare* inde uſque ad *C. Vibium Voluſianum* exhibent, in quorum ſerie etſi deſiderentur non pauci, multum tamen ex eo capiunt incrementi & decoris, quod ab illorum purpura & faſcibus ne Cæſares quidem ſegregatos eſſe videmus. Statuæ non niſi novem occurrunt, omnes tamen antiquiſſimæ, ſingularique artificio perfectæ. Videlicet operæ pretium eſt in his *Cleopatræ*, venenum haurientis, *Agrippinæ*, *Germanici* uxoris, *Juliæ*, *Titi* Imperatoris filiæ, *Martianæ* Auguſtæ, *Fauſtinæ*, *Antonini Pii*, *M. Aurelii Antonini*, *M. Aur. Commodi*, *M. Tullii Ciceronis*, & cujusdam Flaminicæ, formas cognoſcere. Inprimis *Juliæ* effigies tantam oſtendit pulchritudinem, ut ex hoc ſolo ſimulacro, quam veræ ſint laudes, quibus *Juliæ* veneres olim protulerunt ſcriptores, opportune intelligatur. *Martialis* certe in eandem feſtive dicta huic ſtatuæ mirabiliter reſpondent:

*Quis te Phidiaco formatam, Julia, cælo,*
*Vel quis Palladiæ non putat artis opus?*
*Candida non tacita reſpondet imagine Lygdos,*
*Et placido fulget vivus in ore decor.*
*Ludit Acidalio, ſed non manus aſpera, nodo,*
*Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.*
*Ut Martis revocetur amor, ſummique Tonantis*
*A te, Juno, petat ceſton, & ipſa Venus.*

Statuas excipiunt quatuor equi ſine ſeſſoribus, eadem magnitudine conſpicui, & in ære affabre fuſi, non inuſitato antiquis more, qui, cum tanti putarent, equorum nomina literis mandare, neque ſtatuarum honorem iis deeſſe voluerunt. Conſtantinopoli eos Venetias avectos eſſe, interpres indicat, A. 1204,



Digitized by Google

ſibique perſuadet, tempore *Neronis* in arcu triumphali poſitos, & a *Conſtantino M.* Byzantium eo conſilio translatos eſſe, ut Hippotromum ornarent. Agmen ſignorum claudunt tabulæ marmoreæ tres, non minus probæ vetuſtatis, quam doctrinæ & judicii quadam ſubtilitate ſculptæ. Autores ſumus ſuaſoresque antiquitatum cultoribus, iis præſertim, qui ſacrorum indolem ritusque accuratius indagare diſcupiunt, ut ad hæc monumenta gradum accelerent, & Suovetaurilium veram inde ſpeciem animo & cogitatione aſſequantur. *Alter Tomus* Deorum Dearumque ſtatuas & imagines continet. In ſtatuis *Ledam* cum cygno, *Caſtorem*, *Ganymedem*, ab aquila raptum & ſublatum, *Hecaten*, *Dianam*, *Minervam*, *Apollinem*, Citharœdum, *Muſam* cum tibia, *Venerem*, genitricem, *Hygeam*, *Aeſculapium*, *Venerem*, *Amorem*, *Apollinem*, ſive *Adonidem* malis, *Mercurium*, *Cererem*, *Brutum* cum *Fauno*, *Silenum*, *Deam* marinam, & *Abundantiam*, miramur. Imagines *Cybelen*, *Jovem*, *Jovem Hammonem*, *Minervam*, *Satiricam* bacchantem, *Herculem*, & *Paridem*, referunt. Ne quid vero prætermiſiſſe videamur, nolumus Lectores ignorare, inter ſtatuas hujus *Tomi* quoque eminere *Gladiatorem* moribundum, Athletam, Gladiatorem cadentem, nec non bovis cujusdam ex ære, & leonum formas ex marmore, in quarum altera hunc titulum recentioris fabricæ legi ferunt:

*Franciſcus Maurocenus Peloponneſiacus*
*Expugnatis Athenis*
*Marmorea Leonum ſimulacra,*
*Triumphali manu e Piræo direpta,*
*In patriam tranſtulit, futura Veneti Leonis,*
*Quæ fuerant Minervæ Atticæ ornamenta.*

Alteri hæc inſcripta eſſe, interpres docet:

*Atheniensia Venetæ claſſis trophæa*
*Veneti Senatus decreto*
*In navalis veſtibulo conſtituta*
*Anno Salutis MDCLXXXVII.*

Reliqua, in hoc *Tomo* obvenientia, marmora *Cybelen* cum *Attide*, *Mercurium*, *Bacchum* infantem, *Satyros*, *Centauros*

bacchan-

bacchantes, aras *Marti* & *Baccho* conſecratas, tres ſpiras, *Baccho* dedicatas, *Somnum*, aram Deæ Ægyptiæ erectam, prælium navale, vaſa, eleganter ſculpta, tradunt, in quibus profecto nihil eſt, de cujus bono non vehementer res ipſa publica Venetorum gloriari poſſit.

PORTRAITS HISTORIQUES DES HOMMES ILLUſtres de Dannemark, remarquables par leurs merite, leurs charges, & leur nobleſſe, avec leurs Tables genealogiques, &c.

id eſt,

*IMAGINES HISTORICÆ DANORUM ILLUſtrium, a ſuis meritis, dignitatibus & nobili origine, memorabilium, una cum ipſorum ſtemmatibus.*

## *Partes VI.*

Sine loci & typographi indicio, 1746, 4 maj.

Alph. 4 plag. 6, cum plurimis Tabb. æn.

Optime collocata eſt opera, quæ deſcribendis illuſtrium virorum vitis, & tradendæ poſteris memoriæ meritorum, quibus illi rempublicam humanumque genus ſibi obligarunt, impenditur. Quare illuſtri viro, *Tychoni Hoffmanno*, harum Vitarum Autori, Cancellariatus Regis Daniæ Secretario, & Societatis Regiæ Londinenſis membro, ſumma debetur laus, quod civium ſuorum toga ſagoque illuſtrium res geſtas elegante ſuo calamo, tabulisque & chartis nitidiſſimis, immortalitati dedicare voluerit. Non enim poteſt tam ad ſplendorem & magnificentiam compoſitum opus, tamque rerum, quas tractat, momentis grave, perire. Quinque id *Partibus*, aut *Voluminibus*, ſed iis magnitudine diſparibus, abſolvitur. Cui *ſextum* accedit, tanquam appendix, initium novi libri. Illis *quinque* prioribus Autor recenſet Danos natalium nobilitate illuſtres, qui aut conſiliis ſuis Reges ſuos regnumque ſublevarunt, aut legationes obierunt, aut bella terra & potiſſimum mari geſſerunt. *Sexto* autem, ſeu appendice illa, trium Danorum fata perſequitur, qui ab obſcura & humili origine ad ſummas dignita-

Digitized by Google

dignitates, & unus quidem ad totius regni moderamen, duo vero reliqui ad navalium copiarum ducatum, adſcenderunt. De ſingulis deinceps videbimus. Ubi liber impreſſus ſit, non conſtat. Neque videtur uno in loco, unoque tempore, continuato ordine fuiſſe impreſſus, quando quidem charta non eſt ejusdem conditionis, neque magnitudinis. Neque imagines uno in loco, eodemque ab artifice, ſunt æri inſculptæ. Quod ſi foret, poſſet conjectura de loco impreſſionis fieri. Celeberrimi enim artifices, Pariſienſes, Londinenſes, Batavi, Lipſienſes, ad ornandum hoc Opus operam artemque ſuam contulerunt; quo factum, ut aliæ aliis pulchriores ſint Quicquid ſit, eſt opus, cultum externum ſi ſpectes, cum ſplendidiſſimis certans, & quod ſpectatores in admirationem rapit, & ad luſtrandum legendumque vel invitos invitat. Tabulæ æneæ tam confertæ frequentesque ſunt, ut, quamvis non numeraverimus, plus centum tamen earum eſſe putemus. Mirabuntur aliqui, qui Danus homo ſermone Gallico librum tantum exarare auſus fuerit. Sed voluit illuſtris Autor etiam extra patriam ſuorum civium laudes legi & celebrari, & a quovis hominum genere. Quod melius fieri non poterat, quam ſi Gallica dialecto ſcriberet, quæ ubivis terrarum hodie innotuit, & a politioribus adamatur. Eaque dexteritate id præſtitit, ut peregrinitatem in eo vix agnoſcas.

*Tomo primo* de *Ovone Giedde*, conditore coloniæ Danicæ in Tranquebara & India orientali, narrat; deinde de *Huitfeldis*, & *Haraldo* præcipue, illuſtri ſcriptore Hiſtoriæ Danicæ; tum de *Friſiis*, poſt de *Skeliis*, *Gersdorfiis*, *Hægis*, & *Urupiis*; tandem, *Parte altera primi Tomi*, de *Brabeis*, quos inter eminet *Tycho de Brahe*, celeberrimus ille Aſtronomus; de *Sebeſtedis*, & maxime *Hannibale*, præclaro ad Regem Franciæ, *Ludovicum XIV*, legato.

*Tomo ſecundo* familiam *Ranzaviorum* perſequitur, quos inter eminuere *Joannes*, & *Henricus*, ab eruditione clarus, & *Joſias*, a fortitudine bellica celeber, quem patrem fuiſſe *Ludovici XIV*, Chronicon Scandaloſum aſſeverat. Inde *Thottos* memorat, & *Gioeos*, & inter eos *Marcum* maxime, ad

Franciam

Digitized by Google

Franciam & alias curias celebrem legatum; *Kanſos*, & maxime *Niels*, ſeu *Nicolaum* illum, *Chriſtiani IV* tutorem; *Trollos*, ad quos pertinet Archiepiſcopus ille Upſaliæ, *Guſtavus*, qui, ut Sueciæ regnum ad Danos & *Chriſtianum II* tranſtulit, ſic contra, quo minus illud retinerent, in cauſa fuit; & *Herluf*, rebus adverſus Suecos bene Seculo XVI celebrem; porro *Kraagos*, & inter eos *Ottonem*: qua occaſione vitam *Nicolai Cragii*, ſcriptoris Antiquitatum Laconicarum, & Hiſtoriæ Danicæ, quamvis ab hac gente diverſi, attingit.

*Tomo tertio* de *Windis* & *Juellis* exponit, quæ ambæ domus prodiderunt duces mari celeberrimos: illa quidem *Georgium Wind*, *Chriſtiani IV* ſtrenuum ducem & adminiſtrum in bello Suecico; hæc vero *Nicolaum Juel*, Suecorum victorem & terrorem.

*Tomus IV Roſencranzos* exhibet, quos inter *Holgerus* ab eruditione ſcriptisque libris famam habuit, & alter, pariter etiam *Holgerus*, ſed is ob literariam litem infelix, quæ ipſi cum *Bunone*, Autore *Ideæ Hiſtoriæ univerſalis*, interceſſit; item alius *Gunde Roſenkranz*, plurium librorum ſcriptor. Inter *Reetzos* maxime *Fridericus* celebratur; inter *Holkos Eilerus*, & *Henricus*, qui, quamvis Lutheranus, pugnavit tamen pro Imperatore contra ſuæ fidei addictos in bello ſic dicto tricennali, &, poſtquam deditione cepiſſet Lipſiam A. 1633, periit; inter *Oxos Petrus*.

*Tomo V* de *Krabbis*, & *Ulfeldis*, agit; quos inter fatorum varietate memorabiles ſunt *Corfitz* ille *Ulfeldt*, & ejus uxor, filia *Chriſtiani IV* ex illegitimo thoro, amore mariti, pictura, poeſi, & aliis præclaris artibus, illuſtris. Avi ſunt hi illuſtriſſimi Comitis *Ulfeldii*, primi in aula Imperatoria Reginæ Hungariæ miniſtri.

*Tomo ſexto*, quem ſic appellabimus, quamvis eam inſcriptionem non gerat, primum vita *Petri* Comitis *Griffenfeld* apparet, qui, dexteritate ſua ex humillima ſorte ad illuſtriſſimas dignitates & prima curiæ munia eniſus, adverſa fortuna dejectus ad miſerrimam conditionem & infamiam fuit. Deinde vita *Cort*, ſeu *Conradi*, *Adeler*, qui, poſtquam ſub Vene-

tis ſtrenue contra Turcos pugnaſſet, in patria deinceps copiis navales contra Suecos duxit. Tandem vita legitur *Petri Tordenſckiold*, qui ex homine diſſolutæ vitæ & vili nauta breviſſimo tempore bonus dux evaſit, rebus magnis ſumma cum audacia & fortuna contra Suecos mari geſtis inclaruit, & jam ad ſummos adſpirans navales honores, & ſumma quæque promittens, nondum triginta natus annos, in itinere a ſicario Sueco cecidit.

Quisquis amat hiſtoriarum ſtudium, putatque, illud ad vitam bene feliciterque agendam quidquam facere, non poterit muſeum hoc opus absque fructu & voluptate legere.

*HISTORIA SACRA DE BAPTISMO CONSTANtini Max. Auguſti, colloquiis familiaribus digeſta, Autore MATTHIA FUHRMANNO, Auſtriaco, Ord. S. Pauli primi Eremitæ Sacerdote, & Procur. General. ejusdem Ord. in urbe Socio.*

## *Pars I.*

Romæ, 1742, 4.
Alph. 1 plag. 21.

Conſcribendi Operis hujus, quod *Benedicto XIV*, Pontifici Maximo, de antiquitate ſacra optime merenti Principi, dicatum, ex prima ſtatim fronte apparet, præcipuam Autori occaſionem dederat memoria baptiſmi Imperatoris *Conſtantini Magni* miraculoſi, quæ iterata vice quotannis inter cœtus, ſacris Pontificiorum addictos, inſtauratur, pieque recolitur. Res omnis, miraculoſe confecta, ita enarrata legitur in Actis Sanctorum: *Conſtantino* Auguſto, balneum ſibi ex ſanguine infantum, Medicorum conſilio, parari jubenti, *Petrum* & *Paulum* per ſomnum apparuiſſe, qui ipſi præceperint, ut, omiſſa hac balnei immanitate, *Silveſtrum* arceſſeret, &, ſacro fonte tinctus, ſalutem corporis animique ſibi quæreret. Quo facto, rei prædictæ eventum reſpondiſſe, contendunt omnes, ex ſententia Cl. Autoris, Græci Romanique eccleſiaſtici ſcriptores. Sollicitata tamen hujus enarrationis fides

Digitized by Google

fides jam dudum fuerat a cive conterraneo Noſtri, *Joanne Cuſpiniano*, in *Maximiliani I* Imperatoris familia Medico, inſigni arte ſua, & literarum antiquiorum peritia, invitato ad id lectione librorum, qui de rebus ſacris, antiquis temporibus geſtis, diligentiſſime exponunt. Hic, explodendam eſſe hiſtoriam hujus miraculi omnem, vanitatis ſcilicet & mendacii ſuſpectam, judicavit. Ne vero religioſe iſta ex multis inde ſeculis credita narratio rei ſacræ damnum inferret, latiusque malum ſerperet, ſui officii eſſe putabat Noſter, adverſam ſententiam repudiare, ſuamque vindicare. Præſens ejus opera in eo præcipue fuit occupata, ut baptiſmum *Conſtantini*, Nicomediæ peractum, omnibus, quibus poſſet, viribus labefactaret, in *ſecundam Partem*, proxime edendam, reliqua cauſæ ſuæ firmamenta collaturus. Libuit ei, ut eo luculentius pateret, quid ſentiret, ſermone familiari atque quotidiano, quem colloquia poſtulant, uti, & ſub fictis *Euſebiani* & *Silveſtriani* nominibus ſuas adverſariorumque partes agere. In *primo* itaque Colloquio quæſtionis propoſitæ ratio, difficultas, & variæ doctorum hominum de ea opiniones, recenſentur. Pag. 1. Num *Conſtantinus M.* ſub finem vitæ Nicomediæ ſacro lavacro fuerit affectus, id eſt, quod quæritur. 4. Quadruplicem hic eruditorum Autor eſſe ſententiam, docet. Prima eſt eorum, qui, Principem iſtum Auguſtum Romæ quidem, non ſub *Silveſtro*, tamen, ſed ſub ejus anteceſſore, S. *Melchiade*, in cœtum ſanctiorem baptiſmo eſſe receptum, perhibent. Alii, ſub *Silveſtro* quidem eum baptizatum, ſed poſtea, cum in Arianorum caſtra ſecederet, Nicomediæ iterata vice ſanctiori flumini immerſum eſſe, ſtrenue contendunt. Ad tertiam claſſem ii pertinent, qui, ſemel tantum ſub finem vitæ Nicomediæ Imperatorem noſtrum baptiſmo eſſe refectum, dicunt. Ultimo demum loco eorum ſententia laudatur, qui cum Pontificia eccleſia defendunt, baptiſmum a *Silveſtro* multis annis ante, quam ex vita diſcederet, Romæ peractum. Singulos ſingularum ſententiarum patronos in medium hic produxit nullos, ſed, rebus ſimpliciter modo enarratis, pergit ad refellendos eos, qui, ſub *Mel-*



Digitized by Google

*chiade* hoc geſtum eſſe, dicunt. Concedit Noſter, *Melchiade*
clavum gubernante Petri, *Conſtantinum* Chriſtiano nomini
quam maxime faviſſe, ad quod confirmandum epiſtolam, ex
Pag. 6. *Labbei T. I Concil. col.* 1562 ſub nomine *Melchiadis* notam, ex-
citat; quin & ſuo jure tunc temporis Chriſtianum appellatum
fuiſſe, ut *Auguſtinus*, *Sulpicius Severus*, aliique, memoriæ
11. prodiderunt, quia, ſigno crucis conſpecto, majeſtatem Dei
vereri cœpiſſet; ſed, conſummatum eum tunc factum fuiſſe
Chriſtianum, conſtanter negat. Ad ſecundam ſententiam
quod attinet, *altero* Colloquio pertractatam, duplici illam
ex ratione redarguit, quarum alia ex re ipſa, alia ex auto-
ritate ſcriptorum, repetitur. Rem ipſam, inquit, menda-
cii convincere eos, qui, *Conſtantinum* iteratis vicibus
fonte ſacro lavatum eſſe, temere affirment, dum nec *Atha-*
16. *naſius*, nec *Hilarius*, nec *Epiphanius*, nec *Gregorius Na-*
*zianzenus*, *Baſilius*, *Hieronymus*, aliusve, *Arianis* id unquam
exprobrarint, quod *Conſtantini* & *Conſtantii* temporibus,
in ſuæ ſectæ cives repetitum baptiſmum eſſe peragendum, ſta-
tuerint. Autoritates vero *Anſelmi*, Epiſcopi Havelburgenſis,
qui circa medium Seculum XII floruit, *Zeni*, *Jacobatii*, alio-
rumque, ætatem non ferre, recentioresque eſſe, quam ut
hanc rem conficere poſſint, cum, a *Theodoreto* illos, quoad
ſecundum *Conſtantini* baptiſmum, deceptos eſſe, appareat.
19. Poſtea ad tertiam ſententiam, caput ſcilicet cauſæ ſuæ, acce-
dit Noſter, & in Colloquio *tertio* omnia profert antiquitatis
monumenta, quæcunque pro baptiſmo *Conſtantini* Nicome-
24. dienſi poſſunt afferri. Primarium hujus rei aſſertorem recte
dicit *Euſebium Pamphili*, qui in vita *Conſtantini M.* omne
hoc negotium accurate copioſeque expoſuit. Tum te-
27. ſtis loco adducitur *Paſchalis*, ſeu Alexandrini Chronici con-
cinnator, qui vixit ſub Imperatore *Conſtantio*. Idem probat
teſtimonium trecentorum & aliquanto amplius Epiſcoporum
occidentalium, Ariminii A. C. 359 congregatorum, quod
*Athanaſii* merito appellari poſſit, quia iſtud approbavit, &
ad poſteros tranſtulit. Sancti Martyres *Jovianus*, *Herculia-*
*nus*, *Ambroſius* item, *Hieronymus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Her-*
*mias*,

Digitized by Google

[illegible]ias, *Sozomenus*, *Iſidorus Hiſpalenſis*, antiquitatis teſtes di-
gniſſimi, eandem plane rem docent, quibus maxima turba re- Pag. 29.
centiorum ſcriptorum, *Æneas* ſcilicet *Sylvius*, Pontifex dein-
de Maximus dictus, Cardinalis *Cuſanus*, *Henricus Valeſius*, *Daniel Papebrochius*, *Antonius Pagi*, aliique, ſuffragantur, & in ſubſidiis quaſi ſuperiorum Autorum collocantur. Contra tam bene inſtructam aciem, in qua, ipſo fatente Autore, omnes pæne reipublicæ literariæ Quirites inveniuntur, copias ſuas educere, illamque confundere, quin & totam profligare, magno animo aggreditur. Ipſe probe ſentiens Clariſſimus Autor, exercitum adverſariorum ſe facillime eſſe proſtraturum, ſi primipilo, *Euſebio* nimirum, vulnus lethale inferret, unice illum petit, quo, hoc cadente, omnis turba ruat. Ante tamen, quam hoc efficiat, breviter repetendum eſſe ducit id, quod a tempore Concilii Nicæni uſque ad mortem Imperatoris noſtri geſtum fuit, quo appareat, *Conſtanti-*
*num* ad vitæ uſque finem purioris veritatis teſtem manſiſſe, 31.
neminemque, præter Presbyterum quendam, morienti ipſi adfuiſſe, qui, corrupto patris teſtamento, *Conſtantium*, natu ſecundum filium, loco *Conſtantini*, natu majoris, hære-
dem Orientis inſtituerit, quia *Arii* partibus ille favebat 52.
maxime. Quibus præſtructis, inquiritur *ſubſequenti* in Colloquio in teſtem illum oculatum, qui moribundo Impera-
tori adfuiſſe dicitur. Conjectura nixus Autor, Presbyterum, 54.
cui *Conſtantinus* teſtamentum commendaſſe, & quem ad baptiſmum adhibuiſſe, ſcribitur, *Eudoxium*, ſeu potius *Acacium*, *Luſcum* fuiſſe, veriſimiliter declarat, quia per omnia huic homini, atro carbone a *Baronio* notato, aſſimilari eum poſſe
arbitratur. Quæ omnia tamen caput rei nondum conſtituunt, 69.
ſed viam modo ſternunt ad ea, quæ dicenda nunc veniunt in *quinto* reliquisque Colloquiis de *Euſebio*, ejusque operibus inſtitutis. Recenſet hic ante omnia ex *Hieronymo*, *Pho-*
*tio*que, opera *Euſebii Pamphili*, & tunc exinde quæſtio de- 73.
volvitur ad vitam *Conſtantini*, nomine ipſius editam. Favet ipſe ſententiæ *Jacobi Gothofredi*, qui in *Chronologia Legum Codicis Theodoſiani*, aliisque in Commentariis, libellum iſtum

 nunquam

nunquam ſub *Euſebii*, ſed ſub *incerti Autoris*, nomine, vel millies, ut cum Autore loquamur, excitat. Eandem opinionem *Joannes Georgius Dorſchæus* eſt amplexus. Acrius hinc contra *Hanckium* & *Pagium* pugnatur, quorum uterque non
Pag. 79. ſpernendis ſane argumentis *Euſebio* hanc *Conſtantini* vitam tribuunt. Palmarium, quod contra *Hanckium* profertur, reſponſum eo redit, quod argumenta ejus, in libro *de Byzantinis Scriptoribus* allata, tantum indicent, antiquos Hiſtoricos *Euſebio* ex tituli præfixi ratione hunc libellum adjudicaſſe, de quo tamen adhuc ſub judice lis agitetur, num ſit genuinus, an ſpurius. Hoc vero ruente, cauſa omnis cadit. Quam ob rem, cum neque ea, quæ paſſim in capitibus, & præfixis illis indicibus, *Euſebii* nomen exprimunt, hoc ipſo confirment, quod vere ab *Euſebio* ſint perſcripta, *Hanckium* minus recte oſtendiſſe, libros de Vita *Conſtantini* ab *Euſebio* eſſe
83. compoſitos, Noſter arbitratur. Deinde, paucis quibusdam interjectis, pergit ex temporum ratione conjecturam elicere, quod nullo modo *Euſebius* huic libro edito ſuperſtes fuerit, id quod ipſi anſam præbet, ſuſpicionem non levem de adulterina & interpolata vita *Conſtantini* capiendi, atque in *Acacium Luſcum*, utpote hominem audaciſſimum, diſcipulumque *Euſebii*, culpam omnem conjiciendi, & ſimul *Gothofredi* argumenta, ut melius in ſuum uſum iſta converteret, excutiendi.
93. Pergit tum Libros quatuor *Euſebii* de vita *Conſtantini* ideo damnare, quia nunquam ab eccleſia recepti atque approbati fuerint, ſed inter apocrypha probabiliter rejecti, qui ad adſtruenda fidei dogmata nunquam publicam obtinuiſſent autoritatem. Quantum vero nobis hic perſpicere datum eſt, ex ipſa Pontificiorum, quæ hic attingitur, opinione, id tantum ſequitur, quod certi de autore vitæ hujus nihil plane conſtet, neutiquam vero, quod a Catholicis vitandi, eliminandi, aut damnandi, ſint ejusmodi libri. Quod praxi eccleſiæ Pontificiorum omnino adverſatur, quin imo, ipſo *Bellarmino* judice ſedente, improbandum eſſet. Confundere hic videtur Cl. Autor receptionem in eccleſiam prohibitam cum notione de libris apocryphis formanda. Altioris eſt indagi-

nis

Digitized by Google

his, & cauſam ipſius inprimis ornat, quod contendit, hos
libros in cœtum ſuum non receptos unquam eſſe, ſi modo
firmiora adduxiſſet argumenta. Quod enim ad *Gelaſianum*
provocat decretum, id minime omnia conficit. Primo enim Pag. 95.
varia, ut ipſe ait, de eo eſt eruditorum ſententia. Dein-
de nondum inde evincitur, quod ſuppoſititius hic ſit li-
ber, quoniam *Gelaſius* Acta *Silveſtri*, in quibus hiſtoria de
baptiſmo *Conſtantini* Romano refertur, laudatur, & approba-
tur, inter opuſcula retulerit, quæ in eccleſia catholica reci-
piuntur. Multum enim *Gelaſius* abeſt ab ætate *Conſtantini*,
& Seculum fere quintum attingit. Nec ex falſitate narra-
tionis cujuſdam ad autoris ſtatim ſpurium colligi poteſt no-
men. Sed palatia ſacra linquit Noſter, atque ad Criticorum 106.
caſtella ſe recipit. Tanta munimenta certe requirit adver-
ſariorum ſuorum impugnatio. Ex ipſis libri viſceribus veri-
tatem eruendam eſſe, recte ſtatuit, &, ſecundum Criticorum ju-
dicia, vitia detegere conatur, quæ libros, de vita *Conſtantini*
conſcriptos, ſpurios & ſubleſtæ fidei reddunt. Criticorum nu-
bem, quam excitat, conficiunt *Socrates*, *Photius*, *Graveſonus*, *Re-* 108.
*ginaldus Polus*, *Canus*, *Baronius*, *Antonius Poſſevinus*, *Abra-
hamus Scultetus*, *Benius*, denique *Lælius Biſciola*. Sed, omnia
eorum ſi conferas teſtimonia, ad unum omnes *Euſebio* hos
libros tribuere perſpicies, & parum confirmandæ rei propo-
ſitæ inſervire animadvertes. Ipſe Autor noſter, hoc videns,
addit ſtatim, tanta nomina titulo ſpurio eſſe decepta. Sed
vellemus, ut hoc ſuum aſſertum ad liquidum magis perduxiſſet.
Proponit deinde alias, quæ hanc vitam premere videntur, diffi-
cultates, quæ tamen, ſi verum fateri liceat, exigui eſſe momenti
videntur. In eo inprimis hæremus, quod vere ab *Euſebio* noſtro 118.
hiſtoriam de baptiſmo *Conſtantini* Romano, ex Græco in Lati-
num verſam, in Acta *Silveſtri* relatam, & a *Gelaſio* approbatam,
literarum monumentis conſignatam eſſe, tradit, nec tamen, ge-
nuina iſta ubi enarrata reperiatur, docet, aut, qui plane corrum-
pi ea potuiſſet, monet. Si *Gelaſius* omnia diligenter excuſſerit,
& ſpurios libros a genuinis ſepararit, quod Noſter aſſerit, qui
hoc fieri potuerit, niſi Codicibus in ſubſidium adhibitis? Qui



Digitized by Google

ſi tunc temporis adhuc illibati fuerint, quo modo affirmare licebit, hanc hiſtoriam ſeculo ante ab *Acacio* fuiſſe mutilatam; aut, ſi non fuerint caſti atque integri, quare *Gelaſius* nihil hac ſuper re præcepit? Forſitan etiam reliqua incommoda, quæ proponuntur, facile tolli queant. Notamus hic, a Noſtro, dum partibus aliquantulum in ea cauſa ſtudet, modo Autorem Vitæ Conſtantini ob nimiam *Conſtantini* laudationem reprehendi, &, quod ſibi tantum canat, taxari, cum tamen ipſe eum, ut fas eſt, omnibus laudibus in cœlum extollat; modo bilem ipſi movere tenuem verborum pompam, quæ *Conſtantinum*, ex ipſius judicio quidem, parcius proſequatur, inprimis ubi nummi cujusdam mentionem faciat, qui ab altera parte demortuum *Conſtantinum* obvoluto capite forma exſculpta oſtendit, in altera vero eundem quadrigis inſtar aurigæ inſidentem, & demiſſa illi cœlitus manu dextra exceptum, exhibet. Hoc in loco Cl. Autor

Pag. 130. ferre nequit, quod in laudes ipſius amplius non excurrerit, cum occaſionem tamen quam maxime opportunam nactus fuiſſet. Colloquio ſubſequente *octavo* demonſtrare ſatagit, quod narratio de Nicomedienſi *Conſtantini* baptiſmate nec hiſtoria, nec fabula, ſed confictum, idemque pernicioſum, ſit mendacium, quia autor illius rei alios fallere conatus ſit, Dolemus autem, de mendacio iſto minime nos ab Autore convinci potuiſſe, cum teſtimonia adducta minus antiqui-

143. tatem redoleant. Majoris ſunt momenti, quæ *nonum* habet Colloquium, ubi priora textus de Baptiſmo Nicomedienſi verba trutinantur ac refelluntur. Multa hic occurrunt antiquitatis ultimæ veſtigia, ſive ad rem ſacram, ſive profanam, reſpicias. Memorata cauſa itineris ultimi, a *Conſtan-*

151. *tino* ſuſcepti, ex genuinis fontibus repetitur. Tempus definitur, ex quo militares Romanorum ordines Diaconos, aliosque rei ſacræ adminiſtros, ſecum habere conſueverunt, ad rem divinam faciendam. Denique prolixe oſtenditur, qui fuerint mores veterum circa Catechumenos, in templo orantes, vulgo introducti. Miramur integritatem Autoris, qui ſubinde tanta adverſariæ partis exponderat mo-

menta,

Digitized by Google

menta, ut, niſi de ipſius ſententia certo conſtaret, addubitare prima facie lector poſſet, atque in eam pervenire opinionem, Autorem ideo adverſariam ſententiam ita confirmatam exhibuiſſe, quo ſuæ cauſæ ſic appareret infirmitas. Sed aliud plane omnis hujus operis ambitus docet. Subſequentis *decimi* Colloquii ratio eo ſpectat, ut cauſa dilati Baptiſmi *Conſtantini*, quæ vulgo tradi ſolet, irrita reddatur. Nihil aliud ex mente Autoris vitæ *Conſtantini* in cau- Pag. 169.
ſa fuiſſe perhibetur, quare actum hunc religioſum differre voluerit, quam deſiderium in Jordane ſe abluendi, ex ritu Chriſtianorum initiationis ſolemni. Sed cauſam iſtam, tanquam ſuperſtitioni patrocinantem, propter vanitatem, quæ a religioſo Principe minime exſpectari debeat, explodendam prorſus eſſe, Autor noſter judicat. Ut vero reliqua enarra- 185.
tionis, de Nicomedienſi Baptiſmo ſuſceptæ, verba manifeſtæ falſitatis convincantur, *Colloquium XI* huic labori dicavit Autor, ubi docet, propter paſchalem feſtivitatem, a *Conſtantino* antea jam concelebratam, eum ſacris Chriſtianorum myſteriis initiatum fuiſſe, valde probabiliter concludi. Nec attentionem ullam Autorem vitæ *Conſtantini* amplius mereri putat, cum leges hiſtoriæ migraverit, ac ne primarias quidem res circumſtantes, minime omittendas, verbi gratia, de perſona, rem fa- 197.
ciente ſacram, loco, & tempore, attigerit, quod tamen negligere in tam gravi negotio, inſulſum recte æſtimetur. Id vero, ex noſtra ſententia, plene comprobari non poteſt, vel Autoris cauſæ ſaltem tenebras offundit, quod teſtimonium *Gelaſii*, ſuperiori loco jam excitatum, data opera, in Conciliorum editionibus, cum toto *Gelaſii Libro tertio* omiſſum ſcribat, licet *Photius* in Bibliotheca ad illud provocare non erubeſcat, &, Jordanis aquas *Conſtantinum* deſideraſſe, inde confirmet. Nec minus cauſam ſuam Autor prodere videtur, quod *Stbotti* 199.
approbat ſententiam, qui, *hanc*, ſcribit, *fuiſſe rationem omiſſi Gelaſii libri*, *quia Euſebii errorem*, *a multis pridem Græcis Latiniſque ſcriptoribus refutatum*, *hic Gelaſius ſecutus ſit*. Sed quomodo *Gelaſius* errorem ſequi poterat, qui accurato criterio (conf. *pag. 94.*) aliorum Autorum ſcripta excuſſit, certa

 ab

ab incertis ſeparavit, quin & Apoſtolico decreto omnia mu-
Pag. 203. nivit? Sed ejusmodi tricis & litigiis lubens ſe expedit Noſter,
& ad *XII* properat *Colloquium*, ubi de confictis mendaciis,
quibus Autor V. C. narrationem ſuam claudit, agit. Expli-
cat ibi, quæ *Conſtantinus* poſt peractum lavacrum ſacrum ani-
mo conſilia conceperit, quamque ex Sacramento extremæ
unctionis, quo refectus fuerit, ad ſedes cœleſtes abiturus,
lætitiam prodiderit. Male ipſum inprimis habet, quod minus
ample deſcripſerit Autor V. C. peractam ſacram cerimoniam,
209. in quo voluiſſe eum *Arianam* prodere mentem judicat. Mul-
ta hic interferuntur de conſuetudine, qua purioribus addi-
cti ſacris doctores ex hæreſi *Arii* converſos in ſocietatem
ſuam receperint. Litem poſtea devolvit ad teſtimonium
trecentorum Patrum Ariminenſium, pro confirmando Nico-
226. medienſi baptiſmo adductum. Sequitur hic Noſter *Baronium*,
& depravatum Epiſtolæ textum contendit, ex qua documen-
tum iſtud promitur, ubi pro *Conſtantino* legi debeat *Conſtans*,
quod ſatis fuſe declaratur, num ſatis etiam ſolide, ipſe vi-
248. derit. Excipit peractum hunc laborem in *Colloquio XIV* &
259. *XV* teſtimonium Martyrum *Joviani* & *Herculiani*, itemque
*Hieronymi*, pro Baptiſmo Nicomedienſi prolatum, quod ve-
ro utrumque falſum eſſe contenditur, atque ex mutilis quaſi
281. & interpolatis monumentis repetitum perhibetur. *Ultimum*
denique *Colloquium*, baptiſmum controverſum, ſecundum
veras theologicas & priſcos regulas examinatum, non niſi in-
ane figmentum eſſe, demonſtrat. Quod de ultima hujus
Operis parte ingenue eſt dicendum, illud in reliquas etiam
convenit, Autorem nimirum noſtrum omnem operam
atque ſtudium, quantum fieri modo potuit, contuliſſe in
rem ſuam confirmandam, & in contrariam ſententiam de-
ſtruendam, ita, ut vix invenias quidquam, quod ab ipſo
ſit neglectum. Singulari etiam humanitate utitur, nec in ul-
lum alium, niſi in ſpurium, ut loquitur, Autorem V. C.
acerbiora pronuntiat verba. Ceterum a cœtus ſui ſcripto-
ribus, principibus modo exceptis, *Baronio* & *Bellarmino*,
æque facile ſeceſſionem facit, ac ab Evangelici noſtri cœtus

Auto-

Digitized by Google

Autoribus, ut, partibus nihil ipſum dare, dicere nobis vere liceat. De *altera* hujus Operis *Parte*, nuper demum edita, qua verus atque unicus *Conſtantini M.* baptiſmus Romanus ex nonnullis æri inciſis monumentis, & numiſmatibus, probatur, proxime dicemus.

DISSERTAZIONE CONTRO I FATALISTI, &c.

hoc eſt,

*DISSERTATIO CONTRA EOS, QUI FATUM abſolutum fingunt, Autore P. F. THOMA VINCENTIO MONIGLIA, Ordinis Prædicatorum Socio, S. S. Theologiæ Doctore, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ publico in Academia Piſana Profeſſore.*

Lucæ, apud Philippum Polloni, librarium Piſanum, 1744, 8.

Alph. 1 plag. 8.

Rectiſſime ſtatuit S. Rev. hujus Diſſertationis Autor, libertate hominum ſublata, neque religionem, neque prudentiam moralem, neque ſocietates hominum, amplius ſtare poſſe. Cumque aliquando ex cathedra Academica de præſtantia religionis Chriſtianæ verba faceret, quorundam ſimul ſcriptorum, qui prima religionis principia, fatum abſolutum eſſe defendendo, impugnarant, ſomnia diſcuſſit. Exinde hæc ipſa lucubratio enata eſt, cum, antequam revelatæ religionis defenſionem contra empæctas in ſe ſuſciperet, libertatem primo hominis defendere, ſecum conſtituiſſet. Præmiſit autem huic Diſſertationi tractationem, qua religionis origines inveſtigat. Examinat primo eorum ſententiam, qui, integras gentes omni religionis ſenſu carere, aſſeverant. Si hoc vel maxime verum eſſet, nihil tamen ad deprimendam religionis præſtantiam exinde elici poſſe, docet, cum barbaræ quædam & incultæ gentes non comparari queant cum quamplurimis aliis moratioribus, quibus religio curæ ſemper cordique fuit. Inſuper, totam eam rem incertis atque vanis itinerariorum narrationibus inniti, & multo certius contrarium Pag. 5.

 compro-

Digitized by Google

comprobari poſſe, adducto inſigni teſtimoniorum numero
Pag. 8. confirmat. Ex antiquis Philoſophis *Epicurum* religionem ex animis hominum tollere, atque atheiſmum introducere ſtuduiſſe, obſervat. Invehitur in *Lucretium*, qui iſtius hominis deliria ſummis plauſibus excepit, & carmine celebravit. Totum quoque *Epicuri* ſyſtema egregie convellit, & abſurda,
29 ſeq. inde exiſtentia, detegit. Neque etiam certos quosdam homines unquam fuiſſe, qui omnem de Deo ſenſum & reverentiam ejurarint, pronuntiat. Exempli loco famoſos admodum atheiſmi defenſores, *Benedictum de Spinoza*, *Hobbeſium*, multosque alios, adducit, qui, quamvis ab initio omnem Dei timorem & cultum exuere laborarint, adeo tamen meticuloſi fuerunt, ut & omnem ſolitudinem præ timore fugerent, & poſtea, in alterum prolapſi extremum, ſuperſtitioſi evaderent.
35 ſeq. Sententiam eorum, qui, religionem ideo eſſe excogitatam, ſomniant, ut cives hoc tanquam fræno in fide & obedientia retine-
46. rentur, confutat, & falſe ridet. Civitatem, ex meris atheis conſtantem, conſiſtere non poſſe, contendit. Originem vero religionis atque notitiæ de Deo ex tribus fontibus, ratione nimirum, traditione, & divina revelatione, derivandam eſſe,
74. monſtrat. Ipſa Diſſertatio in *duas Partes* abit. In *priori Parte* nonnulla, ad hiſtoriam errorum, quos confutat, pertinentia, proponit. Illuſtris *Leibnitii* placita examinat. Libertatem homini ineſſe, per experientiam comprobare annititur. *Collini* quoque, aliorumque adverſariorum, dubia diſcutit. In *Parte poſteriori Hobbeſium* & *Spinozam*, neceſſitatis abſolutæ defenſores, refellit. Doctrinam moralem quomodo iſti homines proponant, docet. Sententiam *Collini*, Deum, angelos, & beatos cœlites, libertate deſtitui, dictitantis, examinat. De libertate beſtiarum diſputat, tandemque de *Thomæ Aquinatis* circa libertatem ſententia judicat. De his igitur doctrinæ iſtius capitibus quid attulerit S. Rev. Autor, nunc more noſtro exponemus. Manichæi, aliique priorum Seculorum hæreſiarchæ, an libertatem hominum prorſus negarint, certo conſtitui poſſe, negat. Laudat hac occaſione Cl. *Beauſobrii* Hiſtoriam Manichaiſmi, multa tamen in eo libro ſimul

repre-

Digitized by Google

reprehendit, quæ ſi abeſſent, eum præſtantiſſimis accenſendum
eſſe ſcriptis, profitetur. Ex antiquis Poetis nonnullos fatum fin- P. I
xiſſe, cui vel ipſemet *Jupiter* obnoxius ſit, pronuntiat, quamvis pag. 4.
& alios, ſigillatim *Homerum* & *Virgilium*, *Jovem* fatis eſſe ſupe-
riorem, credidiſſe, loci eorum adducti comprobent. *Democri-* 7.
*tum Abderitam* fatum abſolutum finxiſſe, ex *Cicerone* oſtendit. 8.
*Epicuri* quoque placita fatum inducere, monſtrat. Stoicos, 15.
eorumque fere principem, *Chryſippum*, fatum abſolutum & in-
evitabile confinxiſſe, locus *Gellii* adductus evincit. Hanc 20.
ipſam vero de Stoicorum fato narrationem ex *Balii Dictiona-*
*rio* voc. *Chryſippus* ſe hauſiſſe, fatetur. S. *Auguſtinum* a labe
fataliſmi, ipſi a *Balio* impacta, defendere quovis modo ſtu-
det. Eum nimirum contra Pelagianos docuiſſe, gratiam Spi- 30.
ritus S. eſſe *neceſſariam*, neutiquam vero *neceſſitantem*, con-
tendit. *Balium* hac occaſione admodum perſtringit, &, ex
novis literariis ſua eum corraſiſſe, neutiquam ipſum *Auguſti-*
*num* inſpexiſſe, queritur. *Abælardus* quondam ſtatuit,
Deum non poſſe producere aliud, quam quod optimum ipſi
videatur. Hanc vero ſententiam, quæ omnipotentiæ divi-
næ, ex mente S. Rev. Autoris limites ponit, doctrinæ & pla-
citis Eccleſiæ eſſe contrariam, & Ill. *Leibnitium* nimis facilem
ad eam defendendam fuiſſe, contendit. Omnes, qui ſpiritus 37.
negant, libertatem ſimul tollere, demonſtrat. *Balium* ſenten- 41.
tiam ſuam de libertate hominis non ſatis prodere, & vix con-
ſtitui poſſe, quidnam hac de re ſenſerit, obſervat. *Lockii* 42.
opinionem, quam in libro *de Intellectu humano* expoſuit, non
ſine laudis præfamine adducit, &, inde eorum, qui ſpiritus
negant, deliria, egregie confutari poſſe, docet. Is nempe,
potentiam activam, atque principium motus, in nullis corpori-
bus eſſe, quippe quæ non niſi alia externa quadam cauſa ac-
cedente moveantur, monſtrat. Nos contra, uti experientia I
docet, principium motus in nobiſmet ipſis deprehendere,
inculcat. Hominem liberum idem deſcribit per talem,
qui potentia cogitandi & non cogitandi, movendi ſe, aut
non movendi, gaudet. Quodſi vero quis non poteſt facere
illud, quod voluntas appetit, eum libertate deſtitui, dicen-

dum eſſe, docet. Unde, libertatem eſſe non poſſe, ubi
Pag. 47. facultas cogitandi & appetendi deeſt, concludit. In ſubſequentibus tamen *Lockium*, libertatem voluntati adſcribendam eſſe
62. negantem, confutat. Definitionem libertatis, ab eo allatam,
68. examinat. *Lockium* ab initio ſtatuiſſe, voluntatem ſemper illud, quod optimum videtur, appetere, poſtea vero ſententiam mutaſſe, &, bonum aliquod a voluntate non appeti, niſi ejus
76. privatio atque deſiderium accedat, credidiſſe, monet. *Collini* librum, qui inſcribitur *Diſquiſitiones philoſophicæ*, omnem religionem revelatam tollere, & libertatem penitus negare,
81. aſſeverat. III. *Leibnitii* deinceps placita, de principio contradictionis, ratione ſufficiente, & harmonia præſtabilita, fuſe ediſſerit. Neutiquam vero S. Rev. Autori hæc *Leibnitii* de harmonia præſtabilita opinio arridet, quam ideo enervare & confutare omni modo laborat. Non autem tam argumentis, quam exemplis, pugnat. *Cæſarem, Pompejum*, aliosque heroas, in ſcenam producit, neque ſibi perſuadere poteſt, eorum actiones omnes ex puro corporis mechaniſmo proflu-
101. xiſſe, huncque cum anima eorum ita ſemper conſenſiſſe. Immo, *Tigellium* illum cantorem, cujus inconſtantiam animi admodum lepide pingit Satira Venuſina, in partes ſuas trahit, neque in hominibus, quorum cogitationes & deſideria tantopere inter ſe pugnent, harmoniæ præſtabilitæ locum eſſe poſ-
103. ſe, credit. Noſtrum non eſt, his de controverſiis jam ferre judicium, quamvis neutiquam dubitemus, haud pauca defenſoribus iſtius ſententiæ in promtu futura, quibus hæc enervari poſſint. *Balii* quoque objectiones adducit, &, quæ
105. contra *Leibnitium* diſputavit, per omnia probat. Idealiſtam & Pyrrhoniſtam Philoſophum illum vocat. Ejusque doctrinam ſubtilem quidem & arduam, non autem captu facilem,
110. eſſe, pronuntiat. Libertatem tollere ejus placita, aſſeverat eo, quod ſtatuerit, voluntatem illud debere neceſſario ap-
115. petere, ad quod per rationis dictamen adigatur. Contra rationis ſufficientis principium monet, animam non eſſe machinam ſpiritualem, ad leges inevitabilis neceſſitatis in omnibus,
117. quæ cogitet, adſtrictam. Propriam dein circa unionem animæ & cor-

& corporis ſententiam expromit. Animam videlicet, tanquam
partem hominis ſuperiorem, dominii in corpus capacem ſta-
tuit. Unde corpus, ſingulasque ejus partes, dictamini animæ
obedire teneri, inculcat. Immo, corpus occaſionem præbere
poſſe Deo, ut perceptiones & ideas ſuſcitet, dictitat. Hanc Pag. 123.
interim ſententiam non prorſus ſuam facit, ſed duntaxat, eam
ceteris magis eſſe probabilem, conſtituit. Ad ſyſtema influ-
xus phyſici adoptandum ipſe pronus eſt. Influxum vero il-
lum ex anima in corpus, non ex corpore in animam,
procedere, dictitat, eamque ſententiam fuſe in ſequentibus
probare fatagit. *Leibnitium* ſuam de harmonia præſtabilita 124 ſeq.
ſententiam non ſerio, ſed per jocum, prodidiſſe, ex li-
teris, ab ipſomet conſcriptis, oſtendere annititur. Ad *Col-
lini Diſquiſitiones philoſophicas de libertate hominis* po- 130.
ſtea deſcendit. Profitetur quidem ille ſcriptor in Præfatione,
operi præmiſſa, ſententiam ſuam principiis doctrinæ moralis
neutiquam adverſari. Urget, omnia, quæ fundamentis ſocie-
tatum civilium repugnent, falſiſſima eſſe. Cum autem *Colli-
nus* ſtatuat, actiones hominum a cauſis præcedentibus ita de-
finiri, ut non poſſibile ſit, ut actio non fuiſſet, aut aliter
perpetrata fuiſſet, eum neceſſitatem, ſi non phyſicam, mo-
ralem tamen, introducere, S. Rev. Autor ſine hæſitatione af-
firmat. Concedit, voluntatem non poſſe non felicitatem at- 138.
que bonum appetere. In rebus autem mixtis, id eſt, ubi com-
modum cum incommodo conjunctum eſt, voluntatem indif-
ferentem, & prorſus liberam, eſſe, contendit. Ad bonum
& felicitatem puram conſequendam, voluntatem non impulſu
quodam violento cogi, ſed libere in illam ferri, pronuntiat.
Experientiam inprimis contra *Collinum* militare, & prorſus 142.
indefinitam libertatem voluntati vindicare, contendit, illam-
que rem, adducto inſigni exemplorum numero, confirmare
ſtudet. *Neutonum* quoque & *Burnetum*, ſecum conſentien- 143 ſeq.
tes, adducit. *Collinus*, libertatem per experientiam negatu- 167.
rus, ad quatuor claſſes operationes mentis reduxit. Primo
loco ponit perceptiones idearum, ſecundo judicium de qui-
buscunque propoſitionibus, tertio voluntatem, et quarto vim

peragendi

peragendi illud, quod voluntas dictitat. Minus autem accurate eum ita dixiſſe, & ultimum, quod poſuit, pro peculiari facultate perperam venditari, cum illa vis unice a voluntate pendeat, S. Rev. Autor monet. *Samuelem Clarckium* inſuper adducit. Qui cum iſtius hominis placita confutaret, eum obſcuritatis & fraudis reum poſtulavit, cum per voluntatem ultimum rationis dictamen atque judicium intellexerit. Neque vim percipiendi ideas, neque vim judicandi, neque intellectum, quatenus in cognoſcendis rebus conſiſtit, agentia dici poſſe, quibus tamen ſolis libertas adſcribi poſſit, idem *Clar-*
Pag. 210. *ckius* docuit. Differentiam ſuæ opinionis ab *Epicuri* doctrina S. Rev. Autor monſtrat, &, perperam ab adverſariis hanc
215. labem ſuæ ſententiæ adſpergi, docet. *Leibnitii* principium,
223. de impoſſibilitate indiſcernibilium, impugnare & convellere ſatagit, &, negari non poſſe, affeverat, quamplurimos exiſtere caſus, ubi, ſi duo nobis proponantur eligenda, quorum neutrum præſtantius eſt altero, voluntas liberrime alterutrum eligat.
231. *Hobbeſium* libertatem negaſſe ex principio (uti S. Rev. Autor vocat) ſufficientiæ, eumque hoc pacto *Leibnitio* præiviſſe, ſibi
P. II. perſuadet. Dixit *Hobbeſius*, poſita ratione ſufficiente, effectum
pag. 2. ſequi neceſſario debere. At vero, fallaciam & petitionem principii hic ſubeſſe, S. Rev. Autor urget, cum quidem, admiſſa ratione juſta, effectus ſequi *poſſit*, non autem ſequi *debeat*. Eundem *Hobbeſium* fundamenti loco ponere, actiones hominum a cauſis neceſſariis pendere, id quod tamen multis adhuc dubiis involutum eſt, & quod diſſentientes conſtanter negant & pernegant, obſervat. Facile quidem concedit, rationem ſufficientem non eſſe impeditam, verum, hoc rem non conficere, nec exinde ſequi, talem rationem ideo neceſſariam
7. eſſe, monet. Fuſius dein *Hobbeſii*, nec non *Spinozæ*, pla-
11. cita exponit, & *Harviſii*, Angli, confutationem, quam per
13. omnia probat, adſtruit. Libertatem, quæ in arbitrio atque electione diverſarum actionum ponitur, ad atheiſmum ducere, & a nullo, niſi qui *Epicuri* probet ſomnia, credi poſſe, dixerat *Collinus*. Hunc vero confutaturus S. Rev. Autor, ad experientiam pariter, atque doctrinam moralem, provocat.

Quod

Digitized by Google

Quod ad hanc attinet, inter omnes conſtare ponit, præmia atque pœnas fundamenta omnis ſocietatis civilis conſtituere. Sublata autem inter actiones electione, neutri locum amplius eſſe, inculcat. Dixerat quidem, huic dubio obviam iturus, *Spinoza*, & cum eo *Collinus*, pœnas ideo introductas eſſe, ut membrum putridum a ſocietate aut reſcindatur, aut ſalutari pœnæ metu corrigatur, atque ab aliis delictis abſtrahatur. Hoc autem conceſſo, nihilo ſecius pœnas negari, atque duntaxat futura delicta coerceri, S. Rev. Autor judicat. Immo, Pag. 44. hoc poſito, pœnas & præmia æternitatis cogitari non poſſe, cum in altera vita neque correctioni locus ſit futurus, neque facinoroſi metuendi ſint, oſtendit. Inſtat *Collinus*, dicens, 45 8. multo majora & plura ſcelera eſſe futura, niſi voluntas hominum ad præmia amplectenda, & ad pœnas metuendas, eſſet concta. At vero S. Rev. Autor præclare monet, hoc nihil contra libertatem facere, cum ſæpiſſime aliquid nobis bonum videatur, quod re vera malum ſit. Bonum, ſive verum, ſive apparens, nunquam aliquis averſabitur. Facinoroſi ergo transgreſſionem legum tanquam bonum conſiderant, neque pœnas ſecuturas eſſe, ſemper certo credunt. Ex quo facile fluit, eos a ſcelerum perpetratione nulla neceſſitate abſtrahi, neque ad pœnas reformidandas adigi. Imo, ex ſententia adverſariorum, omnia facinora neceſſitate quadam invincibili eſſe perpetranda, graviter S. Rev. Autor monet. Libertate admiſſa, nullam diſtinctionem inter vir- 57. tutem & vitia remanere, neque hominem amplius agens morale tunc dici poſſe, *Collinus* audacter tradidit. Bonum nempe & felicitatem, cum virtute conjunctam, & contra malum, vitia comitans, cauſas motrices ad virtutem amplectendam conſtituere, dictitat. Verum, ſibi non conſtare eum, & ex propriis verbis confutari poſſe, cum ipſemet in ſequentibus profiteatur, homines ſæpiſſime malum tanquam bonum conſiderare, S. Rev. Autor obſervat. Ex *Collini* etiam principio effici, operationes animæ phyſicas eſſe, & eadem mechanica neceſſitate, qua v. c. ſanguis in corpore fluit, & per venas ſeſe diffundit, & opera laude digna, & ſcelera, peragi, idem evidentiſſime demonſtrat. Deum hoc pacto autorem pec- 60.



Digitized by Google

Pag. 63. catorum dici, oſtendit. Angelos bonos, & beatos cœlites, jam libertatem peccandi amiſiſſe quidem concedit, his tamen, cum in vita adhuc eſſent conſtituti, eam denegari haud po-
71. tuiſſe, contra adverſarium monet. Libertatem cum præſcientia Dei non pugnare, docet, eamque rem dictis Biblicis quo-
80-101. que confirmat. *Paulum* Apoſtolum a labe Stoiciſmi, quam ipſi
107. *Dodwellus* impegerat, defendit. Bruta eſſe agentia neceſſaria, & tamen per caſtigationes & pœnas ad illud adigi, quod volumus, *Collinus* conſtituit, ex eoque concluſit, etiam demta libertate præmiis & pœnis inter homines locum eſſe. At vero adverſarius aut concedere debet, verum eſſe, quod *Carteſius* dixit, beſtias non niſi machinas, ſecundum leges motus agentes, eſſe, & hoc pacto, uti S. Rev. Autor recte pronuntiat,
120. maxima erit eas inter & homines differentia; aut, ſi illud negat, prout præſtantiſſimi Philoſophi jam fecerunt, ſecundum leges mechanicas brutorum actiones non erunt æſtimandæ. Inſuper, perperam & non ſine temeritate beſtias hic cum hominibus comparari, S. Rev. Autor decernit, cum ea-
123. rum natura neutiquam adhuc ſatis ſit cognita. Varias inde variorum de natura brutorum ſententias adſtruit, ex quibus liquet, *Carteſium* ſuam hac de re ſententiam non primum excogitaſſe, verum eam ex *Gomeſii Pereira* libro, qui inſcri-
129. ſeq. bitur *Margarita Antoniana*, hauſiſſe. Inter quamplurimos autem Philoſophos, qui hoc argumentum tractarunt, optimam
162. fere rationem iniiſſe *Lockium*, S. Rev. Autor profitetur, cujus
166. ſeq. ſententiam & fuſe affert, & ſollicite examinat, propriam opinionem non ſine maxima in cogitando peritia & acumine expromens. Conſtituit nempe, bruta animantia cum infantibus tenellis non inepte comparari, ſponte quidem ea agere, non autem *cum ratione*, quod tamen libertatis humanæ præcipuum ſit attributum. Cum ratione autem agere, ipſi eſt, objecta, ex bono & malo mixta, dijudicare, &, quod optimum eſt, eligere; quam facultatem brutis ineſſe, S. Rev.
183. Autor conſtanter pernegat. Ad Scholaſticorum tandem, & præcipue *Thomæ Aquinatis*, placita deſcendens, hoſce homines juſto acrius quibusdam ſcriptoribus vapulare, contendit,

vario-

Digitized by Google

variorum etiam de *Thoma Aquinate* judicia apponit. *Thomam* Pag. 219.
igitur illum ſtatuiſſe, Deum eſſe liberrimum, & in ejus arbi- 221.
trio fuiſſe, an voluerit hanc, vel aliam, rem producere, S. Rev. Autor obſervat. Deum enim eſſe perfectiſſimum, & nihil ei perfectionis ex aliis rebus accreſcere, adeoque extra ſe conſtituta eum non ex abſoluta neceſſitate velle, Doctor iſte
angelicus dictitavit. His omnibus calculum ſuum S. Rev. 224.
Autor adjicit, hunc ipſum mundum non eſſe ex omnibus mundis, qui cogitari poſſunt, optimum, atque Deum, ſi quidem ei placuiſſet, meliorem creare potuiſſe, fuſe demonſtrans. Deum, pro infinita, qua pollet, potentia, varios ordines & cauſas rerum conſtituiſſe, quarum aliæ neceſſariæ ſint, aliæ liberæ, dixerat *Thomas*. Omnipotentia hæc requirit, ut non ſolum fiat omne, quod Deus vult, verum ut etiam ita fiat, prouti vult. Cum igitur Deus ab omni coactione immunis ſit, potuiſſe eum hujus perfectionis participes reddere creaturas, urget. Vere autem homines hoc dono
gaudere, pro certo ſumit. Multus adhuc eſt in laudandis & 239.
recenſendis *Thomæ* placitis, quibus nos, ne juſto longior evadat noſtra recenſio, non immorabimur.

## *EMANUELIS SWEDENBORGII, S. R. M. Regnique Sueciæ Collegii Metallici Aſſeſſoris, Regnum animale, anatomice, phyſice, & philoſophice, perluſtratum; cujus Pars prima de viſceribus abdominis, ſeu de organis regionis inferioris, agit, Pars ſecunda de viſceribus thoracis, ſeu de organis regionis ſuperioris, agit.*

Hagæ Comitum, apud Adrian. Blyvenburgium, 1744, 4.
P. I Alph. 2 plag. 9½, P. II Alph. 1 plag. 13.

Septem anni ſunt, quod liber: *Oeconomia regni animalis, in tranſactiones diviſa*, inſcriptus, apparuit. Qui, quamvis nomen Autoris additum non eſſet, facile tamen cognoſcebatur non poſſe, niſi a *Swedenborgio*, provenire, quod ſcilicet ex Latina dictione, ſed inprimis ex philoſophandi

 ratione,

Digitized by Google

ratione, apparebat. Jamque in Prologo hujus libri ipſe ſe *Oeconomiæ* Autorem nominat; quod ſi propter hoc fecit, quod, ne ſibi alius aliquis ejus libri gloriam tribueret, metuebat, poterat id ſecure omittere. Magis ipſi gloriæ cedit hoc, quod, ſe *Oeconomiæ* filum abrupiſſe, fatetur, propterea, quia juſto feſtinantius, ut ait, & citatius gradum ad propoſitam metam contulerit. Atque vellemus, quæ in hoc libro propoſita ſunt, Autor aliquanto clarius pertractaſſet, niſi fortasſis ex eorum numero eſt, qui, eum demum virum doctum eſſe, exiſtimant, in cujus ſcriptis intelligendis ſe lectores fruſtra fatigant. Ex duabus ad veritatem perveniendi viis eam *Swedenborgius* ingreſſus eſt, quam Græci *ἀνάλυσιν* vocant, quamque ſolam ait terrigenis apertam eſſe videri, cum, quæ *σύνθεσις* nominatur, entibus & potentiis ſuperioribus modo, ut Autor vocat, ſpiritibus, angelis, ipſique omniſcienti Numini, pateat. Atque in hoc hic ipſe liber ab *Oeconomia* non differt. Quæ in *prima Parte* propoſita ſunt, *Swedenborgius ſedecim Libris* comprehendit, quæ in *ſecunda*, *ſeptem*. In ſingulis *Capitibus* ita proceſſit, ut primum de ſingularum partium fabrica plurium doctorum virorum obſervationes atque experimenta, longo ſermone, & ipſis Autorum verbis ſervatis, proponeret, deinde vero Analyſin ſubjiceret, quæ nihil aliud eſt, quam uſuum muniumve partis cujusvis expoſitio, cui plures, ſed parum ad rem facientes, annotationes ſubjectæ ſunt. Ex viris doctis autem per omnia *Heiſterum*, atque *Winslovium*, in pluribus *Bœrhaavium*, atque *Malpighium*, in nonnullis *Morgagnum*, & paucos alios, ſecutus eſt. Quorum virorum etſi tanta autoritas eſt, ut propter eorum delectum vituperari *Swedenborgius* permultum non poſſit, tamen de hoc excuſari non poteſt, quod, qui de ſingulis partibus corporis humani expoſuerunt, non ubique conſuluit, atque ad *Bidloi*, ſimilesque, parum accuratas, aliorum icones provocavit. Neque ſine magno lectorum diſpendio factum eſt, ut integra loca horum Autorum proferret, qui cum in aliis idem dixerint, in aliis diverſa ſenſerint, ſatius fuiſſet, illa contrahere, ex his illa tantum proponere, quæ propius a vero abeſſe videbantur,

Digitized by Google

bantur, quam lectorum judicio relinquere. Hæc de toto
Opere in univerſum ſufficiant. Jam, ſi non ſingula, ſaltem ali-
quot *Capita*, luſtremus. *Primum* de Lingua eſt, cujus deſcri-
ptionem ex *Heiſtero*, *Winslovio*, *Malpighio*, & *Bœrhaavio*, Au-
tor repetiit, iisque ex *Swammerdamo* quædam de inſectorum
linguis ſubjunxit. Tria autem propria eſſe linguæ munera
dicit: primum ſugere, ſorbere, potare, & comedere, vel Pag. 26
alimenta recipere, & deglutire, alterum ſentire & ſapere, ter- ſeq.
tium loqui. Cetera derivativa eſſe dicit, ut ſpuendi, evo- 29.
mendi, ſibilandi, inflandi buccinas, cet. A potentia enim
comedendi, bibendi, atque loquendi, principaliter pullulare
ait. Neque ex lingua ſalivalem humorem provenire, qui
cibis admiſceatur. Ab his Autor ad muſculorum linguæ ex-
poſitionem progreditur, ubi & Græcæ linguæ & Anatomes
ſcientiam egregie probat hoc, quod, cerato- & baſiogloſſum
a nonnullis in mylo- & chondrogloſſum dividi, ſcribit. Ex 32.
nervis deinde quinto pari ſentiendi, nono movendi facultas,
adſcribitur, &, qui ab octavo pari proveniunt, dicuntur a pri-
mis lactiſugiis linguam informare, quomodo alimenta reci-
piet, circumaget, devolvet, & ventriculo committet, nem-
pe propter hanc evidentiſſimam cauſam, quia ex cerebello
effluunt. Ut, quantum *Swedenborgius* ceteros Phyſiologos
antecellat, ex his evidenter apparet; ſic idem, & quanta ſit
ipſius anatomica ſcientia, demonſtrat hoc, quod, quas primi ſe- 33 ſeq.
cundique ordinis papillas *Winslovius* vocat, non ſolum glan-
dulas facit, quod aliquo modo concedi poſſet, verum etiam,
pariter ac foramen cœcum non excernendo ſalivali humori,
ſed eidem æque ac ſuccis ciborum ſolutis abſorbendis hau-
riendisque, deſtinatas eſſe, pronuntiat. In *ſecundo Capite* de 61.
labris, ore, palato, & glandulis ſalivalibus, agitur, quo loco
leve eſſe videtur hoc, quod, præter platyſma-myodes, & di-
gaſtricum muſculum, nullum alium novit, qui maxillam a
mala diducat, quodque inter eos, qui illam ad hanc appri- 63.
munt, maſſeterem non numerat. Non contemnenda tamen
ſunt, quæ deinde de linguæ uſu inter potandum profert;
quem vero uſum papillis glanduliſque manifeſto in lingua 68.

 conſpi-

Digitized by Google

conſpicuis adſcripſit, ſcilicet, ſubtiliores ex cibis ſolutis ſuccos ſorbere, ac bibere, eundem etiam guttur palatumque habere, ait, propterea, quod glandulæ lenticulares, ſicut in lingua adſint, non e ſubjectis glandulis emiſſæ, ſed emiſſaria, ſeu tubulos verſus interiora ablegantes. Neque aliter in univerſum de ſtomachi, ventriculi, ac inteſtinorum, glandulis, vaſculisque, in hæc cava loca hiantibus, ſentit, quaſi vero ipſi, tot Diſſectorum experimentis ſpretis, uſum, immo ſtructuram, partium pro lubitu mutare liceret. Sequitur in *tertio Capitè* de
Pag. 78- pharynge, œſophago, & eorum glandulis, tractatio. In qua
80. memorabilia hæc ſunt, quæ de ſucceſſione motuum in lin-
82. gua, palato, faucibus, & ſtomacho in deglutitione, ab influxu nervearum fibrarum procedente, de ſalivali humore, ex glandulis thyreoidea, bronchialibus, jugularibus, occipitalibus, cervicalibus, proveniente, atque a ſtomacho attracto,
83 ſeq. tum ſigillatim de ſpiritibus, ſeu animalibus nobilioribus eſſentiis, a ventriculo attractis, quibus ſaliva demum vivificetur, ut potis ſit intimas edulium partes involvere, & per inſenſiles poros in ſanguinem traducere, atque de motibus alternis re-
85 ſeq. ſpiratoriis pulmonum, ventriculo, appenſisque ceteris viſceribus, per œſophagum impreſſis, propoſita ſunt, ut qui tanquam axis homodromus cum ſuis loris & ſucculis ſit, qui hanc rotam in pulmonum vices excitet, verſet, & circumducat.
95. In *quarto* deinde *Capite*, in quo de ventriculo tantum, & ejus orificiis, exponitur, de chylo tamen quædam, ex *Leeuwenbœckio* exſcripta, appoſuit. Utque ſpiſſioris in faucibus reperiundi ſucci, (mucum appellant,) ejusque in deglutitione utilitatis, mentionem nullam fecit; ſic quoque gaſtricum ſuccum neglexit.
104. Multa contra, nobis parum intellecta, de forma ſpirali diſputat,
105. actionemque fibrarum ventriculi in gyrum fieri contendit, qui, a ſuperiore orificio orſus, in inferiore deſinat, & alterno reſpiratorio pulmonum motui ſynchronus ſit. Cumque ſuperiore aliquo loco monuerimus, *Swedenborgium* exiſtimare, tunicam interiorem ventriculi non tam emittere ſuccos, quam
112 ſeq. potius ſugere, ipſa Autoris de hac re verba apponamus: Puriſſima & ſumme decantata immediate in cerebrum & cerebellum, inque

inque ipſas eorum ſubſtantias, ſubtile organicas, ablegat. Quæ illis puritate ſuccedunt, directe in venas & ſanguinem; quæ his iterum, in tunicam celluloſam, & ab hac vel in vaſa capillaria, vel in lymphatica, & his mediis in cyſternam chyli, reſidua ejusdem tunicæ repoſcere & ruminare videntur. Minus autem defæcata adhuc caſtiganda, per expoſitam viam ſanguineam in hepar. Neque ab his multum abludunt, quæ in *Capite quinto*, in quo de inteſtinis primum in univerſum, Pag. 114.
deinde ſingulis, agitur, de chyli motione ad vaſa lactea aliaque proferuntur, quam videtur *Swedenborgius*, neque adeo 148.
male, exiſtimare, per valvulas inteſtinorum dirigi. Ex appendice autem vermiformi, plicis coli undoſis inungendis & lu- 149.
bricandis, ac præcipue macerandis fæcibus, idoneum liquidum emanat, quod tamen ſuperfluum peritonæi, & viſcerum abdominis, eſſe, vehementer dubitamus. Plura, ut verum fateamur, figmenta in proxima de meſenterio, vaſisque lacteis, 162.
tractatione occurrunt, qualia ſunt, de vaſis lacteis pulmonum, lienis, hepatis, peritonæi, de vaſis lacteis inteſtinorum, non in villoſa, verum in celluloſa, eorum tunica finem habentibus, 163 ſeq.
de viribus, per quas in celluloſam tunicam attractus chylus in vaſa lactea urgeatur, inter quas glandulæ meſenterii referuntur, quæ ſe inſtar follium contrahant ac elevent, chylumque hac ratione alliciant. Porro de ſede receptaculi chyli in centro 166.
totius trunci, de ſingulis fibris, ubicunque vadant, animum, 170.
ſeu ipſas affectiones, ſui parentis cerebri, vel cerebelli, ſecum portantibus, aliaque. Occurrunt etiam non pauca in *ſeptimo Capite*, quod de ductu thoracico eſt, atque in *octavo*, in quo de glandulis in genere exponitur. Earumque duo 196.
ſumma genera admittit, conglobatas, quas Autor electiſſimam lympham excipere, perque ſua cola, ſuos foros, & folliculos, diffundere, mox diffuſam colligere, & per ſimilis textus vaſa ad alvearia transmittere, dicit, & conglomeratas, quæ 198.
totidem perfectiſſimæ operarum chymicarum ideæ, & quaſi laboratoriorum exempla, eſſe dicuntur, dividunturque in generales, ſpecificas, & particulares. Quadruplicis naturæ fi- 201.
bris dicuntur conſtare, fibra cerebri, ſeu nervea, corporis, ſeu

arteria

arteria & vena, fibra motrice, ex hac utraque conſtante, &
Pag. 204. fibra glandulæ conglomeratæ, ex grandinibus & acinis ejus
ſeq. enixa, hæcque cerebri exemplo illuſtrantur. Sed nolumus Lectorem his nugis amplius recenſendis morari. Quare reliquorum *Capitum* contenta breviter tantum indicabimus. *Nonum* igitur de hepate, & veſica fellis, eſt, ubi *Bianchiani* operis & *Morgagnii* Epiſtolarum pariter ac *Ferreniani* inventi
222. ſqe. ne verbo quidem mentionem fecit. Multa contra futilia de jam diu feliciter exploſis operationibus corporis chymicis, tanquam de re nova, propoſuit, bilemque ex chylo crudo,
229. ſanguineque impuro, in hepate parari, contendit. In *decimo* *Capite* de pancreate agitur, in *undecimo* de liene, quod viſcus
286. dicitur omnem ſuſceptum ſanguinem arterioſum in tranſtra ſua celluloſa effundere, ibique, verſare ac ſubigere, cujus deinde partem venæ per multifores aditus abſorbeant, partem vaſa lymphatica ſibi vindicent, & partem fortaſſis ipſa cellulata compages in omentum ejiciat. Quæ ſi fortaſſis tolerari
289. poſſent, certe tamen non poſſunt ea, quæ deinde de immundioris ſanguinis in liene præparatione &c. proponuntur. *Caput XII* de omento eſt, de cujus quadruplici uſu melius, quam de ceteris, expoſitum eſſe videtur. *Caput XIII* renibus ſuccenturiatis dicatum eſt; de quibus præ reliquis debuiſſet *Morgagnium* in Epiſtolis ad *Valſalvam* conſulere. Ipſe vero *Swedenborgius* mira quædam de hujus partis actione narrat,
338. eamque circulum chyloſi ſeri dicit per cellulatas tunicas peritonæi, & ejus viſcerum, ſicut cor embryonicum circulum ſanguinis per vaſa jugiter inſtaurare, ipſumque alumnum, & ſpiritu fœcundum laticem, copulare ſanguini, ac copulam in ſanguinis gyrum remittere. De renibus ac ureteribus in *Capite XIV* exponitur. Quos cum urinam a ſanguine per alternam
358. expanſionem conſtrictionemque ſeparare, & lentas damnoſas-
375. que pituitas, & forte aliquam partem effœtæ pinguedinis, a peritonæo educere, ſcribit, videtur nobis rem nulla ratione probandam proponere. Hanc tractationem in *Capite XV* illa de veſica urinaria excipit. In eaque multa primum de ordine partium corporis humani, ac niſu earum, quæ in ventre ſunt, in veſicam,

cam, modoque, quo urina quaſi exprimitur, proponuntur, quæ fortaſſis admitti poſſent, ſaltem facilius, quam quæ Pag. 397.
*Swedenborgius* de alterna veſicæ vibratione, ad varios uſus, profert. Poſt hæc in *XVI Capite* de Peritonæo ſic agitur, ut, quæ de eo a *Douglaſſo* ſcripta ſint, Autor ignoraſſe videatur. Nolumus, vel non poſſumus potius, hic ea recenſere, quæ initio hujus *Capitis* de univerſali & communi diſputantur, pa- 412 ſeq.
riter ac illa, quæ de peritonæo, tanquam communi vinculo membrorum abdominis, atque ultimo loco de circulatione ichoris per textum peritonæi celluloſum, exponuntur, ut quorum omnium ſenſum aſſequi nobis non licuit. Finem huic *primæ Parti* Epilogus imponit, in qua, ſummam munerum omnium abdominis viſcerum, chylificationem, ſanguificationem, ac repurgationem, eſſe, oſtenditur. Ad *alteram Partem* progrediamur, cujus *primum Caput* de naſo & uvula agit. De qua *Swedenborgius* vel propter hoc excuſari non poteſt nihil eorum protuliſſe, quæ *Littrius* & *Valſalva* expoſuerunt, quod *Brownii* 7.
tamen icones muſculorum, easque ex *Mangeto*, & *Verheyeni* illarum partium figuras, allegavit. Inter plures vero, quæ 15.
naribus utilitates adſcribuntur, nova utique hæc eſt, a quinto pari ramum naribus datum fuiſſe, quo reſciat animal, quid 19.
intro in pulmones conetur irrumpere; atque ſingulare eſt etiam hoc, noſtræ ætatis Medicum contendere poſſe, nares etiam a cerebri medulla, cortice, & menyngibus, lymphas pituitoſas abducere, ne de aliis, riſu magis excipiendis, opinionibus dicamus, quas de narium æque ac uvulæ, quam a velo palatino, etſi minus accurate, diſtinguit, uſu fovet. Laryngis & epiglottidis deſcriptio in *Capite II* ſequitur. Ejusque ſex 40.
uſus eſſe etſi contendit, tamen parum clare exponit, neque, quid per glottidem intelligat, ullo loco declaravit, quin, eam potius pariter ac ipſam moventes muſculos nunquam a *Swedenborgio* viſos fuiſſe, colligere aliquis vel ex hoc poſſet, quod ab aliis muſculis in rimam coarctari ait, ab aliis in or- 43.
bem, ſeu circulum, expandi. Tolerabiliora eſſe videntur, quæ in *Capite III* de aſpera arteria habet, ſi ea excipias, quæ de 87.
motibus alternis reſpiratoriis pulmonum partibus vicinis, &



Digitized by Google

per has remotis, ab aſpera arteria infuſis, de eadem arteria,
Pag. 91. ſanguinem arterioſum ad caput & cerebrum enitentem excitante, communique modificatione exhilarante & animante,
93. tumque in ſe ut in effigie repræſentante, quomodo unumquodvis membrum hujus corporis, aut regni, non ſibi ſoli, ſed omnibus, vivat, expoſuit. *Caput IV* de pulmonibus doctrinam continet, & *V* illam de pleura, mediaſtino, & pericardio. Et pleura quidem, ſi *Swedenborgio* credimus, miras utilitates præſtat hoc, quod reſpiratorios motus, ut vocat, ad muſculos pectoris, ad cor, arterias, venasque, ad peritonæum, ad medullam ſpinalem, &c. transfert. Quo vero amplior de pleura tractatio eſt, eo anguſtiores limites illa de mediaſtino & pericardio habet. Ultimis duobus locis de thymo ac diaphragmate agitur. Atque in illius uſu inveniendo omnes Phyſiologos adhuc fruſtra laboraſſe pudeat, cum felix *Swedenborgii* ingenium facile & unctuoſum humorem thymi, & per quas ille vias in mediaſtini cava, cordis parenchyma, ſtomachum, aſperam arteriam, pectoris cavum, &c. depluat, invenerit. Præter hæc dicitur quinque peculiares in partibus uſus
224 ſeq. habere; quos amplius hoc loco non recenſebimus, pariter ac quæ de diaphragmate, tanquam communiſſimo ligamento, & medio uniente omnium totius corporis membrorum, &
237 ſeq. tanquam communi directorio & medio uniente omnium eorum virium, motuum, munerum, & uſuum, proferuntur. In Epilogo denique de mediatorio pulmonum inter animam & corpus munere, de via, quæ generi humano ſciendi, & demum ſapiendi, conceſſa ſit, de facultate diſtincte cogitandi, ac de finibus, agitur, ob quos, inquit, cardines vitæ notæ ita inverſi ſint, ut poſtrema primas agerent, ſeu ut ſenſus corporei mentem ſuam magiſtram in ſcientias inaugurarent, & non ab initio, explicatis & excultis organis, acutiſſime, quid in re quaque veriſſimum ſit, videremus. Et hæc quidem de ſomniis *Swedenborgianis* ſufficiant.

## ASTRONOMIE NAUTIQUE, &c.

id eſt,

*ASTRO-*

Digitized by Google

## ASTRONOMIA NAUTICA, SEU ELEMENTA *Aſtronomiæ, pro Obſervatorio, tam fixo, quam mobili; Autore* DE MAUPERTUIS.

Pariſiis, ex typographia Regia, 1743, 8 maj.

Plag. 9, cum Schematibus, textui inſertis.

Inutile fere judicamus, indicare, libellum hunc ſingularem ſibi apud eos, qui rebus mathematicis, præſertim aſtronomicis, favent, attentionem conciliare poſſe, cum ipſe optimas ſuas literas commendatitias præ ſe ferat. Nomen enim Autoris in fronte gerit, qui jam tot egregiis inventis atque obſervationibus ſcientias, Geographiam inprimis & Aſtronomiam, ornavit & auxit, ut ab eo nihil niſi elegantiſſimum quodque ſibi promittere liceat. Forſitan tamen haud omnes, qui ſolum ejus titulum norunt, juſtam de ipſius contentis ideam concipient. Errarent enim, ſi ſyllogen eorum, quæ in re nautica ex Aſtronomia petuntur, cum deſcriptione inſtrumentorum, methodorum obſervandi, & ſimilibus, quæ a ſcriptoribus doctrinæ nauticæ vulgo exponi mos eſt, exſpectarent. Eum potius finem ſibi propoſuit Cel. Autor, ut varia nova exhiberet Problemata, quæ, ut Aſtronomiæ generatim inſerviunt, ita præſertim in re nautica, pro variis circumſtantiis, ſummo cum fructu in uſum vocari poſſunt. Accommodatum eſt itaque opuſculum uſui utriusque Aſtronomi, tam ſtricte ſic dicti, ſeu fixi, quam nautæ, Aſtronomi mobilis. Utrique offeruntur varia atque nova ſubſidia, quorum ope partim obſervationes commodius inſtituuntur, partim ea, quæ ex obſervationibus reſultant, majori cum rigore reperiuntur. Inprimis tamen nautis ſunt longe utiliſſima, quorum ratio obſervandi vulgo & eſt admodum lubrica, & ita comparata, ut, levi obſtaculo ſe offerente, nulli prorſus uſui inſervire queat; cum tamen plura alia adminicula adhiberi poſſint, quæ vel non minus exacte, quam facile, propoſito ſatisfaciunt, vel, ſi non ſummum rigoris gradum admittant, deficientibus tamen exactioribus optimum in caſu neceſſitatis erunt refugium, idque eo



Digitized by Google

magis, quod nullum fere apparatum ſibi depoſcant. Totum negotium abſolvitur quadraginta Problematibus. Ad methodum quod attinet, Trigonometriam ſphæricam, quam plerique cœcutientes quaſi ad Problemata aſtronomica ſolvenda applicant, plane non adhibere conſultum duxit, atque omnia ex ſolius Geometriæ principiis derivavit, & formulis algebraicis eleganter complexus eſt, adeo ut, cum eadem methodus etiam ad alia Problemata ſphærica facile applicari queat, hoc reſpectu fere *Aſtronomiæ ſphæricæ analytice expoſitæ* titulo præſens opuſculum inſignire liceat.

Priora quinque *Problemata* ſiſtunt formulas canonicas, quæ in omnibus reliquis uſu veniunt. Docetur nempe pro quinque his elementis, altitudine poli, ſideris declinatione, altitudine, angulo horario, & azimuthali, omiſſo uno, invenire relationem inter quatuor reliqua. Si nempe, poſito ſinu toto $=r$, dicantur reſpective ſinus & coſinus eorum: $s, c$; $x, y$; $h, k$; $t, u$; $m, n$; habebuntur ſequentes æquationes: 1) $rrh - rsx = cyu$; 2) $rrx + nck = rsh$; 3) $rnyt + rmcx = msyu$; 4) $rcbt + nskt = rmku$; 5) $mk = yt$. In *Problemate 6* ex dato tempore, quo ſidus datum angulum abſolvere videtur, invenitur declinatio; eſt enim, poſita hujus chorda $= 2p$, $y = rp:t$. *Probl. 7, 8*, ex altitudine poli, & declinatione ſideris, quarum tangentes $= S, X$, præbet arcus ſemidiurni coſinum $= SX:r$; & coſinum amplitudinis ortivæ, vel occiduæ, $= rx:c$. Ex formula priori datur refractio horizontalis; cum enim detur tempus, quo ſol eſt actu in horizonte, & obſervari poſſit altitudo ejus apparens, addendo parallaxin relinquetur quæſita refractio. Ex poſteriori definiri poteſt declinatio acus magneticæ. Hac occaſione novum atque ſingulare prorſus *inſtrumentum azimuthale* pro obſervatorio fixo commendat Vir ingenioſiſſimus, ipſum nempe horizontem ſenſibilem; quod in gradus dividi poſſet, obſervando variarum ſtellarum, quarum declinationes conſtent, angulos horarios, unde per formulam canonicam tertiam darentur anguli azimuthales, adeoque ope teleſcopii, in plano verticali mobilis, hi gradus notari poſſent per objecta, horizontem terminantia.

Quo

Digitized by Google

Quo inſtrumento ſemel conſtructo, omnes obſervationes ſiderum abſque altitudinibus menſurandis expediri poſſent per ſolum teleſcopium ac pendulum; cum ex angulo azimuthali & horario ipſæ altitudines computari queant. In *Problemate 10*, ex data altitudine poli, & declinatione ſideris, quæritur, in quanam altitudine hoc verticaliter adſcendere, vel deſcendere, videatur. Patet, accidere hoc in eo puncto, ubi circulus diurnus tangitur a verticali, & angulus azimuthalis ſit ſui generis maximus. Si itaque formula canonica ſecunda differentietur, poſitis $c, s, x,$ conſtantibus, & ponatur $dn = o$, prodit ſinus quæſitæ altitudinis $= rs : x$, & ipſius anguli azimuthalis coſinus $= r \sqrt{(x^2 - s^2)} : c$; unde liquet, illud phænomenon competere non poſſe, niſi ſtellis inter polum & zenith tranſeuntibus. Hoc *Problema* applicatur in ſequenti ad definiendam refractionem. Cum enim eo momento, quo ſtella partem verticalis deſcribit, refractio ſolam altitudinem afficiat, ipſumque momentum ſit idem, ac ſi nulla adeſſet refractio; poterit, ex comparatione altitudinis veræ, per form. præc. computatæ, cum obſervata, ipſa quantitas refractionis elici. *Problemata* tria ſequentia verſantur circa correctionem meridiei, per altitudines correſpondentes determinatæ. Si nempe capiantur duæ altitudines ſolis ante & poſt meridiem æquales, medium intervalli temporis inter eas daret momentum meridiei, modo declinatio ſolis interea non mutaretur. Poſito enim ſole in ſignis adſcendentibus, eo momento, quo poſt meridiem eandem haberet altitudinem, paulo propius ad zenith acceſſit, ideoque tardius, quam deberet, ad eandem altitudinem iterum pervenit. Contrarium accidit, ſi ſit in deſcendentibus. Quare ab ipſo medio intervalli priori caſu aliquid demendum, poſteriori ei quid addendum erit, ut habeatur vera meridies. Quod ut inveniatur, differentietur formula canonica prima, poſitis $s, c, b,$ conſtantibus, & pro $dy$, $du$; introducantur ipſi arculi meridiani $dD$, & æquatoris $dE$, & (poſita tangente anguli horarii $= T$) prodiit $dE = (S : t - X : T)\, dD$. Hinc vice verſa data differentia iſta temporis $dE$, datur differentia declinationis $dD$, vel utra-

que data dabitur altitudo poli. *Problema 15* eſt famoſum illud de *die minimi crepuſculi*, quod olim ſummorum Geometrarum par, fratres *Bernoullios*, per quinquennium occupatos tenuit, (fatente ipſo *Joanne Oper. Tom. I pag. 64*,) cujusque ſolutiones in his *Actis*, & utriusque *Operibus*, ut & in *Analyſi Hoſpitaliana*, exſtant; quas vero defectu laborare oſtendit præſens acutiſſimi Autoris ſolutio, mira facilitate ex formulis generalibus emanans. Cum enim duratio crepuſculi exprimatur tempore, inter duo momenta, quibus ſol horizontem & circulum crepuſcularem (intra horizontem 18° depreſſum) attingit, elapſo; quod manifeſte æquatur intervallo momentorum, quibus ad horizontem & altitudinem 18° perveniret; liquet, menſuram ejus fore arcum æquatoris terminatum duobus coſinibus, quorum unus $u$ reſpondet angulo horario eo inſtanti, quo ſol horizontem attingit, alter $u'$ eo, quo ad gradum 18 elevatur. Qui arcus cum ſit minimum, erit ejus elementum $\frac{du}{\surd(rr-uu)} - \frac{du'}{\surd(rr-u'u')} = 0$. Subſtitutis ergo ex formula prima valoribus ipſorum $u$, $u'$, per $s$, $x$, $y$, $b$, poſitisque $s$, $b$, conſtantibus, prodibit ſinus declinationis quæſitæ $x = \left(\frac{r+k}{b}\right) s$. Duo ergo valores videntur propoſito reſpondere, quorum unus $\left(\frac{r-k}{b}\right) s$ præbet analogiam, a laudatis Geometris jam pridem inventam, $r : tang. 9° = s : x$; alter vero, ab iisdem neglectus, non niſi propter ambiguitatem quandam, in Problemate hoc obviam, adeſt. Si nempe elevatio poli major ſit depreſſione circuli crepuſcularis, arcus æquatoris, crepuſculum metiens, eſt (ut jam diximus) differentia duorum arcuum, quorum coſinus cadunt ad eandem centri ſphæræ partem; & valor prior reſpondet hujus differentiæ minimo, juſtamque declinationem exhibet, poſterior præbet imaginariam. Si vero elevatio poli depreſſione arcus crepuſculi minor ſit, arcus ille eſt ſumma duorum arcuum, quorum coſinus cadunt ad partes centri diverſas;

Digitized by Google

verſas; & duarum declinationum una præbet minimum ſummæ horum arcuum (qualis proprie requiritur), altera minimum differentiæ, quod vero nec dat crepuſculum minimum, nec maximum. Hoc excipiunt *tria Problemata*, quibus ex altitudine poli, & declinatione ſolis, definitur tempus, quo diſcus integer ſuper horizontem elevatur, aut infra eum deprimitur; vel vice verſa. Poſitis nempe in formula prima non niſi $b$, $u$, variabilibus, & pro $du$ introducendo arculum æquatoris $dE$, pro $db$ vero ipſum diametrum ſolis $dH$, prodit $dE = \frac{r\,dH}{\sqrt{(y^2 - s^2)}}$; unde vice verſa ex obſervato hoc tempore poterit noſci elevatio poli, quod ſubſidium, uti executione eſt facillimum, ita, deficientibus aliis, nautæ poteſt eſſe utiliſſimum, cum præterea refractio nullum errorem inducat. In *Problematibus tribus* ſequentibus continetur relatio inter altitudinem poli, declinationem & altitudinem aſtri, & tempuſculum, quo per quantitatem minimam elevatur, vel deprimitur; unde ex datis poſterioribus elici poterit altitudo poli, novo in caſu neceſſitatis ſubſidio. *Tria*, quæ ſequuntur, *Problemata* ex datis aſtri declinatione, duabus altitudinibus, & intervallo temporis, inveſtigare docent altitudinem poli, & tempus obſervationum; quod ſimplicius efficitur, ſi in altera obſervatione aſtrum ſit in horizonte, vel ſi ſtella æquatoria aſſumatur. *Problema 25* exprimit altitudinem poli, & declinationem ſideris, ex obſervatis tranſitibus per duos verticales ope angulorum azimuthalium & horariorum. *Probl. 26, 27*, ex data altitudine poli, & obſervatione duorum ſiderum, quorum adſcenſiones rectæ & declinationes conſtant, in eodem verticali, invenire docent horam; quod facillime expeditur, ſi utriusque adſcenſio recta ſit fere eadem; imo tota obſervatio nullum apparatum, niſi filum pondere onuſtum, requirit. Per *Probl. 28, 29*, reperitur altitudo poli ex obſervatis duobus ejusmodi ſideribus, in eodem vel verticali, vel almucantarath. Sequens definit altitudines poli & horam, ex intervallis, quibus trium ſiderum (quorum adſcenſiones & declinationes notæ) unum in eodem verticali, quo ſingula reliqua reperiuntur; quod

Digitized by Google

quod eo reſpectu inprimis eſt utiliſſimum, quod & obſervatio tranſitus per verticalem facillima, & ipſum nulli refractioni ſit obnoxium. *Problema 31* eſt inſigne illud, inter celeberrimos *Academiæ Petropolitanæ* Socios quondam valde agitatum, (quorum ſolutiones in *Comm. Petr. Tom. IV* exſtant,) de invenienda altitudine poli, & declinatione ſideris, ex tribus altitudinibus & duobus intervallis temporum; quod tamen magis eſſe curioſum, quam in ipſa praxi utile, haud diffitetur Noſter. Sequentia *Problemata* exponunt relationem inter altitudinem poli, & diem anni longiſſimum breviſſimumve; tam neglectis, quam conſideratis, refractione & parallaxi. *Problema 38* tractat quæſtionem, nautis longe utiliſſimam, quæque non minus exacte mari, quam terra, ſolvi poteſt, de invenienda altitudine poli ex diei longitudine. In hujus ſolutione omnia in computum ducuntur, quæcunque modo variationem inducere poſſunt: refractio, parallaxis, variatio declinationis ſolis, variatio loci navis tam in longitudinem, quam in latitudinem. Qua in re notatu eſt digniſſimum, refractionem horizontalem quam proxime æquari diametro ſolis apparenti, adeo ut refractionis rationem habere opus non ſit. In *Problemate 39* inveſtigatur altitudo poli ex intervallo inter ortum, vel occaſum, duorum ſiderum, quorum conſtant adſcenſiones rectæ & declinationes; quod inſervire poteſt nautis, eligendo tale ſidus, quod in horizonte conſpici poteſt, Solem nempe, Lunam, Venerem, aut Jovem. Denique *Problema 40* exponit *Maieri*, de Aſtronomia optime meriti, methodum, (in *Comm. Pet. Tom. V* exhibitam,) inveniendi altitudinem poli, & declinationem ſideris, ita ut neutra ab altera pendeat, nulliusque anguli menſuratione opus ſit, dum nempe obſervantur tranſitus duorum ſiderum per meridianum, per duos verticales, & per duos almucantarath, etiamſi incognitos, modo ſint conſtantes; cujus ſolutio ex formulis generalibus methodo valde naturali derivatur, etſi rei natura expreſſiones haud adeo concinnas admittat. Quo ipſo finis elegantiſſimo huic opuſculo imponitur.

MISCEL-

Digitized by Google

*MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi conſilium ſuſcepit, Præfationem præmiſit, ſua nonnulla paſſim addidit, FRID. OTTO MENCKENIUS, Ph. & J. U. Doctor, Regi Pol. & Elect. Sax. a Conſiliis Aulæ, Urbis patriæ Senator, & Acad. Scient. Reg. Boruſſ. Sodalis.*

*Voluminis V Pars I.*

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1747, 8.

Plag. 12.

In Præfatione, huic *Volumini* præmiſſa, ſignificavit *Menckenius*, *Miſcellanea* hæc barbariei ingruenti veluti repagulum objicere, pollicitus, ſe cum laboris ſociis nunquam, dum vixerit, inſtituto huic renuntiaturum, vel ejus curam, niſi ipſum ſuprema illa rerum neceſſitas hinc invitum abſtraxerit, ex animo dimiſſurum eſſe. Simul ac ad collectitium exercitum, in hac opera occupatum, nos convertimus, nobis *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Diſſertatio apocalyptica de Cantilena Moſis, ſervi divini, eaque agni cantilena, ad Apoc. XV, 3,* obverſatur. Tempus, quo *Apocalypſis Joannis* literis conſignata fuit, Autor in partes diſtribuit, ac illud inter annum 59 ac 68 interjectum credit, habita æræ vulgaris Chriſtianæ ratione. Argumenta, quibus ſit inductus, ut ita ſentiat, exponit haud una. *Gerſtenii* conſenſum laudat. Periodos ſeptem temporis, adventum Meſſiæ vindicem præceſſuras, ex Judæorum doctrina proponit, ac in luce ponit. Comites et cantores illius cantilenæ ex antiquitatibus ſacris Judaicis, ac nominatim ad feſtum tabernaculorum referendis, illuſtrat. Cantilenam *Moſis* & agni eandem eſſe ac exhiberi *Deut. XXXII*, rationibus allatis in medium it comprobatum. Summam cantilenæ, ſeu epiſodium, Pag. 31 apud *Joannem* ſtrictim attingi, docet. Effectum & eventum cantilenæ adjicit. Corollarium de nomine *Moſis*, Meſſiam



Digitized by Google

etiam denotantis, & agni, ſubjungit. Succedit huic Com-
mentationi *Petri Zornii Diſſertatio de* ימים טובים, *ſive diebus*
*magnis Ebræorum.* Dies primus ac ultimus trium feſtorum
Pag. 33. majorum Ebræorum inprimis habiti ſunt ſancti; dies interme-
dii haud æque ſancti magnique fuerunt reputati. Primus dies
menſis Tiſri hic æque in cenſum venit. Addatur Expiationis
36. dies. Helleniſtæ *dies bonos* illos vocarunt ἡμέρας μεγάλας.
Conf. *Jo. VII, 37, XIX, 31.* Si Sabbati dies cum die feſti majoris
eſſet idem, dies ille æque vocatus fuit *magnus.* Poſtrema a
44. ſententia diſceſſerunt *Uſſerius*, *Hornbeckius*, alii. In medio
tutiſſimus ire voluit *Jac. Henr. Hottingerus.* *Chriſtiani* vero
*Sabbatum magnum* & *hebdomada magnam* paulo aliter acce-
perunt. Sequitur *Zornii* Diatribam Pl. Rev. *Gottlobi Friderici Gu-
dii Epiſtola apologetica pro Diſſertatione ſua hiſtorico-critica de
Sadducæorum in Judaica gente autoritate, Vol. II pag. 1 le-
rum Miſcellaneorum pag. 13 inſerta, ad Summe Reverendum
Conradum Ikenium, Theologum Bremenſem, perſcripta.* Stre-
nue hic dixerat pro Sadducæorum & Karæorum omnium au-
toritate in *Symbolis literariis P. III pag. 299*, opem eorum ſibi
60. neceſſariam fore arbitratus ad paſchalem Chriſti cœnam προσ-
φώσιμον conſtituendam. In eo nunc eſt Rev. *Gudius*, ut;
nonnullos nævos ſibi a Cel. *Ikenio* impactos fuiſſe immerito,
61. oſtendat. In calce *Joachimum Meiſterum*, primum Lycei il-
luſtris Bremenſis Rectorem, Laubæ ſuæ vindicat, hic Recto-
ratu ſcholæ functum, antequam Gottingam fuerit evocatus.
Progredimur hinc ad M. *Theoph. Ludolphi Münteri de Honori-
bus ſervorum Romanorum Specimen prius, de honore, ſervis Ro-
manis habito in rebus ſacris.* De honoribus ſervorum, condi-
tionis vix tolerandæ levamentis, per partes Clariſſ. Vir expone-
re ſtatuit, exorſus ab iis maxime, qui res ſpectant Romanorum
ſacras. Commentatio hæc in *ſeptem* diffuſa patet *Capita.*
*Primum* eſt inſcriptum de Diis ſervi Romani; *ſecundum* de
ipſius honore in diebus feſtis; *tertium* de ſervorum Romano-
rum ſacrificiis; *quartum* de illorum jurejurando; *quintum* de
98. aſylis ipſorum; *ſextum* de ſervis gladiatoribus; & *ſeptimum*
de ſervis, in funeribus mactatis. Quicquid ars critica valet,
id

Digitized by Google

id hoc loco ſatura lance fuit exhibitum. Quinto locó in conſpectum prodit *M. Caroli Henrici Zeibichii, Ordin. philoſoph. Vitemb. Aſſeſſ. Quæſtio critica, utrum Cadytis Herodoti recte venditetur pro metropoli Palæſtinæ. Herodotus* Cadytin memorat *II, 159,* & *III, 5,* urbem Syriæ magnam, Sardibus non multo minorem, Palæſtinæ annumerandam. Pro Hieroſolyma Cadytin habuere *Cellarius, Humphredus Prideaux, Jo. Lightfootus, Herm. Conringius, Jo. Matth. Haſius,* alii, inter quos Pag. 101. *Jo. Phil. Heinius* & *Ludov. Caſp. Valckenaer* eminent, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Diſſentiunt viri quidam doctiſſimi. Urbem Gath in Cadyti ſibi inveniſſe videntur *Bochartus* & *Relandus.* Cadeſiam mavult deſignatam *Jac. Palmerius.* Ad urbem Palæſtinæ Cades reſpiciunt *Thomas de Pinedo, Saurinus, Nicol. Gurtlerus, Jo. Clericus, Jo. Chriſtoph.* 103. *Harenbergius, Joſephus Scaliger.* Cum vero Cades Barnea ab urbe Cades, Hermoni ſubjecta, multum differat, illam complures prætulerunt alteri. Hieroſolyma certe nunquam ſimpliciter *ſancta* fuit appellata. Gentes, a Judæis diverſæ, cur eam urbem vocaſſent nude & ſimpliciter *ſanctum?* & quidem *Herodoti* ætate? Judæi caput gentis ſuæ dixerunt *Kdoſchah,* non *Kdotah.* Chaldæi ac Syri eam urbem vocaſſent *Kaddiſchah, Kaddiſcho,* ſi *ſanctam* voluiſſent eam appellare. Rex *Ægypti Necos,* ut hoc etiam ex apparatu noſtro adjungamus, teſte *Herodoto* terreſtri acie congreſſus fuit cum Syris in Magdolo, victoria potitus eſt, & poſt prælium Cadyti, magna Syriæ urbe. Prælium id pugnatum fuit in campo magno prope urbem Megiddo, haud procul ab urbe Hadad Rimmon, *Zach. XII, 11, 2 Reg. XXIII, 30, 2 Chron. XXXV, 22.* Urbs itaque Hadad Rimmon eſt Cadytis *Herodoti,* id quod copioſius oſtendit B. *Cornelius Dietericus Kochius* in Diſſ. inaugurali, cui eſt index: *Stricturæ theologicæ in Jo. Harduini Opera ſelecta,* Helm- 112. ſtadii, 1710, 4. At proferendus eſt gradus. Provocat enim attentionem noſtram *Anonymi de Joanne Bocatio, e Luſatia Hungaro, Poeta laureato Cæſareo, Commentatio.* Natus hic fuit in Luſatia A. 1569. Vitebergæ ſcientiis ac diſciplinis operam navavit. Rectorem Gymnaſii Eperieſini in Hungaria agere 113.

Uuu 2 cœpit

Pag. 114. cœpit A. 1592. Eidem muneri Caſſoviæ ut præeſſet, evo-
catus fuit A. 1599, quocum conjunxit poſtea dignitatem ſena-
toriam, ac tandem Conſulatum, uſus titulo *rectoris reipublicæ*
*literariæ & politicæ.* Ipſe a Cæſare *Rudolpho II* civitate Hun-
116. garica & nobilitate donatus fuit, licet ab hoc ad *Botskajum*
deſciverit, & huic, urbis tunc prætor, A. 1604 Caſſoviam tra-
diderit. A *Botskajo* ad Germaniæ Principes legatus, inviſit
*Henricum Julium*, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, ac,
per fines Poloniæ reverſurus, carceri mancipatus fuit. Poſt-
hæc denuo *Gabrieli Bethlen*, fœde Hungariam laceranti, ſe
aggregavit, ejusque Hiſtoriographus A. 1620 fuit renuntia-
120. tus. In verſibus ſuis Gnathonem agere conſueverat. Non
eſt noſtrum, ſeriem contexere ſcriptorum, quorum *Bocatius*
fuit autor. Pergimus hinc ad *M. J. F. Friſchii de Uſu Par-*
*ticipii præteriti Romano Obſervationes poſteriores, ad Voſſii*
137. *Lib. VII de Arte Grammatica Cap. 10, 11, 15.* Participia præ-
terita ſignificationem & activam & paſſivam habere, Noſter
demonſtraturus, pronuntiato ſuo exemplis, ex Autorum claſſi-
corum gente decerptis, fidem facit. Sequitur haſce Obſerva-
tiones *P. Cornelii Severi de Ætna Carmen antiquum, a præpo-*
*ſteris Joannis Clerici conjecturis vindicatum ſtudio Frid. Ott.*
*Menckenii.* Reliquit Autor *Clerico* poſt fata etiam merita ſua
inviolata, & huic inter Criticos, ſi non omnium acutiſſimos
& principes, at tolerabiles & ſatis bonos, locum concedit.
Exemplis poſthæc variis docet, *Clericum* paſſim in *Severo* ema-
160. culando & interpretando deſtinatione optima fuiſſe inferio-
rem. Continuantur hæ curæ criticæ *Parte* ſequenti. Di-
cendum porro eſt aliquid de *Giſberti Cuperi ad Theod. Janſ-*
*ſonium Epiſtolis, quintum continuatis, & finitis.* *Epiſtolam* hic
163. legimus *XXII, Paſſionei* Comitis laudes exhibentem. Sequens
eam *Epiſtola*, de *Caſaubono* varia commemorari in *Colomeſia-*
*nis*, refert, &, an exſtet aliquis *Salmaſii* de Annulis liber,
requirit. *Epiſtola XXIV* tota in Faſtis Romanis & augendis
& emendandis & illuſtrandis occupatur. *Epiſtola XXV* varias
dapes, quæ ad Faſtos illuſtrandos faciunt, apponit *Cuperus*,
171. ſimulque rationes, cur, Therapevtas fuiſſe Chriſtianos, neget,
ſubjungit. Perſuaſerat ſibi circa annum 1710, quo hæc ſcri-
pta

Digitized by Google

pta, *Bernhardus Montfauconius*, per Therapevtas deſignaſſe *Philonem* Chriſtianos, diſcipulos *Marci*. *Epiſtola XXVI Laur. Patarolli* conſilium, edendi *Quintiliani* Declamationes, explicat, *Almeloveenium*, ut ferat ſuppetias, rogans. *Epiſtola XXVII Cuperus Jo. Schultingii* in *Quintiliani* Declamationes merita commemorat, ac varia ediſſerit ad Faſtos illuſtrandos. *Epiſtola XXVIII* exhibet idem *Philippi a Turre* nonnullas ad Faſtos Romanos annotationes, variasque Inſcriptiones Romanas explicat & illuſtrat. Idem *Ep. XXIX* varia, quæ ad illuſtrandos Faſtos pertinet, exponit, vocis *revincire* rariorem ſignificatum oſtendit, in Notæ NP. ſenſum inquirit, atque Gloſſaria *Philoxeni* & aliorum emendat.

## *EPISTOLA, QUA DE GESTIS PAULI III, PONtificis, ad emendationem eccleſiæ maxime ſpectantibus, diſſerit, & ſententiam ſuam Cardinali QUIRINIO modeſte exponit, JO. RUDOLPH. KIESLINGIUS, S. Theol. D. & P. P. L. S. Ord.*

Lipſiæ, ex officina libraria Jo. Godofr. Dyckii, 1747, 4.

Plag. 9.

Ea jam literarum laude inter exteros doctiſſimus hujus libelli Autor floret, ut primarii quique Viri ejus ſibi amicitiam honori ducant. Principem inter hos, qui ei impenſe favent, locum obtinet Pater purpuratus *Angelus Maria Quirinius*, per omnem terrarum orbem celebratiſſimus, qui ante aliquod tempus Autorem noſtrum ad commercium literarum provocavit, & non vulgaria benevolentiæ ſuæ teſtimonia ei exhibuit, digna ſane, quæ publice prædicarentur. Et vel hoc nomine Lectoribus noſtris hæc ſe commendare poteſt ſcriptio, quæ non controverſiam & litem ſpargit, ſed amicam tantum diverſarum ſententiarum collationem continet. Res omnis eſt hiſtorica, pertinetque ad libellum *Quirinii*, ante biennium Brixiæ editum, de imagine optimi ſapientiſſimique Pontificis, expreſſa in geſtis *Pauli III Farneſii*, ad primos tantum quinque Pontificatus ejus annos ſpectantibus. In diligentiſſima vitæ hujus Pontificis enarratione monumenta multa, tenebris adhuc involuta, in rem præſentem tamen plurimum facientia, publica luce donaverat *Quirinius*. At, nonnulla hic occurrere, Noſter intelligebat, de quibus dubitatio non levis oriebatur, utrum ad genuina fidei hiſtoricæ teſtimonia Pag. 5

 referri

referri poſſent, & de unione eccleſiæ, per *Paulum* vere reſtituenda, te-
ſtarentur, nec ne. Omnibus itaque depoſitis præconceptis rerum
opinionibus, & humanis autoritatibus de Pontificis hujus vita, & animo,
paci eccleſiæ minus amico, Noſter diſſerere inſtituit. Laudatur *Pau-*
*li III* ſtudium, circa emendationem curiæ Romanæ, & quorundam
abuſuum, non vero circa repurgandam doctrinam, occupatum. De-
ſiderabat ille quidem unionem eccleſiæ, ſed eam, qua Lutherani in
poteſtatem Epiſcopi Romani tranſirent. Hinc omnis labor ipſius nihili
Pag. 9. putandus erat, his remediis iniquis unionem eccleſiæ tentantis. Obi-
ter pertractat Noſter, quæ de juvenili hujus Pontificis ætate *Quiri-*
*nius* ſcripſerat, & ad ſolas ſe convertit res in Pontificatu geſtas. Taxat
hic *Pauli* noſtri nimiam in cognatos ſuos indulgentiam, quos contra
Concilii *Agathenſis*, *Tridentini*, & quæ ſunt reliqua, decreta atque
conſtitutiones expreſſas purpura donavit. Maxime hic miratur Pa-
tris purpurati elegantem dictionem, qua hanc Pontificis in cogna-
tos prædicat paternam indulgentiam, ſuoque ſuffragio approbare
11. non erubeſcit, quam ipſi Romanæ ſedi addicti ſcriptores, inter quos
*Sfortia Pallavicinus* eminet, graviter reprehendunt. His omnibus
tamen omiſſis, caput cauſæ aggreditur Autor noſter, demonſtraturus,
ſuſceptam a Pontifice *Paulo III* religionis emendandæ operam, nec
non conſilium, de inſtituendo quodam ad componenda partium diſ-
ſidia conventu, in quo arx Commentationis hujus verſatur, tanti non
13. eſſe æſtimandum, quanti a Romanis, & *Quirinio*, fuit habitum. Pri-
mum pro ſua ſtabilienda ſententia Eminentiſſimus adverſarius argu-
mentum ex illuſtri illo, quem ex optimis viris, eisque maxime pur-
puratis, coegerat *Paulus*, conſeſſu depromtum dederat. Agebatur hic
conventus ex ſententia Pontificis eum in finem, ut dilacerata eccleſiæ
coaleſcerent membra. Sed, num ſerio hoc optaverit *Paulus*, & juſto
ordine inceſſerit ad finem ſuum obtinendum, quæritur. Laudandum
erat ejus ſtudium in conſeſſu quodam doctiſſimorum virorum con-
ſcribendo, dummodo doctrinæ, non abuſuum ſolum, emendationem
15. inſtituiſſet. Aperit hic Noſter carcerum fores, & duo momenta confi-
cit, quorum alterum confirmat, reformationem a nullis Pontificibus
eſſe tentatam, nec eam, quam *Paulus* ſuſcepit, emendationem ad do-
ctrinas pertinuiſſe, ſed ad abuſus modo, & deperditos quosdam curiæ
Romanæ mores, quod altero loco demonſtratur. Ex Seculo XV modo
repetendam eſſe hujus rei confirmationem, Noſter ſcribit, ubi *Conſtan-*
*tienſe*, &c. paucorum interjecto annorum intervallo, *Baſileenſe*, celebra-
tum fuiſſe Concilium, relatum legimus, cujus prioris infelix combuſtio-
ne *Huſſi* fuit exitus, poſterioris vero graviſſima in Epiſcopos & clerum
Romanum divulgata mandata eventu fuerunt deſtituta, omnesque de
17. emendatione eccleſiæ inſtituendæ conſultationes Pontificum in fumum
tenuemque auram abierunt. Nec *Leo X* rem deperditam reſtitue-
re ſtuduit in Concilio *Lateranenſi V*, quod finivit, ſed ſua luxuria, vio-
lentia, & avaritia, in deteriorem omnia mutavit faciem, omnisque
hiſtoria

Digitized by Google

hiſtoria ſacrorum repurgandorum loquitur, emendationem a *Leone X* neque tentatam, neque ſerio ſuſceptam, ſed igni ferroque, teſte locupletiſſimo *Sleidano*, impeditam eſſe. Aliter rem eſſe factam *Hadriani VI* & *Clementis VII* auſpiciis, vaniſſima Pontificiorum ſunt dicteria. Deventum nunc eſt ad tempora *Pauli III*, ejusque tentatam eccleſiæ corruptæ emendationem. Tria hic potiſſimum rerum pondera ſunt examinanda. Repurgatio ſacrorum vel ad doctrinas falſas, vel ad abuſus, vel ad ſtatum regimenque externum, eſt referenda. Nihil horum a *Paulo* fuit confectum, &, nullam hinc aliam ab ipſo emendationem, quam curiæ Romanæ, fuiſſe tentatam, patet. Illa eſt, quam per conventum, ſatis per ſe laudabilem, Pontifex noſter moliebatur, eam ob cauſam ad id negotii inprimis excitatus, ne res Romana, collapſa jam, in ruinas abiret. Ipſe conſeſſus viris pietate, doctrina, & ſapientia, claris conſpicuus reddebatur, & laudi ducitur *Paulo*, eum caviſſe, ne quid contra veritatem proponerent, aut quidquam inſcio ſe decernerent. Conſultatio horum ſeniorum, ad Concilium convocatorum, in Germaniam delata, in ſingulari libro a *Joanne Sturmio*, & *Luthero* ipſo, in Commentatione Germanica, ſub incudem vocabatur, quam quidem operam moleſte ferebant Pontificii. In limine conſultationis ſuæ Pontifici velificabantur Concilii hujus patres conſcripti, &, omnem corruptelam ex ſuperiorum Pontificum favore, avaritia, & propenſione in adulatores, enatam eſſe, libere profitebantur. Abuſuum duas proferebant claſſes, quarum prima abuſus circa adminiſtrationem, altera eos, qui circa regimen eccleſiaſticum deprehenduntur, complectitur. De doctrinæ emendatione nulla erat dicendi facultas. *Paulus III*, videns, in quantum periculum res adduceretur, novum inſtituit Patrum purpuratorum Concilium, cujus deliberationes reformationem morum in curia Romana attingebant. Illuſtrior *Pauli III* apparebat cura in negotio reformationis, cujus cauſa Concilium œcumenicum convocare annitebatur. Oratores ab eo ad diſſentientes mittebantur Principes, hos udorituri, ut in gratiam redirent, & ad Concilium, Mantuæ indictum, convenirent. Vitebergam tunc temporis Legatus Pontificius *Vergerius* venit, & cum *Luthero* atque *Bugenbagio* colloquium inſtituit. Ingenue tum *Lutherus* profitebatur, Pontificem Concilium ſerio non promittere, &, ſi vel maxime haberetur, non niſi de rebus futilibus actum iri. Sed hæc omnia, licet primo intuitu graviſſima videantur, ſunt leviſſima. Subdole modo *Paulum* egiſſe, ex eo patet, quod Pontifex invitus *Carolum V* rei Lutheranæ fautorem inveniebat, mitiorem in noſtrum cœtum ſententiam pronuntiantem, & liberum Concilium in Germania expoſtulantem. Eſt huic rei clariſſimo indicio epiſtola ipſius, ad Imperatorem perſcripta, ubi eum admonet, ne in alienam meſſem falcem immitteret, extraque oleas, Italiam ſcilicet, vagaretur. Quæ omnia ita ſunt comparata, ut indignationem *Pauli* aperte prodant, inprimis cum Imperator, ob rerum ſuarum maxime afflictarum conditionem, de ſecuritate

Pag. 19. 20. 21. 23. 25. 26. 28. 31. 33.

caritate publica, nec non de Concilio libere inſtituendo, Proteſtanti-
bus proſpiceret, quod inique Pontifex noſter ferebat. Eo quoque
Concilio de libello, cui nomen *Interim* imponebatur, conſcribendo
cogitabat Imperator, ut paci eccleſiaſticæ conſuleretur. Nec proban-
dus in eo eſt *Paulus*, qui autoritatem, præſidium, & judicium, Concilii
Pag. 35. convocandi, remoto Imperatoris arbitrio, ſibi ſolus vindicabat. Secun-
dum de *Pauli* Lutheranis infeſto animo argumentum commode de-
promitur ex variis machinationibus, quas ſtruebat ipſe, ut arma Im-
perator ſua verteret in Proteſtantes, quæ copiis & nummis adjuturum
ſe promittebat, quod extra omnem dubitationem Summe Rev. Autor
ponit, res in conſeſſu Patrum purpuratorum, præſente Imperatore, geſtas
37. exponens. Ubi addit, in eodem conſeſſu de concordia inter Impera-
torem & Regem Galliarum reſarcienda, & Concilio Mantuæ indi-
cendo, agitatum fuiſſe. Ipſe *Paulus* hujus rei teſtis eſt locupletiſſi-
mus. Tertia pro *Paulo*, pacifico ſcilicet, ratio ex ſeceſſu ejus ad con-
43. ventum *Nicienſem* deſumitur. Quam levis vero illa ſit, ex eo patet,
quoniam in eo conventu, in quo *Carolus I*, *Franciſcus I*, & *Paulus III*,
præſentes erant, id maxime agebatur, ut induciæ decennales inter
Imperatorem & Regem Galliæ firmarentur, & Pontifex poſſeſſionem
46. Ducatus Mediolanenſis callide ſedi Romanæ acquireret. Deinde Pon-
tifex in hoc conſeſſu de eo cogitabat, ut populos, deceptos ſcilicet
ex ſua ſententia, alliceret, & tumultuantes Principes coerceret, quod
utrumque tamen a pace eccleſiaſtica multum aberat. Denique omnia
48. conſilia Pontificis in hoc conventu eo tendebant, ut inter *Octa-
vium Farneſium* & *Margaretham Auſtriacam* connubium conciliaretur.
Ad poſtrema pervenit nunc Autor noſter. Concilium, *Mantuæ* indi-
ctum, ex ſententia Romanorum, de pacis ſtudio Pontificis teſtatur.
51. Teſtimonia Patris purpurati, pro hac re in medium prolata, accurate
hic oculis ſubjiciuntur, & deinde ſub examen revocantur. Primo ur-
getur, Proteſtantes ſerio de Concilio univerſali liberoque cogitaſſe,
illiusque neceſſitatem demonſtraſſe, nec unquam ſeſe iſti ſubtraxiſſe.
55. Sed Mantuanum graviſſimis commoti cauſis repudiabant. Interim
promti paratique erant Lutherani Principes ad celebrandum Conci-
lium, quod ex confectione *Articulorum Smalcaldicorum* patet. Sed
varia oblata impedimenta Concilii, in diem indicti, irritam ſpem red-
60. debant, quorum inprimis Pontifex, & *Fridericus*, Dux Mantuanus, &
63. ille quidem non injuſte, autores erant. De Vicentio deinde Concilio
aſtute cogitabat *Paulus*, ſed de die in diem, & denique ad Calendas
usque Græcas, id differebatur, ut quisque perſpiceret, Pontificem va-
66. na atque inani ſpe Concilii Germaniam demulcere. Sub finem ſen-
tentiam ſuam Noſter de *Paulo III* amplius declarat, & certiſſimis con-
firmat rationibus, ipſius in Lutheranos minime propenſum fuiſſe ani-
mum, nec de emendanda religione ſerio unquam eum cogitaſſe, quod
omni, qua valet Vir Summe Venerabilis, diligentia & rerum geſta-
rum peritia exponitur.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*
*Calendis Septembris Anno MDCCXLVII.*
*Pars II.*

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ, &c.

hoc eſt,

*ORIGENIS OPERA OMNIA, QUÆ GRÆCE, vel Latine tantum, exſtant, & ejus nomine circumferuntur, ex variis editionibus & Codicibus manu exaratis, Gallicanis, Italicis, Germanicis, & Anglicis, collecta, recenſita, Latine verſa, atque annotationibus illuſtrata, cum copioſis Indicibus, vita Autoris, & multis Diſſertationibus. Opera & ſtudio Domini CAROLI DELARUE, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.*

*Tomus III.*

Pariſiis, ſumtibus Joan. Debure, 1740, fol. maj.
Alph. 12 plag. 3.

Præſtantiſſimæ *Origenis* Operum editionis, quam Rev. *Delarue* procuravit, *Tomum tertium* Lectorum oculis ſiſtimus, qui prioribus nihil cedit & diligentia Editoris, & editionis ſplendore. Continuantur hoc *Tomo* ſcripta exegetica *Origenis*, quorum permulta eum conſcripſiſſe conſtat, Seculo tertio inſignis diligentiæ nomine maxime celebrem. Primum

 locum

Pag. 1. locum occupant fragmenta ex libro de Proverbiis *Salomonis*,
quorum duo priora tantum exſtant Latine in Apologia *Pamphili*
Martyris pro *Origene*, cetera vero omnia in epitoma ſua refert
*Procopius Gazæus*, illo excepto, quod ad *Proverb. I, 6*, pertinet,
quod exhibet Catena MSta Bibliothecæ *Mazarinæ* ad *Caput*
11. *VIII Lucæ*. Sequuntur in Canticum *Salomonis* duæ Homiliæ
Latine, interprete divo *Hieronymo*. Bis aggreſſus eſt *Canticum*
explanare *Origenes*, primum cum adhuc juvenis eſſet, deinde
vero alium librum exorſus eſt in Canticum, quem *decem* in
26. *tomos* diſtribuit. Hujus majoris operis fragmenta exhibentur,
interprete *Ruffino*, de cujus tamen fide in his recenſendis me-
94. rito dubitant eruditi. His ſubjecta eſt ſeries *Procopianorum*
excerptorum ex *Origene* in *Canticum Canticorum*, Græce & La-
104. tine. Siſtitur jam *Origenis* Commentarius in *Eſaiam*, quem
triplici modo expoſuit, Tomis nempe, Scholiis, & Homiliis.
Fragmenta quædam Latina producuntur ex Apologia *Pamphili*
106. Martyris pro *Origene*. E viginti quinque Homiliis ſuperſunt
tantummodo Latine novem, quas interpretatus eſt *Hie-
ronymus*, de quibus obſervat *Ruffinus*, interpretem nimia li-
bertate uſum fuiſſe, atque ex erroribus ea tantum ſuſtuliſſe,
124. quæ catholicæ de Trinitate fidei adverſabantur. *Jeremiam* num
aliter expoſuerit *Origenes*, quam Homiliis, incertum eſt. *Caſ-
ſiodorus* Homilias 45 recenſet, quæ adhuc exſtabant *Rabani
Mauri* tempore. Novendecim Homilias Cl. Editor recen-
ſet, quas interpretatus eſt S. *Hieronymus*, Græce & Latine,
hasque comitantur nonnulla fragmenta Latina, in *Huetii* editio-
ne omiſſa, & triceſimæ nonæ Homiliæ fragmentum Græcum,
287. quod exhibet *Philocalia*. Deinde apparent ſelecta quædam
320. capita in *Jeremiam* Græce & Latine, & in *Lamentationes* ejus-
dem itidem quædam fragmenta, quæ adhuc hodie ſuperſunt,
& exhibentur ſub *Origenis* nomine in Catena *Ghislerii* in La-
351. mentationes. *Ezechielem* Prophetam quinque & viginti volu-
minibus, ſeu tomis, *Origenem* explicaſſe, tradit *Euſebius*, ſed
unicum hodie ſupereſt viceſimi tomi fragmentum, quod ex-
hibet *Philocaliæ* Caput undecimum. Hoc fragmentum *Orige-
nis*

Digitized by Google

*nis* quatuordecim Homilias continet ex interpretatione *Hieronymi*. Selecta praeterea nonnulla ex *Origene* in *Ezechielem* accedunt Græce & Latine. Claudit Commentarios *Origenis* Pag. 406.
in Vetus Teſtamentum Commentarius in *Oſeam*. *Euſebius* quidem teſtatur, ſe expoſitionis *Origenis* in duodecim Prophetas minores quinque & viginti Libros reperiſſe. 438.
Sua manu eos deſcripſerat *Pamphilus* Martyr, cujus exemplar poſtea incidit in manus *Hieronymi*, ut ipſe teſtatur. E tot tamen libris unicum hodie ſupereſt fragmentum, quod exhibet *Philoculiæ* Caput octavum, tanquam excerptum e Commentario in *Oſeam*, quod hoc in loco Græce & Latine legitur.

In N. T. *Origenis* habemus Commentarios in *Matthæum*, quorum 25 tomos exſtitiſſe memorat *Euſebius* circa annum Chriſti 245, imperante *Philippo* totidem ſe legiſſe fatetur *Hieronymus*. Sed maximam partem horum tomorum jam dudum tempus edax rerum abſumſit. Inde ex prioribus tomis duo 440.
fragmenta tantum exhibentur Latine & Græce ex *Philocalia*, & duo Latina ex Apologia *Pamphili* Martyris. A *Cap. XIII Matthæi* uſque ad finem quæ ſuperſunt commentaria *Origenis*, 442.
partim Græce, partim Latine, exhibentur. Græca a *Cap. XIII* ad *XXII* primus in lucem edidit *Petrus Daniel Huetius*, ac nova ſua interpretatione donavit. Atque hæc cum textu Græco etiam hoc in loco reperitur, Græco textu collato cum quatuor Codd. MSS. quorum variantes lectiones in notis etiam exhibentur, non omiſſis *Huetianis* obſervationibus. Nec plane vetuſta interpretatio, quod fecerat *Huetius*, neglecta fuit, ſed hæc in ima pagina repræſentata eſt, cujus ope etiam deinde, ubi 830.
deſinunt Græca, ſeries Commentariorum *Origenis* in *Matthæum* a *Cap. XXII, XXXIV*, uſque ad finem continuatur. Claudunt 932.
hunc *tertium Tomum* Commentaria *Origenis* in *Lucam*, e quibus Homiliæ 39 ſuperſunt, *Hieronymo* interprete, & fragmenta quædam ex *Macarii Chryſocephali* Orationibus in *Lucam*, Græce & 979.
Latine. Notatu præterea dignum eſt, quod in Præfatione memorat Cl. Editor de his in *Lucam* Homiliis *Origenis*. Scilicet, cum Epiſtolarum S. *Ignatii*, Martyris Antiocheni, diſertam mentionem



Digitized by Google

tionem faciat *Origenes* Homilia ſexta, & *Ignatianarum* Epiſtolarum autoritate ſe jugulari perſentiſcerent heterodoxi, Preſbyteriani vulgo dicti, Homilias in *Lucam Origeni* adimere quam maxime conati ſunt, ut argumentum ad *Ignatianarum* Epiſtolarum veritatem adſtruendam penitus everterent. Alii, eas Latinorum natalium indiciis ſcatere, clamitarunt, idque inprimis probare tentavit *Dallæus*. Omnium tamen horum argumenta non ſufficere, nec quidquam hoc in negotio valere, facile demonſtrari poteſt. Totum Opus duo claudunt, alter locorum Scripturæ, alter rerum & verborum, Indices copioſiſſimi. Paucæ animadverſiones ad totum opus, ſi illas exceperis, de quibus ſupra ad *Matthæum* diximus, acceſſerunt, quæ potiſſimum varias aliorum Codicum lectiones memorant. Librorum ſingulis Præfationis inſtar præmiſſum eſt monitum, quo Cl. Editor cum cura excuſſit, quo tempore, quo loco, quave data occaſione, liber ſit editus. Ceterum omnino dolemus, Cl. *Carolum Delarue*, hujus præſtantiſſimæ editionis procuratorem perinduſtrium, antequam hic *Tomus* prelo eſſet abſolutus, diem obiiſſe ſupremum. Vita enim Editoris, huic *Tomo* præmiſſa, nobis confirmat, eum Lutetiæ Pariſiorum in monaſterio S. *Germani* pridie Non. Octobr. A. 1739 e vita exceſſiſſe, quem merito lugent ſocii, amici, & reſpublica literaria, quæ bona adhuc de eo quæque ſperare poterat. Neque tamen hinc adeo magnam cauſam huic editioni Operum *Origenis* timendi habemus. Namque ſimul in Editoris vita edocemur, jam ante aliquot annos, cum ſæpe cum adverſa valetudine conflictaretur, eum fratris ſui filium, *Carolum Vincentium Delarue*, Monachum ejusdem Congregationis S. *Mauri*, Lutetiam ad ſe advocaſſe, ut in id opus junctis cum ipſo viribus incumberet. Atque inde ſpem concipimus, fore, ut ultimis *duobus* hujus Operis *Voluminibus* proxime in lucem prodire publicam contingat, id quod cum omnibus, quibus hæ literæ curæ cordique ſunt, ex animo precamur.

## *PUBLII VIRGILII MARONIS OPERA, CURIS & ſtudio STEPHANI ANDREÆ PHILIPPI.*

Lutetiæ

Digitized by Google

Lutetiæ Pariſiorum, ſumtibus Ant. Urb. Couſtelier, 1745, 12.

*Tomi III.*

Tom. I plag. 10, Tom. II plag. 10, Tom. III plag. 16½, cum Tabb. æn. 18.

Splendida eſt iſthæc editio *Maronis* Operum atque accurata, licet variorum annotationibus neutiquam ſuperbiat, contextu Poetæ potiſſimum contenta. Secutus eſt Editor optimum atque antiquiſſimum mille trecentorum annorum Codicem manuſcriptum Bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ, bono publico & commodo, typis *Mannianis* Florentiæ deſcriptum A. 1741, utpote qui animadverteret, viros doctiores hoc minus anſam errori præbuiſſe, quo plura ex illo fonte ſaluberrimo hauſerint. Ipſi tamen religio fuit, ne latum quidem unguem a probatiſſimis receptisque editionibus recedere, aut aliquid ſcalpello ſuo reſcindere arroganter, quod veterum recentiorumque conſenſus unanimis ſacrarit. Itaque laboris neutiquam impatiens varias in variis Codicibus legendi formulas quam accuratiſſime perpendit, collatis inter ſe, quos undique conquiſitos parare licuit, libris editis, ne quid curæ philologicæ deſideraretur. Hinc ad uniuscujusque *Tomi* calcem ſuus variis lectionibus aſſignatus ordo eſt. Multa nominatim reſtituit ex *Nic. Heinſii* fide, cum ille noviſſimam *Virgilii* ſui editionem ex MStis triginta contexuerit. De hocce quod *Fogginius* habet judicium, Noſtro ac nobis memorabile videtur. *Laudandus certe eſt*, inquit, *elegantiſſimus ille Muſarum Amaſius, ut eum vocat Noriſius, & Poetarum Latinorum, ut a Bentlejo dicitur, ſoſpitator unicus, Nic. Heinſius, Dan. filius, qui, uti præſto eſſent omnibus Vergilii poemata optime emendata, non ſolum ſcriptores rei grammaticæ, aliosque omnes ex antiquis Latinis in Marone imitando occupatos, aut qui eum adhibent teſtem, diligenti ac ſedula opera adhibuit, ſed etiam* &c. & quæ in laudem præſertim Medicei Codicis ſequuntur, qui totus Romanis literis ſcriptus & emendatus fuit atque diſtinctus a *Turcio Rufio Aſterio Aproniano*, qui una cum *Præſidio* Conſulatum geſſit A. C. 494. Sed ad noſtram redeamus

mus editionem, *Heinſiana* qui varias repetitiones cognoſcere ſtudent, ad Præfationem *Philippi* ablegatis. Hic igitur *Tomo primo* incluſit Eclogas, Georgica, & Poemata juvenilia *Maronis*, quæ poſtrema quidem admodum ad nos mendoſa pervenerunt. Unicuique libro, ut & poemati minori, argumentum præfixum ſuum eſt. *Tomus ſecundus Æneidos Libros ſex* priores complectitur; poſteriores *tertius*. Hic ſimul variæ reperiuntur vitæ *Virgilianæ* deſcriptiones, atque operum argumenta varia, carmine potiſſimum concepta. Primum obtinet locum *Maronis* vita, incerto Autore, quem aliqui *Tiberium Claudium Donatum* falſo putant. Cum hæc antiquiſſima Poetæ vita erroribus ſcateat, atque aliis errandi locum præbuerit; ſubjungitur ejusdem hiſtoria per Conſules, a *Carolo Ruæo*, S. J. deſcripta, atque inde ab anno U. C. 684, qui primus erat *Virgilii Cn. Pompejo Magno I* & *M. Licinio Craſſo I* Coſſ. Huic adduntur teſtimonia veterum, nec non præconia de *Virgilio*, & ejusdem operibus, *Horatii, Ovidii Naſonis, Sexti Aur. Propertii, Quintiliani, Silii Italici, Statii, Juvenalis, Martialis, Sulpicii Carthag. Alcimi, Velleji, Senecæ, Plinii, Taciti, Auguſtini*, atque aliorum. Sequitur vitæ curriculum, a *Phoca*, Grammatico urbis Romæ, verſibus Sapphicis delineatum, & heroicis præſertim; quod autem mutilum ad nos pervenit. Incerti quoque Autoris de operibus *Virgilianis* elegiacum carmen adjunctum habetur. Item verſus leguntur *Alcinoi* de *Virgilio, C. Sulpicii Apollinaris*, Grammatici, in *Æneidem Virgilianam*, imitatio ejusdem *Phocæ*, Grammatici, ex fragmento *Virgilii* vitæ, de eadem re verſus attributi *Cornelio Gallo*, ſcholaſtici Poetæ, ut apparet, imitationique propoſiti ex eodem *Sulpicio Carthaginienſi*, de eadem re veteris ſcholaſtici Poetæ verſus ſub nomine *Auguſti Cæſaris*, eorundem verſuum ſcholaſtica imitatio, per *Phocam*, Grammaticum, ex *Virgilii* vita, alius cujusdam Poetæ ſcholaſtici argumenta in *Æneidem* ſub *Ovidii* nomine, eadem argumenta monoſtichis, argumentum omnium operum *Virgilianorum*, item argumenta in *Æneidem* per hexaſticha, in *Æneidem* monoſticha *Baſilii*, incerti Poetæ tetraſticha in Georgica, duodecim ſcholaſtico-

rum

Digitized by Google

rum Poetarum argumenta in *Æneida*, eorundem epitaphia *Maronis* per tetraſticha & diſticha, tandemque in bucolica argumentum. Inter Epitaphia eſt e. c. *Baſilii*:

*Hoc jacet in tumulo vates imitator Homeri,*
*Qui canit Auſonio carmine primus oves.*
*Ad cultos hinc tranſit agros. Æneidos autem*
*Non emendatum morte reliquit opus.*

## *ALI BEN ABI TALEB CARMINA ARABICE & Latine edidit, & notis illuſtravit, GERARDUS KUYPERS, FRANC. fil.*

Lugduni Batavorum, apud Jo. Haſebrœk & Bernard. Jongelyn, 1745, 8 maj.

Plag. 15.

*Ali*, filius *Abi Thalebi*, cujus hic dicuntur edi Carmina, fuit princeps inter primos Muhammedanos, virtutibus longe plurimis, fatorumque iniquitate, celeberrimus, de quo qui plura cupit, Hiſtoricos orientales, & ex noſtratibus *Herbelotum* atque *Okleyum*, adeat. Nam ab hoc Editore fruſtra tale quid exſpectes. Ut in omni gente, & omni ætate, fuerunt, qui ſub illuſtri nomine ſuas extundere nugas laborarunt; ſic etiam apud Muhammedanos, ſolertes mentiendi magiſtros, præſertim in aſſerendæ ſuæ ſuperſtitionis favorem, repertus fuit, præter alios, Grammaticus aliquis otioſus, vel monachus male ſanus, qui ſub *Alii*, eruditi & eloquentiſſimi Principis, & a ſcholaſticis ineptiendi artificiis procul remoti, nomine ſuam infantiam & futiles argutias prodidit; potuitque, quod mirum, gemino editori, Italo primo, & alteri Batavo, imponere. Si bene illi calluiſſent linguam Arabicam, & melius noviſſent *Alim*, ſummum virum, nunquam miſerabilem iſtum foetum humilis ingenii luce publica dignum cenſuiſſent, nedum ſub tanti nominis prodidiſſent auſpiciis. Credisne, *Alio* aut otium fuiſſe, aut animum tam puerilem, ut preces conderet rhythmicas, quæ omnes alphabeti literas ſucceſſive exhiberent, ut illæ ſunt editionis hujus a *pag.* 18

ad

Digitized by Google

ad *134*. Prætermittimus alia. Quando *Philippus Guadagnolius* in *Inſtitutionibus* ſuis *Arabicis* hæc prætenſa *Alii* Carmina ediderit, omiſit Batavus Editor in Præfatione annotare. Inde ille excerpſit, & rurſus exhibuit cum ſua Latina verſione, qua huc uſque carebant. Leidæ quidem meliora & luce digniora exſtant Arabica, in quibus ille, profectuum ſuorum ſpecimen edere cupiens, exercere ſe potuerat. Sed partim judicio deſtitutus, partim ſuæ diffiſus Arabicæ linguæ peritiæ, nolebat meliora ſuadentibus & ſponte ſubminiſtrantibus obſequi. Ego certe, qui hæc ſcribo, commendabam Autori, antequam ederet Opuſculum ſuum, ad me hac de re referenti, ut, quandoquidem ſemel decreverit aliquid monumentorum *Alii* edere, ſaltem ea ſumeret, de quorum ſinceritate nullum ſit dubium, ut illa, quæ paſſim apud *Almaidanenſem* occurrunt, & apud Autorem *el Camel*, qui Orationem *Alii* ſat longam, & perquam elegantem, nervisque potentem & ſpiritibus, recenſuit. Sed nullo modo poterat a recoquenda illa miſerabili crambe retineri, ad quam non poſſunt ſani judicii homines non nauſeare; qui ſi omnem Arabicam eruditionem ab illis quisquiliis æſtimant, vide, quam nos ipſi nobis noſtrisque votis, quibus promotum cupimus Arabiſmi ſtudium, officiamus. Ego ipſe certe, qui non parum operæ in hoc literarum genere poſui, niſi præſtantiora ſcirem ab Arabibus exſpectanda, quam hæc talia ſunt, Arabicum omne ſtudium nullo prorſus in loco numeroque haberem. Præſertim cum hæc natura ſua inepta noſter Editor adhuc ineptiora interpretando fecerit. Neque poterat aliter, homo, qui, præter editos libros Arabicos, quos ne quidem ipſos intelligebat omnes, manu exaratos vidit nullos. Quamvis enim ex *Abul Ola* MSto Codice Leidenſis Bibliothecæ paſſim quædam citet, tanquam ipſe illum volviſſet, certe tamen novimus, non tantum non illum Codicem, ſed neque ullum alium opulentæ illius Bibliothecæ, huic unquam inſpectum fuiſſe. Sed habuit apographum alicujus in his literis aliquantum verſati Germani, quod is e Codice Leidenſi ſibi fecerat, & Editori deinde rogatus per amicitiam commodaverat, ſed cujus nomen ingratus Batavus mentione dignum

dignum non putavit. Patet fere omnibus ex paginis, Batavum noſtrum uſu linguæ Arabicæ caruiſſe, quandoquidem ſæpe alieniſſima tribuit Arabi Autori, ſæpe corrupta deprehendere non novit, nedum emendare. In notis ſubtili illi & tædioſæ atque ridiculæ, certe parum utili, omnia ad primas ſignificatuum origines reducendi, quæ Leidenſibus adeo nunc placet, periergiæ indulſit, aut in grammatice reſolvendis vocibus occupatur. Quod inſtitutum privatis exercitationibus Academicis congruit; at, noſtro quidem judicio, typis indignum eſt. Si perſequi preſſo pede totum librum inſtitueremus, demonſtrare poſſemus, hanc noſtram de hoc opuſculo ſententiam non eſſe nimis moroſam, neque ſeveram nimis, aut iniquam. Sed pauca tantummodo quædam notabimus exempla. *Primum* ſtatim primi Carminis *verſum*, patet, a Batavo prorſus intellectum non fuiſſe, quod eum ſic vertit: *Homines inter ſe comparati ſunt æquales.* Atqui debuerat: *Homines reſpectu ſuæ formationis*, πλάσεως καὶ φύσεως, *ſunt æquales*, id eſt, homo natus, quatenus homo eſt ex carne & ſanguine formatus, altero neque vilior, neque præſtantior, eſt. In *quarto verſu* (ut is numerat, ſed rectius *ſecundo*,) *pag. 5* corruptam lectionem non deprehendens, ineptum dedit ratiocinium. Quam enim, quæſumus, illa cohærent & concludunt: *Pater ipſorum eſt Adamus, & mater Eva; & quidem matres hominum ſunt vaſa repoſitoria: aſt nobilia facta a patribus manant.* Cardo rei vertitur in voce احسان, quam vertit *nobilia facta.* Quam notionem iſtius vocis Arabica lingua ignorat. Legendum eſt لحساب, & ſic vertendum: *Matres quidem nihil ſunt, quam vaſa, in quibus aliquid reponitur & aſſervatur* (nempe ſemen), *ſtemmata vero*, de quibus adeo gloriantur, & ob quæ ſuperbiunt mortales, *nihil ſunt, quam patres*, homines fragiles & mortales. *Quintum* & *ſextum* (vel potius tertium) *verſum* ſic vertit: *Si in ſtirpe eorum ſit nobilitas, glorientur de ea. Aſt vero lutum & aqua.* Eſtne id humane loqui? Non putamus. Verti debuerat: *Si qua tandem illis, ſcil. hominibus, concedenda ſit generis nobilitas, de qua gloriari merito poſſint, conſiſtet illa nobilitas in luto & aqua, e quibus*

*elementis homo confictus eſt*. Patet ex hoc ſpecimine, quam immerito plerumque Arabes vitio notentur obſcuritatis. Obſcuri certe non ſunt, ſi quis eos recte capiat, & reconditiores quidem, at ſanos tamen, eorum ſenſus evolvat. Verum obſcuri ſunt eorum interpretes, quod jam præclaro viro, *Stollio*, ſuboluit in *Hiſtoria eruditionis medicæ*, ubi, tam incondite Arabes Medicos non ſcripſiſſe, conjicit, quam eos exhibent Latino-barbari interpretes, imo vero ſatis concinnos & doctos eſſe, ſi quis Arabicum ſermonem calleat. *Verſum octavum* etiam non perſpexit Batavus, quem ſic vertit: *Et ſi proferas gloriam majorum nobilium, eſt proſapia noſtra nobilis & ſublimis*. Senſus Autoris hic eſt, quem ille non pervidit: *Proferas argumentum quodcunque gloriæ, quo uti ſolent viri nobiles. Nos certe, interrogati, unde deveniamus, reſpondemus, patrem noſtrum eſſe liberalem & ingenuum animum, & matrem noſtram eſſe mentis famaque celſitudinem*. Etiam in *decimo* & *undecimo verſu* peccavit: *Non eſt nobilitas niſi eruditis* (ita vertit); *nam hi ſunt directi, & ei, qui petit directionem, duces*. At vertendum erat: *Nam hi ſunt duces illi, qui in veram viam duci atque dirigi volunt. Verſus undecimus*, qui ſic ab illo exhibetur: *Pretium viri eſt id, quod ipſum bonum reddit*, debebat ſic reddi: *Vir tantum a ſuis bene præclareque geſtis rebus æſtimari debet*. Hæc ſunt in verſione primi Carminis notanda. Unde judicium fieri poteſt de ceterorum quinque Carminum verſione. Sex enim in univerſum ſunt, prout quidem numerat Batavus Editor. Sed re vera ſeptem ſunt. Nam quintum in duas partes ſecandum eſt, & ejus *ſeptimo verſui* titulus hic: *Carmen ſextum*, præfigendus. Eſt enim parodia tantum præcedentium. Quod ipſum, præter pedeſtrem dictionem, prodit, hæc omnia hominis otioſi figmenta & impoſturas eſſe. De notis adjectis quid ſperandum ſit, hoc doceat ſpecimen ex *pag. 20: Dajem eſt participium I a Dama,* דום, *perennavit, proprie æquavit, æquo in ſtatu permanſit. Origo latitat ſub Damma,* דמם, *levit, illevit. Liniri autem dicuntur ea, quæ æquantur, coæquantur. Lino Latinorum productum eſt ex veteri lio, quod antiquitus idem*

fuit

*fuit cum leo, unde in compoſitione habemus deleo. Illa linitio clariſſimum in modum ſub Dama apparet. Tertia enim gloſſa eſt (ſcilicet in Golii Lexico), madefecit aqua crocum, & per oris interiora movit linguam, ne exareſceret. Lingere dicerent Latini, quod a lino itidem videtur oriundum. Hinc quoque gloſſa ſeptima pinguedinem rotundam, ac ſuperne libratam, habuit, quaſi dicas æqualiter illitum fuit. Gloſſema primum ſecundæ conjugationis, ſedavit bullientem ollam, nihil aliud eſt, quam æſtum efferveſcentem ſtravit, bullientemque fervorem æquavit.* Hæc ſubtilis ille & plus quam ſubtilis originator atque conciliator. Poſſemus illud *pag. 29* de חרל allegare, & alia innumerabilia. Sed ſufficiat hoc, quod primum nobis occurrit, ſpecimen. Et quid exſpectes ab homine, cui plenæ ſunt arculæ inaniis & araneis, quas expromere maluit, & ea ratione doctrinæ gloriam apud amicos non intelligentes venari, quam ſolidæ atque utilis eruditionis monumentum condere non periturum. Theologum, qui eſt, prodit *pag. 120* in illa frigida & prædicatore digna declamatione contra Paradiſum *Muhammedis.* His *Alii*, ut vult, Carminibus ſubjunxit non inficeta quædam Carmina Arabica, aut potius epigrammatia, & carminum apoſpaſmatia, quæ *Golius* olim ſeorſim Arabice ediderat in peculiari plagula dimidiata. Sed quæ, quoniam exigua erat opella, evaſit rariſſima. Num eadem majori Grammaticæ *Erpenii*, a ſe editæ, inſeruerit, examinare & definire nunc non poſſumus, ut qui librum illum ad manus non habemus. Eadem de cauſa non conſtat nobis, adjecta illis Latina verſio ſitne Batavi noſtri, an, quod potius putamus, *Golii*. Eſt enim hæc prioribus admodum diſſimilis. Batavus, ut hac de re moneret, ſibi cavit. Opuſculum claudunt Indices vocum Arabicarum & Hebræarum, quas in notis explicuit Rev. *Kuypers*. In Præfatione, poſtquam commendaſſet ſtudium ſacrum Codicem Hebræum ex Arabica dialecto declarandi, ait inter alia, Celeberrimum *Schultenſium* opuſculi ſui plagulas aliquot, a prelo madentes, luſtraſſe & laudaſſe. Miramur certe, quare Vir ille Arabice doctiſſimus Autorem de craſſis illis erroribus, qui ſtatim ſub initium opuſculi occurrunt, noluerit monere. Eſt quidem



Digitized by Google

vir humaniſſimus, & benigne de conatu ſtudioſorum quovis vel leviſſimo judicare ſolet; verum tamen, vel literarum de cauſa, & honori ſui diſcipuli ſtudens, debuerat errantem in rectam viam ducere. Ut omnia paucis contrahamus, valde dolet nobis, chartam & typos Arabicos ad utilius ſcriptum & Arabicæ literaturæ magis honorificum impenſos non fuiſſe.

## *M. PETRI DE PRETIO, VICECANCELLARII Conradi IV, Regis Romanorum & Siciliæ, Adhortatio ad Henricum Illuſtrem, Landgravium Thuringiæ, & Marchionem Miſniæ. Ex MSS. eruit, notisque hiſtoricis paſſim illuſtravit, JOANNES HERMANNUS SCHMINCKIUS, Conſiliarius & Bibliothecarius Haſſiacus, curante filio FRIDER. CHRISTOPHORO SCHMINCKIO.*

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Luchtmans & filium, Academiæ typographos, 1745, 4.

Plag. 4.

Adhortationi illi pretium eſt ſuum, eo quod in ea non ſolum fatalis *Conradini* caſus deſcribitur, ſed indicatur etiam, *Margaretam*, *Friderici II* Imperatoris filiam, *Alberti*, Marchionis Miſniæ, uxorem, veram *Conradini* hæredem in regno Siciliæ ex teſtamento tam fratris, quam nepotis, inſtitutam fuiſſe. Appulerat horis ſubſecivis animum *Jo. Herm. Schminckius* ad novam editionem Epiſtolarum *Petri de Vineis* parandam. Cœpit itaque in hunc uſum varios Codices hujus *Petri* colligere, manu exaratos. Incidit ipſe tunc temporis in duo exemplaria, quorum unum ſervat celeberrima Bibliotheca Paulina Lipſienſis, alterum Academica Jenenſis, quæ quidem recentiora erant, ſed varias comprehendebant tamen literas ineditas, inter quas præſertim opuſculum *Petri de Pretio* eminebat. In hoc Autor ille Seculi XIII partim ob violentam *Conradini* necem in *Carolum* Andegavenſem, Regem Siciliæ, hoſtem Suevicæ gentis infenſum, acerrime invehitur, partim Miſnenſes Marchiones, tanquam legitimos ultimi hujus ſurculi hæredes



Digitized by Google

redes & teſtamentarios, ad vindicandam ejus mortem cruentam, & ad regnum Siciliæ utriusque capeſſendum, multis modis ſtimulisque exhortatur. Viderat aliquid veluti per nebulas Cel. *Tentzelius* in Diſſ. ſua *de Friderico Admorſo*, quam B. *Joannes Burchardus Menckenius* Collectioni ſuæ *Scriptorum rerum Germanicarum* inſeruit. Deſtituebatur tamen monumentis fide dignis. Vulgo Itali, Hiſpani, ac Germani, putant, *Conradinum* transtuliſſe regnum Siciliæ in *Petrum*, Arragoniæ Regem, per chirothecæ projectæ ſymbolum. Silet de eo *Petrus* noſter. Filius amitæ *Conradini*, *Margaretæ*, Marchioniſſæ Miſnenſis, *Fridericus Admorſus*, inſtitutus fuit hæres. Hunc *Collenutius* in *Hiſt. Neapol. Lib. IV* in *Fridericum* Caſtellanum convertit contra jus fasque. *Collenutium* ſequitur *Gerardus de Roo* in *Hiſtoria Auſtriæ Lib. I. Beatrix*, filia *Philippi* Suevi, *Ferdinando III*, Caſtellæ Regi, nupta, peperit ex eo *Alphonſum X*, *Fridericum*, & *Henricum*. At hæc non erat *Conradini* amita. Habuit *Petrus*, Arragoniæ Rex, in matrimonio filiam *Manfredi*, ſpurii ex *Friderico II* procreati. Id veritati omnino congruit. At *Petrus* nunquam jus in Siciliam ex *Manfredo*, *Conradini* hærede, vel ex uxore, arceſſivit. *Petrus de Pretio* eruditis eſt ignotus. Didicit B. *Schminckius* ex *Conradi* quodam Diplomate, eum *Conradi IV* fuiſſe Vicecancellarium. *Pipinus* hunc *Henricum* in *Chronico* ſuo conſuluit. Vidit ejus ſcriptum Chronographus Colonienſis, teſte *fol. 193*. Incertum manet nihilo minus, quis & qualis exſtiterit ille *Henricus*, quænam munera ſucceſſu temporis geſſerit, & quando diem obierit ſupremum. Videtur *Adhortatio* A. 1269 ſcripta. Parabat inter hæc *Schminckius*, pater, novam collectionem Epiſtolarum de rebus *Friderici II*, *Henrici*, & *Conradi*, Regis Romanorum, *Entii*, Regis Sardiniæ, filiorum, & nepotis *Conradini*, hæredis regni Hieroſolymitani & Siciliæ, nec non Sueviæ Ducis, miniſtrorumque ejus, præterea *Honorii III*, *Innocentii III*, *Gregorii IX*, *Innocentii IV*, *Alexandri IV*, *Urbani IV*, & *Clementis IV*, Cardinalium, Archi- & Epiſcoporum, Abbatum, item Imperatorum Conſtantinopolitanorum, Regum, Ducum, Comitum, Urbium, in quibus

famoſiſſima illa inter Imperium ac Sacerdotium controverſia deſcribitur, multisque publici juris Germaniæ & regni Italici, nec non hiſtoriæ Germanicæ, momentis lux affunditur nova. In fine daturus erat appendicem miſcellanearum epiſtolarum *Petri de Vineis* & *de Pretio*, nec non *Nicolai a Rocca* ad familiares, atque varias *Fridericiani* dicaſterii intimi formulas, quæ ad fraudes Diplomatum ſuppoſititiorum detegendas faciunt. Hæc ex B. *Joannis Friderici Schminckii* Præfatione delibaſſe libet. Adjicit duo momenta filius, tanto parente dignus. Unum eſt, quod affirmat, optimum patrem hanc collectionem ſatis reliquiſſe perfectam, licet ultimam ei, obitus neceſſitate intercepto, manum haud admoverit. Alterum conſiſtit in ſpe, quam optimus facit civitati eruditæ filius, de opere illo edendo, ac obtinendis compluribus Epiſtolis ex eruditorum apparatu, a patre ſuo non viſis. Ægre omnino Hiſtorici illo opere *Schminckiano* carent. Preces itaque noſtras publico nomine cum *Schminckianis* votis conjungimus, ac Italos inprimis omni, qua poſſumus, honoris & ſtudii teſtificatione interpoſita oramus, ut editionem illam operis *Schminckiani* data opera ac benevole augeant, ornent, ac ſplendidiorem ad gentis ſuæ ſplendorem reddere velint. Ex *Henrico de Pretio*
Pag. 3. jam paucula ſunt decerpenda. Vocavit ille hunc *Conradum ſecundum.* Vocavit *Fridericum Admorſum Frideri-*
5. *cum tertium.* Ipſe nomen ſuum prodidit §. *7. Carolus* Andegavenſis ab hoc appellatur §. *8 Nero ſecundus, gentis humanæ carnifex, regni Siciliæ violentus invaſor, alter Ruffinus, & Catilina novus.* Pupillum, ab hoc percuſſum, vocat *Conradinum ſe-*
8. *cundum* §. *13.* Modum necis, in hunc expromtæ, delineat tragice. Tribuit huic *Conradino* conjugem §. *14. Vitus Arenpeck* in *Chronico Bojoariæ* eam vocat filiam *Theoderici*, Marchionis Miſnenſis, nec tamen jam ductam, ſed deſponſatam
10. ipſi, 14 annos nato. Oſtendit §. *15, Fridericum II* Imperatorem *Carolo* Andegavenſi conceſſiſſe (in feudum) *Provinciæ*
13. *Comitatum cum uxore. Fridericum Admorſum* vocat *tertium,* & *Imperatoris* Friderici *nepotem, Regis* Conradini II *conſobrinum.* Et hunc invitabant Thuſciæ legati, ut ſibi præeſſe dignaretur.

Digitized by Google

gnaretur. Ipſe etiam in animo habuit vindicare hæreditatem *Conradini*, teſte *Chronico Placentino Tom. XVI Scriptor. Rer. Ital. Muratorii pag. 476.* *Petrus de Pretio* prodidit luculentis verbis, *Conradinum*, expoſitum neci ſubeundæ, alta voce proclamaſſe, publiceque ſimul *Fridericum* illum *Admorſum* inſtituiſſe ſuum *hæredem univerſalem*, tum in regnis, tum in Sueviæ Ducatu. *Conradus*, *Conradini* pater, teſtamento illud ipſum indicaverat ſtabilieratque ſuo. Supererat tunc ex *Friderici II* hæredibus legitimis unica *Friderici Admorſi* mater, *Margareta*, A. 1270, biennio poſt *Conradinum* obtruncatum, defuncta. Omittimus alia, id ſubjungentes, Cel. olim *Schminckium* paſſim illam *Adhortationem*, nunc demum editam, illuſtraſſe luminoſis annotationibus, virumque exſtitiſſe talem, quales Germania inter hiſtoricos ac eloquentiæ principes numerat perpaucos. Precamur Deum, & ardenter optamus, ut parentis præſtantiſſimi filius eruditiſſimus fidem datam liberet, &, quo eam liberare poſſit, valetudine firma, eaque diuturna, & rebus gaudeat ſecundis. Pag. 15.

## *SERIES PROFESSORUM ET LECTORUM ACAdemiæ Friſicæ, quæ eſt Franequeræ. Accedunt Faſti rectorales, & Syllabus eorum, qui Senatui Academico fuerunt ab actis, ut & Bibliothecariorum.*

Franequeræ, apud Nicolaum Velink, 1745, 8.

Plag. $8\frac{1}{4}$.

Ex diverſis iſta Elogia monumentis ſunt collecta: ex Orationibus parentalibus, Actis Academicis, excerptis decretorum Ill. & Pot. Friſiæ Ordinum, atque aliunde. Neque vero hic tota comparent, ſed velut majoris operis *ἀποσπασμάτια*, cujus ſpem habemus in poſterum videndi. Sunt autem, quorum ad ordinem annorum elogia exhibentur, *Sibrandus Lubbertus*, *Martinus Lydius*, *Henricus Antonii Nerdenus*, alias *Antonides van der Linden*, Theologi; *Henr. Schotanus a Sterringa*, JCtus, *Petrejus Tiara*, Medicus, antea Græcæ linguæ Profeſſor, ac primus novæ Academiæ Rector magnificus, qui edidit

edidit poemation de nobilitate & diſciplina militari veterum Friſiorum; *Joannes Druſius Aldenarda*, Flander, Theologus in lingua Ebræa verſatiſſimus, *Lullius Adama*, J. U. D. *Elardus Reinalda*, qui, conſeſſui Ill. Ord. Friſiæ delegatorum adſcriptus, ſingulari quodam in literas & novam Academiam affectu Profeſſoris linguæ Latinæ & eloquentiæ munus imponi ſibi paſſus eſt A. 1586, *Alardus Auletius*, Medicus, *Jo. Arcerius Theodoretus*, ſeu *Theodoti* filius, Friſius, *Julius a Beima*, J. U. D. *Joannes a Sande*, Arnhemio-Gelrus, J. U. D. qui & ſenior Presbyterii Leovardienſis Synodo Dordracenæ interfuit, *Adr. Metius*, Medicus, *Henr. de Venp*, J. U. D. *Raphael Clingbyl*, Medicus, *Marcus Lydama a Nyeholt*, J. U. D. *Sixtus Arcerius*, Medicus, L. Gr. Prof., *Timæus Faber*, J. U. D. *Auguſtinus Adama* Medicus, *Paulus Buſius*, JCtus, *Andreas Roorda*, Philoſophus, *Joach. Andreæ*, J. U. D. *Jo. Maccovius*, ſeu *Makowski*, Lobzenica-Polonus, Theologus, *Menelaus Winſemius*, Medicus, *Sixtinus Amama*, *Joannes Acronius*, Theologus, *Henr. Rhala*, J. U. D. *Arnoldus Werhel*, J. U D. *Hector Bouritius*, JCtus, ſed ſimul elegantioribus literis Græcis Latiniſque optime excultus, *Guil. Ameſius*, Britannus, Theologus, *Jo. Hachtingius*, Philoſophus, *Bernardus Schotanus a Sterringa*, JCtus, *Juſtus Reifenberg*, Hergera-Naſſavius, JCtus, qui obiit Acad. Rector A. 1631, *Ge. Paſor*, Ellara Naſſavius, *Meinardus Schotanus*, Theologus, *Bernardus Fullenius*, *Dan van Dam*, *Martinus Wybinga*, JCtus, *Sibrandus Menaldus*, Theologus, *Jo. Bogermannus*, Theologus, *Corn. Pynaker*, JCtus, *Pierius Winſemius*, JCtus, Hiſtoricus, Orator, qui & carmina ſcripſit, *Sirium* & *Amores*; *Jo. Coccejus*, proprie *Cock*, vel *Coch*, Bremenſis, Theologus & Philologus, *Nic. Vedelius*, Palatinus, aliis Gallus, Theologus, *Chriſtian. Schotanus a Sterringa*, Theologus, *Jo. Antonides van der Linden*, Medicus, *Jo. Phocylides Holwarda*, Medicus & Philoſophus, *Jo. Jac. Wiſſenbachius*, Naſſavius, JCtus, *Jo. Cloppenburgius*, Amſtelædamenſis, Theologus, *Guil. Cup*, Bommelia-Gelrus, JCtus, *Dom. Acronius de Bouma*, Eloq. Prof. *Petrus Mol*, J. U. D. & Prof. L. Gr. *Laur. Banck*, Gothus Norcopenſis, JCtus, *Dan. Anguilla Roſée*, *Lud. Parent*, Bleſis Gallus, Lingu. occid. Prof.

*Chriſtoph.*

Digitized by Google

*Chriſtoph. Munſterus*, Philoſophus, *Nic. Arnoldus Leſna*, Polonus, Theologus, *Joach. Frencelius*, Luſatus, Medicus, *Phil. Matthæus*, Marpurgo-Cattus, Medicus, *Jo. Gerhardi Terentius*, L. Ebr. Prof. *Jo. Valkenier*, Colonienſis, Theologus, *Ulr. Huberus*, J. U. D. *Abr. de Grau*, Mathematicus, *Jo. Greidanus*, Philoſophus, *Franc. de la Prix*, Gallus, Lingu. Occ. Prof. *Abr. Steindam*, Philoſophus, *Jo. Wubbena*, Philoſophus, *Mich. Buſch*, Pomeranus, Hiſt. & Pol. & Eloq. Prof. *Taco a Glins*, JCtus, *Jo. Ant. Tronchin*, *Jo. Melch. Steinberg*, Theologus, *Nic. Blanckardus*, Medicus, Hiſt. & L. Gr. P. qui & Panegyricum anno ſeculari Academiæ Friſicæ ſcripſit, *Phil. Matthæus*, Medicus, *Silveſter Jac. Dankelmann*, JCtus, *Herm. Witſius*, Theologus, *Jo. a Marck*, Theologus, *Jo. van der Wæyen*, Theologus, *Seb. Schelkens*, Mœno-Francof. JCtus, *Jo. Schotanus a Sterringa*, Philoſophus, *Gerh. Noodt*, JCtus, *Abr. Gulichius*, Philoſophus, *Tob. Andreæ*, Bremenſis, Medicus, *Camp. Vitringa*, *Jac. Perizonius*, *Jac. Rhenferdius*, Mulhemio ad Rhenum Ubius, L. Ebr. P. *Bern. Fullenius*, J. U. D. qui & Ebræam calluit linguam, & Matheſin profeſſus eſt, *Jo. Regius*, Brabantinus, Philoſophus, *Corn. van Eck*, JCtus, *Henr. Al. Roell*, e Comitatu Marcano Weſtphalus, Theologus, *Henr. Philiponeus de Hautecour*, Ducæo prope Abrincas Gallus, Theologus, *Jo. Lemonon*, Pontevelio-Gallus, L. Gall. Prof. *Petrus Latané*, Gallus, Medicus, *Abr. Cyprianus*, Medicus, *Guil. Coetier*, J. U. D. *Jo. Sibranda*, prælector linguæ Gr. *Zach. Huberus*, JCtus, *Ant. Schultingius*, JCtus, *Lamb. Bos*, L. Gr. Prof. *Ruardus Andala*, Theologus, *Jo. van der Wæyen*, Medioburgo-Selandus, Theologus, *Jo. Hemſterhuis*, Medicus, *Nic. Gurtlerus*, Baſilea-Helvetus, Theologus, Philoſophus, Philologus, *Wilh. Loré*, Mathematicus, *Wyerus Guil. Muys*, Stenovico-Transſilvanus, Medicus, *Dom. Balk*, JCtus, *Alb. Schultens*, L. Ebr. P. *Camp. Vitringa*, *Camp.* filius, Theologus, *Jo. Ortwinus Weſtenberg*, JCtus, *Tib. Hemſterhuis*, Groning. L. Gr. & Hiſt. P. *Jo. Conr. Rungius*, ex Com. Lippiaco, El. & Hiſt. P. *Herm. Venema*, Groning. Omlandus, Theologus, *Petrus Weſſeling*, Steinfurto-Benthem. El. & Hiſt. Prof. *Alb. Wilh. Melchioris*, Theologus, *Jo. Gottlieb Heineccius*, JCtus, Halæ non ſine lite-

 rarum

Digitized by Google

rarum detrimento mortuus, *Jac. Voorda*, JCtus, *Abr. Wieling*, Hammona-Weſtphalus, JCtus, *Jo. Ooſterdyk Schacht*, Medicus & Philoſophus, *Godofr. du Bois*, Cruininga-Selandus, itidem Medicus & Philoſophus, *Emo Lucius Vriemoet*, Embda-Friſius, L. Ebr. P. *Petr. Burmannus*, El. Hiſt. & Poeſ. P. *Petrus Conradi*, Theologus, *Ge. d' Arnaud*, JCtus, *Petr. Laan*, Theologus, *Chr. Henr. Trotz*, Colberga-Pomeranus, JCtus, *Lud. Caſp. Valckenaer*, L. Gr. P. *Jo. Arntzenius*, Veſalia-Clivus, J. U. D. El. Hiſt. & Poeſ. P. *Nic. Ypei*, Mathematicus, *Bernardinus de Moor*, Theologus, *Fred. Winterus*, Clivus, Medicus, *Sam. Kœnigius*, Philoſophus, & *Jo Schraderus*, prælector Eloq. & Hiſt. Horum elogiis qui adduntur, cum ſaltem ſint Indices, non eſt noſtrum, eos excerpere, quippe quibus ſufficit majoris operis excitaſſe ſitim.

## *THEODORI CRÜGERI, THEOL. D. ET SUP. Diœceſ. Chemnit. Apparatus Theologiæ moralis Chriſti, & renatorum, variis obſervationibus illuſtratus, in quo ſanctiſſimum Jeſu Chriſti exemplar, ex natura & gratia ejus expreſſum, in intellectu, conſcientia, religione, imaginatione, memoria, voluntate, affectibus, virtutibus, ſenſibus, corpore, infirmitatibus, & medicina mentis, conſpicuum, accuratius & plenius regenitis ad imitandum proponitur.*

Lipſiæ, apud Bernhard. Chriſtoph. Breitkopfium, 1747, 4.
Alph. 7 plag. 6.

Optime quidem Venerabilis Autor noſter cognitum atque perſpectum habebat, quam ferax eſſet ætas noſtra talium librorum, quorum lectio ad formandos mores ſanctiores plurimum conduceret; nihilo tamen minus rem bonam ſibi facturus videbatur, ſi omnes animi ſui doctrinæque nervos eo intenderet, ut *ſpecialem renatorum Theologiam moralem, ex imitatione Chriſti depromtam*, cum veritatis divinioris aſſeclis communicaret, idque inprimis ageret, ut hiatus doctrinæ moralis renatorum, & inſigniores ejus defectus, pro

pro virili ſua parte ſuppleret atque reſtitueret. Methodo autem utitur medicorum ſanandi rationi non abſimili, quod ex his, quæ deinde dicemus, unicuique lectorum facile erit judicatu. *Prolegomena* inſcribuntur *de natura atque*
*indole Theologiæ moralis renatorum, ex imitatione Chri-* Pag. 3.
*ſti depromtæ.* Varias variorum hic, doctrinam morum
tradendi, vias recenſere libuit Autori, ex quibus *para-* 9.
*digmaticam* præoptat, ſecundum *Senecæ* præclaram vocem:
*Longum iter eſt per præcepta morum, breve & efficax* 11.
*per exempla.* Suis tamen limitibus hujus doctrinæ metam, ait Noſter, contineri, ne abuſus doctrinæ ſanctiori injuriam inferat, quod tum demum fieri ſolet, ſi exempla aliorum *ſanctorum* abſolute, & citra nævorum, in illis conſpicuorum, exceptionem, ad imitandum proponantur, & fabulæ aniles pro ve-
ris rerum geſtarum monumentis venditentur. Quid *ſtudium* 14.
ſit *imitandi*, cui omnis Theologia paradigmatica innititur, quis ortus, effectus, quæve cautelæ ſint notandæ, illud curate Autor exponere laborat, & ſtudium quidem imitandi in conatu, cenſet, vel connato, vel aſſuefacto, conſiſtere, qui fertur ad formandos mores ſecundum exemplar alterius vivis co-
loribus expreſſum. Arctius deinde fines conſtituuntur, intra 17.
quos exemplum Chriſti ratione imitationis noſtræ continetur, quod breviſſimis ita expedit Autor, quatenus ſcilicet ipſa humana Chriſti natura ſtudium imitandi exercuerit in *rebus humanis*, poſt formam ſervi aſſumtam in ſimilitudine homi-
num conſtituta. Exinde optimum ad imitandum nobis pro- 19.
ponitur exemplum, ſanctiſſimum & ab omni labe immune.
Poſt interjectam ſatis fuſam enarrationem ſcriptorum, qui vitam 23.
Chriſti expoſitam dederunt, imitatio Chriſti, generatim ſpectata,
dicitur *ſtudium habituale Chriſtianorum, e viribus gratiæ Spiri-* 25.
*tus S. ortum, ſequendi exemplar cogitatorum, propenſionum,* 27.
*virtutum, dictorum, & factorum Chriſti, in quantum imitabilia illa nobis propoſita ſunt.* Ex his altius inquiritur in ne- 33.
ceſſitatem, indolem, objectum, fructus, reliquasque hujus rei affectiones, & ad realem deſcenditur finitionem, ubi doctrina moralis, ſtudium imitandi vitam Chriſti ſyſtematice pro-

 ponens,

ponens, dicitur Theologia Chriſti paradigmatica, ſeu ſcien-
tia habitualis practica, e verbo divino hauſta, ſiſtens nobis
vitam, habitus naturales, & dona gratiæ Jeſu Chriſti, in
exemplar agendorum & omittendorum, ad cujus amuſ-
ſim omnes regenitorum ideæ, propenſiones, virtutes, affe-
ctus, ſenſus, mores, dicta, & facta, pro viribus dirigi, & ad
imaginis divinæ ulteriorem in dies inſtaurationem, ſollicite
adduci debent, ut gloria Chriſti & animarum ſalus in dies
Pag. 41. promoveatur. Circa finem præliminaris hujus Diſſertationis
impius ille, & in meritum Chriſti injurius, profligatur error
plurimorum adverſariorum, qui, Servatorem in mundum ideo
unice veniſſe, tradunt, ut tantummodo perfectum exemplar
49. virtutum nobis conſpiciendum proponeret. Sequitur nunc
*Caput primum, principia fundamentalia* imitationis Chriſti mo-
ralis, e Chriſtologia dogmatica analogice deprompta, per-
tractans, ubi *Sectio prima* de ſequela nominum, naturæ, per-
ſonæ, munerum, & ſtatuum Chriſti, moraliter a renatis præ-
52. ſtanda, præcipit. Propoſitio univerſalis, ex qua in hoc vir-
tutum genere omnes veritates immediatæ fluunt, ita conſtitui-
54. tur: *Sequere naturam & gratiam in Chriſto conſpicuam*, cujus
principii, adæquate conſtituti, uberiorem deinde Autor red-
dit rationem, & ad onomatologiam Chriſti, mentem noſtram
ad virtutum ſequelam elevantem, pergit, cujus exempla quæ-
61. dam, ut forte nobis ſunt obvia, hic enarranda ſumamus. Quan-
do Chriſtus dicitur תלוי, *ſuſpenſus*, ad eam hic exercendam
admonemur virtutem, ut gloriemur ſuper afflictionibus crucis
63. ad ſuſcipiendum jugum Chriſti. Porro Chriſtus dicitur *roſa
vallis*, & *flos Saronis*, *vitæque lignum*, quod Chriſtianos edo-
cet, ut de vita ſua caduca, ſicut flore, crebrius cogitent.
*Caprea* dicitur Servator; hinc, ut agilis & alacris ſit Chriſtianæ
65. ſuæ vitæ praxis, unusquisque inſtituitur. Ex his reliqua fa-
cile datur æſtimandi vera ratio. Ea, quæ ſequuntur, pluri-
ma ex parte ex Theologia dogmatica ſunt deſumta, ubi de
unione Chriſti perſonali, ejusque duabus naturis, præceptio-
70. nes afferuntur plurimæ. Inter ea tamen Commentatio inter-
ſeritur ſingularis *de phænomenis naturæ*, phyſice conſideratis,
naturam

Digitized by Google

naturam moralem veteris & novi hominis non parum illuſtran-
tibus, cujus generis hæc inprimis nobis fuerunt obvia: Natura
phyſica nihil fruſtra agit; ſed natura veteris hominis morali-
ter omnia fruſtra agit, cum e contrario natura ſanctificata no-
vi hominis moraliter nihil fruſtra agat. Natura phyſica ſem-
per intendit id, quod eſt optimum; at natura veteris ho-
minis nihil intendit, niſi peſſimum, cui contra nitens natura
ſanctificata id intendit, quod eſt optimum. Et ſic reliqua.
Caput omne tractationis hujus in eo verſatur, ut ex doctrina Pag. 76.
illa de unione, & naturis in Chriſto, axiomata gratiæ habi-
tualis in Chriſto diſcamus, quæ cardinis quaſi vicem in omni
Autoris opere ſuſtinent. Sunt vero iſtæ, qualitates dono-
rum peculiarium, & præ noſtris eminentium, finitorum ta-
men, & quæ naturæ humanæ habitualiter & ſubjective inſunt,
ita, ut in ſtatu renovationis homini novo ad imitandum pro- 87.
ponantur. Imitationem moralem *ἐνυποςασίας* Chriſti Autor
in *ὑποςάσει fidei* quærit, non eſſentialiter quidem, aut ſub-
ſtantialiter, ſed *myſtice* & ſpiritualiter, ſpectata, in actu juſti-
ficationis, ubi perſona Chriſti velut peccatum, & perſona
hominis juſtificandi velut juſtus Chriſtus, per imputatio- 90.
nem divinam reputantur. Delabitur inde Noſter ad immu-
nitatem Chriſti a peccato, & nefandas voces famoſiſſimi *Edel-
manni*, hominis peſſimi, ſtrenue refellit, quibus, *naturam
Chriſti humanam nunquam quidem actu peccaſſe, ſed habuiſſe
tamen fomitem peccati, & peccare potuiſſe, ſi voluiſſet*, im-
pie atque abſurde dixerat. His profligatis dicteriis, imitatio- 97.
nem Autor perfectam *ἀναμαρτησίας* Chriſti in regno futuro
cœlorum conſtituit, cum in ſtatu gratiæ perfecta illa non de-
tur, nec quoad partes, nec quoad gradus. Communionem 107.
intimam naturarum Chriſti perſonalem imitari analogice &
moraliter communionem fidelium myſticam, Noſter aſſerit, & 111.
myſticæ hujus imitationis partes primarias ordine exponit,
quibus ratione *trium generum communicationis Chriſti idioma-
tum* aliæ adduntur myſticæ noſtræ imitationis rationes. Offi- 124.
cium Chriſti propheticum imitantur omnes regeniti *Θεοδί-
δακτοι* mediante verbo, non ſolum in munere publico eccle-

ſiaſtico verſantes, ſed privata quoque ſui inſtitutione, per
ſpiritualem unctionem, & efficacem cordis immutationem,
Pag. 130. illuminationem, regenerationem, & ſanctificationem, eruditi.
142. Pari modo reliqua officia Chriſti ad imitandum regenitis caute
proponuntur, & ad ſtatus Chriſti diverſos fit digreſſio, quo-
rum gradus recenſentur, quodque in iis detur imitabile,
161. quave optime id fiat ratione, clarius docetur. In *Sectio-
ne* hujus *Capitis ſecunda* de ſequela gratiæ in Chriſto agi-
tur, ubi principii loco ponitur gazophylacium totius rena-
torum Theologiæ moralis, quod eſt doctrina de gratia divina,
per Chriſtum parta, & in exemplo imitabili Chriſti conſpicua.
Hinc ſequela gratiæ Chriſti eſt præcipuum fundamentum to-
tius doctrinæ moralis renatorum, & theſaurus, a Deo nobis
168. donatus. Homo renatus gratiam Chriſti, active in ſe operan-
tem, imitatur paſſive per varios gradus gratiæ propter meri-
tum Chriſti, ita, ut gratia divina, nobis donata, analoga ſit, &
ſimilis gratiæ Dei, quæ in Chriſto eſt, pari modo, ſicut ſi-
gillum ceræ imaginem ſuam imponit, ita, ut, quem ad mo-
dum Chriſtus exinanitus profecit in gratia Dei, ſic anima
188. fidelis creſcat in gradibus gratiæ, quorum ſingula hic enar-
rantur capita. Unctio ſpiritualis Chriſti dicitur communicatio
divinæ plenitudinis & donorum gratiæ, unigenitum Dei filium
adimplens gratia & veritate, quam unctio fidelium ſpiritualis
imitatur, quæ conſiſtit in collatione donorum gratiæ, tam ad-
196. miniſtrantium, quam ſanctificantium. Donum miraculorum
Chriſti extraordinarium fuiſſe χάρισμα, Noſter dicit, tales
edendi actiones ſupernaturales, quæ nec in naturæ, nec in gra-
tiæ, ordine, ſolito nexu, aut viribus, continentur, ſed ordi-
nem naturæ, & gratiæ, a Deo conſtitutum, longe tranſcen-
dunt. Hoc donum pertinuit etiam ad fideles in eccleſia Chri-
ſti plantanda, quibus dona miraculoſa ad imitationem Chri-
203. ſti fuerunt permiſſa. Hac data occaſione, *Hollmanniana* de mi-
raculis ſententia, qua *Wolfianam* hypotheſin de forma mira-
culorum defendere ſtuduit, modeſte examini ſubjicitur. Ex-
216. tremam hujus *Sectionis* partem occupat Commentatio de pi-
raſtica ſacra, quæ donum gratiæ divinæ renatis datum dicitur,

quo

quo intra ſemet ipſos, ratione ſui, & aliorum, examen actu inſtituunt de fide ſua ſalvifica, & operibus vere bonis, ubi cavendum eſt, ne fallacia noſtræ naturæ, gratiam imitantis, Pag. 224.
nobis aliisque illudat. *Caput ſecundum* ψυχολογίαν Chriſti, 227.
ſeu doctrinam de *anima humana* Chriſti, & Chriſtianorum, aſſimulatione conſubſtantiali, exponit, ubi quidem 230.
non ſolum de animæ humanæ exiſtentia in genere, ſed de Chriſti etiam anima, ejusque partibus eſſentialibus, diſſeritur. Anima ipſius ad ductum Scripturæ Sacræ deſcribitur, quod ſit 234.
eſſentia ſpiritualis, ſimplex, finita, & incompleta, corpori naturaliter, τῷ λόγῳ perſonaliter, unita, facultate intelligendi & volendi, multisque aliis donis gratiæ habitualibus, inſtructa, ad genus humanum docendum, redimendum, & eccleſiæ militantis triumphantisque regimen capeſſendum, divinitus deſtinata. Manſit autem anima Chriſti finita atque dependens, 247.
etiamſi infinita dona per unionem cum λόγῳ perſonalem acceperit; quo pacto probe intelligitur, ſucceſſive eam creviſſe in ſapientiæ donis, & ſua incrementa aliis oſtendiſſe hominibus. Eundem in modum noſtra anima humana finita prorſus eſt atque dependens, ex parte modo cognoſcens, & voluntatis deſiderium, in infinitum bonum tendens, in his, quas natura ad vivendum dedit, anguſtiis quam maxime circumſcriptum cernitur. De præexiſtentia deinde ani- 250.
mæ & Chriſti agitantur quæſtiones multæ, quibus alia additur 253.
de origine animæ Chriſti, ubi diſputatur a viris doctis, num illa immediate a Deo creata, utrum potius per traducem e *Maria* generata ſit. Facili negotio, ſi modo in evidentia teſtimonii Spiritus S. acquieſcere velimus, diſcuti hanc quæſtionem poſſe, Noſter recte aſſeverat, cum literæ nos doceant 257.
ſanctiores, per generationem utero *Mariæ* eam eſſe productam. Objectiones quædam, facile hic ſubortæ, deinde removentur, & contra *Carpovium*, in hac cauſa ab Autore diſſentientem, nonnulla monentur. Circa nexum animæ & cor- 262.
poris Chriſti, a Spiritu S nobis non revelatum, philoſophicas Autor attingit quæſtiones, de commercio animam inter & corpus humanum vulgo agitatas. *Caput tertium* Νοολογίαν 277.
Chriſti,

Chriſti, ſive doctrinam de *habitibus intellectualibus* Chriſti, ſecundum naturam & gratiam ſpectatis, renatis ad imitandum propoſitis, perſequitur. *Sectio* inprimis *prior* ſequelam luminis
Pag. 178. naturæ in Chriſto pertractat, &, quid per νοολογίαν Autor ſibi velit, tradit; ubi docet, illam inſtruere renatos circa imitationem intemeratæ mentis Chriſti, quo modo nempe omnes ſuos habitus intellectuales, facultates item & operationes mentis, ad exemplar habituum intellectualium Chriſti, emendare, atque ad veram ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, fidem,
281. & reliquas intellectus virtutes ſpirituales, per illuminationem Spiritus S. rite perducere queant. Demonſtrata exiſtentia intellectus Chriſti, facultas & operationes ejus altius exa-
288. minantur, & curate docetur, ideas Chriſti humanas cum ejus omniſcientia divina non eſſe confundendas, ſiquidem facultates ejus naturales finitæ & ſeparatæ manſerint ab omniſcientia infinita, cum ipſo communicata; ideas porro ejus in ſtatu exinanitionis ab ideis ejus in ſtatu exaltationis fuiſſe diverſas, diverſamque idearum Chriſti originem pro diverſis ob-
302. jectis cognoſcendis ſtatuendam eſſe. Suſpenſio judicii Chriſti, nonnunquam in vocibus, ab ipſo editis, occurrens, docet renatos, ut Chriſtum imitari debeant, quando inperſcrutabiles providentiæ divinæ vias rimari nequeant; quando myſteria revelata audiant; quando ſibi caveant ab omnibus verborum æquivocationibus, aut aliis lenociniis, in quibus ſu-
310. ſpenſio judicii effugium quærit. Admiratio Chriſti *in diebus carnis* nunquam, ſicut in nobis, ſupponit inſcitiam antegreſſam, ſed, circa objectum, ipſi placens, verſans, pro laudis ejus encomio ſumitur, circa objectum autem, ipſi diſplicens,
315. indignationem ejus ſignificat, & querelas comites habet. Lumini huic naturæ contradiſtinguitur ab Autore lumen gratiæ, ſive complexus facultatum & habituum ſupernaturalium Chriſti & renatorum, intellectui divinitus ſuperadditorum. Tales ſunt divina ſapientia, ſcientia, prudentia, θεοσοφία, θεοπιςία, fides, & reliqua, quæ *Sectio tertia* plenius evolvit,
322. ſequelam luminis gratiæ in Chriſto uberius docens. Exhibentur hic *phænomena naturalia* intellectus humani, e Logica deſumta,

deſumta, phænomena ſpiritualia & moralia eximie illuſtrantia, quæ omnia hic recenſere, ſpatii anguſtia prohibet. Nec hic de- Pag. 336.
eſſe voluit rebus ſuis ornandis Autor, & impietati profligandæ, cum, data occaſione, prolixam hic iterum contra *Edelmannum* inſtituit diſputationem, qui, rationem humanam eſſe ipſum Deum, & λόγον *Joanneum*, adoratione dignum, in ſcriptiunculis ſuis deblaterare non erubuit. Refertur huc et- 348.
iam peculiaris Commentatio de *Arithmetica* ſpirituali renatorum, quæ Autori dicitur ars computandi myſtica, ſanctam Chriſti ratiocinationem moraliter imitari ſtudens, in quotidiana pœnitentia & exploratione ſui ipſius, quæ beneficia Dei accurate conſiderat, & momenta vitæ ad trutinam exempli Chriſti & legis Dei ponderat, uti hoc ſecundum ſingulas numerandi ſpecies exigitur. Fides Chriſti dicitur 353.
notitiæ, aſſenſus, & fiduciæ ejus immotæ, acquieſcentia perpetua in veritatibus cœleſtibus, præſertim in promiſſionibus Dei patris, rite perceptis, ſincere approbatis, & ſancte ſibi 357.
applicatis. *Caput quartum* συνειδολογίαν, ſeu doctrinam de *conſcientia* & *religione* Chriſti, pertractat, & in *Sectione* ejus *priori* ſpeciatim de ſequela conſcientiæ Chriſti agitur, cujus exiſtentia 361.
confirmatur primo, & deinde, qualis fuerit, deſcribitur. Eſt autem conſcientia Chriſti argumentatio mentis ejus de ſuis cogitatis, dictis, factis, & omiſſis, ad voluntatem Dei patris, ipſum mittentis, relatis, ut nulla factorum pravitas, ſed perpetua bonitas, cum mentis tranquillitate, inde in ipſum redundaverit. Norma hujus conſcientiæ eſt intrinſeca Chriſti 362.
ſanctitas, & mentis divinæ rectitudo, conveniens exacte cum voluntate divina, generatim ſpectata. Chriſtum in agone 377.
mortis ſenſiſſe conſcientiam dubiam, utique aſſerendum eſſe, Noſter ſtatuit, ita tamen, ut non in συντηρήσει, & notitia voluntatis divinæ, ſed in συνειδήσει, & propriarum virium ad tolerandos cruciatus ἀγωνίας exploratione, exſtiterit. Inde, adjicit, ſolatium haud mediocre in renatorum conſcientiam dubiam profluere. *Poſterior* hujus *Capitis Sectio* de ſe- 393.
quela religionis Chriſti præcipit, quæ verum ejus de Deo triuno ſenſum, & rectum ei præſtitum cultum, complectitur, qui

Pag. 409. imitationi renatorum proponitur, ubi præter reliqua ab Autore noſtro monetur, Chriſtianiſmum V. T. quoad vitæ praxin non pro norma habere potuiſſe imitationem vitæ Chriſti, quia Meſſias tunc temporis nondum in vivis fuerit, adeoque vita ejus ad imitationem trahi nondum potuerit. *Caput quintum*
417. Φαντασιολογίαν Chriſti commemorat, ſive *facultatem imaginandi* in Chriſto ſecundum naturam & gratiam ſpectatam.
420. Diſtinguitur illa in activam & paſſivam. Activa imagines objectorum abſentium ſuſcitavit, conſervavit, compoſuit, ſejunxit, compeſcuit, auxit, imminuit, atque ad varios effectus in ſemet & aliis excitandos direxit, & ſemper intellectui ſuo puro ſubordinavit. In quantum hæc cadant in renatorum phantaſiam, quantaque ſit differentia utriusque, ſequentia docent
432. rerum momenta. Poſtea problema proponit Noſter, utrum humanæ Chriſti naturæ per & propter unionem perſonalem ſanctus & optime verus tribui queat enthuſiaſmus. Præmuniuntur hic quædam, ad uſum bonum vocabuli *enthuſiaſmus* pertinentia, & deinde in ſua capita diſſolvitur quæſtio, & circumſpecte affirmatur, Chriſtum poſſe in ſenſu puro dici ἐνθȣσια-
438. ζόμενον. Sed per enthuſiaſmum intelligit Noſter hoc loco concurſum immediatum & intimam permeationem naturæ divinæ cum facultate imaginandi Chriſti humana, qua illa imagines rerum abſentium, præſertim futurarum perpeſſionum, perſolvendi λύτρȣ, & ſtatus exaltationis, facultati imaginandi humanæ Chriſti diſtincte ſuggeſſit, communicavit, compoſuit, fovit, ſuſtentavit, & eum in finem ſapienter direxit, ut intuitu futuræ gloriæ natura Chriſti humana eo promtior redderetur ad ſubeundum tremendum opus redemtionis, & ad ani-
451. marum noſtrarum ſalutem promerendam. Ad *ſextum* accedimus *Caput*, quod de μνημηλογίᾳ, ſive *facultate recordandi*, in Chriſto ſecundum naturam & gratiam ſpectata, diſſerit. Facultas recordandi humana, ſicut in univerſum, ita ſeorſim ſpectata, in Chriſto eſt facultas mentis ejus, agnoſcendi iterum reproductas ideas pro iis, quas olim concepit intellectus vel ſen-
454. ſus humanus, cui in quantum aſſimiletur noſtra facultas ruminandi, & quam diverſa ſit hæc ab illa, Autor explanare non

Digitized by Google

non omiſit. In quæſtione de frontalibus mnemonicis proba- Pag. 460.
biliter Noſter judicat, Chriſtum utique geſtaſſe phylacteria, non ex neceſſitate, aut ſuperſtitione, ſed ex imitatione & participatione rituum innoxiorum Judaicorum. Difficultates leviſſimæ, hac ſub controverſia motæ, tolluntur facili negotio 461.
ab Autore noſtro Venerabili. Memoriam Chriſti ſupernaturalem, Noſter ait, continere dona gratiæ mnemonica, facultati recordandi naturali Chriſti ſuperaddita, qua permeatio mutua, naturæque divinæ internus concurſus, plenum rerum præteritarum omniſciumque reminiſcentiæ habitum cum natura Chriſti humana communicavit. *Caput ſeptimum* θεληματο- 485.
λογίαν Chriſti, ſive doctrinam de *voluntate* & *libertate* Chriſti, pertractat. Exiſtentia atque indole voluntatis ejus declarata, 488.
impulſus, determinans facultatem volendi, aut nolendi, dicitur repræſentatio rationis ſufficientis, objecti boni, vel mali, vere, 490.
vel apparenter, melioris, aut pejoris. Claſſes deinde facultatum Chriſti volendi conſtituuntur, & in ſpecie de actibus ejus volendi *elicitis*, ſeu immanentibus, atque *imperatis*, ſeu emananti- 497.
bus, & in opus ad extra tranſeuntibus, diſſeritur. Neceſſi- 502.
tas Chriſti moralis, monente Autore, immutabilem nexum cauſarum atque effectuum in eſſentia & voluntate Chriſti continet, ita, ut aliter ſe habere nequeat, eaque eſt inſtitutionis perſonalis, conſecutionis fœderalis, atque operationis hy- 505.
potheticæ. Spontaneitas Chriſti eſt intrinſeca ultronea determinatio & niſus voluntatis ejus ad bonum ſufficienter cognitum appetendum, & peragendum, & ad malum, ſatis perſpectum, averſandum & omittendum. Ultimo loco phænomena ſtatico-mechanica, doctrinam moralem in voluntate, li- 520.
bertate, & ἐυκληρία humana, non parum illuſtrantia, adducuntur, ex quibus, loco ſpeciminis, unicum hic proferre lubet exemplum. In æquilibrio ſunt gravia æqualia, a centro gravitatis æqualibus intervallis ſuſpenſa. Ita in voluntate divina juſtitia & miſericordia ejus in æquilibrio ſunt, quin juſtitia ejus ſtat ſicut montes *Pſ. XXXVI, 17*, & omnes viæ ejus implentur bonitate *Pſ. XXV, 10* At renati meritorum ſuorum putatitium æquilibrium ad cœli gloriam promerendam

 abnegant,

Digitized by Google

abnegant, debiti ſui immerentis, & gratiæ divinæ, æquilibrium
Pag. 523. agnoſcentes nullum. *Caput octavum* *παθολογίαν* Chriſti complectitur, ſeu doctrinam de *affectibus* Chriſti, renatorum affectibus ad imitandum propoſitis. Omnis hujus rei contemplatio quatuor momentis abſolvitur, quorum *primum* deſiderii humani generalem tractat enucleationem, prout in voluntatem, vel tædium, tendit; *ſecundum* exhibet affectus primitivos, amorem & odium; *tertium* perpendit affectus derivativos reliquos; *quartum* ſigna dat affectuum externa. Excerpamus jam ex *Sectione priori*, de affectibus Chriſti primitivis agente, nonnulla, ut Lector habeat, quod de Autoris noſtri
527. laboribus judicare poſſit. Sympathia Chriſti phyſica eſt mutua in ſentiendo, agendo, & patiendo, animæ & corporis ejus convenientia, præſertim in nexu animæ & corporis, naturaliter conſpicua, qua *συμπάσχοντα* mutuo inter ſe vinculo conjuncta ſunt. Sympathia vero moralis eſt arcana voluntatis & agendi patiendique in Chriſto & renatorum attractiva
542. conſenſio. Affectus Chriſti naturales & noſtri conveniunt quidem inter ſe ratione indolis formalis; differunt tamen etiam ratione affectuum regiminis, cauſæ finalis, obligationis legalis, fallaciæ naturæ, gratiam imitantis, & numeri. Singulis deinde generibus amoris & odii enarratis, ad *Sectionem*
573. Noſter *alteram* hujus *Capitis* pergit, ubi de affectibus Chriſti derivativis, ad imitandum propoſitis, agitur. Hinc de lætitia, triſtitia, ſpe, fiducia, metu, & reliquis, ex induſtria
588. fit diſputatio. Chriſti *ἀγωνίαν* theatrum fuiſſe plerorumque ejus affectuum, Autor putat, ubi angor, metus, conſternatio, triſtitia, ira, indignatio, zelus, pudor, dolor, odium, & reliqua, ad ſummum uſque gradum ſe manifeſtarunt. Hanc imitantur renati in articulo mortis, & in ſtatu ſummæ tentationis, quando præſertim lucta carnis & ſpiritus ad ſu-
613. premum gradum perducitur. *Sectio tertia* cum pathologia ſemiotica hoc *Caput* claudit. De *Φιλανθρωπία* Chriſti ſignum hoc affertur inſigne, *ſibilus* ſcilicet ejus *evangelicus*, per verbi præconium blande advocans mortales, ut ad fidem & vitam æternam ſe adduci patiantur, quem renati blandis ſuis allo-

quiis

Digitized by Google

quiis imitari ſtudent. Riſum ſignum eſſe lætitiæ, Chriſtumque Pag. 620.
leniter ſubriſiſſe utique, per probabilem conjecturam Autori videtur. Renati, verecunde ſubridentes, hanc imitantur lætitiæ teſtificationem. In *Capite nono* ad *virtutes* Chriſti *generatim* 633.
*ſpectatas* fit progreſſus. Demonſtrata exiſtentia virtutum in 638.
Chriſto vere talium, illæ per habituales deſcribuntur inclinationes mentis & voluntatis ejus ad actiones ubivis ſanctas, juſtas, rectas, & voluntati divinæ perfectiſſime conformes, peragendas. Ex his forma, indoles, fons, ſubjectum, atque objectum, 640.
virtutum Chriſti amplius deſcribitur. Cumque pro vario ob- 643.
jectorum reſpectu virtutes Chriſti nonnullæ dentur inimitabiles tam reſpectu noſtri, quam reſpectu ſui ipſius, ſollicite hæc Autor ſeparat, & diſtincte exponit. His præſuppoſitis, ad deſcribendam formalem rationem virtutum Chriſtianarum procedit Noſter, perhibens, formam earum eſſe habitualem incli- 647.
nationem mentis ad exemplar Chriſti ſe conſtanter & ſerio componendi ad voluntatem Dei legalem & evangelicam, quæ per partes ad ſingulas virtutes conferuntur. *Sectio ſecunda* de 691.
virtutibus Chriſti erga Deum ſpecialem inſtituit tractationem, ubi de pietate, & divino ejus cultu, tam interno, quam externo, amplius diſſeritur, & imitatio ejus in cultu renatorum quoad ejus requiſita, claſſes & attributa devotionis, ſub finem proponitur. Pari modo in *Sectione tertia* doctrina de 730.
virtutibus Chriſti erga ſemet ipſum præcipitur, cui in *quarta* Commentatio de virtutibus ejus erga alios additur, & ad imi- 767.
tationem renatis ſingula proponuntur. Sequens *Caput decimum* 825.
ad *explorationem ſenſuum* Chriſti accedit, & in *prima* quidem *Sectione*, de ſenſibus Chriſti externis, generatim ſpectatis, agente, ſenſus Chriſti naturales deſcribuntur, quod fuerint motus fluidi nervei in corpore ejus, inducti ab objectis externis, organa ſenſualia attingentibus, & ad cerebrum propagati, ibique ab anima Chriſti naturaliter percepti. Iſti 827.
ſenſus noſtrorum ſenſuum mundandorum ſunto exemplar, ut ſecundum ejus rationem reſtituantur, & ut nos ipſi labem originis, ſenſibus adhærentem noſtris, cum vera contritione cordis agnoſcamus. Regimen ſenſuum myſticum apparet in ſan- 830.

 ctifica-

Digitized by Google

ctificatione & renovatione noſtra quotidiana, quippe quæ
Pag. 833. recollectio eſt ſenſuum externorum ad interiora mentis, per
veram fidem ad Deum converſæ. Phænomena denique ſenſuum, generatim ſpectata, prout naturam ſenſuum myſticam, & fallaciam naturæ, in ſenſibus gratiam imitantis, illuſtrant, ſub finem hujus *Sectionis* adduntur, quorum exemplum illud eſt: Sicut ſenſus omnes naturales in unum generalem, tactum, reſolvuntur, ita & ſenſus myſtici omnes in unum cordis ſpiritua-
837. lem, contactum, reſolvuntur. Reliqua conſulto omittimus. Procedimus ad *Sectionem ſecundam*, de *viſu* Chriſti, renatis ad imitandum propoſito, præcipientem. Viſus hic primo
839. naturalis Chriſti deſcribitur, & deinde, metaphoricus & allegoricus qualis fuerit, expenditur. Utrum Chriſtus in diebus carnis patrem oculis corporis viderit, quæritur; quam quæſtionem, jam olim motam, Noſter ita ſolvit, ut dicat, Chriſtum per modum prægustus æternitatis, vel beandorum, vel damnandorum, Deum patrem vidiſſe, non autem comprehenſive. Qualis uſus ſecundum exemplar Chriſti oculorum ſit noſtrorum, ſequentia momenta ad imitationem revocant,
851. & uſu myſtico ordinario perhibetur, illum per ſolam fidem
854. in Chriſtum, mediante verbo, fieri, cujus phænomena ex phænomenis viſus naturalis quam maxime illuſtrari poſſe, Noſter exiſtimat, dummodo reputare nobiſcum velimus, non dari lucem innatam oculis humanis corporis, ſiquidem nec embryones, nec demortui, nec homines vivi, in loco tenebroſo & umbroſo conſtituti, quidquam videant. Ita etiam non dari lucem ſpiritualem innatam oculis mentis. Secundum hanc methodum reliqui pertractantur ſenſus Chriſti, &
865. renatorum, ut vel ex his facile Lectori de reliquis conſtet. *Sectio* hinc *tertia auditum* Chriſti, renatis ad imitandum propo-
877. ſitum; *quarta tactum; quinta guſtum*, & *ſexta* denique *odo-*
889. *ratum* Chriſti ſecundum noſtrum odorem naturalem & myſti-
904. cum exigit, ut odoriferi fiamus Deo. Subſequens *Caput undecimum* ad σωματολογίαν pergit, de *corpore* Chriſti doctri-
915. nam in communem Theologiæ moralis uſum afferens. *Sectio prima* hujus *Capitis* de corpore Chriſti, generatim ſpectato,

ſtato, differit. Conſideratur hic ante omnia dignitas atque excellentia corporis Chriſti, cui ſuccedit diverſitas genealogiæ ejus, & conceptio corporis ejus, non naturaliter, ſed ſupernaturaliter, facta. A quantitate corporis Chriſti naturali tranſitur ad quantitatem corporis myſticam, & primo quidem ad *trigonometriam* hominis novi myſticam, divinorum myſteriorum ſublimitatem pro modulo unctionis ſpiritualis delineantem. Axioma hujus generis, præter reliqua, ſequens communicabimus: *Datis tribus perſonis divinis, triangulum myſticum* conſubſtantiale & reale in S. S. Trinitate a novo homine per fidem indubiam *concipitur.* Pari diligentia *Epipedometria* novi hominis, & *Stereometria* ejus, applicatur, cujus axioma quoddam hic addere juvat: *Cylindrum ſollicitudinum ſuarum temporalium* devolvit novus homo in manus Chriſti, huic commendat vias ſuas, probe confidens, quod *Chriſtus omnia bene fecerit.* Reliqua, quæ ſequuntur, ad ætatem, ſexum, temperamentum, venuſtatem, aliasque corporis Chriſti affectiones, ſpectant. Nec omittitur *electricitas*, ſeu agilitas corporis Chriſti, quæ ea dicitur qualitas, qua Chriſtus per circumgyrantem frictionem ætheris in radiis ſolaribus diurnis, vel per faces nocturnas ſplendentes, externe fuit illuminatus. Hæc quomodo ad electricitatem novi hominis corporis materialis transferantur, lectoris arbitrio eſt permittendum, ne nimis longi in enarrando hoc Opere videamur. *Sectio ſecunda* de *partibus* corporis Chriſti *ſolidis* agit, quatenus novo homini in exemplum ſunt proponendæ. Singula hic percurrere facile quivis poterit, qui partes corporis ſolidas cogitet. Noſtrum modo erit, unum alterumve exemplum proferre, ex quo, quomodo imitatio renatorum ab Autore inſtituatur, perſpici queat. Crines & pili artuum Chriſti, ſanguine ejus madentes, peccatis totius mundi expiandis, λύτρε partem ſolverunt. Crines ergo novi hominis per crines Chriſti ſanctificantur, ut albedo originalis lepræ, crinibus myſtice adhærens, aboleatur, *Levit. XIII, 3-57.* Viſcera Chriſti naturalia in tempore paſſionis & mortis ejus holocauſtum fuerunt, flammis iræ divinæ pro redimendis nobis oblatum.

Marginal references: Pag. 931. (beside "naturaliter, facta."); 945. (beside "itur ad quantitatem"); 946. (beside "municabimus"); 949. (beside "quoddam hic addere"); 959. (beside "ne fecerit."); 968. (beside "nes, ſpectant."); 991. (beside "mis longi"); 1005. (beside "inſtituatur"); 1033. (beside "bus myſtice").

latum. Viſcera ergo novi hominis naturalia, velut inſigne
Dei donum ad reſpirationem, nutriendum corpus, & cibum
digerendum, egerendumque, habenda ſunt; hinc miranda eo-
Pag. rum ſtructura Anatomicis anſam præbet ad demonſtrandam
1052. inde exiſtentiam divinam. In *Sectione* denique *tertia partes*
corporis Chriſti *fluidæ* recenſentur, ad quas lux oculorum,
ſonus vocis, habitus, ſanguis, lympha, bilis, & ſudor, refer-
1058. tur. Guttulam unam ſanguinis Chriſti effuſi, reſpectu redem-
toris infiniti, potuiſſe quidem λύτρον conſummatum perfi-
1063. cere, ſed non debuiſſe; nam totus ſanguis ejus effundendus
erat pro decreto divino. Phænomena ſanguinis myſtici vita-
lis, in novo homine, optimo jure Autor e phænomenis ſan-
guinis, naturaliter in corpore humano circulantis, explicari
poſſe, judicat. V. g. motus & pulſus ſanguinis naturalis
fit per ſyſtolen & diaſtolen cordis; ita & meritum Chriſti, per
verbum divinum cor movens noſtrum, fidem, velut princi-
1067. pium totius vitæ ſpiritualis, communicat. Ad quæſtionem,
acriter noſtro tempore agitatam, *utrum fundus ſanguinis Chriſti*
*in regno gratiæ ab eximie ſaltem piis inveniri poſſit*, caute at-
que diſtincte Noſter reſpondet, de ſacramentali uſu ſanguinis
Chriſti ſtatuendum eſſe, convivas omnes omnem ſanguinem
1083. fuſum, adeoque & totum calicem S. Cœnæ, exhaurire. *Ca-*
*put duodecimum* de *infirmitatibus* & *languoribus* Chriſti, no-
1087. vo homini in ſolatium propoſitis, agit, ubi infirmitates Chri-
ſti dicuntur naturales & irreprehenſibiles animæ & corporis
affectus & defectus. Dividuntur iidem in negativos & pri-
vativos. Negativi defectus conſiſtunt in languore earum re-
rum, quæ nec per naturam poſſunt, nec per officium debent,
adeſſe. Privativi ſunt earum rerum, quæ per naturam ad-
1141. eſſe poſſent. *Caput decimum tertium*, idemque ultimum, de
*ſanitate* & *medicina* mentis ſpirituali Chriſti & Chriſtianorum
1144. agit. Medicina mentis, generatim ſpectata, eſt illa doctrinæ
moralis pars, quæ media ſpiritualis vitæ tam inſtaurandæ,
quam conſervandæ, & promovendæ, ſuppeditat. Perti-
nent huc media gratiæ, Therapevticam ſacram conſtituentia,
quæ in *Diæteticam* & *Pharmacevticam* ſpiritualem diſtingui
ſolet.

Digitized by Google

ſolet. Illa eſt doctrina cœleſtis, e ſola Scriptura S. hauſta, quæ ordinem medicaminum mentis ad vitam ſpiritualem vel continuandam & promovendam, vel conſervandam, tractat. Hæc dicitur ea doctrinæ moralis pars, quæ medicamina ſacra pro conſervanda, aut recuperanda, animarum ſalute ſubminiſtrat. Quæ omnia ſecundum conſuetam mediorum gratiæ doctrinæ methodum rite recenſentur. Ultimo denique loco explicatio additur nummorum quorundam, æri inciſorum, atque os Chriſti, ex plurimorum ſententia, referentium, quo exinde pateat, quæ venuſtas fuerit faciei Chriſti, & in quantum vultus ſignum animi ſit habendus. Ex his, vel nobis tacentibus, tanti Operis pretium atque dignitatem unicuique cognoſci poſſe, non temere judicamus. Pag. 1147. 1148.

## Bibliſch-Exegetiſche Unterſuchungen, ꝛc.

id eſt,

## *JO. DIETERICI WINCKLERI, S. S. THEOL. Doct. Hildesh. Eccleſ. Superint. Conſiſtorii Aſſeſſoris primarii, & Gymnaſii Ephori, Biblico-exegeticæ Diſquiſitiones.*

## *Pars I.*

Lemgoviæ, typis Jo. Henr. Meieri, 1747, 8.

Plag. 14.

Pro eo, quo in literas ſanctiores fertur S. Rev. Autor, ſtudio inſigni, facere non potuit, quin nobiſcum Obſervationes ſuas, ante aliquot annos publice promiſſas, doctiſſime æque ac diligentiſſime ſcriptas, communicandi faceret initium. Ea hujus *prioris Partis* eſt ratio, ut nil, niſi ſenſus, a Spiritu S. intentus, inveſtigetur, & ob oculos inprimis ponatur, non tamen plane omiſſis ſubſidiis philologicis & criticis, licet rarius occurrant. Ineditæ adhuc omnes illæ ſunt diſquiſitiones, in hoc libello occurrentes, nec ex iis, quas ſparſim Noſter antea in lucem expoſuerat, repetitæ. Primum inter eos locum occupat excuſſio te-



Digitized by Google

Pag. 4. ſtimonii *Paulini* ad *Hebr. V, 7.* Conficit hic Noſter, ſermo-
nem eſſe Apoſtolo de ſtatu Chriſti humiliationis, & inprimis
quidem de diebus illis, in quibus mortem ſubibat mediator
noſter, quæ ſententia cum genuinis *Lutheri* verſionibus ver-
9. naculis non incommode conciliatur. Precum deinde argu-
mentum, & modus precationis, explanatur, quorum prius ad
feliciter conſummandam paſſionem Chriſti, & liberationem a
12. mortuis, eſt referendum. Ipſa autem precandi ratio, ex ipſo
vocabulorum tenore adſtructa, erat ſubmiſſa, & quam maxime
flebilis. Ubi contra Cel. *Bengelium* egregie oſtenditur, κραυ-
γὴν non quidem ad preces Chriſti, in horto Gethſemanes per-
18. actas, ſed in crucis ligno magna vi animi & corporis prolatas,
pertinere, quibus um ſine ulla dubitatione etiam lachrymæ
fuerunt conjunctæ. Denique, meritorias fuiſſe preces iſtas
& fiduciales, cum magno liberationis emolumento conjunctas,
22. ſequentia declarant verba. Vellemus modo, Cel. Autorem ab ea
loquendi formula abſtinuiſſe, qua Chriſtus *morte æterna* libera-
tus dicitur, ne incautis lectoribus tale quid, quod ipſe nollet
Autor, in mentem veniat. *Secunda* Obſervatio enucleat ſenſum
25. verborum *Jer. XXXI, 3,* qui Noſtro videtur hic: *Jehova filius*
*apparuit ab æterno patri,* tanquam mediator & cauſa ſalutis; *hinc*
*ab æterno etiam ſummo amore complexus ſum,* inquit pater, *Iſrae-*
28. *lem ex univerſali mea gratia.* Ad particulam מרחוק excitantur
teſtimonia prophetica *Jeſ. XXV, 1, Jer. XXX, 10, XLVI, 27,* ex
quibus conficitur, *ab æterno* eſſe explicandam. Quam com-
mode divinitatis perſonæ ex hoc loco poſſint demonſtrari,
32. ſuccincte monetur. *Tertiam* meditationem occupat *Pſ. XCV,*
*10, 11,* in quo manifeſta fit alluſio ad errores populi Iſraelitici in
deſertis locis, uti omnes res circumſtantes docere poſſunt. Ma-
35. xima hinc orationis vis in eo verſatur, quod petulanter du-
cem viæ non admiſerint Iſraelitæ, hinc quaſi vagabundi erra-
38. re cogebantur per loca arida, pallida, lurida. Quo pacto hæc
ad ſpiritualem pertineant ſenſum, Noſter recte monet. *Quarto*
exponitur gloria Dei, hancque oſtenditur fuiſſe *Jeſ. XL, 5,* ma-
44. nifeſtationem filii Dei in carne glorioſam, quam ipſe oſten-
ſurus erat per mirifica opera, glorioſam vitam, & majeſtatis
plenam

Digitized by Google

plenam orationem. Deſcribitur hæc tanquam vera, omnibus-
que oculis conſpicienda, quæ in temporibus Vet. Teſt. ad-
modum obſcura obtegebatur umbra, nec tam clare adſpici
poterat, quam hoc ſub novi ſeculi adventum fiebat. Mo- Pag. 46.
deſtiam, fidem, & prudentiam œconomi, uti dicitur, Eccle-
ſiaſtici ad *Luc. XII, 42*, exponit *quinta* Diſquiſitio, quæ plane
eſt practica. Subſequens Autoris opera in exponendo teſti-
monio *Ezech. XVI, 49, 50*, eſt collocata. Accurate hic pro- 51.
ponuntur, atque ex vocabulis Hebraicis eruuntur, cauſæ pecca-
torum Sodomiticorum, quorum altera erat affluentia bono- 56.
rum, felicitas terræ, uberrimus agri & hortorum proventus,
& loci natura amœna. Rectiſſime huc tendere גאון arbitra-
mur, non tam *ſuperbiam*, quam *excellentem dignitatem*,
indicans. Altera erat fiducia & inordinatus in res humanas 61.
amor, origo omnium malorum & peccatorum, ex quo
præter reliqua nefandus bonorum terreſtrium fluebat uſus.
Conjungitur cum hac Obſervatione *ſeptima* ad *Geneſ. XIX,* 66.
*24, 25*, pœnam, cœlitus in Sodomam & Gomorram immiſſam, 76.
explicans, quæ extraordinaria quidem & miraculoſa, non na-
turalis, ex motu terræ funditus incenſæ orta, habetur. *Octa-* 80.
*vam* inſtituens diſquiſitionem, devenit ad *Rom. XII, 3*, ubi do-
ctrinæ, de ſuſpendendo judicio, & moderata dicendi in ju-
diciis privatis ratione, partes pertractantur potiores. Oſten- 87.
dit hic Cel. Autor, *Paulum* orationem ſuam autoritate & gra-
vitate quadam Apoſtolica proferre, eandemque Apoſtolica ſua
vi & gratia communire. Partes deinde hujus adhortationis 90.
pertractantur, tum ſecundum ea, quæ in hac cauſa omittenda,
tum quæ facienda ſunt. Multo uberius deinde in *nona*
Obſervatione in ſenſum verborum *Pauli Gal. III, 19, 20*, 101.
inquirit Noſter. Definitur ante omnia, Apoſtolum oc-
cupare objectionem adverſariorum, quærentium forte,
quisnam legis uſus ſit, ſi illa ad ſalutem impetrandam
nihil valeat. Hinc in ſequentibus verbis ad tacitam 104.
hanc exceptionem reſpondet, ubi, multis verborum atque
rerum interpoſitis argumentis, confirmatur, non de lege mo-
rali, ſed cerimoniali, dicere Apoſtolum. Illa lex, ritus ec-



Digitized by Google

cleſiaſticos præſcribens, addita eſt παραβάσεων cauſa populi Judaici, ut caveret Deus, ne ad cultum idololatricum abiret
Pag. 108. Iſraelita, cui de Meſſia promiſſio facta erat futuro. Per has leges ſepimentum quaſi inter Judæos & gentes interponeba-
110. tur, quo arcebantur, ne eum gentibus miſcerentur, ſed peculiaris Deoque ſanctus populus maneret, *Epheſ. II, 14, 15.* Hic finis quidem legis cerimonialis unicus non erat. Accedebat alter, ut ſcilicet perduraret ad ea tempora, quibus ſemen, id eſt, Chriſtus, veniret. Quæ verba implicite nos
113. docent, eam hujus legis fuiſſe rationem, ut per membra Chriſtum præfiguraret, quo accedente, abroganda hæc lex erat. Cum his conveniunt ſequentia verba, ubi dicitur lex
116. data per manus mediatoris ab angelis. Ita enim optime facta Deo videbatur, ut miniſterio angelorum uteretur in adumbrandis œconomiæ futuræ umbris, & cerimoniis levioribus præcipiendis, quæ res, ut argute Noſter monet, recte demonſtrat, non a cultu Ægyptiorum, quæ *Spenceri*
117. eſt ſententia, repetendam eſſe legem illam cerimonialem, quia tunc miniſterio angelorum opus non fuiſſet, ſi res ipſa *Moſi* jamjam fuiſſet cognita. Data vero eſt lex illa per mediatorem, *Moſen* ſcilicet, quia non de ſalutis negotio, ſed
119. de rerum externarum modo, ſermo inſtituitur. Addit vero Apoſtolus: Ubi mediator eſt, ibi duæ partes adſint, neceſſe eſt, litigantes. Jam vero Deus eſt unicus, immutabilis, & promiſſis ſuis ubique perſtans; ergo non ad Deum, ſed ad populum, hujus mediatoriæ neceſſitatis culpa eſt referenda, utpote qui transgreſſionibus ſuis a Deo deſciverat, nec per
123. veram fidem, ſine tanto cerimoniarum apparatu, uti *Abrahamus*, in unione cum Deo permanſerat. Apparet hinc ex populi parte defectio ipſius minime laudabilis, ex parte vero Dei ſumma ipſius benignitas, deficientes homines per
124. interceſſorem ad obſequium fidei revocandi. *Decima* in Diſquiſitione S. Venerabilis Autor exponit verba *Jeſ. XXIII,*
126. *31, 32,* ubi varia de falſis Prophetis, ad fallendum compoſitis, eorumque ſomniis, proponuntur, inter quæ notandum eſt, Noſtrum putare, לקח poſitum eſſe pro חלק, & ſomnia

Digitized by Google

ſomnia plurima falſis Prophetis per nullum genium fuiſſe ſug-
geſta, quæ ipſi pro divinis venditarunt. In *undecima* Obſer- Pag. 137.
vatione verba *Pauli Tit. II, 11, 12, 13,* docta illuſtrantur com-
mentatione. *Duodecimæ* Obſervationi propoſita ſunt verba
*Jo. VIII, 48, 49, 50.* Oſtendit hic Noſter gravitatem delicti, 170.
ab Judæis in Servatorem commiſſi, & deinde duplex hujus
criminationis genus evolvit, quorum alterum falſa Samaritani
erat compellatio, alterum vero ad diaboli operationem, ipſi af-
fictam, ſpectat. Prius, quia aperte falſum erat, ſilentio in-
volvit Chriſtus. Poſterius, quo novitatem doctrinæ in- 176.
primis ipſi objiciebant, accurate vindicat, oſtendendo,
ſuam doctrinam non honoris aucupandi, ſed honoris divini 180.
augendi, cauſa proferri. Sequens tractatio exponit admoni-
tionem Chriſti de vitandis voluntatibus carnis, & curis ter-
renis, *Luc. XXI, 34.* In *decima quarta* Diſquiſitione excutitur
vox *Pauli* ad *Ebr. V, 9,* quæ de perfecta Chriſti paſſione, 194.
tanquam cauſa & fundamento ſalutis, ex mente Autoris, ex-
poni debet. In *ultima* Obſervatione verba ejusdem Apo-
ſtoli ad *Phil. III, 19,* proponuntur, & communis eorum ex- 199.
plicatio contra aliorum novaturientium opiniones ſtabilitur.
Ex his Lectores ſatis intelligent, quantum ſperare liceat de doctiſſimi hujus Operis *Parte ſecunda,* quam Sum. Ven. Autor, ſi Deo ita videatur, propediem luce publica donabit.

## *SPECIMEN EXEGESEOS SACRÆ PRO EXPLICANDO Pſalmo L, in quo nova hypotheſis ad illuſtrationem hujus Pſalmi proponitur & confirmatur, Autore C. P. ERP. BROCKHAUSEN, V. D. M. in Comit. Lippiaco.*

Lemgoviæ, typis Jo. Henr. Meyeri, 1747, 4.

Plag. 7.

Omnis tractatio Clariſſimi Autoris, ut breviſſimis nos expediamus, eo redit, ut primo ſumat, hunc *Pſalmum* agere de temporibus Novi Teſtamenti, quod quidem ipſi fas eſſe putabat, cum nemo Chriſtianorum adhuc aliter exiſtima-

Pag. 7. verit. Hinc ex *Tillio* tantum repetit argumenta, quæ ex ipſo
*Pſalmo* ad confirmandam hanc rem pertinent. Ex his ad al-
terum hypotheſeos ſuæ membrum ſe convertit Autor, argu-
12. menta proponens, quibus evincit, duas perſonas in hoc *Pſal-*
14. *mo* loqui, cui denique tertium addit de eo, quod in prima
*Pſalmi* parte *Joannes* Baptiſta, illuſtris regis Meſſiæ præco,
loquens introducatur, in altera vero ipſe Meſſias. Argumen-
19. tis ſat gravibus poſtea evincit Autor, de *Joanne* Baptiſta o-
mnia poſſe dici prædicata, quæ in *Pſalmo* de præcurſore illo
23. regio occurrunt. Objectionem circa adventum Meſſiæ non
in carnem, ſed ad judicium ultimum Judaicum, in *Pſalmo*
prædictum, commode removet Noſter, conciliando, ſeu ſub-
28. ordinando, hujus adventus vices diverſas. Ultimo denique
loco ex ipſis *Pſalmi* viſceribus adſtruitur, Meſſiam hic loquen-
tem proponi, quo confecto, ſynopticam hujus cantionis ta-
bulam ad calcem libelli apponit Noſter, &, Commentationis
hujus brevioris ſuo tempore pleniorem daturum ſe illuſtra-
tionem, promittit.

## Fortſetzung der neueſten Beſchreibung der Griechiſchen Kirche, ꝛc.

id eſt,

## *D. JACOBI ELSNERI CONTINUATIO NOVISſimæ delineationis Eccleſiæ Græcæ in regno Turcico, addita Appendice de Palæſtinæ excellentia.*

Berolini, in officina libraria Haudeana & Speneriana, 1747, 8.
Alph. 1 plag. 5, cum Tabb. æn. 2.

Varia fuerunt, quæ Celeberrimum Autorem ad edendas has de ſtatu eccleſiæ Græcæ continuatas enarrationes permoverunt. Partim enim cavere voluit, ne recentiora additamenta, quæ cum ipſo communicata fuerant, imperfectam, ſi in tenebris ſepulta permanerent, Commentationem ipſius priorem relinquerent, partim vero, ut obviam iret perverſis hominum malevolorum judiciis, quos ſuæ famæ inde ab aliquo tempore detractum iviſſe queritur. In *Capite* ſtatim *primo* de notiſſimo

Digitized by Google

notiſſimo illo Archimandrita, *Athanaſio Doroſtamo*, ejusque fide, expoſuit. Multæ enim dubitationes contra ſinceritatem hujus viri enatæ erant ex eo inde tempore, quo Monachus Pag. 4.
quidam Græcus Silvæ Ducis, oppido nobiliſſimo Brabantiæ, criminis falſi reus factus, &, judicio peracto, laqueo punitus fuerat. Vix hujus facinoris fama in finibus Germaniæ percrebuerat, cum ad aures Cel. Autoris, aliorumque clariſſimorum virorum, afferretur nuntius, *Doroſtamum* fuiſſe, qui infelicem hunc vitæ ſuæ exitum habuiſſet. Sed omnis cauſa Archimandritæ noſtri integra erat, ſub idem tempus in *Elſneri* menſa prandium ſumentis, quo de ſuſpenſo hoc Monacho Autor noſter explorabatur. Nomen hujus monachi varie effertur, licet *Paulus Athanaſius* utplurimum, interdum etiam *Paulus Thomich*, *Paulus Thomaitis*, & *Raguſanus*, nominetur. Pro- 6.
fertur hic omnis lis ejus judicata ex actis, Batavo & vernaculo ſermone delineatis, quæ fidem certiſſimam faciunt, aliter rem ſeſe habuiſſe cum impoſtore illo, quam creditum vulgo fuerat. 22.
Multis quidem exceptionibus ſupplicium ille amoliri conabatur, ſed fruſtra. 41.
Hinc ex ſententia condemnatoria, a judicibus urbis illius lata, gula laqueo ipſi frangebatur; quæ quidem res, ſi non inique, nimis tamen acerbe, peracta *Doroſtamo* videbatur, de cujus vitæ morumque integritate, ne quid ſuſpicionis amplius ſuboriri malevolis poſſit, teſti- 45.
monia uberrima fideque digniſſima hic proferuntur. His diligenter accurateque pro rei dignitate diſceptatis, additamenta ſequuntur, ad *prius Caput* collecta, quorum pri- 53.
maria adventum Apoſtoli *Andreæ* in urbe Patris, & *Paraſceven* quandam, ſpectant, quæ domina fuit hæreditaria in agro Epibati, in Moldavia ſito. In *Capite ſecundo* tolerabilior il- 57.
la ſervorum, ſeu mancipiorum, inter Turcas conditio confirmatur, & feliciſſima quidem in Ægypto eſſe traditur. Duriſſimi habentur illi, qui Chriſtianis, fidem atque religio- 60.
nem patriam ejurantibus, operam ſuam præſtant, quorum quidem infelicitatem longe exſuperant alii, ad triremes in æternum damnati, deteriores longe habiti, quam omnes ve-

teris

Digitized by Google

teris eccleſiæ teſtes veritatis, de quibus per literarum monu-
Pag. 65. menta nobis conſtat. Defenſionem deinde Noſter judicii ſui,
& emendationis, in literis Patriarchæ *Paiſii* tentatæ, mo-
deſte & diligenter ſuſcipit, cui quod reponamus, non ha-
bemus. Ad finem hujus *Sectionis* ex antiquitatis teſtimoniis
docet, nomen Φιλοχρίςȣ multis Regibus & Principibus, quo-
rum exempla affert, admodum fuiſſe familiare. Dehinc, quæ
67. ſit natura pennæ, ex calamo, ſeu arundine, Patriarchæ ſcri-
benti inſervientis, erudite diſſerit. Uberiora multa ſup-
peditantur additamenta ad *Caput tertium*, quorum nonnul-
71. la quidem Lectori deguſtanda dabimus. Nomen *Patriar-*
*chæ* jam Seculo V a Judæis ſibi imponi paſſi ſunt Epiſco-
pi Chriſtiani, utpote qui tum temporis Patriarchas ſuos
in Oriente & in Palæſtina venerabantur, judices ſeden-
tes in omnibus rebus, quæ vel ad forum civile, vel ad ſa-
crorum adminiſtrationem, pertinebant. Perpetuam ſucceſſio-
74. nem Patriarcharum eccleſia jactat Græca, ab *Andrea* Apo-
ſtolo inde inceptam, quæ quidem maxime incerta atque du-
bia videtur. Nomina tamen Patriarcharum, qui fuerunt hu-
89. jus Seculi, ex ordine diſpoſita, Noſter recenſet. Diade-
ma, ſeu corona Imperatoria, qua ſuperbit Patriarcha Conſtan-
tinopolitanus, dignitatis ſuperioris Imperatoriæ indicium eſſe
debet, ſicuti Pontificis triplex corona, ex quo Imperatores
Romam deſeruerunt, ſacerdotalem & imperialem ſummam di-
99. gnitatem & poteſtatem indicat. Nec levioris ſunt momenti,
quæ de baculo paſtorali Patriarchæ, de ipſius electione, ſa-
lutatione Imperatoris Turcici religioſa, epiſtolis nuntiatoriis,
112. aliisque rebus, huc pertinentibus, adduntur. Veſtitus re-
ligioſus Patriarchalis, circa quem plurimi, & ipſe etiam *Hei-*
*neccius*, errarunt, ex traditione *Doroſtami* copioſe accura-
teque deſcribitur, quæ ſingula quidem hic repeti, non patitur
121. inſtitutum noſtrum. Non temere Noſter ſuſpicatur, omnem
hunc habitum pontificalem ex gentilium ornatu, & Deorum
inprimis veſtitu, eſſe mutuo ſumtum, cui rei indicio eſſe vi-
124. detur imago Deæ Syriæ, a *Bellorio* exhibita, atque ex *Tomo*
*VII* Theſauri *Gronoviani* huc translata. Qua occaſione

contra

Digitized by Google

contra *Montefalconium*, antiquitates hujus rei negantem, docte atque diſerte diſputatur. Inſigne Patriarchale, quod *Ludewigius* quondam ex Brandenburgicis elicere voluit inſignibus, Imperatoribus Græcis vindicatur, qui bicipitem aquilam inter heraldica ſua ornamenta amabant, duplex eorum regnum in Aſia atque Europa præfigurantem. In deſcriptione pompæ Pontificiæ, cum *Cybeles* ornatu convenientis, argute admodum in eos luditur, qui ſellam geſtatoriam Pontificis humeris ſuis portant, quale onus in *Cybeles* cultu aſinis, vel, his deficientibus, ſacerdotibus, imponebatur. Plura deinde Pontificiæ dignitatis inſignia exponuntur, quæ nonnihil ab Orientalium ſuperſtitioſa deflectunt adorandi ratione. Sequuntur nunc additamenta ad *Caput quartum*, quod de reliquis Patriarchis, & clero Græcorum, agit. Primas inter eos tenet Patriarcha Alexandrinus, cui titulus Papæ tribuitur, & qui ſingulari quodam lepidiſſimoque more initiatur. Ex ſolenni ejurandi religionem Græcam formula, qua uſus eſt quondam A. 1712 *Samuel Capaſulis*, Patriarcha Alexandrinus, facile liquet, quæ controverſiæ Latinam inter & Græcam eccleſiam agitentur, quique adhibeatur modus, hominem Græcæ eccleſiæ addictum in Romanum cœtum transferendi. Hæc quidem res Papam tunc temporis fefellit, & omnis eventus infelix fuit. Qui Patriarchæ *Antiocheni*, *Hieroſolymitani*, atque *Achridani*, ſit titulus & quæ conditio, ex additamentis patet. Ad Archiepiſcopos & Metropolitas progrediens Noſter, alia emendat, alia addit, quibus longa annectitur de monachis, Athos montem incolentibus, eorum moribus, inſtitutis, & doctrina admodum rara, tractatio. Eadem diligentia de monaſterio in monte Sinaitico agit, monachorum non ſolum vitam recenſens, ſed felix etiam loci ingenium ex recentioribus, iisque optimis, ſcriptoribus prædicans. Reliqua, quæ hic adduntur, ad moniales, Diaconos, eorumque officia & habitum, pertinent. In ſpicilegio, ad *Caput quintum* collecto, dilucidius oſtenditur, quam parum Romana eccleſia cum Græcorum inſtitutis religioſis, & doctrina ſymbolica, conſpiret, licet Pontificii ex

Pag. 137. 145. 162. 168. 171. 176. 178. 188. 201. 213. 222.

Actis Orientalis eccleſiæ contra *Lutherum*, infauſto tamen ſuc-
ceſſu, eruere quidpiam voluerint, de quo gloriandum ſibi
Pag. 228. ducerent. Lepidiſſimum omnino eſt, Romanos magna cum
gravitate, nec minori rerum ſuarum confidentia, conſenſum
ſuæ atque Græcæ oſtendere eccleſiæ, licet non negent, alte-
ram eccleſiam alteri defectionem ab Apoſtolicis doctrinis &
traditionibus contentioſe objicere. Multa hic occurrunt,
240. quæ veterum Romanorum, gentilium, atque Græcorum, mo-
res attingunt, quæ ſingula ſingulis lectoribus ſunt commen-
345. danda. Additiones ad *Caput ſextum* cultum Græcorum pu-
blicum ſpectant, cujus generis eſt adoratio reverenda tem-
pli & liminum portæ, quoties religionis cauſa accedunt; im-
modica cantilenæ *Kyrieleiſon* repetitio & vociferatio, nugis
348. gentilium fere ſimilis; exoſculatio libri evangelici, quoties
illum attingunt. Cultus publicus horarum una plurium ſpatio
abſolvitur, & in diebus præcipue feſtis primo mane inchoa-
351. ri ſolet. Templum perfumationibus ubique eſt obvium, &
innumeris cerimoniis, gentiliſmum ſpirantibus, omnis cul-
358. tus peragitur. In deſcriptione luminis ſancti, quod in ſacro
ſepulcro conſpicitur, contra Venerabilem *Moſhemium* mo-
deſte diſputatur. Contra eundem contenditur, *Primicerium* &
361. *Lampadarium*, cujus in ſubſcriptione Concilii fit mentio,
non vulgarem quendam eſſe miniſtrum eccleſiæ, ſed prima-
rium Patriarchæ, & principis eccleſiæ, adminiſtrum. Ad *Ca-*
373. *put ſeptimum* quæ fuerunt annotata, pertinent ad præ-
ſentem Græcorum conditionem, ſub Turcarum imperio ge-
mentium, quæ quidem admodum flebilis videtur, cum cen-
376. ſus, in capita impoſitus, multo gravior atque auctior reddatur,
&, qua fruuntur, tutela cum multis, iisque durioribus,
conditionibus conjuncta ſit. Regnum Turcicum, vulgo
380. porta Ottomannica dictum, exinde id nominis adeptum
fuit, quia *Porta* aulam ſignificat regiam, ut adeo Ottoman-
nica porta idem ſit, quod alio nomine aula Ottomannica
384. dici ſolet. Quanto in periculo inter Turcas verſentur
Chriſtiani, ex iis patet exemplis, quæ Autor profert, in-
primis cum liceat ipſis, autoritate Corani ſui, ſancta bella in
infideles,

Digitized by Google

infideles, & religionis ſuæ adverſarios, inferre. In Appendice Pag. 401.
S. Rev. Autor ingenium feliciſſimum terræ Palæſtinæ deſcribit, idque contra varias variorum objectiones, ex monumentis profanis, aliisque teſtimoniis geographicis, nummisque, ut & ex natura loci, frugum, incolarum, atque occupatione hujus provinciæ, ſolide declarat. Inter nummos, hic occurrentes, duo priores ex *Frœlichii* Annalibus ſunt deſumti, quorum alter lyram & uvam, alter uvam & palmam, exhibet conſpiciendam. Reliqui in *Liebii Gotha nummaria* occurrunt. 432.
Quantum hi nummi de fertilitate terræ ſanctæ teſtentur, ex *Joſepho* & *Relando* conſtat. Miſera & deploranda hujus terræ conditio, qualis nunc eſt, ex devaſtatione & ſolitudine hominum provenit, ubi peregrinantes, vel inviti, veritatem divinarum comminationum cognoſcunt, qua tantam ſterilitatem *Devt. XXIX, 22;* & *Jeſ. IX, 10, 13,* in locis opimis & fertiliſſimis Deus prædixerat, &, propter Judæorum atrociſſima facinora, eventum prædictioni nunc reſpondere juſſit.

## *D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, MED. P. P. Extraord. & Coll. B. M. V. h. t. Præpoſiti, Definitiones generum plantarum, olim in uſum auditorum collectæ, nunc auctæ & emendatæ.*

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſchium, 1747, 8.

Alph. 1.

Inſignis corporum naturalium varietas, potiſſimum in regno vegetabili obſervata, induſtriam naturæ indagatorum maxime exercet, ita ut accurata corporum diſpoſitio in genera, ſpecies, atque varietates, repetito labore demum perficiatur. Cl. Autor, qui ante decennium in Definitionibus plantarum ſpecimen aliquod generum ordinandorum, in uſum auditorum conſcriptum, evulgaverat, nunc novam, & a priori longe diverſam, exhibet ejus Operis editionem. Nos, qui ſingulas definitiones recenſere haud poſſumus, inſtituti rationem tantum brevibus jam deſcribemus. Duplici quidem ratione ea perfecit, quæ in præcedenti editione inceperat. Partim enim ex ſcriptis recentiorum



Digitized by Google

Botanicorum omnia ſedulo conquiſivit, quæ ad plantas accuratius ordinandas ſpectabant, partim vero & ipſe in plantis vivis characteres certos & evidentes collegit. Ita quidem non ſolum omnia genera, ab Autoribus deſcripta, definivit, ſed & plurima, accuratius deſcripta, in ordinem redegit. Aſſumſerat in priori editione methodum *Rivini*, in qua, poſt characteres ex numero & regularitate florum deſumtos, fructus diſquiſitio ſequitur. Cum vero non in omnibus plantis fructus ſimul cum flore examinari queat, conſilium mutavit, & poſt corollam ſtamina & piſtilla in generibus mediis adhibuit, tandem vero inferiora genera ex variis & ſingularibus harum aliarumque plantæ partium proprietatibus decerpſit. Methodi, quam ſibi elegit, delineationem generalem vide in *Actis* noſtris *A. 1743 pag. 367.* Cum vero in generibus inferioribus definiendis Autores quam maxime differant; in eo potiſſimum fuit Autor, ut, comparatis inter ſe characteribus, diverſas Autorum definitiones uno quaſi intuitu ſiſteret. Id quod maxime neceſſarium videbatur, cum non omnes æque Autores cum uno, eodemque generico, nomine eandem ideam conjungant. Quamobrem tirones maxime confunduntur, niſi definitiones inter ſe conferant. Origanum exempli loco adducamus. Hoc a *Linnæo* definitur, quod flores ex ſpicis lamellatis & imbricatis oriantur, quod corolla tubuloſa bilabiata ſit, labium ſuperius diviſum, vel emarginatum, inferius trifidum, ſegmento medio vix latiore deprehendatur, quod ſemina quatuor ovata obtineat. Calicis differentias, & diverſitatem lamellarum ſpicæ floriferæ, non attendit *Linnæus*. Quodſi igitur hæc diſtinguere velit Botanicus, tum tria habebis genera. Origanum *Tournefortii* flores, in capitula laxiora oblonga ſpicis ſimilia congeſtos, & calicem tubuloſum quinquedentatum, obtinet. Majorana *Tournefortii* flores in capitula denſa brevia, ex ordine quaterno foliolorum, ſquamatim ſibi mutuo incumbentium, confecta, diſpoſitos, & calicem brevem bilamellatum, obtinet. Dictamnus *Raji* flores, in capitula laxiora, ex foliolis imbricatis majoribus conflata, congeſtos, & calicem brevem auriculatim ſciſſum, obtinet, ita ut in hoc

labium

Digitized by Google

labium ſuperius integrum emineat, labium inferius vero ferme nullum inveniatur. Oſtendimus hoc in genere, quod ſpecierum numero non abundat. Major enim difficultas in iis generibus eſt, quæ multas ſpecies habent, a recentioribus nonnullis in nova genera inferiora mutatas. Sic Lychnidis, Alſines, Sedi, & Centaureæ, genus primaria forte ſunt, quæ exempli loco adduci, & in definitionibus his evolvi, poterunt. Monet quidem Cl. Autor, nullum Botanicorum in generibus inſtituendis audiendum eſſe, niſi eum, qui ex legibus bonæ methodi genera ſtabilire ſuſcipit; ſed in tali libello, in hos uſus ſcripto, omnia genera congerenda erant, ut quaſi in pinace conſpiciantur. Plantarum genera omnia non niſi ex characteribus eſſentialibus, hoc eſt, ex flore deſumtis, definienda ſunt, id quod Autor quoque in omnibus præſtitit. Placuit tamen eidem nonnunquam, inprimis in officinalibus, alios quoque characteres, ex reliquis plantæ partibus deſumtos, & accidentales dictos, addere, e. g. Hyſſopo flore in verticillos denſos, inferius diſtantes, ſuperius in ſpicam congeſtos, & unum latus reſpicientes, tribuit; Roſmarino radicem perennem, caules duros fruticoſos, folia anguſta & oblonga, verticillos minores, adſcribit. Qui quidem characteres, ſi ad genera ſtabilienda, & ad ſtabilita facilius cognoſcenda, adhibeantur, uſu ſuo non deſtituuntur. Autorem itaque ſcopum ſuum attigiſſe judicamus, dum libellum exhibuit, ad cujus normam Botanophili generum diſquiſitiones inſtituere poſſint.

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis V Pars II.*

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1747, 8.
Plag. 13.

Scenam aperit *G. G. N. Diſſertatio de Elia, autore Epiſtolæ, ad Joramum datæ*, ad *2 Chron. XXI, 12. Eliæ Thisbitæ* in

cleſiaſticos præſcribens, addita eſt παραβάσεων cauſa populi
Judaici, ut caveret Deus, ne ad cultum idololatricum abiret
Pag. 108. Iſraelita, cui de Meſſia promiſſio facta erat futuro. Per has
leges ſepimentum quaſi inter Judæos & gentes interponeba-
110. tur, quo arcebantur, ne cum gentibus miſcerentur, ſed pe-
culiaris Deoque ſanctus populus maneret, *Epheſ. II, 14, 15.*
Hic finis quidem legis cerimonialis unicus non erat. Ac-
cedebat alter, ut ſcilicet perduraret ad ea tempora, quibus
ſemen, id eſt, Chriſtus, veniret. Quæ verba implicite nos
113. docent, eam hujus legis fuiſſe rationem, ut per membra
Chriſtum præfiguraret, quo accedente, abroganda hæc lex
erat. Cum his conveniunt ſequentia verba, ubi dicitur lex
116. data per manus mediatoris ab angelis. Ita enim optime fa-
cta Deo videbatur, ut miniſterio angelorum uteretur in ad-
umbrandis œconomiæ futuræ umbris, & cerimoniis leviori-
bus præcipiendis, quæ res, ut argute Noſter monet, recte
demonſtrat, non a cultu Ægyptiorum, quæ *Spenceri*
117. eſt ſententia, repetendam eſſe legem illam cerimonialem,
quia tunc miniſterio angelorum opus non fuiſſet, ſi res ipſa
*Moſi* jamjam fuiſſet cognita. Data vero eſt lex illa per me-
diatorem, *Moſen* ſcilicet, quia non de ſalutis negotio, ſed
119. de rerum externarum modo, ſermo inſtituitur. Addit vero
Apoſtolus: Ubi mediator eſt, ibi duæ partes adſint, neceſſe
eſt, litigantes. Jam vero Deus eſt unicus, immutabilis, & pro-
miſſis ſuis ubique perſtans; ergo non ad Deum, ſed ad po-
pulum, hujus mediatoriæ neceſſitatis culpa eſt referenda,
utpote qui transgreſſionibus ſuis a Deo deſciverat, nec per
123. veram fidem, ſine tanto cerimoniarum apparatu, uti *Abra-
hamus*, in unione cum Deo permanſerat. Apparet hinc ex
populi parte defectio ipſius minime laudabilis, ex parte ve-
ro Dei ſumma ipſius benignitas, deficientes homines per
124. interceſſorem ad obſequium fidei revocandi. *Decima* in
Diſquiſitione S. Venerabilis Autor exponit verba *Jeſ. XXIII,
31, 32,* ubi varia de falſis Prophetis, ad fallendum com-
126. poſitis, eorumque ſomniis, proponuntur, inter quæ notan-
dum eſt, Noſtrum putare, לקח poſitum eſſe pro חלק, &
ſomnia

ſomnia plurima falſis Prophetis per nullum genium fuiſſe ſuggeſta, quæ ipſi pro divinis venditarunt. In *undecima* Obſervatione verba *Pauli Tit. II*, *11*, *12*, *13*, docta illuſtrantur commentatione. *Duodecimæ* Obſervationi propoſita ſunt verba Pag. 137.
*Jo. VIII*, *48*, *49*, *50*. Oſtendit hic Noſter gravitatem delicti, 170.
ab Judæis in Servatorem commiſſi, & deinde duplex hujus criminationis genus evolvit, quorum alterum falſa Samaritani erat compellatio, alterum vero ad diaboli operationem, ipſi affictam, ſpectat. Prius, quia aperte falſum erat, ſilentio involvit Chriſtus. Poſterius, quo novitatem doctrinæ in- 176.
primis ipſi objiciebant, accurate vindicat, oſtendendo, ſuam doctrinam non honoris aucupandi, ſed honoris divini 180.
augendi, cauſa proferri. Sequens tractatio exponit admonitionem Chriſti de vitandis voluntatibus carnis, & curis terrenis, *Luc. XXI*, *34*. In *decima quarta* Diſquiſitione excutitur vox *Pauli* ad *Ebr. V*, *9*, quæ de perfecta Chriſti paſſione, 194.
tanquam cauſa & fundamento ſalutis, ex mente Autoris, exponi debet. In *ultima* Obſervatione verba ejuſdem Apoſtoli ad *Phil. III*, *19*, proponuntur, & communis eorum ex- 199.
plicatio contra aliorum novaturientium opiniones ſtabilitur. Ex his Lectores ſatis intelligent, quantum ſperare liceat de doctiſſimi hujus Operis *Parte ſecunda*, quam Sum. Ven. Autor, ſi Deo ita videatur, propediem luce publica donabit.

## *SPECIMEN EXEGESEOS SACRÆ PRO EXPLIcando Pſalmo L, in quo nova hypotheſis ad illuſtrationem hujus Pſalmi proponitur & confirmatur, Autore C. P. ERP. BROCKHAUSEN, V. D. M. in Comit. Lippiaco.*

Lemgoviæ, typis Jo. Henr. Meyeri, 1747, 4.

Plag. 7.

Omnis tractatio Clariſſimi Autoris, ut breviſſimis nos expediamus, eo redit, ut primo ſumat, hunc *Pſalmum* agere de temporibus Novi Teſtamenti, quod quidem ipſi fas eſſe putabat, cum nemo Chriſtianorum adhuc aliter exiſtimaverit.

Pag. 7. verit. Hinc ex *Tillio* tantum repetit argumenta, quæ ex ipſo
*Pſalmo* ad confirmandam hanc rem pertinent. Ex his ad al-
terum hypotheſeos ſuæ membrum ſe convertit Autor, argu-
12. menta proponens, quibus evincit, duas perſonas in hoc *Pſal-*
14. *mo* loqui, cui denique tertium addit de eo, quod in prima
*Pſalmi* parte *Joannes* Baptiſta, illuſtris regis Meſſiæ præco,
loquens introducatur, in altera vero ipſe Meſſias. Argumen-
19. tis ſat gravibus poſtea evincit Autor, de *Joanne* Baptiſta o-
mnia poſſe dici prædicata, quæ in *Pſalmo* de præcurſore illo
23. regio occurrunt. Objectionem circa adventum Meſſiæ non
in carnem, ſed ad judicium ultimum Judaicum, in *Pſalmo*
prædictum, commode removet Noſter, conciliando, ſeu ſub-
28. ordinando, hujus adventus vices diverſas. Ultimo denique
loco ex ipſis *Pſalmi* viſceribus adſtruitur, Meſſiam hic loquen-
tem proponi, quo confecto, ſynopticam hujus cantionis ta-
bulam ad calcem libelli apponit Noſter, &, Commentationis
hujus brevioris ſuo tempore pleniorem daturum ſe illuſtra-
tionem, promittit.

## Fortſetzung der neueſten Beſchreibung der Griechiſchen Kirche, ꝛc.

id eſt,

## *D. JACOBI ELSNERI CONTINUATIO NOVISſimæ delineationis Eccleſiæ Græcæ in regno Turcico, addita Appendice de Palæſtinæ excellentia.*

Berolini, in officina libraria Haudeana & Speneriana, 1747, 8.
Alph. 1 plag. 5, cum Tabb. æn. 2.

Varia fuerunt, quæ Celeberrimum Autorem ad edendas has de ſtatu eccleſiæ Græcæ continuatas enarrationes permoverunt. Partim enim cavere voluit, ne recentiora additamenta, quæ cum ipſo communicata fuerant, imperfectam, ſi in tenebris ſepulta permanerent, Commentationem ipſius priorem relinquerent, partim vero, ut obviam iret perverſis hominum malevolorum judiciis, quos ſuæ famæ inde ab aliquo tempore detractum iviſſe queritur. In *Capite* ſtatim *primo* de notiſſimo

Digitized by Google

notiſſimo illo Archimandrita, *Athanaſio Doroſtamo*, ejusque fide, expoſuit. Multæ enim dubitationes contra ſinceritatem hujus viri enatæ erant ex eo inde tempore, quo Monachus Pag. 4.
quidam Græcus Silvæ Ducis, oppido nobiliſſimo Brabantiæ, criminis falſi reus factus, &, judicio peracto, laqueo punitus fuerat. Vix hujus facinoris fama in finibus Germaniæ percrebuerat, cum ad aures Cel. Autoris, aliorumque clariſſimorum virorum, afferretur nuntius, *Doroſtamum* fuiſſe, qui infelicem hunc vitæ ſuæ exitum habuiſſet. Sed omnis cauſa Archimandritæ noſtri integra erat, ſub idem tempus in *Elſneri* menſa prandium ſumentis, quo de ſuſpenſo hoc Monacho Autor noſter explorabatur. Nomen hujus monachi varie effertur, licet *Paulus Athanaſius* utplurimum, interdum etiam *Paulus Thomich*, *Paulus Thomaitis*, & *Raguſanus*, nominetur. Pro- 6.
fertur hic omnis lis ejus judicata ex actis, Batavo & vernaculo ſermone delineatis, quæ fidem certiſſimam faciunt, aliter rem ſeſe habuiſſe cum impoſtore illo, quam creditum vulgo fuerat. 22.
Multis quidem exceptionibus ſupplicium ille amoliri cona- 41.
batur, ſed fruſtra. Hinc ex ſententia condemnatoria, a judicibus urbis illius lata, gula laqueo ipſi frangebatur; quæ quidem res, ſi non inique, nimis tamen acerbe, peracta *Doroſtamo* videbatur, de cujus vitæ morumque integritate, ne quid ſuſpicionis amplius ſuboriri malevolis poſſit, teſti- 45.
monia uberrima fideque digniſſima hic proferuntur. His diligenter accurateque pro rei dignitate diſceptatis, additamenta ſequuntur, ad *prius Caput* collecta, quorum pri- 53.
maria adventum Apoſtoli *Andreæ* in urbe Patris, & *Paraſceven* quandam, ſpectant, quæ domina fuit hæreditaria in agro Epibati, in Moldavia ſito. In *Capite ſecundo* tolerabilior il- 57.
la ſervorum, ſeu mancipiorum, inter Turcas conditio confirmatur, & feliciſſima quidem in Ægypto eſſe traditur. Duriſſimi habentur illi, qui Chriſtianis, fidem atque religio- 60.
nem patriam ejurantibus, operam ſuam præſtant, quorum quidem infelicitatem longe exſuperant alii, ad triremes in æternum damnati, deteriores longe habiti, quam omnes veteris

Digitized by Google

teris eccleſiæ teſtes veritatis, de quibus per literarum monu-
Pag. 65. menta nobis conſtat. Defenſionem deinde Noſter judicii ſui,
& emendationis, in literis Patriarchæ *Paiſii* tentatæ, mo-
deſte & diligenter ſuſcipit, cui quod reponamus, non ha-
bemus. Ad finem hujus *Sectionis* ex antiquitatis teſtimoniis
docet, nomen Φιλοχρίϛȣ multis Regibus & Principibus, quo-
rum exempla affert, admodum fuiſſe familiare. Dehinc, quæ
67. ſit natura pennæ, ex calamo, ſeu arundine, Patriarchæ ſcri-
benti inſervientis, erudite diſſerit. Uberiora multa ſup-
peditantur additamenta ad *Caput tertium*, quorum nonnul-
71. la quidem Lectori deguſtanda dabimus. Nomen *Patriar-*
*chæ* jam Seculo V a Judæis ſibi imponi paſſi ſunt Epiſco-
pi Chriſtiani, utpote qui tum temporis Patriarchas ſuos
in Oriente & in Palæſtina venerabantur, judices ſeden-
tes in omnibus rebus, quæ vel ad forum civile, vel ad ſa-
crorum adminiſtrationem, pertinebant. Perpetuam ſucceſſio-
74. nem Patriarcharum eccleſia jactat Græca, ab *Andrea* Apo-
ſtolo inde inceptam, quæ quidem maxime incerta atque du-
bia videtur. Nomina tamen Patriarcharum, qui fuerunt hu-
89. jus Seculi, ex ordine diſpoſita, Noſter recenſet. Diade-
ma, ſeu corona Imperatoria, qua ſuperbit Patriarcha Conſtan-
tinopolitanus, dignitatis ſuperioris Imperatoriæ indicium eſſe
debet, ſicuti Pontificis triplex corona, ex quo Imperatores
Romam deſeruerunt, ſacerdotalem & imperialem ſummam di-
99. gnitatem & poteſtatem indicat. Nec levioris ſunt momenti,
quæ de baculo paſtorali Patriarchæ, de ipſius electione, ſa-
lutatione Imperatoris Turcici religioſa, epiſtolis nuntiatoriis,
112. aliisque rebus, huc pertinentibus, adduntur. Veſtitus re-
ligioſus Patriarchalis, circa quem plurimi, & ipſe etiam *Hei-*
*neccius*, errarunt, ex traditione *Doroſtami* copioſe accura-
teque deſcribitur, quæ ſingula quidem hic repeti, non patitur
121. inſtitutum noſtrum. Non temere Noſter ſuſpicatur, omnem
hunc habitum pontificalem ex gentilium ornatu, & Deorum
inprimis veſtitu, eſſe mutuo ſumtum, cui rei indicio eſſe vi-
124. detur imago Deæ Syriæ, a *Bellorio* exhibita, atque ex *Tomo*
*VII* Theſauri *Gronoviani* huc translata. Qua occaſione
contra

Digitized by Google

contra *Monteſalconium*, antiquitates hujus rei negantem, docte atque diſerte diſputatur. Inſigne Patriarchale, quod *Ludewigius* quondam ex Brandenburgicis elicere voluit inſignibus, Imperatoribus Græcis vindicatur, qui bicipitem aquilam inter heraldica ſua ornamenta amabant, duplex eorum regnum in Aſia atque Europa præfigurantem. In deſcriptione pompæ Pontificiæ, cum *Cybeles* ornatu convenientis, argute admodum in eos luditur, qui ſellam geſtatoriam Pontificis humeris ſuis portant, quale onus in *Cybeles* cultu aſinis, vel, his deficientibus, ſacerdotibus, imponebatur. Plura deinde Pontificiæ dignitatis inſignia exponuntur, quæ nonnihil ab Orientalium ſuperſtitioſa deflectunt adorandi ratione. Sequuntur nunc additamenta ad *Caput quartum*, quod de reliquis Patriarchis, & clero Græcorum, agit. Primas inter eos tenet Patriarcha Alexandrinus, cui titulus Papæ tribuitur, & qui ſingulari quodam lepidiſſimoque more initiatur. Ex ſolenni ejurandi religionem Græcam formula, qua uſus eſt quondam A. 1712. *Samuel Capaſulis*, Patriarcha Alexandrinus, facile liquet, quæ controverſiæ Latinam inter & Græcam eccleſiam agitentur, quique adhibeatur modus, hominem Græcæ eccleſiæ addictum in Romanum cœtum transferendi. Hæc quidem res Papam tunc temporis fefellit, & omnis eventus infelix fuit. Qui Patriarchæ *Antiocheni*, *Hieroſolymitani*, atque *Achridani*, ſit titulus & quæ conditio, ex additamentis patet. Ad Archiepiſcopos & Metropolitas progrediens Noſter, alia emendat, alia addit, quibus longa annectitur de monachis, Athos montem incolentibus, eorum moribus, inſtitutis, & doctrina admodum rara, tractatio. Eadem diligentia de monaſterio in monte Sinaitico agit, monachorum non ſolum vitam recenſens, ſed felix etiam loci ingenium ex recentioribus, iisque optimis, ſcriptoribus prædicans. Reliqua, quæ hic adduntur, ad moniales, Diaconos, eorumque officia & habitum, pertinent. In ſpicilegio, ad *Caput quintum* collecto, dilucidius oſtenditur, quam parum Romana eccleſia cum Græcorum inſtitutis religioſis, & doctrina ſymbolica, conſpiret, licet Pontificii ex

[Margin: Pag. 137. — 145. — 162. — 168. — 171. — 176. — 178. — 188. — 201. — 213. — 222.]

teris eccleſiæ teſtes veritatis, de quibus per literarum monu-
Pag. 65. menta nobis conſtat. Defenſionem deinde Noſter judicii ſui, & emendationis, in literis Patriarchæ *Paiſii* tentatæ, modeſte & diligenter ſuſcipit, cui quod reponamus, non habemus. Ad finem hujus *Sectionis* ex antiquitatis teſtimoniis docet, nomen Φιλοχρίϛȣ multis Regibus & Principibus, quorum exempla affert, admodum fuiſſe familiare. Dehinc, quæ
67. ſit natura pennæ, ex calamo, ſeu arundine, Patriarchæ ſcribenti inſervientis, erudite diſſerit. Uberiora multa ſuppeditantur additamenta ad *Caput tertium*, quorum nonnul-
71. la quidem Lectori deguſtanda dabimus. Nomen *Patriarchæ* jam Seculo V a Judæis ſibi imponi paſſi ſunt Epiſcopi Chriſtiani, utpote qui tum temporis Patriarchas ſuos in Oriente & in Palæſtina venerabantur, judices ſedentes in omnibus rebus, quæ vel ad forum civile, vel ad ſacrorum adminiſtrationem, pertinebant. Perpetuam ſucceſſio-
74. nem Patriarcharum eccleſia jactat Græca, ab *Andrea* Apoſtolo inde inceptam, quæ quidem maxime incerta atque dubia videtur. Nomina tamen Patriarcharum, qui fuerunt hu-
89. jus Seculi, ex ordine diſpoſita, Noſter recenſet. Diadema, ſeu corona Imperatoria, qua ſuperbit Patriarcha Conſtantinopolitanus, dignitatis ſuperioris Imperatoriæ indicium eſſe debet, ſicuti Pontificis triplex corona, ex quo Imperatores Romam deſeruerunt, ſacerdotalem & imperialem ſummam di-
99. gnitatem & poteſtatem indicat. Nec levioris ſunt momenti, quæ de baculo paſtorali Patriarchæ, de ipſius electione, ſalutatione Imperatoris Turcici religioſa, epiſtolis nuntiatoriis,
112. aliisque rebus, huc pertinentibus, adduntur. Veſtitus religioſus Patriarchalis, circa quem plurimi, & ipſe etiam *Heineccius*, errarunt, ex traditione *Doroſtami* copioſe accurateque deſcribitur, quæ ſingula quidem hic repeti, non patitur
121. inſtitutum noſtrum. Non temere Noſter ſuſpicatur, omnem hunc habitum pontificalem ex gentilium ornatu, & Deorum inprimis veſtitu, eſſe mutuo ſumtum, cui rei indicio eſſe vi-
124. detur imago Deæ Syriæ, a *Bellorio* exhibita, atque ex *Tomo VII* Theſauri *Gronoviani* huc translata. Qua occaſione

contra

Digitized by Google

contra *Montefalconium*, antiquitates hujus rei negantem, docte atque diſerte diſputatur. Inſigne Patriarchale, quod *Ludewigius* quondam ex Brandenburgicis elicere voluit inſignibus, Imperatoribus Græcis vindicatur, qui bicipitem aquilam inter heraldica ſua ornamenta amabant, duplex eorum regnum in Aſia atque Europa præfigurantem. In deſcriptione pompæ Pontificiæ, cum *Cybeles* ornatu convenientis, argute admodum in eos luditur, qui ſellam geſtatoriam Pontificis humeris ſuis portant, quale onus in *Cybeles* cultu aſinis, vel, his deficientibus, ſacerdotibus, imponebatur. Plura deinde Pontificiæ dignitatis inſignia exponuntur, quæ nonnihil ab Orientalium ſuperſtitioſa deflectunt adorandi ratione. Sequuntur nunc additamenta ad *Caput quartum*, quod de reliquis Patriarchis, & clero Græcorum, agit. Primas inter eos tenet Patriarcha Alexandrinus, cui titulus Papæ tribuitur, & qui ſingulari quodam lepidiſſimoque more initiatur. Ex ſolenni ejurandi religionem Græcam formula, qua uſus eſt quondam A. 1712 *Samuel Capaſulis*, Patriarcha Alexandrinus, facile liquet, quæ controverſiæ Latinam inter & Græcam eccleſiam agitentur, quique adhibeatur modus, hominem Græcæ eccleſiæ addictum in Romanum cœtum transferendi. Hæc quidem res Papam tunc temporis fefellit, & omnis eventus infelix fuit. Qui Patriarchæ *Antiocheni*, *Hieroſolymitani*, atque *Achridani*, ſit titulus & quæ conditio, ex additamentis patet. Ad Archiepiſcopos & Metropolitas progrediens Noſter, alia emendat, alia addit, quibus longa annectitur de monachis, Athos montem incolentibus, eorum moribus, inſtitutis, & doctrina admodum rara, tractatio. Eadem diligentia de monaſterio in monte Sinaitico agit, monachorum non ſolum vitam recenſens, ſed felix etiam loci ingenium ex recentioribus, iisque optimis, ſcriptoribus prædicans. Reliqua, quæ hic adduntur, ad moniales, Diaconos, eorumque officia & habitum, pertinent. In ſpicilegio, ad *Caput quintum* collecto, dilucidius oſtenditur, quam parum Romana eccleſia cum Græcorum inſtitutis religioſis, & doctrina ſymbolica, conſpiret, licet Pontificii ex

[Margin: Pag. 137. — 145. — 162. — 168. — 171. — 176. — 178. — 188. — 201. — 213. — 222.]



Digitized by Google

Actis Orientalis eccleſiæ contra *Lutherum*, infauſto tamen ſuc-
ceſſu, eruere quidpiam voluerint, de quo gloriandum ſibi
Pag. 228. ducerent. Lepidiſſimum omnino eſt, Romanos magna cum
gravitate, nec minori rerum ſuarum confidentia, conſenſum
ſuæ atque Græcæ oſtendere eccleſiæ, licet non negent, alte-
ram eccleſiam alteri defectionem ab Apoſtolicis doctrinis &
traditionibus contentioſe objicere. Multa hic occurrunt,
240. quæ veterum Romanorum, gentilium, atque Græcorum, mo-
res attingunt, quæ ſingula ſingulis lectoribus ſunt commen-
345. danda. Additiones ad *Caput ſextum* cultum Græcorum pu-
blicum ſpectant, cujus generis eſt adoratio reverenda tem-
pli & liminum portæ, quoties religionis cauſa accedunt; im-
modica cantilenæ *Kyrieleiſon* repetitio & vociferatio, nugis
348. gentilium fere ſimilis; exoſculatio libri evangelici, quoties
illum attingunt. Cultus publicus horarum una plurium ſpatio
abſolvitur, & in diebus præcipue feſtis primo mane inchoa-
351. ri ſolet. Templum perfumationibus ubique eſt obvium, &
innumeris cerimoniis, gentiliſmum ſpirantibus, omnis cul-
358. tus peragitur. In deſcriptione luminis ſancti, quod in ſacro
ſepulcro conſpicitur, contra Venerabilem *Mosbemium* mo-
deſte diſputatur. Contra eundem contenditur, *Primicerium* &
361. *Lampadarium*, cujus in ſubſcriptione Concilii fit mentio,
non vulgarem quendam eſſe miniſtrum eccleſiæ, ſed prima-
rium Patriarchæ, & principis eccleſiæ, adminiſtrum. Ad *Ca-*
373. *put ſeptimum* quæ fuerunt annotata, pertinent ad præ-
ſentem Græcorum conditionem, ſub Turcarum imperio ge-
mentium, quæ quidem admodum flebilis videtur, cum cen-
376. ſus, in capita impoſitus, multo gravior atque auctior reddatur,
&, qua fruuntur, tutela cum multis, iisque durioribus,
conditionibus conjuncta ſit. Regnum Turcicum, vulgo
380. porta Ottomannica dictum, exinde id nominis adeptum
fuit, quia *Porta* aulam ſignificat regiam, ut adeo Ottoman-
nica porta idem ſit, quod alio nomine aula Ottomannica
384. dici ſolet. Quanto in periculo inter Turcas verſentur
Chriſtiani, ex iis patet exemplis, quæ Autor profert, in-
primis cum liceat ipſis, autoritate Corani ſui, ſancta bella in
infideles,

Digitized by Google

infideles, & religionis ſuæ adverſarios, inferre. In Appendice Pag. 401. S. Rev. Autor ingenium feliciſſimum terræ Palæſtinæ deſcribit, idque contra varias variorum objectiones, ex monumentis profanis, aliisque teſtimoniis geographicis, nummisque, ut & ex natura loci, frugum, incolarum, atque occupatione hujus provinciæ, ſolide declarat. Inter nummos, hic occurrentes, duo priores ex *Frœlichii* Annalibus ſunt deſumti, quorum alter lyram & uvam, alter uvam & palmam, exhibet conſpiciendam. Reliqui in *Liebii Gotha nummaria* occurrunt. 432. Quantum hi nummi de fertilitate terræ ſanctæ teſtentur, ex *Joſepho* & *Relando* conſtat. Miſera & deploranda hujus terræ conditio, qualis nunc eſt, ex devaſtatione & ſolitudine hominum provenit, ubi peregrinantes, vel inviti, veritatem divinarum comminationum cognoſcunt, qua tantam ſterilitatem *Deut. XXIX, 22;* & *Jeſ. IX, 10, 13,* in locis opimis & fertiliſſimis Deus prædixerat, &, propter Judæorum atrociſſima facinora, eventum prædictioni nunc reſpondere juſſit.

## *D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG, MED. P. P. Extraord. & Coll. B. M. V. h. t. Præpoſiti, Definitiones generum plantarum, olim in uſum auditorum collectæ, nunc auctæ & emendatæ.*

Lipſiæ, apud Jo. Fridericum Gleditſchium, 1747, 8.
Alph. 1.

Inſignis corporum naturalium varietas, potiſſimum in regno vegetabili obſervata, induſtriam naturæ indagatorum maxime exercet, ita ut accurata corporum diſpoſitio in genera, ſpecies, atque varietates, repetito labore demum perficiatur. Cl. Autor, qui ante decennium in Definitionibus plantarum ſpecimen aliquod generum ordinandorum, in uſum auditorum conſcriptum, evulgaverat, nunc novam, & a priori longe diverſam, exhibet ejus Operis editionem. Nos, qui ſingulas definitiones recenſere haud poſſumus, inſtituti rationem tantum brevibus jam deſcribemus. Duplici quidem ratione ea perfecit, quæ in præcedenti editione inceperat. Partim enim ex ſcriptis recentiorum



Digitized by Google

Botanicorum omnia ſedulo conquiſivit, quæ ad plantas accuratius ordinandas ſpectabant, partim vero & ipſe in plantis vivis characteres certos & evidentes collegit. Ita quidem non ſolum omnia genera, ab Autoribus deſcripta, definivit, ſed & plurima, accuratius deſcripta, in ordinem redegit. Aſſumſerat in priori editione methodum *Rivini*, in qua, poſt characteres ex numero & regularitate florum deſumtos, fructus diſquiſitio ſequitur. Cum vero non in omnibus plantis fructus ſimul cum flore examinari queat, conſilium mutavit, & poſt corollam ſtamina & piſtilla in generibus mediis adhibuit, tandem vero inferiora genera ex variis & ſingularibus harum aliarumque plantæ partium proprietatibus decerpſit. Methodi, quam ſibi elegit, delineationem generalem vide in *Actis* noſtris *A. 1743 pag. 367.* Cum vero in generibus inferioribus definiendis Autores quam maxime differant; in eo potiſſimum fuit Autor, ut, comparatis inter ſe characteribus, diverſas Autorum definitiones uno quaſi intuitu ſiſteret. Id quod maxime neceſſarium videbatur, cum non omnes æque Autores cum uno, eodemque generico, nomine eandem ideam conjungant. Quamobrem tirones maxime confunduntur, niſi definitiones inter ſe conferant. Origanum exempli loco adducamus. Hoc a *Linnæo* definitur, quod flores ex ſpicis lamellatis & imbricatis oriantur, quod corolla tubuloſa bilabiata ſit, labium ſuperius diviſum, vel emarginatum, inferius trifidum, ſegmento medio vix latiore deprehendatur, quod ſemina quatuor ovata obtineat. Calicis differentias, & diverſitatem lamellarum ſpicæ floriferæ, non attendit *Linnæus*. Quodſi igitur hæc diſtinguere velit Botanicus, tum tria habebis genera. Origanum *Tournefortii* flores, in capitula laxiora oblonga ſpicis ſimilia congeſtos, & calicem tubuloſum quinquedentatum, obtinet. Majorana *Tournefortii* flores in capitula denſa brevia, ex ordine quaterno foliolorum, ſquamatim ſibi mutuo incumbentium, confecta, diſpoſitos, & calicem brevem bilamellatum, obtinet. Dictamnus *Raji* flores, in capitula laxiora, ex foliolis imbricatis majoribus conflata, congeſtos, & calicem brevem auriculatim ſciſſum, obtinet, ita ut in hoc

labium

Digitized by Google

labium ſuperius integrum emineat, labium inferius vero ferme nullum inveniatur. Oſtendimus hoc in genere, quod ſpecierum numero non abundat. Major enim difficultas in iis generibus eſt, quæ multas ſpecies habent, a recentioribus nonnullis in nova genera inferiora mutatas. Sic Lychnidis, Alſines, Sedi, & Centaureæ, genus primaria forte ſunt, quæ exempli loco adduci, & in definitionibus his evolvi, poterunt. Monet quidem Cl. Autor, nullum Botanicorum in generibus inſtituendis audiendum eſſe, niſi eum, qui ex legibus bonæ methodi genera ſtabilire ſuſcipit; ſed in tali libello, in hos uſus ſcripto, omnia genera congerenda erant, ut quaſi in pinace conſpiciantur. Plantarum genera omnia non niſi ex characteribus eſſentialibus, hoc eſt, ex flore deſumtis, definienda ſunt, id quod Autor quoque in omnibus præſtitit. Placuit tamen eidem nonnunquam, inprimis in officinalibus, alios quoque characteres, ex reliquis plantæ partibus deſumtos, & accidentales dictos, addere, e. g. Hyſſopo flore in verticillos denſos, inferius diſtantes, ſuperius in ſpicam congeſtos, & unum latus reſpicientes, tribuit; Roſmarino radicem perennem, caules duros fruticoſos, folia anguſta & oblonga, verticillos minores, adſcribit. Qui quidem characteres, ſi ad genera ſtabilienda, & ad ſtabilita facilius cognoſcenda, adhibeantur, uſu ſuo non deſtituuntur. Autorem itaque ſcopum ſuum attigiſſe judicamus, dum libellum exhibuit, ad cujus normam Botanophili generum diſquiſitiones inſtituere poſſint.

## *MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INcrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.*

## *Voluminis V Pars II.*

Lipſiæ, in officina hæredum Lanckiſianorum, 1747, 8.
Plag. 13.

Scenam aperit G. G. N. *Diſſertatio de Elia, autore Epiſtolæ, ad Joramum datæ*, ad *2 Chron. XXI, 12. Eliæ Thisbitæ* in

 regno

regno Judææ nil fuit negotii. *Eliam* igitur alium Noſter circumſpexit, eumque in *Joele* ſeſe deprehendiſſe arbitratur. Binomines certe in Codice V. T. ſunt ſatis frequentes. Succedit ei B. *Joannis Chriſtiani Biel, Paſt. ad S. Ulr. & Jo. Brunſuic. Obſervatio ad verba Ezech. XVI, 8: Et expandi alam meam ſuper te.* Docet Autor, τῶν ἐν ἁγίοις, fœtus a vate divino inſtar matrimonii recens contracti deſcribi, ac loquendi formulas a ritibus nuptialibus fuiſſe deſumtas. Ebræi matrimonium ineundum jurejurando firmarunt haud ſecus ac Græci & Romani. Autori viſum ſimul illuſtrare *Theocritum*, & *Heſychium* emendare. Exponit locum *Jer. II, 2.* Voci כלירדת ſignificatum nuptiarum vindicat. Explicat ritum *explicandi alas in aliquam* de ducendi uxorem more, & illuſtrat locum *Ruth. III, 9.* Veſtes pro ſtragulis olim adhibitas eſſe, monet. *Euripidem* dilucidat. Senſum verborum *Ezechielis* ad pleniorem evehit intelligentiam, ac vim vocum de-
Pag. 219. finit. Excipit hanc *Diſſertatio Petri Zornii de* במות, *ſive Mauſoleis veterum Ebræorum, poſthuma.* Subeſt vocabulo במה ſignificatus loci editioris, ſive a natura, ſive arte, aggeſti, collem altitudine ſuperantis. Speciatim denotat id ipſum quoque Mauſoleum, ſeu ſumtuoſum aliquod ſepulcri monumentum. Significatus hic obvius eſt *Ezech. XLIII, 7*, ubi vituperatur ſitus mauſoleorum, quæ Reges Judæ poſteriores ſibi
223. condiderant. Mauſoleum Sebnæ deſcribitur *Eſ. XXII, 16.* Maccabæorum mauſolea ad urbem Modin eminuerunt. Meſſiæ mauſoleum indicatur *Eſ. LIII, 9.* Adduntur haud tralatitia de aliis Orientalium mauſoleis. Sequitur *Joannis Chri-*
240. 
*ſtophori Harenbergii Continuatio prima Supplementi in Hadriani Relandi Palæſtinam, ejusque Librum III de Urbibus & Vicis Palæſtinæ, & Palæſtinæ adjacentibus, complectens reliqua literæ* C, *ac literas* D. E. G. H. Habes hic, Lector, varia de locis *Cheleon*, *Chepha*, *Chepher*, *Cheres*, *Cheſchbon*, *Chetzron*, *Chetlon*, *Chit*, *Cſobah*, *Chola*, *Cholon*,
251. *Choronaim*, *Chorazin*, *Chorgidgad*, *Chuſah*, *Chuzibah*, *Kain*, *Kibroth Taavah*, *Kinnereth*, *Kiriathcheresch*, *Kiriathſanna*, *Kiriathſepher*, *Kithron*, *Klethårre*, *Con*, *Conſtantia*, *Corace*,

Digitized by Google

*rate*, *Cretha*, *Culon*, *Dabaritta*, *Dalmanutha*, *Damaſco*, *Dan*, *Daphnis*, *Daria*, *Daron*, *Deblatai*, *Dedan*, *Diblath*, ſeu *Diblataim*, *Dibon*, *Dinhaba*, *Diſabab*, *Dodan*, *Dophka*, *Dor*, *Dothan*, *Duma*, *Dura*, *Eboda*, *Ebron*, *Ecbatana*, *Eden*, *Edom*, Pag. 273.
*Eglathſchliſchijah*, *Elai*, *Elam*, *Elana*, *Eleale*, *Eleas*, *Eliſa*, *Ellaſar*, *Ecrebel*, *Elim*, *Elul*, *Emath*, *Emeſa*, *Enchatzor*, *Eneglaim*, *Engedi*, *Ephraim*, *Eſrach*, *Etam*, *Ethan*, *Ezeon-* 295.
*geber*, *Gabaa*, *Gabala*, *Gad*, *Gadara*, *Gadeiram*, *Gader*, *Galgala*, *Galilæa Harduini*, *Gallim*, *Gamala*, *Gath*, *Gath Rimmon*, *Gaza*, *Gazoro*, *Geba*, *Gephro*, *Gerara*, *Gilboe*, *Gob*, *Gojim*, *Gudgod*, *Goſan*, *Goſchen*, *Guba*, *Gypſaria*, *Habron*, *Hadra*, ſeu *Adra*, *Hadid*, *Hagarim*, *Ham*, *Hhanes*, *Hannegev*, *Hharah*, *Harar*, *Haſta*, *Hatita*, *Heliopoli*, *Heroonpoli*, *Hipha*, *Hor*, ubi de monte Hor Syriaco, ac terminis terræ, *Abrahamidis* promiſſæ, ſeptentrionalibus, fuſe diſſeritur. Hinc diſpicere licet *Chriſtoph. Aug. Heumanni Epiſtolam criticam ad V. C. Frid. Ottonem Menckenium de aliquot Ovidii & 328.
Valerii Maximi locis.* Examinat inibi *Valerii Maximi* locum *I, 5, VI, 8*, ac *Ovidii* elegos duos, Vir Celeberrimus. Suc- 330.
cedit *P. Cornelii Severi de Ætna Carmen antiquum, a præpoſteris Joannis Clerici conjecturis vindicatum ſtudio Frid. Ottonis Menckenii. Pars altera.* De *revolutis* æſtibus, de montibus diſcedentibus, de *curvo* æſtu, de *lentitie*, de *rapina*, pro *raptu* dicta, aliisque abſtruſioribus Latinæ linguæ receſſibus, ibi longe lateque, exemplis dilucide copioſeque aliunde adſcitis, diſputatur. Vocat nunc operam noſtram *de Satira Varroniana, ſeu Menippea, brevis Commentatio J. G. Hauptmanni, Haynenſis.* Autori viſum hic diſſerere de diverſis Satirarum ge- 358.
neribus, de *Varrone*, de *Menippo*, de ſatiræ *Varronianæ* natura & definitione, de nonnullis ejusmodi ſatirarum ſcriptoribus, tam antiquis, quam recentioribus, de regulis illarum & cautionibus, ac de earundem adverſus diſſentientes defenſione. *Varro*, eques Romanus, notitiam neminis fugit. Hic *Menippum* imitatus eſt, inter quinque alios eminentem, patria Gadarenſem, conditione ſervum, Cynicorum hæreſi ad- 362.
dictum. Eundem tramitem Satiræ inſtiterunt *Petronius*, *Seneca*,

Digitized by Google

*neca*, *Julianus* Imperator, *Juſtus Lipſius*, *Jo. Barclajus*, *Pe-*
Pag. 367. *trus Cunæus*, atque inter Gallos *Sarraſinus*. *Octavum* occupat locum *Jo. Boguslai Proſcebowski*, *Artium Baccalaurei*, *Notitia libri Græci*, *omnium primi in Polonia typis excuſi*. Sapere ipſi datum fuit ex Bibliotheca Illuſtriſſimæ gentis Poloniarum *Zaluſciana*, cujus merita & in Muſas ſtudium incomparabile merito prædicat. Bibliothecæ ejus curam habet Vir nobiliſſimus, *Joannes Daniel Janozkius*, A. 1746, 3 Id. Nov. publice magniſque ſolennitatibus inauguratæ. Primus omnium Cra-
369. coviæ Græcus liber prodiit A. 1537, 4, ſub titulo: *Oeconomicorum Ariſtotelis libri*, *Græcis & Latinis annotationibus ſuis locis illuſtrati*. Editor exſtitit *Georgius Libanius*, Lignicenſis, tunc Academiæ Cracovienſis doctor. Translatio Latina &
374. Liber ſecundus ſunt *Leonardi Aretini*. Ultimo loco comparet *Marci Velſeri*, *civis Auguſtani*, *ad Conradum Ritterſhuſium*, *JCtum Altorfinum*, *Epiſtola anecdota*. Hanc & aliarum *Velſeri* epiſtolarum, aliarumque, a doctis olim ad æque doctos ſcriptarum, earumque ineditarum, faſcem plenum & copioſum pro humanitate ſua cum *Menckenio* communicavit Cel. *Chriſt. Gottl. Schwarzius*, Altorfinum decus.

## *NOVA LITERARIA.*

Rem omnibus, qui elegantiora amant ſtudia, ſine dubio gratiſſimam ſignificamus, Lugduni Batavorum prelo *Haakiano* excudi *Jo. Guil. Hoffmanni*, elegantiſſimæ doctrinæ Viri, ſed immatura morte exſtincti, *Operum*, *ad illuſtrationem Juris Romani facientium*, ſparſim editorum olim, συναγωγήν, quo in Opere repetita hæc *Hoffmanni* ſcripta legentur: 1) *Commentarius ad Legem Juliam de adulteriis*; 2) *Meletemata ad Pandectas*; 3) *Hiſtoria Triumviratus*; 4) *Diſſ. ad Legem Oppiam de matronarum cultu*; 5) *Præfatio*, *Menagii Amœnitatibus Juris civilis præmiſſa*. Hæc, plaudentibus olim doctis ad unum omnibus edita, nemo non eorum, qui bonis literis ex animo ſunt deditii, hoc, quo diximus, modo ad ſeram poſteritatem tranſmitti, vehementer gaudebit.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Octobris Anno MDCCXLVII.*


*CORPUS JURIS CANONICI, GREGORII XIII, Pontif. Max. autoritate poſt emendationem abſolutam editum, in duos Tomos diviſum, & Appendice nova auctum; cum neceſſariis Indicibus. JUSTUS HENNINGIUS BOEHMER, JCtus, Potent. Regis Boruſſ. Conſ. int. Regim. Ducat. Magd. Cancellarius, Academ. Frideric. Director, ejusdemque Profeſſ. Juris primarius, illud recenſuit, cum Codicibus veteribus manuſcriptis, aliisque editionibus, contulit, variantes lectiones adiecit, & notis illuſtravit, præmiſſa Præfatione duplici.*

## *Tomi II.*

Halæ Magdeburgicæ, impenſis orphanotrophei, 1747, 4. Tom. I Alph. 3 plag. 18, Tom. II Alph. 5 plag. 21.

Quanta ſint Ill. *Bœhmeri*, Jureconſultorum huius ſeculi facile principis, in Jurisprudentiam eccleſiaſticam merita, non, niſi qui in hoc eruditionis genere ſunt hoſpites, ignorant. Ex quo enim tempore Vir Illuſtris nobiliſſimam hanc Juris partem ſibi familiarem reddere laboravit, duo potiſſimum adminicula neceſſario comparanda eſſe, ſi feliciter hoc in ſtadio progredi, & ultra vulgus ſapere, velimus, intellexit; Juris naturæ nempe & doctrinæ moralis peritiam, ac monumentorum eccleſiaſticorum ac-



Digitized by Google

curatam cognitionem. Jus naturæ enim generalia fundamenta ſuppeditat, quibus jus poſitivum qualecunque, & ſic etiam eccleſiaſticum, plura ſuperaddit, quæ ex illis illuminanda ac declaranda ſunt, eccleſiaſticorum vero monumentorum notitia origines inſtitutorum eccleſiaſticorum primas refert, faciem primitivæ eccleſiæ ex doctrina Chriſti, & uſu Apoſtolico, atque Apoſtolicorum ſucceſſorum, exhibet, mutationes corruptionesque pedetentim ingraveſcentes ſuggerit, cauſasque & artes callidas detegit, quibus factum, ut tandem, ſub infinitis licet contradictionibus, ſtatus eccleſiaſticus in hierarchiam & rempublicam ſacerdotalem degeneraverit, & a priſca ſimplicitate prorſus cum ſumma rei publicæ jactura receſſerit, ſpurias denique rationes monſtrat, quibus cauſam ſuam excuſare ſolent diſſentientes. Hiſce igitur ſubſidiis cum diligentiſſime utendum eſſe Ill. *Bœhmerus* intelligeret, quantum quidem ad Juris naturæ diſciplinam attinet, inprimis ipſi in deliciis fuit libellus *Puffendorfii* præſtantiſſimus, *de habitu Chriſtianæ religionis ad vitam civilem*, cujus Autor primus inter JCtos ex principiis rectæ rationis docuit, qualem ſtatum eccleſiæ in republica teneant, & quæ rei publicæ jura, circa religionem, maxime Chriſtianam, tribuenda ſint. Antiquitates eccleſiaſticas vero ſimul diligentiſſime inveſtigans, fontes ipſos coævosque ſcriptores ſingulorum Seculorum conſuluit, &, quæ ad inſtitutum facere videbantur, cum cura ſelegit. Adjumento etiam fuerunt libri eruditiſſimorum quorundam ſcriptorum, maxime Gallorum, qui jam antea variis occaſionibus jura eccleſiaſtica ex veteribus monumentis illuſtraverant. Primum inter hos locum Ill. *Bœhmerus* tribuit *Petro de Marca* in Diſſertationibus egregiis *de Concordia ſacerdotii et imperii*, ſeu *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, in quibus Præſul eruditiſſimus primario quidem cauſam Eccleſiæ Gallicanæ contra inſultus curiæ Romanæ egit, ſed præterea etiam infinita jura eccleſiaſtica ex genuinis fontibus eruit, varias, doctrina limatiore refertas, obſervationes edidit, viamque monſtravit, qua illis eundum eſt, qui ad maiora hoc in campo tendunt. Cum autem rarius paulo in Germaniæ Bibliothecis tam elegans liber depre-

Digitized by Google

deprehenderetur, illum typis repetendum anno hujus Seculi octavo Ill. *Bœhmerus* curavit. Communicavit conſilium cum *Stephano Baluzio*, qui literis reſponſoriis, 17 Cal. Jan. A. 1707 ad eum datis, illud humaniſſime probavit, et quædam addenda transmiſit, quæ etiam novæ editioni Lipſienſi *pag.* 1261 adjecta ſunt. Poſt triginta annos a prima editione iſtius operis, quæ A. 1641 lucem adſpexit, pleniori lumine ex intima antiquitate inſtituta eccleſiaſtica illuſtravit *Ludovicus Thomaſſinus*, Oratorii Gallicani Presbyter, in libro, qui inſcribitur: *Vetus & nova Eccleſiæ diſciplina circa beneficia & beneficiarios*, qui liber, Gallico primum ſermone compoſitus, bis typis exſcriptus eſt, Latino poſtea ſermone, ut votis plurimorum ſatisfieret, donatus, quæ Latina libri editio a Gallicanis in eo differt, quod ſingula argumenta, per diverſas quidem ætates, ſed continuata ſerie, quod in Gallicanis prioribus obſervatum non erat, excuſſerit, & ad hodiernum eccleſiæ ſtatum perduxerit. Similem operam Juri Eccleſiaſtico circa finem Seculi præcedentis impendit *Zegerus Bernardus van Eſpen*, Profeſſor in Academia Lovanienſi celeberrimus, vir meliore fortuna dignus. Is nimirum *univerſum Jus Eccleſiaſticum, hodiernæ diſciplinæ, præſertim Belgii, Galliæ, Germaniæ, & vicinarum provinciarum, accommodatum*, compoſuit, Coloniæ Agrippinæ anno hujus Seculi ſecundo recuſum. Horum triumvirorum nova, & a communi plane recedens, ratio Ill. *Bœhmeri* mentem ad Canonum, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ſtudium traxit, cum, horum exemplo, & propria experientia, doctus, perſpiceret, ſine hoc præſidio nec *Gratiani* compilationem intelligi, nec decretales Pontificum explicari, poſſe. Et, cum hæ utplurimum ſe referant ad illam, quæ tamen ſine ullo diſcrimine temporum & delectu congeſta eſt, non aliam medicinam, jura hæc in ordinem redigendi, vidit, quam ſi ipſorum Conciliorum Canones ſecundum ætatis ſeriem æſtimarentur, iidem cum antiquioribus conferrentur, eorum cauſæ, occaſiones, atque hiſtoria, diligenter inveſtigarentur, ſi quid in eis mutatum, vel temporum injuria, aut deſcribentium negligentia, corruptum, appareret, id



Digitized by Google

annotaretur, atque hac ratione cujuscunque inſtituti eccleſiaſtici ſtatus antiquus & viciſſitudines uſque ad noſtra tempora deducerentur. Hoc modo præparatus Ill. *Bœhmerus*, ad enucleandas Pontificum decretales ſe accinxit, atque jam A. 1714 *Tomum primum* ad Libros duos priores publicavit, decretalium deciſiones cum proteſtantium Eccleſiarum principiis conferens, atque oſtendens, longe cautius in earum applicatione procedendum eſſe, quam JCti plerique, nimium Juris Canonici ſententiis inèſcati, antea feciſſe conſueverunt. Crevit labor ſub manibus, & rerum dignitas effecit, ut tribus ſequentibus Libris exponendis plus temporis & laboris impenderet, & majori ornatu atque ſtudio eos expoliret, unde factum eſt, ut demum A. 1737 univerſo operi coronidem imponeret. Hoc autem labore ſuperato, Inſtitutiones Juris Canonici conſcripſit, ut auditores, aliena prius eſca lactatos, proprio cibo paſceret. In his interim nondum ſubſtitit Ill. *Bœhmeri* diligentia, verum de nova etiam Corporis Juris Canonici editione, in qua variantis, inprimisque ſinceræ, lectionis ratio haberetur, adornanda, ſenectute quantumvis ingraveſcente, ſerio cogitavit. Rectiſſime enim ſecum conſtituit, in Academiis de librorum, ex quibus ipſæ leges, tanquam Jurisprudentiæ principia, hauriuntur, majori copia cogitandum eſſe. Hæc ratio ad novam hanc editionem adornandam Ill. Editorem potiſſimum impulit, quo in labore quid ab eo præſtitum ſit, antequam enarremus, de Diſſertatione præliminari, Decreto præmiſſa, ubi varia Decreti *Gratiani* fortuna exponitur, dicendum eſt. *Gratianum* ex Etruſca civitate Cluſio oriundum fuiſſe, ex inſcriptione ſepulcrali, in ejus honorem confecta, & a *Mabillonio* in *Itinerario Italico* edita, Ill. Editor comprobat. Eum circa medium Seculi duodecimi floruiſſe, ex *Tritbemio*, & *Annalibus Benedictinis Gabrielis Buccellini*, oſtendit. Fabulam de *Petro Lombardo* & *Petro Comeſtore*, partu adulterino una cum noſtro editis, quam aliquis *Antoninus*, Florentinus Epiſcopus, in *Chronico* primus protulit, erudite convellit, *Pagium*, in *Critica ad Annales Baronii* conſentientem, adducens. *Gratianum* opus ſuum ſuaſu

*Bernhardi*,

*Bernhardi*, Abbatis Claraevallenſis, compilaſſe, obſervat. In monaſterio Bononienſi S. *Felicis* hoc factum eſſe, ex inſcriptione, a *Mabillonio* in libro ſupra citato edita, docet. Coeptum ab eo hunc laborem eo tempore, quo ſtudium Juris civilis ad ſcholam Bononienſem translatum eſt, adeoque A. 1138, probabile videtur, A. 1151 vero ad finem opus perductum eſſe, *Calendarium Archigymnaſii Bononienſis* antiquiſſimum indicat. Ante eum jam a quodam *Omnibono Concordiam diſcordantium Canonum* compoſitam, ejusque veſtigia *Gratianum* ſecutum eſſe, *Albericus* in *Chronico* narravit, quam tamen narrationem nullo fundamento niti, adeoque ad fabulas relegandam eſſe, Ill. Editor fuſe demonſtrat. Pro certo potius habet, *Gratianum* hoc opus proprio Marte compoſuiſſe, quamvis ex aliorum collectionibus ſua hauſerit, atque in novam formam converterit. Ægre fortaſſis ferebat, Juri civili operam dari, in Jure autem Eccleſiaſtico deeſſe collectionem, quae aequale pretium cum Corpore Juris civilis haberet, cujus auxilio ad Juris Eccleſiaſtici notitiam ſtudioſi Bononienſes deduci poſſent. Tractabatur tunc temporis Bononiae praeter elegantiores literas tantum Jus civile, cum ea urbs Caeſarei juris eſſet. Moleſtum vero *Gratiano* fuit, deeſſe ſtudioſis librum, ex quo jura eccleſiaſtica addiſcere poſſent, unde ſine dubio conſilium de nova collectione, & quidem tali, conficienda, quae in ſchola Bononienſi autoritate Pontificis publice explicaretur, ſuſcepit. Adfuiſſe quidem jam eo tempore collectiones Canonum atque Epiſtolarum decretalium, Ill. Editor obſervat, earumque varias recenſet. Cum autem illae vel Pontificis cauſae tantum inſervirent, uti v. c. *Anſelmi*, *Lucenſis Epiſcopi*, *Collectio Canonum* omnis in eo eſt, ut *Gregorii VII* cauſam, a cujus partibus ſtetit, contra Imperatorem & *Guibertum* Antipapam ageret, quaedam vero particulares duntaxat Canonum collectiones exhiberent, ſolis Bibliothecis, non uſui ſcholaſtico, inſervientes, nihil denique praeter nudam compilationem Canonum, atque monumentorum eccleſiaſticorum continerent; tale ſuſcepit & exaedificavit ſyſtema *Gratianus*, in quo methodo ſcholaſtica, tum uſitata, propoſi- Pag. 10.



Digitized by Google

tiones quaſdam inſtar principiorum præmitteret, ſingulas ex Canonibus, Pontificum decretis, Patrum ſcriptis, imo & legum conſenſu, comprobaret, ſimulque doceret, qua ratione diſcordantes Canones in concordiam reduci poſſent, id quod ejus inſtitutum exemplis, e Decreto allatis, comprobat Ill. Edi-
Pag. 12. tor. Opus hac ratione perfectum Academiæ Bononienſi obtulit *Gratianus*, ut illud examinaret, corrigeret, & poſtea *Eugenio III* offerret, idque, hujus autoritate & indultu confirmatum, Bononiæ doceretur. Quia enim, examen libri, qui Jus Canonicum nova methodo tractabat, ad Pontificem ſpectare, & præterea, facultatem, publice in ſcholis hanc ſyſtematis partem tradendi, ab eadem ſede impetrandam eſſe, arbitrabatur, de ejus potiſſimum approbatione fuit ſollicitus. Annuit deſideriis *Gratiani* Acad[illegible] cujus nomine Cancellarius Academicus hoc negotium in ſe ſuſcepit, atque hanc approbationem A. 1152 obtinuit. Multi quidem hac de re dubitarunt, ideo, quod reſcriptum *Eugenii III* deſit; verum Ill. Editor, cum prius obſervaſſet, per hanc Pontificis approbationem neutiquam uſum forenſem, ſed tantum ſcholaſticum, opus hoc accepiſſe, eam rem ex *Alexandro Machiavello* in *Commentario ad Sigonii Hiſtoriam Bononienſem*, quam *Tomo tertio* Operum *Sigonii* inſeruit *Philippus Argelatus*, comprobatam eſſe, docet. Ut autem felicius opus cœptum procederet, tres honorum Academicorum gradus Juris Canonici cultoribus præſtituit Pontifex, ut ejusmodi præmiis ad hoc Jus eo alacrius tractandum juvenes allicerentur, id quod ex Calendario Bononienſi
14. Ill. Editor oſtendit. Duo Juris hujus interpretes, *Gratianus* videlicet ipſe, & *M. Raynerius Bellapecora*, A. 1152 conſtituti ſunt, quamvis eam provinciam *Gratianus*, A. 1158 mortuus, non diu adminiſtraverit. Qui igitur in Decreto *Gratiani* promoti erant, *Magiſtri Decretorum*, nec non *Decretiſtæ*, vocati ſunt, oppoſiti *Legiſtis*, in Jure Romano promotis, tantaque jam Seculo duodecimo eorum fuit autoritas, ut *Fridericus I* Decretiſtas, una cum Legiſtis, in ſuo comitatu habuerit, eosque in gravioribus cauſis in conſilium adhibuerit, uti ex *Arnoldi Lubecenſis Chronico Slavico Lib. III Cap. 10 n. 6* Ill.

Editor

Editor oſtendit. Parem ergo ab eo tempore & æqualem habuit Decretum cum Jure civili autoritatem, aliis Canonum compilationibus negatam, indeque effectum eſt, ut gloſſæ paſſim ad illud conſcriberentur, ſummo omnium applauſu exceptæ. Inter primos Gloſſatores Ill. Editor ipſum *Gratianum* & *Raynerium Bellapecoram*, a *Guidone Pancirollo* in libro *de claris Legum interpretibus* omiſſos, collocat, quamvis, eos Decretum, infinitis jam erroribus ſcatens, obſcuraſſe magis, quam illuſtraſſe, neutiquam diffiteatur. Graviores cauſæ tam Romæ in *Rota*, quam alibi, ex Decreto deciſæ ſunt, id quod variis exemplis Ill. Editor illuſtrat. Appendices variæ, palearum nomine venientes, Decreto mox adſtruebantur. In aliis etiam Academiis maximam Decretum nanciſcebatur autoritatem, ſpuria tamen principia, ex ſpuriis fontibus, *Iſidori* nimirum *Mercatoris* collectione, hauſta, per hoc ipſum Decretum ſimul introducta ſunt. Laudandum eſſe *Gratianum*, quod Pſeudo-*Iſidorianas* merces Decreto ſuo inſeruerit, eumque, eas decretales adulterinas eſſe, optime noviſſe, nonnulli ſtatuerunt. At vero, utrumque oppido falſum eſſe, invictis argumentis Ill. Editor demonſtravit. Stetit Decreti hujus autoritas uſque ad medium Seculi decimi quinti inconcuſſa, uſque dum aliquis Epiſcopus & Cardinalis, *Joannes a Turrecremata* dictus, Ordinis Prædicatorum ſodalis, exemplo *Antonii Mincuccii*, qui Jus feudale in meliorem ordinem redigere ſtuduit, incitatus, ſe ad Decretum *Gratiani* corrigendum accingeret. Cum vero *Gratianus* tam in forma, ſeu ordine connectendi, quam etiam in materia, ſeu in ipſis Canonibus, decretis Pontificum, aliisque, quæ huc pertinent, digerendis, peccaſſet, laudatus *Jo. a Turrecremata* tantum de forma & methodo meliore ſollicitus fuit, atque curavit, ut, toto opere diſſoluto, in meliorem ordinem collectanea & ſententiæ *Gratiani* reducerentur, atque ad methodum, in decretalibus obſervatam, componerentur. Libros igitur quinque retinuit, licet nihilo ſecius in aliis a methodo *Raymundi de Pennaforte* receſſerit. Quamvis ergo nova hæc Decreti ordinatio Pontificibus mirifice placuerit,

Pag. 17.

22.

cuerit, diſplicuit tamen Canoniſtis, veteri methodo & gloſſis in Decretum adeo aſſuetis, ut ſe ab illis retrahi non paterentur. Manſit ergo deforme Decretum in priſtino ſtatu, atque nova ejus ordinatio in tenebris diu delituit, uſque dum juſſu *Benedicti XIII*, atque cura *Juſti Fontanini*, anno hujus Seculi viceſimo ſeptimo, Romæ ex Codice manuſcripto primum evulgaretur, quo quidem libro ſe ſummo cum fructu in hac editione adornanda uſum eſſe, Ill. Editor profitetur. De correctione deinceps Decreti, ſub auſpiciis trium Pontificum, *Pii IV*, *V*, atque *Gregorii XIII*, ab eruditiſſimis triginta quinque viris inſtituta, fuſe diſputat, nomina correctorum, ex Præfatione *Juſti Fontanini*, Decreto *Gratiani*, a *Turrecremata* noviter ordinato, præmiſſa, recenſet, eosque correctores neutiquam omnes nævos ex Decreto eliminaſſe, imo totum eos *Gratianum* ita immutaſſe, ut, quæ hodie in Decreto comparent, non omnia *Gratiani* ſint, obſervat. Quamvis etiam *Gregorius XIII* ſub excommunicationis pœna omnem in poſterum Decreti emendationem penitus prohibuerit; hoc tamen non obſtante, *Petrus* & *Franciſcus Pithœi*, Corporis Juris Canonici novam editionem, in qua ætas potiſſimum ſingulorum textuum ſtudioſe notata eſt, adornarunt, a quorum tamen ſententia nonnunquam Ill. Editor receſſit. Per correctionem iſtam Decretum *Gratiani* vim & autoritatem lega-
Pag. 30. lem per indirectum accepiſſe, fuſe demonſtrat. Hunc etiam Decreti uſum doctrinalem tantum exiſtimationis pondus Decreto attuliſſe, Ill. Editor docet, ut eruditi, qui acta & Canones Conciliorum, nec non Capitularia Regum Francorum, collegerunt, aut Patrum ſcripta de novo ediderunt, in margine locos notaverint, qui in Decreto ex illis deſumti ſunt, ut cuivis, fontes ipſos evolventi, quænam capita exinde hauſta in Decreto ſint, appareat. Hæc denique autoritas eos, qui in cauſa religionis inter ſe diſſentiunt, induxit, ut ad illud in controverſiis, tanquam ad validiſſimum cauſæ præſidium, recurrerent, illudque in partes ſuas traherent, majori fundamento ſe ſubnixos eſſe credentes, ſi autore *Gratiano* quædam afferre poſſent. Cum autem, reformatione religionis

ſubſecuta,

ſubſecuta, quamplurima argumenta pro cauſa proteſtantium ex Decreto peterent eruditi, magno numero ab Ill. Editore Pag. 32. citati, ab eo tempore magis de deſtruenda, quam augenda, Decreti autoritate, quantumvis fruſtra, cogitatum eſt. Utilitatem, ex *Gratiani* Decreto hauriendam, Ill. Editor fuſe ediſſerit. Ex quibus dictis facile eſt ad intelligendum, quantum ipſi orbis literatus debeat, quod Corporis Juris Canonici novam editionem parare, illudque accuratius de novo ſiſtere, ſecum conſtituerit. Conferri autem hoc Juris Corpus curavit cum quatuor Codicibus manuſcriptis optimæ notæ, eumque laborem perficiendum filio eruditiſſimo, *Georgio Ludovico Bœhmero*, Anteceſſori hodie in Academia Gottingenſi meritiſſimo, paternarum virtutum imitatori feliciſſimo, commiſit, qui, cum adhuc in convictu paterno eſſet, ante abitum in Gottingenſem Academiam hanc collationem cum ſociis, ſibi adjunctis, ad finem perduxit, atque variantes lectiones Ill. Parenti exhibuit. Apparuit exinde, *Gratianum* per correctores Romanos plane alium factum eſſe, quam Codices in ſtatu ſuo primævo ſiſtunt, a quo correctum Decretum magnopere receſſit. Diligentiſſime igitur notavit Ill. Editor, quid a correctoribus ſit additum, atque emendatum, ut differentia inter Decretum antiquum & correctum exinde appareret. Sæpe lectiones meliores in Codicibus manuſcriptis deprehendit, quæ ſaniorem etiam ſenſum efficiunt, uti inprimis in *Can. Redintegrando 3, C. III, Qu. 1*, optimo exemplo docuit, & hoc remedio antiquum aliquem & inveteratum errorem exploſit. In nominibus propriis tamen, & locorum deſignationibus, antiquos Codices utplurimum corruptos eſſe, non diffitetur, eorumque ideo integritatem ex geographicis & hiſtoricis monumentis curioſe reſtituit. Uſus eſt autem Ill. Editor Codicibus manuſcriptis tribus, quos Bibliotheca Regia Berolinenſis aſſervat, de quibus omnibus accuratam ſuppeditat notitiam. Quarti Codicis copiam ipſi fecit Vir illuſtris, *Jo. Petr. a Ludewig*, qui eum in Bibliotheca, quam collegit, inſtructiſſima 38. aſſervavit. Quinti Codicis loco ipſi fuit Decretum, a *Turrecremata*, prout vidimus, nova methodo digeſtum, quod etiam

 diligen-

Digitized by Google

diligenter cum Decreto, a correctoribus Romanis emendato, contulit, cum nullum ſit dubium, Eminentiſſimum Purpuratum meliorem Codicem adhibuiſſe. Non autem duntaxat lectionum variantium rationem habuit, ſed, quod præcipuum erat, ad chronologiam & ætatem ſingulorum textuum diligenter reſpexit, quæ res cum laboris pleniſſima ſit, & ab Ill. Editore ſolo peragi non potuerit, ſocium ſibi aſſumſit V. C. *Fridericum Sigismundum Witzlerum*, Querfurtenſem, qui, per XII annos in Academia Halenſi moratus, in antiquitatibus & Juris ſcientia egregie profecit. Quotidie is per unam vel duas horas in ædibus *Bœhmerianis* huic temporum annotationi operam dedit; acta Conciliorum ex editione *Harduini* evolvit, Tomos & paginas ex ea ad ſingulos textus notavit, eaque annotata ad Ill. Editorem detulit, ulterius examinanda. Secutus quidem is hoc in negotio inprimis eſt *fratres Pithœos*, & *Juſtum Fontaninum* in *editione Decreti, a Turrecremata ordinati;* ſæpiſſime tamen ab illis receſſit, ſimulque rationem diſſenſus utplurimum ſuppeditavit. Præterea locorum quoque rationem habuit, cum manifeſtum ſit, varios mores, variamque diſciplinam, pro diverſitate locorum fuiſſe, adeo ut ex circumſtantia loci genuinus ſæpe Capituli ſenſus erui poſſit. Obſervationes denique iis textibus adjecit, quæ absque hiſtoriæ luminibus explicari nequeunt. Cum ſatis ſuperque conſtet, non omnia eſſe *Gratiani*, quæ hodie in editione Romana correcta deprehenduntur, illudque data opera commonſtrarit *Diomedes Brava, Patricius Tranenſis*, in *Diſquiſitione critica de interpolatione Gratiani*, Bononiæ A. 1694 edita, illud quidem ſcriptum, cum in pauciſſimorum manibus ſit, integrum hic Ill. Editor appoſuit. Secundæ parti Corporis Juris Canonici Diſſertationem præliminarem, *de decretalium Pontificum Romanorum variis collectionibus & fortuna*, idem præmiſit. Exponit primo, quid Epiſtolæ Pontificum olim continuerint. Conſulti nimirum de quæſtionibus diſciplinæ eccleſiaſticæ dubiis, ſententiam edebant, & ita rogati more JCtorum decernebant. Decreta quidem olim ſignificaſſe ea, quæ, cauſa cognita, a Prætoribus aliisque magiſtratibus pronuntiabantur,

Pag. 42 ſeq.

bantur, &, quicquid ex Decreto ſtatutum erat, id *decretale* dictum eſſe, Ill. Editor ex variis Juris civilis textibus comprobat. Epiſtolas Pontificum etiam *decreta* dicta fuiſſe, ex teſtimonio *Dionyſii Exigui* evincit. In ſenſu tamen longe diverſo eas ita dici, quia Pontifices in cauſa controverſa non dicebant ſententiam, ſed conſulentibus reſpondebant, obſervat. Cum ſedis Romanæ maxima antiquitus fuerit autoritas in Occidente, frequentiſſimæ ad eam factæ ſunt ab aliis Eccleſiis, de dubiis juris articulis, relationes, de quibus ſententiam in reſponſoriis literis ediderunt, quæ diligenter in archivo Eccleſiæ Romanæ, ſeu *regeſtis*, aſſervatæ ſunt. *Regeſta* enim, ſeu *regiſtra*, medio ævo vocata eſſe ſcrinia, quæ chartas publicas & reſcripta cuſtodiebant, Ill. Editor obſervat. Quamvis autem ab initio iſtæ decretales vim legis neutiquam haberent; earum tamen autoritas, poſteaquam colligi, & Codici Canonum adjici, cœperunt, major pedetentim exſtitit. Conſtituerunt nimirum Epiſcopi Romani Seculo quarto, Romanæ Eccleſiæ morem ab omnibus in Occidente Eccleſiis obſervandum eſſe. Ex hoc principio collegerunt ulterius, in caſibus dubiis Eccleſiam Romanam neceſſario conſulendam eſſe. Hoc ipſo factum eſt, ut relationes ad curiam Romanam creſcerent, & inde decretalium copia indies augeretur. Quamvis vero, primam earum collectionem ſub *Leone* factam fuiſſe, *P. de Marca* exiſtimet, ab eo tamen Viri Celeberrimi, ab Ill. Editore citati, diſſenſerunt. Calculum ſuum Pag. 3.
eorum ſententiæ is adjecit, *Dionyſio Exiguo* gloriam primæ collectionis decretalium tribuit, deque *Dionyſio* illo, ejusque compilatione, accurate & erudite diſputavit. Collectionem *Dionyſii* ſucceſſu temporis auctam fuiſſe ex ſubſequentium Ponti- 4 ſeq.
ficum, qui poſt *Anaſtaſium* vixerunt, *Hilarii* nempe uſque ad *Gregorium II*, epiſtolis, eamque ſecundam decretalium collectionem dicendam eſſe, & codici *Dionyſiano* mox videri adjectam, Ill. Editor contendit, *Juſtellum* conſentientem ad- 10.
ducens. Seculo ſexto in Hiſpania codicem Canonum exſtitiſſe, autoritate legali præditum, eique decretales Pontificum adjectas videri, ex actis Concilii Bracarenſis I, A. 561. habiti,



Digitized by Google

comprobat. Codicem illum, per varios Conciliorum Canones, in Hiſpania conditos, & epiſtolas *Gregorii M.* auctum fuiſſe, tandemque poſt annum 589 eidem ab Epiſcopo quodam Hiſpano Præfationem præmiſſam, Ill. Editor egregiis argumentis oſtendit. Ex hac majori collectione conflatum poſtea eſt compendium, vel breviarium, Canonum & Epiſtolarum Papalium, nova methodo compilatum, in quo argumenta ſpecialia, in certos titulos digeſta, interque ſe connexa, deprehenduntur. Integrum videlicet compendium in decem Libros diviſum eſſe, Ill. Editor nos docet, argumenta etiam, in ſingulis Libris pertractata, ſecundum Librorum ſeriem apponit. Singuli Libri in titulos ſubdiviſi ſunt, in quos epitome Canonum, vel Epiſtolarum, Pontificum Romanorum, argumentum tituli ſpeciale illuſtrantium, relata eſt. Primus iſte compilator nova arte, & quodammodo ordinatius, jura eccleſiaſtica collegit, eumque poſtea *Regino* cum aliis uſque ad *Gratianum* ſecutus eſt. Primus hanc epitomen Canonum edidit Cardinalis *Aguirrius Tomo III Collectionis Conciliorum Hiſpaniæ*, *Cajetanus Cennius* vero illam poſtea *Antiquitatibus Eccleſiæ Hiſpanæ* præmiſit. Quamvis autem hic, *Iſidorum Hiſpalenſem* ejus compendii autorem fuiſſe, ſtatuat, contra tamen ſentit Ill. Editor, &, Autorem circa finem Seculi VII, ſeu poſt Concilium Toletanum XVI, vixiſſe, adeoque, ſi *Iſidoro* adſcribendum ſit, hoc de *Iſidoro Seſabitano* capiendum eſſe,

Pag. 13. contendit. Seculo octavo, & quidem poſt annum 780, primum falſas & confictas Pontificum epiſtolas effingi cœpiſſe, earumque jam collectionem exſtitiſſe, Ill. Editor conjicit. Poſſediſſe eam collectionem jam videtur *Ingelramnus*, Metenſis Epiſcopus, quando A. 785 octoginta capitula, cauſam ſuam peroraturus, *Hadriano* Pontifici obtulit. Ea etenim capitula, quæ *Harduinus Tomo tertio Conciliorum* inſeruit, maximam partem ex ſpuriis Pontificum epiſtolis conſarcinata eſſe, a *Cointio* in *Annal. Eccl. Franc. Tom. VI ad annum 785 n. 17* jam oſtenſum eſt. Seculo tamen nono magis illa collectio innotuit, prout ex *Hincmari Rhemenſis* loco, ab Ill. Editore citato, intelligitur. Collectionis iſtius ſpuriæ compilator *Iſi-*

*dori*

*dori Peccatoris* nomen mentitur; hoc enim cognomine *Iſidorus Hiſpalenſis* pœnitentiæ quotidianæ ergo, more monaſtico, uſus eſt, unde librariorum negligentia illud cognomen in vocem *Mercatoris* perperam transformaſſe dicenda eſt. Hiſpanum fuiſſe hunc impoſtorem, Ill. Editor, allatis argumentis variis, comprobare ſatagit, quæ an ſatis valida ſint, & an non potius a Germano, aut Gallo, iſtæ merces adulterinæ fuerint profectæ, uti quidem *Blondellus* cenſuit, eruditus lector judicet. *Benedictum* interim *Levitam* has epiſtolas neutiquam confinxiſſe, contra *Blondellum* evidentiſſime commonſtrat. Collectio hæc, tot ſuppoſititiis Pontificum epiſtolis contaminata, eo tempore conflata eſt, quo de judiciis eccleſiaſticis inter curiam Romanam & Epiſcopos provinciarum, ſub metropolitanis ſuis conſtitutos, lites jam dudum interceſſerant. Et eam dubio procul ob cauſam compilata eſt, ut jus inde certum, & extra controverſiam poſitum, erui in poſterum poſſet, & curia Romana haberet, unde cauſam ſuam inſtrueret, cum præſertim decretalium tanta eſſet eo tempore autoritas, ut parem vim cum Canonibus haberent. Galliæ ſacerdotes ſupremos, inque illis *Hincmarum*, mendacia hæc Pſeudo-*Iſidoriana* quodammodo in dubium vocaſſe, Ill. Editor obſervat, nihilo minus tamen, ea in tenebris eorum temporum, quibus publicata, facile ſpeciem veritatis induiſſe, ideoque *Ingelramnum* & *Benedictum Levitam*, imo ipſos Galliæ præſules, ex hac collectione plura in uſus ſuos rranſtuliſſe, obſervat, autoritatis Pag. 18.
quoque eorum incrementum, usque ad ea tempora, quando Centuriatores Magdeburgici fraudem eruditis detexerunt, recenſet. Cum ſtudioſi Bononienſes in addiſcendo Jure civili ac Decreto diligentiſſime deſudarent, ingentes exinde in foro lites exſtitiſſe, has vero infinitas provocationes ad curiam Romanam peperiſſe, Ill. Editor obſervat. Nimirum jam cir- 21.
ca Seculi quarti finem id egerunt Pontifices Romani, ut neceſſitatem, in quæſtionibus Juris eccleſiaſtici dubiis ad ſedem Romanam relationem faciendi, eamque ſuper his conſulendi, omnibus Epiſcopis in Occidente imponerent, atque controverſiarum deciſiones avthenticas ſibi aſſererent. Inde decre-



Digitized by Google

tales, in eccleſiaſticis ad relationes Epiſcoporum factæ, ma-
gnum in decidendis litibus obtinuerunt pondus, pauciori ta-
men numero per plurima ſecula in quibuscunque collectio-
nibus apparentes. Seculo autem duodecimo *Gratianus* ube-
riorem earum numerum in ſcenam produxit, imo eo tem-
pore de cauſis civilibus etiam pronuntiare cœperunt Ponti-
fices, id quod ex *Cap. 5 X de Cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Ill.
Pag. 22. Editor comprobat. Ab eo tempore ingens decretalium mul-
titudo prodiit, cum præſertim ex patrimonio *Petri* Romam
frequentiſſime deferrentur tum relationes, tum provocatio-
nes, in rota Romana decidendæ. Ex his deciſionibus rotali-
bus, quarum in foro magna autoritas fuit, decretales ſunt
compoſitæ, cumque deciſionibus illis abundare forum inci-
peret, novæ collectiones earum componi cœperunt. Decre-
tales autem more antiquo iſtæ deciſiones dictæ ſunt, quod in
formam literarum, ſeu reſcriptorum, redactæ, ad judices dele-
gatos utplurimum transmiſſæ, vel ad præcedentes relationes
compoſitæ fuerint. Exinde tandem alteram partem Juris Ca-
nonici natales ſuos accepiſſe, Ill. Editor monet. Ob tantam
igitur decretalium multitudinem privata pariter ac publica
autoritate quædam earum collectiones confectæ ſunt, ut opus
*Gratiani* exinde ſuppleretur, ipſæ vero decretales in uſum fo-
renſem eo promtius & facilius deduci poſſent. Primam ea-
rum collectionem Ill. Editor eam vocat, quæ in *Urbano III*
deſinit, cum ante *Bernhardi Circæ* compilationem, quæ vul-
go pro prima inter quinque antiquas haberi ſolet, compoſita
ipſi videatur. Cumque ex hac collectione quamplurima
*Bernhardus Papienſis*, & *Raymundus* in ſuas decretalium com-
pilationes traxerint, atque inde nonnunquam hæ ſuppleri at-
que emendari queant, eam ex Codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ
Haſſo-Caſſellanæ in Appendice decretalium *N. 2* Ill. Editor
186. primus evulgavit. Altera decretalium compilatio, ſub titulo
*Appendicis* ad Concilium Lateranenſe III, apud *Harduinum T.*
*VI Concil. P. II pag. 1694* comparet. Re vera tamen eam non
eſſe appendicem ad Concilium Lateranenſe III, ſed principa-
lem collectionem decretalium *Alexandri III*, Ill. Editor nos
docet.

docet. Tertium locum *Bernhardi Circæ* collectioni tribuit, atque de reliquis etiam compilationibus, ab *Antonio Auguſtino* atque *Innocentio Cironio* editis, admodum fuſe diſputat. Cum autem non omnes iſtæ collectiones publica autoritate compilatæ eſſent, imo variæ decretales adhuc extra illas vagarentur, ita, ut de fide earum non ſatis certo conſtaret, atque maxima juris incertitudo exinde gigneretur; medelam huic malo adhibere ſtuduit *Gregorius IX*, vir Juris Eccleſiaſtici peritiſſimus, & in Archigymnaſio Bononienſi publicus quondam Decreti interpres, qui, novam decretalium collectionem, ex prioribus conſarcinatam, componi, eique novas, quæ prodierant, decretales addi, curavit. Sine dubio *Juſtinianum* hac in re ſecutus eſt Pontifex, qui ex Codicibus *Hermogeniano*, *Gregoriano*, & *Theodoſiano*, *Juſtinianeum* ſuum Codicem, adjectis conſtitutionibus, a ſe noviter editis, compilavit. Usque adeo autem ad ejus exemplum ſe compoſuit *Gregorius*, ut non integras decretales ex more præcedentium compilatorum ſiſteret, ſed tantum præcipua earum capita, vel etiam deciſiones duntaxat, ibi contentas, referret, atque ad ſtatum ſui temporis accommodaret. Inde vero novas difficultates interpretibus creatas eſſe, ab illis demum ſuperandas, qui integras decretales evolvere norunt, Ill. Editor graviſſime judicat. Laudat eo nomine *Antonium Contium*, qui, in editione decretalium, A. 1570, adeoque ante correctionem Romanam, Antwerpiæ adornata, ea, quæ in decretalibus omiſſa erant, textui ſubjecit, & ſenſum evidentiorem hoc pacto reddidit, quæ additiones adeo eruditis placuerunt, ut poſtea conſtanter editionibus decretalium novis, diverſo quanquam charactere, inſeri conſueverint, non obſtante editione Romana, ſub *Gregorio III* publicata, in qua quidem omiſſæ ſunt. Uſus autem eſt *Gregorius IX* opera *Raymundi de Penna-Forte*, vel *Penia Fort*, uti in Bulla *Clementis VII*, qua catalogo Sanctorum inſcriptus eſt *Raymundus*, vocatur. Fuit is Ordinis Prædicatorum ſocius, Capellanus, ſeu cauſarum palatii Apoſtolici auditor & pœnitentiarius, qui A. 1234 hunc laborem abſolvit, a Pontifice confirmandum. Reſcriptum

*Gregorii*

Pag. 24.
28.

Digitized by Google

*Gregorii IX*, ad Academiam Bononienſem miſſum, totum hic
Pag. 29. exhibuit Ill. Editor. Præter hanc vero *Raymundi* collectio-
nem, duas adhuc alias recentiores exſtare, de quibus vulgo
ſilent, qui hiſtoriam Juris Eccleſiaſtici deſcripſerunt, idem
commemorat. Altera eſt collectio *Innocentii IV*, unice ex
Concilio generali, quod Pontifex A. 1245 indixerat & cele-
braverat, ad methodum decretalium *Gregorii IX* compoſita,
& ad Academiam Bononienſem tranſmiſſa, ut tam in judiciis,
quam in ſcholis, in poſterum uſum præſtaret. Exhibuit hanc
348. compilationem, nondum hactenus editam, in Appendice *N. 3*
ex Codice manuſcripto Bibliothecæ Berolinenſis Ill. Editor.
Altera eſt *Gregorii X*, in ipſo Lugdunenſi Concilio generali II
compoſita, quæ compilatio ad methodum decretalium com-
munem in ipſo Concilio jam ordinata, & pariter ad Acade-
miam Bononienſem ſub eadem forma, qua prior, tranſmiſſa
erat, id quod pariter in Appendice *N. 4* ex Codice MSto
eodem Ill. Editor oſtendit. Integram vero eam edere no-
luit, cum eodem ordine, quo in Codice prædicto ſiſtitur, in
Conciliorum collectionibus occurrat, unde tantum ex illo Co-
dice variantes lectiones excerpſit. Poſt ea tempora Corpus
aliquod decretalium ex Epiſtolis *Gregorii IX*, *Innocentii IV*,
& *Gregorii X*, compoſitum eſt, prout jam *Bernhardus de Mont-
faucon* in *Bibliotheca Manuſcript. Tom. II pag. 1211* docuit. Et,
quamvis poſteriores duo Pontifices juſſerint, ut ſub ſuis titu-
lis decretalibus *Gregorii IX* inſererentur, hoc tamen factum
fuiſſe, non liquet, ſed ſeparatim poſteriores duæ compilatio-
nes gloſſis illuſtratæ ſunt, quas tamen hic addere Ill. Editor
noluit. Hanc ipſam vero ob cauſam ſub *Bonifacio VIII* no-
vam decretalium compilationem prodiiſſe, cui præter novi-
ter emiſſas decretales integræ præcedentes collectiones, de
quibus modo dictum eſt, inſertæ ſunt, Ill. Editor obſervat.
Dicebatur ea compilatio Liber ſextus decretalium, ut in po-
ſterum, neglectis duabus præcedentibus, immediate *Gregorii
IX* compilationi ſuccederet, ejusque *Librum ſextum* conſti-
tueret, licet in Libros quinque, ad methodum compilationum
antiquarum, eſſet ſubdiviſa. Hunc librum, ſedulo prius per-
lectum

Digitized by Google

lectum atque examinatum A. 1298 promulgavit *Bonifacius*, qui alteram partem decretalium poſt hæc tempora conſtituit. Tertia pars deinceps eidem acceſſit ex *Clementis V* conſtitutionibus, in Concilio Vienneſi, A. 1311 celebrato, editis, quoad maximam partem compoſita, decretalibus, ante & poſt illud Concilium datis, aucta, & A. 1303 in Conſiſtorio publicata, quæ vulgo *Clementinarum* nomine inſignitur, quamvis *Clemens V* hanc ſyllogen appellatione *Libri ſeptimi* decretalium venire voluiſſe dicatur. Quod cum fuſius jam ſit expoſitum a *Georgio Ludovico Bœhmero*, Anteceſſore Gottingenſi meritiſſimo, Ill. Editoris filio digniſſimo, in *Diatriba de Clementinis* §. 12, actum agere Ill. Editor noluit, ſed dictam modo Diatriben citavit. In omnes autem Academias hanc collectionem introductam eſſe, negat. *Extravagantes Joannis XXII* privata autoritate circa annum 1340 collectas eſſe, ſtatuit. *Extravagantium communium* natales ad annum 1484 refert, easdemque privato ſtudio collectas videri, monet, quamvis utraque extravagantium collectio decretalium reliquis partibus adjecta ſit, & per Bullam *Gregorii XIII* de A. 1580 ſtabilem & perpetuam ſedem in Corpore Juris Canonici, & inde aliquam autoritatem in foro, acceperit. Tandem, a *Petro Matthæo*, JCto Lugdunenſi, circa finem Seculi XVI novam compilationem, quæ itidem *Liber ſeptimus* audit, profectam eſſe, privata autoritate collectam, & a partibus decretalium probatis ſeparandam, Ill. Editor monet. Eam illuſtrationis & notitiæ cauſa in Appendicem conjecit, & primo ſtatim loco ibi collocavit, cum continuationem extravagantium contineat. Ab hac vero compilatione diſtingui debere alium quendam Librum ſeptimum, cujus confectionem *Gregorius XIII* quibusdam Cardinalibus commiſerat, Ill. Editor inculcat. Poſt mortem *Gregorii*, *Sixtus V* æque curam ſuam ad ejus perfectionem, morte prædeceſſoris interruptam, extendit, publicatio tamen ejus impedita eſt. Parem in cenſum cum Libro illo ſeptimo Ill. Editor refert *Inſtitutiones Pauli Lancellotti*, juſſu quidem *Pauli IV* conſcriptas, nunquam tamen publica autoritate & vi legis donatas, quanquam a *Paulo V* Corpori Juris Canonici notitiæ & illuſtrationis gratia annecterentur.

(Marginal notes: Pag. 31. — beside "In omnes autem Academias"; 32. — beside "Poſt mortem Gregorii")



Digitized by Google

rentur. Cumque ideo a partibus probatis Corporis Juris Canonici merito ſeparandæ ſint, eas Appendici cum ceteris monumentis inſerere, conſultius duxit Ill. Editor. Tandem, ut, quid in nova hac editione ad illuſtrandas decretales is attulerit, conſtet, ſciendum eſt, eum utilia, ſine quibus intelligi decretales nequeunt, a *Raymundo* textui detracta, ex antiquis decretalium collectionibus excerpſiſſe, ipſisque textibus, diverſis tamen typis, inſeruiſſe, ut ſine ulla interruptione omnia conjunctim legi poſſint. Decretales inſuper *Gregorii IX* cum duobus Codicibus manuſcriptis Bibliothecæ Regiæ Berolinenſis contulit. Adjunxit illis Codicem perantiquum Bibliothecæ Haſſo-Caſſellanæ, qui *Seculo XIII* videtur eſſe conſcriptus. Quartum Codicem, qui Seculi decimi quinti ætatem refert, Bibliotheca Ill. *Ludewigii* ſuppeditavit. Contulit præterea editionem antiquiſſimam, A. 1478 in forma maxima evulgatam, ex qua plures ſe optimas lectiones collegiſſe, eamque editionem inſtar optimæ notæ Codicis manuſcripti habendam eſſe, profitetur. Bibliothecæ Haſſo-Caſſellanæ etiam acceptum refert Codicem decretalium *Alexandri III*, quem adeo in Appendice edidit. Librum quoque ſextum decretalium cum Codice Regio Berolinenſi, nec non alio quodam Codice ex Bibliotheca Haſſiaca, contulit. Compos etiam factus eſt editionis antiquiſſimæ Libri ſexti, & *Clementinarum*, adjectis Conſtitutionibus XV communibus, ſub titulo *extravagantium*, quæ non diu poſt inventam artem typographicam typis expreſſa videtur. His aliisque adhuc ſubſidiis inſtructus, variantes lectiones, quæ textum vel illuſtrant, vel probabilem rationem ſiſtunt, unde obſcuritas emergens interdum tolli poſſit, cum cura annotavit, auxilio optimi Filii ſæpius laudati hoc in negotio uſus, quamvis vulgatam lectionem, ab editione Romana adoptatam, in ipſo textu ſemper retinuerit. Denique capitulis quibusdam decretalium obſervationes breves hiſtoricas & criticas adſperſit, atque omnis in eo fuit, ut oſtenderet, ex quo fonte decretales deſumtæ fuerint. In Librum ſextum, Clementinas, & extravagentes, tales obſervationes conſcribere, ob vires ſenectute fractas aliaque negotia non potuit. Ætatem quoque ſingulorum textuum

ſtudioſe

Digitized by Google

ſtudioſe notavit, & quamplurimos *Pithœorum* errores hac in re correxit, quamvis, in argumento adeo lubrico ſe ipſum nonnunquam lapſum eſſe, candide profiteatur, &, ubi meliora edoctus eſt, palinodiam canat. Indices tandem locuple- Pag. 34.
tiſſimi, *Pithœanis* longe accuratiores, adjecti ſunt, in quibus inſtruendis Cl. *Henningſii*, Leucopetrenſis, operam Ill. Editor prædicat. Habent igitur Juris Eccleſiaſtici cultores jam fontem, unde ſitim ſuam reſtinguant, Ill. *Bœhmeri* diligentia ab obſcuritatum ſordibus purgatum, & vere limpidum. Nos autem præſtantiſſimo huic Jureconſulto pro limatiſſimis operibus, quibus Bibliothecas noſtras ditavit, proque incredibili induſtria, quam Juri Eccleſiaſtico illuminando impendit, grates decernimus ampliſſimas, eique placidam ſenectutem, & lætiſſimos omnium rerum ſucceſſus, ex animo comprecamur.

## *HISTORIÆ UNIVERSALIS POLITICÆ, quantum ad ejus Partem I ac II, idea, plane nova ac legitima, tractationem ſummorum imperiorum exhibens, in lectionum Academicarum uſum propoſita a JOANNE MATTHIA HASIO, Math. P. P. O.*

Norimbergæ, impenſis hæredum Homannianorum, 1743, 4.
Plag. 14.

Maxima erant haud ita pridem B. *Haſii* in Hiſtoriam, Chronologiam, ac præcipue in Geographiam, tabulasque geographicas convenienter naturæ adornandas, merita. Et hæc eſt cauſa, cur elementis hiſce Hiſtoriæ univerſalis ſuus conſtet honos, ſua ſtet dignitas. Dolemus merito Viri tantopere quondam frugiferi obitum haud ſatis maturum, civitati eruditæ omnino luctuoſum. Opus hoc poſthumum in lucem bonis avibus emiſit Cl. *Auguſtus Gottlob Bœhmius.* Complectitur id ipſum Præfationem, ſciagraphiam hiſtoriæ ſummorum imperiorum, Tabulas chronologicas XVI accuratiſſimas, Tabulas XXVIII geographicas, exquiſitiſſime fabrefactas, coloribusque illuminatas ſelectiſſimis, ac inſtituto congruentibus. Tabulæ chronologicæ ſequuntur ante Jeſum natum æram Pentateuchi Samaritani veluti hypotheſin. Eligenda enim Autori Pag. 9.



Digitized by Google

videbatur talis ſententia, quæ indicaret modum, quo inter
diluvium *Noachicum* & initia regni Sinenſis atque Ægyptii
regni ſpatium ejusmodi interjaceret, quod ſufficeret tempori,
quo poſt exſtinctam generis humani multo maximam partem
talis rurſum numerus mortalium ſuccreſcere potuiſſet, qui re-
Pag. 11. gno cuidam formando eſſet aptus. Tempus hac ratione poſt-
diluvianum 100 fere annis redditur amplius. Regnum ita
*Menis* Ægyptiacum incidit quam proxime in annum periodi
Julianæ 2516. *Cainanem* vero e Patriarchis poſtdiluvianis
ejecit Autor, codicem Ebræum ac Samaritanum affectatus.
14. In Chronologia patrum antediluvianorum ſecutus eſt rurſus
utrumque eum codicem conſentientem. *Seſoſtris* ætatem ex-
16. hibuit tergeminam. Priorem deſumſit ex Chronico Alexan-
drino; ſecundam ex Marmore Arundelliano; tertiam poſuit
in *Rebabeami* tempora, ſiquidem multi *Seſoſtrim* pro *Seſaco*
habent. A condito mundo ad diluvium numerat annos 1656;
a diluvio ad *Nachorem*, *Tarachi* filium, annos 942; inde ad
natum ipſum *Abrahamum* 60 annos; inde ad evocatum *Abra-
hamum* 75 annos; inde ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto
430 annos; inde ad ſtructuram ædis ſacræ *Salomoneæ* annos
17. 680; inde ad finem regni *Zedekiæ* annos 422½. Ultimum
horum annorum ſtatuit annum 18 *Nebucadnezaris*, annum
2. currentis periodi *Julianæ* 4127. Sciagraphia dicendorum
exhibet prolegomena, ſeu definitiones ac diviſiones, hiſtoriæ
proprias, voces eo ſpectantes, titulos imperantium, appel-
15. lationes quasdam particulares, vocabula chronologica. Sce-
nam aperit hiſtoria ſacra politica patriarchalis & Judaica, ad
excidium Hieroſolymæ alterum procurrens. Sequitur hanc
21. tractatio compendioſa, de ſummis imperiis inſcripta. Car-
ptim ibi exponitur de Imperio Ægyptio, Scythico, Aſſyrio-
rum, Chaldæorum, ac Medorum, Lydorum, Trojanorum,
28. Perſarum, Græcorum. Imperium *Alexandri M.* Græcum fuit
conflatum ex regnis Lacedæmonum, Sicyoniorum, Corinthio-
rum, Elidis, Argivorum, Mycenæorum, Meſſeniorum, Ar-
cadiæ, Achajæ, Athenienſium, Bœotiæ, Theſſaliæ, Cretæ,
non Siciliæ, at Thraciæ & Macedoniæ. In imperio Græco
memorabilia apparent regna Macedoniæ, Syriæ, Aſiæ utrius-
que,

Digitized by Google

que, ac Ægypti. Inſeruit in calce nonnihil de regnis Mediæ Atropatenæ, Indiæ, Bactrianorum Græcorum, Bithyniæ, Pergami, Ponti & Boſpori, Cappadociæ, Armeniæ. Adjecit Pag. 40.
paucula de republica Pœnorum. Tum vero ad res Romanorum, eorumque imperium, procedit. Subjicit compendioſæ harum rerum tractationi epitomen regni Italici, Provinciæ, Burgundici, Armeniæ, Bohemiæ. Tum vero progreditur ad imperium Parthico-Perſicum, Arabicum, ſeu Saracenicum 58.
& Muhammedanum, Mugalicum, Timuricum, Turcomannicum, Ottomano-Turcicum, ac Conſtantinopolitanum, anno 1453 recentius, Ruſſicum, Sinicum, Tatariæ Orientalis, ac imperia Africana. Horum imperiorum ac regnorum initia, progreſſus, atque finis, intra Tabulas chronologicas accurate ſunt indicata. Tabularum geographicarum ſeries meditate fuit delineata. Prima imperium *Seſoſtris* repræſentat. Imperii Aſſyrii regiones ac fines Tabula ſecunda exhibentur. Tertia ſuppeditat fines regnorum, quibus Reges Mediæ, Babyloniæ, ac Lydiæ, præſederunt. Imperium Perſicum, quale id imperante *Dario Hiſtaſpide* exſtitit, offert conſpectui Tabula quarta. Quinta imperium exprimit *Alexandri Magni*. Succeſſorum ejus regna indicantur in Tabula ſexta. Septima exhibet periodum horum regnorum alteram. Imperium Partho-Perſicum exhibet Tabula octava. Imperii Romani, *Auguſto* ſubjecti, limites offert nona Tabula. Decima exhibet imperium Romanum reſpectu diviſionis, in occidentale ac orientale adornatæ. Imperium Romanum, *Juſtiniano I* parens ac ſubjectum, ſuppeditat Mappa geographica undecima. Imperii Arabici, ejusque Saracenici ac Muhammedani, regiones Tabula duodecima complectitur. Partes imperii Arabici orientales offert Tabula XIII. Partes occidentales exhibet Tabula XIV. Quantæ exſtiterint regiones ac oræ imperii Arabici tempore expeditionis cruciatæ primæ, declarat Tabula XV. Tabula XVI exhibet partes imperii Arabici occidentales ſub Moravidis potiſſimum Hiſpano-Africanis, ac temporibus Selgiukidarum. Tabula XVII ſpectatori tradit imperium *Caroli Magni*, notatis diviſionibus inter *Ludovici Pii* filios ac *Lotharii* primi natos. Imperii Romano-Germanici

ſub *Ottone I* ac *Conrado II* regiones ſubminiſtrat conſiderandas Tabula XVIII. Sequens Tabula indicat conſpectum generalem partium earum, quæ unquam ad Imperium Romanum, a *Carolo Magno* reſuſcitatum, relatæ fuerunt, quantum ad tractus ſpectat occidentales. Partes orientales ſeparatim exhibentur Tabula XX. Qualis exſtiterit forma imperii, *Carolo VI* Auſtriaco obnoxii, Tabula XXI oſtendit. Imperii Mugalici, ſeu Zingiscanici, ad A. 1257 regiones exhibet Tabula XXII. Imperium *Tamerlanis* pateſcit ex Tabula XXIII. Imperii Mugalici reſiduas regiones, ſeu *Can Taiſchæ* regnum, æque ac imperii Tataro-Sinici limites, illuſtrat Tabula XXIV. Imperium Ottomanno-Turcicum indicat Tabula XXV, ad *Muhammedis II*, Conſtantinopolin expugnantis, ætatem accommodata. Sequens Tabula Turcici imperii ſpectat ad ætatem, quæ Viennam A. 1683 obſeſſam præcedit. Tabula XXVII exhibet idem imperium, pace Paſſarovicenſi determinatum. Imperium Ruſſicum, tam in Europa, quam in Aſia, a *Petro Magno* conſtitutum, viſentibus offert Tabula XXVIII. Hæc eſt libri ejus ſumma, in quo perficiendo, & ad umbilicum adducendo, Cel. Autor vitam calamumque depoſuit, libri, ſi molem ſpectes, mediocris, ſin rationem habeas diligentiæ & accurationis multijugæque notitiæ, cum operibus difficillimis ac pretioſiſſimis comparandi.

## IL NEUTONIANISMO, &c.

id eſt,

## *NEUTONIANISMUS, SIVE DIALOGI DE LUCE, Coloribus, & Attractione. Editio ſexta.*

Neapoli, impenſis hæredum Hertziorum, 1746, 8 maj.
Alph. 1 plag. 4, Tab. æn. 1.

Novo nunc atque eo habitu indutum in lucem prodit doctiſſimum hoc Illuſtriſſimi Comitis *Franciſci Algarotti* opus, ut, quam olim meruit, famam non tueri modo, ſed & multo adhuc majorem ſibi conciliare, queat. Equidem jam ſummo plauſu, frequentiſſimisque præconiis, non minus eruditorum, quam omnium eorum, qui elegantiſſimas quasque literas amant, exceptum eſt, quamprimum ipſorum conſpectui

ſpectui

ſpectui fuit expoſitum; id quod, ſi nihil aliud, vel iteratæ ſæpius ejusdem editiones, & traductiones, luculenter teſtantur. Nec ſane erit aliquis, præclari guſtu adeo deſtitutus, ut laude illud, quam publice tulit, ſatis eſſe dignum, neget, ſive ipſum inſtitutum, ſive argumentum, ſive tractandi methodum, conſideret. Quo plura enim in ſcientiis exſtant, quæ, etſi ad culturam intellectus, & ad multiplicem rerum, nobis quotidie obverſantium, cognitionem comparandam, ſint apprime utilia, adeo tamen magnæ molis operibus ac difficili ſermoni involuta jacent, ut iis, quibus omne tempus ſedulæ literarum culturæ impendere non datur, fere inacceſſa maneant; eo utiliorem procul dubio operam ii navant, qui talia auſtero, quo incedunt, habitu exuere, ſermone plano ac populari includere, variisque ad placendum requiſitis exornare, nituntur. Digna ſane inter ea eſt præclara illa *Neutoni* de Luce & Coloribus theoria, quæ totam Phyſicorum gentem, cum primum panderetur, in ſui admirationem rapuit, dignæ etiam ſunt reliquæ doctrinæ, Viri ſummi Syſtema conſtituentes, ut planæ atque expeditæ reddantur, ſicque ad omnium, qui ſciendi cupiditate tanguntur, notitiam traducantur. Quod etiam ita executus eſt Ill. *Neutonianiſmi* Autor, ut non ſolum rem ipſam dilucide & ordine naturali explicaret, collatis ſimul aliorum Philoſophorum de eadem re ſententiis, ſed & elegantiſſimo, quod ipſi plane proprium eſt, dicendi genere, interſperſisque ubique ſalibus, & politioris ſermonis floribus, mirum in modum exornaret. Attamen novæ nunc accedunt cauſæ, cur hæc editio palmam reliquis præripere, Lectoribusque ſuis denuo ſe commendare, poſſit. Cum enim varia judicia, de opere ſuo lata, nec non animadverſiones criticas, in illud hinc inde factas, intellexiſſet Ill. Autor, hæc ipſi incitamento fuere, ut denuo totum ſcriptum retexeret, atque omnia iterum ſeduſo rimaretur; unde factum eſt, ut variæ nunc emendationes in eo ſint conſpicuæ, additis aliis, plurimis reſectis, quin & ipſa dicendi genera magis perpolita & ornata appareant; licet ipſe, inſigni modeſtia ductus, illud adhuc a perfectionis, quem in eo deſiderat, gradu multum remotum eſſe, fateatur. Ipſa Operis contenta quod attinet, inutile fere judicamus, de iis

uberius

uberius verba facere, cum non ſolum illud jam pervulgatum, ac in publicum notum, exſtet, ſed & nos ipſi jam tum, cum primum lucem adſpiceret, de argumento libri tantum, quantum ſatis eſt, dixerimus. Vid. *Nov. Act. Erud. A. 1739 pag. 613.* Eſt vero liber jam ita comparatus, ut non ſexus tantum ſequioris uſui (quemadmodum tunc titulus præ ſe ferebat) inſerviat, ſed & quibusvis viris, elegantioris doctrinæ fautoribus, ſeſe probare poſſit. Quare adjiciamus tantum mentionem variorum ſcriptorum, huic editioni noviter adjectorum. Primo *duæ* exhibentur *Epiſtolæ*, Syſtema opticum Comitis *Rizzetti*, jam ſatis notum, reſpicientes, quibus partim ejus argumenta, ad confirmandam ſententiam ſuam allata, modeſte expenduntur, partim dubia contra *Neutonianiſmum*, ab eo excitata, diluuntur. Sequuntur *duæ Diſſertationes*, Gallice ſcriptæ, & A. 1739 *Diario Pariſienſi*, cui titulus: *Le Pour & le Contre*, inſertæ, quibus opinio, circa numerum colorum ſimplicium a Clar. *Du Fay* prolata, examini ſubjicitur. Statuit nempe Vir ingenioſus, loco ſeptem colorum principalium, e quibus, ſummus *Neutonus*, quemvis radium luminis componi, tot experimentis probare anniſus eſt, non niſi tres numero exiſtere, rubrum, flavum, cœruleum; ex rubro enim & flavo aureum, ex flavo & cœruleo viridem, componi poſſe, ſicut indicum & violaceum non niſi gradus ſint fuſciores cœrulei. His varia apponit Autor noſter experimenta, quibus aureum & viridem compoſitos differre a ſimplicibus *Neutonianis*, ſicut indicum & violaceum a cœruleo fuſciori, evincitur. Denique exhibetur *Diſſertatio* Latina, ab Autore juvene in *Academia Inſtituti Bononienſis* recitata, qua recenſentur varia experimenta, circa *Theoriam Neutoni* inſtituta, quæ omnia cum *Neutonianis* ubique egregie conſpirare deprehenſa ſunt. His igitur finis imponitur elegantiſſimo Opuſculo, cui ſi plura exſtarent ſimilia, aliæque etiam ſublimiorum ſcientiarum materiæ hac ratione luci eſſent expoſitæ, ſingulari prorſus & ſcientiis, & omnibus, qui his delectantur, id emolumento fore, plurimumque ad magis magisque divulgandum ſolidioris doctrinæ guſtum conducturum eſſe, confidimus; quod ſane a nemine melius, quam ab excellenti Autoris noſtri ingenio, exſpectare liceret.

*CHRIST*

Digitized by Google

TAB. V. ad Nov. Act. Erud. A. 1747 Menſ. Octobr. pag. 601. 606. 607. 612. 615. 616.





Fig. I.





Fig. II.





Fig. III.





Fig. IV.





Fig. V.

Digitized by Google

## *CHRIST. FRID. OECHLITZII, A. M. ANALYſis Solutionis ſuæ Problematis Catoptrico-Analytici, in Nov. Act. A. 1746 Mart. P. I pag. 134 traditæ, continuata, ubi Problema illud generatim conſideratum & ſolutum ſiſtitur.*

Analyſin Problematis hujus traditurus eadem methodo, qua in ejus ſolutione invenienda me verſatum eſſe fateor, procedere conſultum duxi. Caſum nempe ejus particularem atque ſimpliciorem, cujus conſideratio primo ſeſe mihi obtulit, Analyſi ſubjectum ſuperatumque nupero *Menſe Aprili* expoſui. Ut ergo Problematis ſolutio omnibus numeris abſoluta habeatur, reſtat, ut ipſum, ſenſu latiſſimo, prout a Cel. Autore propoſitum eſt, acceptum, qua ratione a me ad finem perductum ſit, methodo analytica nunc exhibeam.

1. Senſus itaque *Problematis generalis* is eſt: *Dato puncto radiante* C, *invenire Curvam continuam* MAm, *ea proprietate præditam, ut radius quivis* CM, *in Curvam incidens, ac inde in* m *reflexus, ex* m *denuo reflectatur in* C. Relata ſtatim Curva, ut moris eſt, ad coordinatas rectangulas, ſit $CP = x$, $PM = y$, $R\mu = dx$, $MR$ (ordinatis in ea poſitione, quam figura exhibet, decreſcentibus) $= -dy$; ponatur $\frac{dx}{-dy}$ (ſeu *tang.* $PMT$ ad rad. $1$) $= p$, unde ſubtangens TAB. V Fig. 1.

$PT = \frac{y\,dx}{-dy} = yp$, ſubnormalis $PO = \frac{-y\,dy}{dx} = \frac{y}{p}$; denique ſit $CV = u$, & *tang.* $PMV$, ſeu *cot.* $MVP$, $= v$, poſito radio $= 1$.

2. Primo itaque condendæ ſunt formulæ, quibus generatim ex datis poſitione, Curva quavis $MA$, & radio quovis incidente $CM$, poſitio reflexi $MV$ definitur per quantitates ad Curvam pertinentes. Quæ facile deducentur ex conſiderata primo reflexione radii axi paralleli $NM$ (conf. *Sched. nuperum* §. 2 *pag.* 226). Reflectatur enim is in $S$, eritque $TMS = tMN = MTS$, unde $SM = ST$; & $OMS = NMO$

Gggg $= MOS$,

$= MOS$, unde $SO = SM = ST$, ſeu $ST = \frac{1}{2} OT$. Ponatur nunc $OQ$ ipſi $SM$ parallela, eritque $QOM = OMS =$ (ſp. modo oſtenſa) $MOS$; quare, cum etiam ſit (ex nat. reflex.) $QMO = OMV$, erit $\Delta OMQ = \Delta OMV$, proinde $OQ = OV$. Hinc, cum ſit, ob ſim. $\Delta\Delta$ $CSM$, $COQ$, $CS : SM = CO : OQ$ ſeu $OV$; invenietur $CV$, componendo $CS : CS + SM = CO : CO + OV$; unde, quia $CS = CT - TS =$ (§. 1) $x + \frac{1}{2} yp - \frac{1}{2} \frac{y}{p}$, $CS + SM = CS + ST = CT = x + yp$, $CO = CP - PO = x - \frac{y}{p}$, fiet $CV = (x + yp)\left(x - \frac{y}{p}\right) : \left(x + \frac{1}{2} yp - \frac{1}{2} \frac{y}{p}\right) = u$. Dein *tang.* $PMV = \frac{PV}{PM} = \frac{u - x}{y} = \left(xp - \frac{x}{p} - 2y\right) : \left(2x + yp - \frac{y}{p}\right) = v$. Quæ duæ quantitates $u$ & $v$ poſitionem radii $MV$ determinant.

3. Ad ipſam Curvæ propoſitæ naturam indagandam nunc accedens, ratiocinium formo ſimile ei, quod in caſu ſpeciali (conf. §. *3 pag. 226*) inſtitui. In eo enim inprimis verſatur negotium, ut Curva, proprietate præſcripta gaudens, ſit continua. Quod ut efficiatur, ponatur $MAm$ deſiderata Curva continua; concipiatur radius aliquis $CM$ reflecti in $V$, & tam $CV$ ſeu $u$, quam *cotang.* $V$ ſeu $v$, dari per $x$, vel $y$, vel $p$, per quarum unam ſemper vi formularum ſuperiorum ex æquatione Curvæ dari poſſunt. Primo itaque eidem $u$ aliud adhuc punctum Curvæ $m$ reſpondeat, neceſſe eſt; ſecus enim alter radius $Cm$, ſi tanquam incidens conſideretur, non etiam reflecteretur in $V$. Quare æquatio Curvæ inter $u$ & $x$, vel $y$, vel $p$, ita debet eſſe comparata, ut pro quavis $u$, ſi ea ceu cognita aſſumatur, duos valores ipſius $x$, vel $y$, vel $p$, ambigue præbeat. Quod ſi in Curva quadam obtineat, hoc ipſo jam fiet, ut, quovis radio $CM$ in $V$ reflexo, aliquis radius, ex $V$ denuo in Curvam incidens, $Vm$ iterum reverti

poſſit

Digitized by Google

poſſit in *C*. Sed præterea Problema noſtrum exigit, ut *MV*, *Vm*, eandem rectam continuam, h. e. eundem angulum *V* cum axe, conſtituant. Ergo, ut eidem illi *u*, quæ ad duo puncta *M*, *m*, pertinet, unica tantum *v* reſpondeat, requiritur. Ad ſimilem prorſus concluſionem pervenietur, ſi loco *u* initio aſſumatur *v*. Nam primo eidem *v* duo puncta Curvæ *M*, *m*, h. e. duæ *xyp* ambigue reſpondere debent; quo fiet, ut ſemper a duobus radiis *CM*, *Cm* reflexi *MV*, *mV* axi ſub eodem angulo, & ad eaſdem partes poſito, occurrant; præterea autem pro eadem iſta *v* unica tantum *u* obtinere debet, quo ipſo duo hi radii in idem punctum *V* incidant, eandemque rectam continuam efficiant.

4. Ex his intelligitur, quænam relatio inter quantitates aſſumtas *xyp*, atque *uv*, naturam Probl. noſtri conſtituat. Primo enim, cuivis valori, qui tam pro *u*, quam pro *v*, aſſumitur, duos valores ipſius *x*, vel *y*, vel *p*, ambigue reſpondere, neceſſe eſt. Dein unico valori ipſius *u* unicus tantum valor ipſius *v*, & vice verſa unico ipſius *v* valori unicus ipſius *u* valor, competere debet. Quibus duabus conditionibus ſimul obtinentibus, præſcriptam proprietatem ubique in Curva locum habituram, oppido liquet. Cum autem (§. 2) *v* ſimplicius exprimatur, quam *u*, conſiderabo in poſterum, quomodo ex aſſumta *v* definiantur *xyp*, & *u*. Quibus poſitis, duæ conditiones allatæ, ſi ſimpliciſſime enuntientur, eo redibunt, ut

1) *xyp* ſint functiones ipſius *v*, ex irrationalibus quadraticis conflatæ,

2) *u* ſit functio ejuſdem *v* mere rationalis.

5. Hac ratione jam id effectum eſt, ut proprietas Probl. palmaria, eique imprimis difficultatem inducens, lex nempe continuitatis, in computum ducta, & Probl. ad quæſtionem Methodi tangentium inverſæ redactum ſit, in qua de relatione inter coordinatas *xy*, & *puv*, per has coordinatas, earumque differentialia, expreſſas, agitur. Quare, ſi nunc abſque alia præparatione Curvas varias deſideratas, eaſque algebraicas, eruere vellemus, aſſumenda eſſet pro lubitu æquatio e. g. inter



Digitized by Google

ter $u$ & $v$, poſteriori conditioni ſatisfaciens, ut $u = av$, $u = av + b$, &c.; quo facto haberetur, reſtituendo ipſius $p$ valorem, æquatio Curvæ diff. primi gradus; quæ integranda, ac dein videndum eſſet, an $xy$ tales valores, quales ex condit. priore habere debent, obtineant. Sed, ne dicam, rem hac ratione ſaltem tentando perfici, nullamque ſolutionem generalem inde derivari, poſſe, inſuper difficultas, æquationes ejusmodi reducendi, eſſet prorſus inſuperabilis, cum formulæ, quibus $uv$ per $xy$ & $dx$, $dy$, exprimuntur, adeo ſint complicatæ, ut etiam in caſu ſimpliciſſimo $u = a$ æquatio ad Sect. coni non niſi operoſo calculo derivari queat.

6. Alia igitur methodus adhibenda erit, in difficillimis methodi tangentium inverſæ quæſtionibus, ubi ex data relatione inter quantitates, per coordinatas Curvæ, earumque differentialia, expreſſas, ut hic $uv$, quæritur ipſa æquatio Curvæ, in ſubſidium vocanda Nimirum ope æquationum, quibus $uv$ per $xyp$ exprimuntur, debitis ſubſtitutionibus eliminandæ ſunt ipſæ $xy$, ita ut remaneat æquatio inter $puv$, in qua ſi dein detur una earum e. g. $p$ per reliquas $uv$, dentur etiam $xy$ per easdem quantitates, ideoque (ob earum relationem mutuam, per hyp. datam,) per earum alterutram; adeo, ut vel, eliminando hanc ipſam, æquatio inter $xy$ reperiri poſſit, vel tamen conſtructio ſemper in promtu ſit. Hunc in finem aſſumo ex §. 2 duas æquationes 1) $\left(xp - \frac{x}{p} - 2y\right)$; $\left(2x + yp - \frac{y}{p}\right) = v$, & $\frac{u - x}{y} = v$, ſeu 2) $x = u - vy$. Subſtituendo $x$ in priori habebitur 3) $y = \frac{1}{2}u\,(p^2 - 2pv - 1) : (pv + 1)\,(p - v)$. Differentiando autem 2dam, ponendoque (§. 1) $dx = -pdy$, fit 4) $du - ydv + (p - v)\,dy = 0$. Jam ex his æquationibus eliminando $y$ (qui calculus facile abſolvitur, exprimendo æquat. 4) ita: $\frac{du}{y} - dv + (p - v)\frac{dy}{y} = 0$, & ſubſtituendo $\frac{dy}{y}$ ex æquat. 3) per diffe-

Digitized by Google

differentialia logarithmica, & dividendo totam æquationem per $p^2+1$, emergit æquatio ſequens quæſita inter $p\,u\,v$:

$$(pv+1)(p-v)\,du-(p-v)\,pu\,dv+(v^2+1)\,u\,dp$$

$=0$. In hac æquatione jam ex binis quantitatum, eam ingredientium, ſemper datur tertia. Si ergo exprimatur e. g. $u$ per $v$ ſecundum conditionem 2dam, illaque integretur, dabitur etiam $p$ per $v$. Unde, ſi hæc expreſſio ſit talis, qualem cond. prima exigit, in æquatione 3) dabitur $y$ per $v$, unde per 2) etiam $x$ per $v$, adeoque, eliminando $v$, æquatio inter $xy$. Vel, ſi ſecundum cond. primam ſumatur $p$ per $v$, dabitur, facta æquationis reſolutione, etiam $u$ per $v$, quæ ſi conditioni 2dæ ſatisfaciat, dabitur eodem modo æquatio inter $xy$. Nimirum ſufficit, valorem ipſius $p$ conditionem primam ſequi, quo facto valores ipſarum $xy$ per ſe eidem ſatisfacient, cum duabus $p$ neceſſario duo puncta Curvæ reſpondeant. Ex his ſimul liquet, (quod & a priori jam poſſet colligi,) infinita Curvarum genera propoſito reſpondere, cum æquatio, inter duas dictarum quantitatum aſſumta, infinitis modis variari queat.

7. Ab hujus itaque æquationis primariæ reſolutione pendet determinatio omnium poſſibilium Curvarum algebraicarum, Problemati, vi ſuperiorum, ſatisfacientium. Ut ergo hac methodo Curvas ſimpliciores eruamus, aſſumamus primo æquationem, qua exprimatur $u$ per $v$ ſecundum cond. ſecundam, & quæramus $p$. Simpliciſſimus ipſius $u$ valor erit, ſi ponatur $=a$; tunc autem $u$ proprie a $v$ penitus non pendet, ſeu unica $u$ omnibus omnino $v$ reſpondet. Induit vero æquatio hoc caſu hanc formam: $-(p-v)\,p\,dv+(v^2+1)\,dp=0$, ſeu $dv-\frac{v\,dv}{p}-\frac{(v^2+1)\,dp}{p^2}=0$, quæ, ut reddatur integrabilis, dividenda eſt per $(v^2+1)^{\frac{3}{2}}$; quo facto erit integralis $\frac{v}{\sqrt{(v^2+1)}}+\frac{1}{p\sqrt{(v^2+1)}}=n$ conſtanti arbitrariæ; unde emergit $p=\frac{1}{\pm n\sqrt{(v^2+1)}-v}$, ejusque adeo formæ, qualis per cond. primam requiritur.

 Ut

Digitized by Google

ſub *Ottone I* ac *Conrado II* regiones ſubminiſtrat conſiderandas Tabula XVIII. Sequens Tabula indicat conſpectum generalem partium earum, quæ unquam ad Imperium Romanum, a *Carolo Magno* reſuſcitatum, relatæ fuerunt, quantum ad tractus ſpectat occidentales. Partes orientales ſeparatim exhibentur Tabula XX. Qualis exſtiterit forma imperii, *Carolo VI* Auſtriaco obnoxii, Tabula XXI oſtendit. Imperii Mugalici, ſeu Zingiscanici, ad A. 1257 regiones exhibet Tabula XXII. Imperium *Tamerlanis* pateſcit ex Tabula XXIII. Imperii Mugalici reſiduas regiones, ſeu *Can Taiſcha* regnum, æque ac imperii Tataro-Sinici limites, illuſtrat Tabula XXIV. Imperium Ottomanno-Turcicum indicat Tabula XXV, ad *Muhammedis II*, Conſtantinopolin expugnantis, ætatem accommodata. Sequens Tabula Turcici imperii ſpectat ad ætatem, quæ Viennam A. 1683 obſeſſam præcedit. Tabula XXVII exhibet idem imperium, pace Paſſarovicenſi determinatum. Imperium Ruſſicum, tam in Europa, quam in Aſia, a *Petro Magno* conſtitutum, viſentibus offert Tabula XXVIII. Hæc eſt libri ejus ſumma, in quo perficiendo, & ad umbilicum adducendo, Cel. Autor vitam calamumque depoſuit, libri, ſi molem ſpectes, mediocris, ſin rationem habeas diligentiæ & accurationis multijugæque notitiæ, cum operibus difficillimis ac pretioſiſſimis comparandi.

## IL NEUTONIANISMO, &c.

id eſt,

## *NEUTONIANISMUS, SIVE DIALOGI DE LUCE, Coloribus, & Attractione. Editio ſexta.*

Neapoli, impenſis hæredum Hertziorum, 1746, 8 maj.
Alph. 1 plag. 4, Tab. æn. 1.

Novo nunc atque eo habitu indutum in lucem prodit doctiſſimum hoc Illuſtriſſimi Comitis *Franciſci Algarotti* opus, ut, quam olim meruit, famam non tueri modo, ſed & multo adhuc majorem ſibi conciliare, queat. Equidem jam ſummo plauſu, frequentiſſimisque præconiis, non minus eruditorum, quam omnium eorum, qui elegantiſſimas quasque literas amant, exceptum eſt, quamprimum ipſorum conſpectui

ſpectui fuit expoſitum; id quod, ſi nihil aliud, vel iteratæ ſæpius ejusdem editiones, & traductiones, luculenter teſtantur. Nec ſane erit aliquis, præclari guſtu adeo deſtitutus, ut laude illud, quam publice tulit, ſatis eſſe dignum, neget, ſive ipſum inſtitutum, ſive argumentum, ſive tractandi methodum, conſideret. Quo plura enim in ſcientiis exſtant, quæ, etſi ad culturam intellectus, & ad multiplicem rerum, nobis quotidie obverſantium, cognitionem comparandam, ſint apprime utilia, adeo tamen magnæ molis operibus ac difficili ſermoni involuta jacent, ut iis, quibus omne tempus ſedulæ literarum culturæ impendere non datur, fere inacceſſa maneant; eo utiliorem procul dubio operam ii navant, qui talia auſtero, quo incedunt, habitu exuere, ſermone plano ac populari includere, variisque ad placendum requiſitis exornare, nituntur. Digna ſane inter ea eſt præclara illa *Neutoni* de Luce & Coloribus theoria, quæ totam Phyſicorum gentem, cum primum panderetur, in ſui admirationem rapuit, dignæ etiam ſunt reliquæ doctrinæ, Viri ſummi Syſtema conſtituentes, ut planæ atque expeditæ reddantur, ſicque ad omnium, qui ſciendi cupiditate tanguntur, notitiam traducantur. Quod etiam ita executus eſt Ill. *Neutonianiſmi* Autor, ut non ſolum rem ipſam dilucide & ordine naturali explicaret, collatis ſimul aliorum Philoſophorum de eadem re ſententiis, ſed & elegantiſſimo, quod ipſi plane proprium eſt, dicendi genere, interſperſisque ubique ſalibus, & politioris ſermonis floribus, mirum in modum exornaret. Attamen novæ nunc accedunt cauſæ, cur hæc editio palmam reliquis præripere, Lectoribusque ſuis denuo ſe commendare, poſſit. Cum enim varia judicia, de opere ſuo lata, nec non animadverſiones criticas, in illud hinc inde factas, intellexiſſet Ill. Autor, hæc ipſi incitamento fuere, ut denuo totum ſcriptum retexeret, atque omnia iterum ſeduſo rimaretur; unde factum eſt, ut variæ nunc emendationes in eo ſint conſpicuæ, additis aliis, plurimis reſectis, quin & ipſa dicendi genera magis perpolita & ornata appareant; licet ipſe, inſigni modeſtia ductus, illud adhuc a perfectionis, quem in eo deſiderat, gradu multum remotum eſſe, fateatur. Ipſa Operis contenta quod attinet, inutile fere judicamus, de iis


uberius

uberius verba facere, cum non ſolum illud jam pervulgatum, ac in publicum notum, exſtet, ſed & nos ipſi jam tum, cum primum lucem adſpiceret, de argumento libri tantum, quantum ſatis eſt, dixerimus. Vid. *Nov. Act. Erud. A. 1739 pag. 613.* Eſt vero liber jam ita comparatus, ut non ſexus tantum ſequioris uſui (quemadmodum tunc titulus præ ſe ferebat) inſerviat, ſed & quibusvis viris, elegantioris doctrinæ fautoribus, ſeſe probare poſſit. Quare adjiciamus tantum mentionem variorum ſcriptorum, huic editioni noviter adjectorum. Primo *duæ* exhibentur *Epiſtolæ*, Syſtema opticum Comitis *Rizzetti*, jam ſatis notum, reſpicientes, quibus partim ejus argumenta, ad confirmandam ſententiam ſuam allata, modeſte expenduntur, partim dubia contra *Neutonianiſmum*, ab eo excitata, diluuntur. Sequuntur *duæ Diſſertationes*, Gallice ſcriptæ, & A. 1739 *Diario Pariſienſi*, cui titulus: *Le Pour & le Contre*, inſertæ, quibus opinio, circa numerum colorum ſimplicium a Clar. *Du Fay* prolata, examini ſubjicitur. Statuit nempe Vir ingenioſus, loco ſeptem colorum principalium, e quibus, ſummus *Neutonus*, quemvis radium luminis componi, tot experimentis probare anniſus eſt, non niſi tres numero exiſtere, rubrum, flavum, cœruleum; ex rubro enim & flavo aureum, ex flavo & cœruleo viridem, componi poſſe, ſicut indicum & violaceum non niſi gradus ſint fuſciores cœrulei. His varia apponit Autor noſter experimenta, quibus aureum & viridem compoſitos differre a ſimplicibus *Neutonianis*, ſicut indicum & violaceum a cœruleo fuſciori, evincitur. Denique exhibetur *Diſſertatio* Latina, ab Autore juvene in *Academia Inſtituti Bononienſis* recitata, qua recenſentur varia experimenta, circa *Theoriam Neutoni* inſtituta, quæ omnia cum *Neutonianis* ubique egregie conſpirare deprehenſa ſunt. His igitur finis imponitur elegantiſſimo Opuſculo, cui ſi plura exſtarent ſimilia, aliæque etiam ſublimiorum ſcientiarum materiæ hac ratione luci eſſent expoſitæ, ſingulari prorſus & ſcientiis, & omnibus, qui his delectantur, id emolumento fore, plurimumque ad magis magisque divulgandum ſolidioris doctrinæ guſtum conducturum eſſe, confidimus; quod ſane a nemine melius, quam ab excellenti Autoris noſtri ingenio, exſpectare liceret.

CHRIST

Digitized by Google

TAB. V. ad Nov. Act. Erud. A. 1747 Menſ. Octobr. pag. 601. 606. 607. 612. 615. 616.



Digitized by Google

## *CHRIST. FRID. OECHLITZII, A. M. ANALYſis Solutionis ſuæ Problematis Catoptrico-Analytici, in Nov. Act. A. 1746 Mart. P. I pag. 134 traditæ, continuata, ubi Problema illud generatim conſideratum & ſolutum ſiſtitur.*

Analyſin Problematis hujus traditurus eadem methodo, qua in ejus ſolutione invenienda me verſatum eſſe fateor, procedere conſultum duxi. Caſum nempe ejus particularem atque ſimpliciorem, cujus conſideratio primo ſeſe mihi obtulit, Analyſi ſubjectum ſuperatumque nupero *Menſe Aprili* expoſui. Ut ergo Problematis ſolutio omnibus numeris abſoluta habeatur, reſtat, ut ipſum, ſenſu latiſſimo, prout a Cel. Autore propoſitum eſt, acceptum, qua ratione a me ad finem perductum ſit, methodo analytica nunc exhibeam.

1. Senſus itaque *Problematis generalis* is eſt: *Dato puncto radiante* C, *invenire Curvam continuam* M A m, *ea proprietate præditam, ut radius quivis* CM, *in Curvam incidens, ac inde in* m *reflexus, ex* m *denuo reflectatur in* C. Relata ſtatim Curva, ut moris eſt, ad coordinatas rectangulas, ſit $CP = x$, $PM = y$, $R\mu = dx$, $MR$ (ordinatis in ea poſitione, quam figura exhibet, decreſcentibus) $= -dy$; ponatur $\frac{dx}{-dy}$ (ſeu *tang.* $PMT$ ad rad. 1) $= p$, unde ſubtangens $PT = \frac{ydx}{-dy} = yp$, ſubnormalis $PO = \frac{-ydy}{dx} = \frac{y}{p}$; denique ſit $CV = u$, & *tang.* $PMV$, ſeu *cot.* $MVP$, $= v$, poſito radio $= 1$. TAB. V Fig. 1.

2. Primo itaque condendæ ſunt formulæ, quibus generatim ex datis poſitione, Curva quavis $MA$, & radio quovis incidente $CM$, poſitio reflexi $MV$ definitur per quantitates ad Curvam pertinentes. Quæ facile deducentur ex conſiderata primo reflexione radii axi paralleli $NM$ (conf. *Sched. nuperum* §. 2 *pag.* 226). Reflectatur enim is in $S$, eritque $TMS = tMN = MTS$, unde $SM = ST$; & $OMS = NMO = MOS$,

$= MOS$, unde $SO = SM = ST$, ſeu $ST = \frac{1}{2} OT$. Ponatur nunc $OQ$ ipſi $SM$ parallela, eritque $QOM = OMS =$ (ſp. modo oſtenſa) $MOS$; quare, cum etiam ſit (ex nat. reflex.) $QMO = OMV$, erit $\Delta OMQ = \Delta OMV$, proinde $OQ = OV$. Hinc, cum ſit, ob ſim. $\Delta\Delta$ $CSM$, $COQ$, $CS : SM = CO : OQ$ ſeu $OV$; invenietur $CV$, componendo $CS : CS + SM = CO : CO + OV$; unde, quia $CS = CT - TS = (§. 1)\ x + \frac{1}{2} yp - \frac{1}{2}\frac{y}{p}$, $CS + SM = CS + ST = CT = x + yp$, $CO = CP - PO = x - \frac{y}{p}$, fiet $CV = (x + yp)(x - \frac{y}{p}) : (x + \frac{1}{2} yp - \frac{1}{2}\frac{y}{p}) = u$. Dein *tang.* $PMV = \frac{PV}{PM} = \frac{u - x}{y} = (xp - \frac{x}{p} - 2y) : (2x + yp - \frac{y}{p}) = v$. Quæ duæ quantitates $u$ & $v$ poſitionem radii $MV$ determinant.

3. Ad ipſam Curvæ propoſitæ naturam indagandam nunc accedens, ratiocinium formo ſimile ei, quod in caſu ſpeciali (conf. §. 3 *pag.* 226) inſtitui. In eo enim inprimis verſatur negotium, ut Curva, proprietate præſcripta gaudens, ſit continua. Quod ut efficiatur, ponatur $MAm$ deſiderata Curva continua; concipiatur radius aliquis $CM$ reflecti in $V$, & tam $CV$ ſeu $u$, quam *cotang.* $V$ ſeu $v$, dari per $x$, vel $y$, vel $p$, per quarum unam ſemper vi formularum ſuperiorum ex æquatione Curvæ dari poſſunt. Primo itaque eidem $u$ aliud adhuc punctum Curvæ $m$ reſpondeat, neceſſe eſt; ſecus enim alter radius $Cm$, ſi tanquam incidens conſideretur, non etiam reflecteretur in $V$. Quare æquatio Curvæ inter $u$ & $x$, vel $y$, vel $p$, ita debet eſſe comparata, ut pro quavis $u$, ſi ea ceu cognita aſſumatur, duos valores ipſius $x$, vel $y$, vel $p$, ambigue præbeat. Quod ſi in Curva quadam obtineat, hoc ipſo jam fiet, ut, quovis radio $CM$ in $V$ reflexo, aliquis radius, ex $V$ denuo in Curvam incidens, $Vm$ iterum reverti poſſit

poſſit in *C*. Sed præterea Problema noſtrum exigit, ut *MV*, *Vm*, eandem rectam continuam, h. e. eundem angulum *V* cum axe, conſtituant. Ergo, ut eidem illi *u*, quæ ad duo puncta *M*, *m*, pertinet, unica tantum *v* reſpondeat, requiritur. Ad ſimilem prorſus concluſionem pervenietur, ſi loco *u* initio aſſumatur *v*. Nam primo eidem *v* duo puncta Curvæ *M*, *m*, h. e. duæ *xyp* ambigue reſpondere debent; quo fiet, ut ſemper a duobus radiis *CM*, *Cm* reflexi *MV*, *mV* axi ſub eodem angulo, & ad easdem partes poſito, occurrant; præterea autem pro eadem iſta *v* unica tantum *u* obtinere debet, quo ipſo duo hi radii in idem punctum *V* incidant, eandemque rectam continuam efficiant.

4. Ex his intelligitur, quænam relatio inter quantitates aſſumtas *xyp*, atque *uv*, naturam Probl. noſtri conſtituat. Primo enim, cuivis valori, qui tam pro *u*, quam pro *v*, aſſumitur, duos valores ipſius *x*, vel *y*, vel *p*, ambigue reſpondere, neceſſe eſt. Dein unico valori ipſius *u* unicus tantum valor ipſius *v*, & vice verſa unico ipſius *v* valori unicus ipſius *u* valor, competere debet. Quibus duabus conditionibus ſimul obtinentibus, præſcriptam proprietatem ubique in Curva locum habituram, oppido liquet. Cum autem (§. 2) *v* ſimplicius exprimatur, quam *u*, conſiderabo in poſterum, quomodo ex aſſumta *v* definiantur *xyp*, & *u*. Quibus poſitis, duæ conditiones allatæ, ſi ſimpliciſſime enuntientur, eo redibunt, ut

1) *xyp* ſint functiones ipſius *v*, ex irrationalibus quadraticis conflatæ,

2) *u* ſit functio ejusdem *v* mere rationalis.

5. Hac ratione jam id effectum eſt, ut proprietas Probl. palmaria, eique imprimis difficultatem inducens, lex nempe continuitatis, in computum ducta, & Probl. ad quæſtionem Methodi tangentium inverſæ redactum ſit, in qua de relatione inter coordinatas *xy*, & *puv*, per has coordinatas, earumque differentialia, expreſſas, agitur. Quare, ſi nunc absque alia præparatione Curvas varias deſideratas, easque algebraicas, eruere vellemus, aſſumenda eſſet pro lubitu æquatio e. g. inter

ter $u$ & $v$, poſteriori conditioni ſatisfaciens, ut $u = av$, $u = av + b$, &c.; quo facto haberetur, reſtituendo ipſius $p$ valorem, æquatio Curvæ diff. primi gradus; quæ integranda, ac dein videndum eſſet, an $xy$ tales valores, quales ex condit. priore habere debent, obtineant. Sed, ne dicam, rem hac ratione ſaltem tentando perfici, nullamque ſolutionem generalem inde derivari, poſſe, inſuper difficultas, æquationes ejusmodi reducendi, eſſet prorſus inſuperabilis, cum formulæ, quibus $uv$ per $xy$ & $dx$, $dy$, exprimuntur, adeo ſint complicatæ, ut etiam in caſu ſimpliciſſimo $u = a$ æquatio ad Sect. coni non niſi operoſo calculo derivari queat.

6. Alia igitur methodus adhibenda erit, in difficillimis methodi tangentium inverſæ quæſtionibus, ubi ex data relatione inter quantitates, per coordinatas Curvæ, earumque differentialia, expreſſas, ut hic $uv$, quæritur ipſa æquatio Curvæ, in ſubſidium vocanda Nimirum ope æquationum, quibus $uv$ per $xyp$ exprimuntur, debitis ſubſtitutionibus eliminandæ ſunt ipſæ $xy$, ita ut remaneat æquatio inter $puv$, in qua ſi dein detur una earum e. g. $p$ per reliquas $uv$, dentur etiam $xy$ per easdem quantitates, ideoque (ob earum relationem mutuam, per hyp. datam,) per earum alterutram; adeo, ut vel, eliminando hanc ipſam, æquatio inter $xy$ reperiri poſſit, vel tamen conſtructio ſemper in promtu ſit. Hunc in finem aſſumo ex §. 2 duas æquationes 1) $(xp - \frac{x}{p} - 2y)$: $(2x + yp - \frac{y}{p}) = v$, & $\frac{u-x}{y} = v$, ſeu 2) $x = u - vy$. Subſtituendo $x$ in priori habebitur 3) $y = \frac{1}{2}u(p^2 - 2pv - 1)$: $(pv + 1)(p - v)$. Differentiando autem 2dam, ponendoque (§. 1) $dx = -pdy$, fit 4) $du - ydv + (p - v)dy = 0$. Jam ex his æquationibus eliminando $y$ (qui calculus facile abſolvitur, exprimendo æquat. 4) ita: $\frac{du}{y} - dv + (p - v)\frac{dy}{y} = 0$, & ſubſtituendo $\frac{dy}{y}$ ex æquat. 3) per diffe-

Digitized by Google

differentialia logarithmica, & dividendo totam æquationem per $p^2+1$, emergit æquatio ſequens quæſita inter $puv$:

$$(pv+1)(p-v)du-(p-v)pudv+(v^2+1)udp=0.$$

In hac æquatione jam ex binis quantitatum, eam ingredientium, ſemper datur tertia. Si ergo exprimatur e. g. $u$ per $v$ ſecundum conditionem 2dam, illaque integretur, dabitur etiam $p$ per $v$. Unde, ſi hæc expreſſio ſit talis, qualem cond. prima exigit, in æquatione 3) dabitur $y$ per $v$, unde per 2) etiam $x$ per $v$, adeoque, eliminando $v$, æquatio inter $xy$. Vel, ſi ſecundum cond. primam ſumatur $p$ per $v$, dabitur, facta æquationis reſolutione, etiam $u$ per $v$, quæ ſi conditioni 2dæ ſatisfaciat, dabitur eodem modo æquatio inter $xy$. Nimirum ſufficit, valorem ipſius $p$ conditionem primam ſequi, quo facto valores ipſarum $xy$ per ſe eidem ſatisfacient, cum duabus $p$ neceſſario duo puncta Curvæ reſpondeant. Ex his ſimul liquet, (quod & a priori jam poſſet colligi,) infinita Curvarum genera propoſito reſpondere, cum æquatio, inter duas dictarum quantitatum aſſumta, infinitis modis variari queat.

7. Ab hujus itaque æquationis primariæ reſolutione pendet determinatio omnium poſſibilium Curvarum algebraicarum, Problemati, vi ſuperiorum, ſatisfacientium. Ut ergo hac methodo Curvas ſimpliciores eruamus, aſſumamus primo æquationem, qua exprimatur $u$ per $v$ ſecundum cond. ſecundam, & quæramus $p$. Simpliciſſimus ipſius $u$ valor erit, ſi ponatur $=a$; tunc autem $u$ proprie a $v$ penitus non pendet, ſeu unica $u$ omnibus omnino $v$ reſpondet. Induit vero æquatio hoc caſu hanc formam: $-(p-v)pdv+(v^2+1)dp=0$, ſeu $dv-\frac{vdv}{p}-\frac{(v^2+1)dp}{p^2}=0$, quæ, ut reddatur integrabilis, dividenda eſt per $(v^2+1)^{\frac{3}{2}}$; quo facto erit integralis $\frac{v}{\sqrt{(v^2+1)}}+\frac{1}{p\sqrt{(v^2+1)}}=n$ conſtanti arbitrariæ; unde emergit $p=\frac{1}{\pm n\sqrt{(v^2+1)}-v}$, ejusque adeo formæ, qualis per cond. primam requiritur.

 Ut

Ut æquat. inter $xy$ habeatur, hoc caſu ad æquat. 3) §. 6 recurrere non opus; cum enim ſit æquat. 2) $x = a - vy$, ſeu $v = \frac{a-x}{y}$, & $p = \frac{-dx}{dy}$, fiet $\frac{-dx}{dy} = \frac{y}{\pm n\sqrt{(\overline{a-x}^2+y^2)}-a+x}$, ſeu $\frac{(x-a)\,dx+y\,dy}{\sqrt{(\overline{a-x}^2+y^2)}} = -n\,dx$, quæ denuo integrata dat $\pm\sqrt{(\overline{a-x}^2+y^2)} = C - nx$.

Ut conſtans $C$ determinetur, ponatur $x=a$, unde $y = C-na$. Cum autem tunc ſit $v=0$, fiet $p=\frac{1}{n}$, & 3) $y = \frac{1}{2}a(p^2-1):p = \frac{(1-n^2)}{2n}a$, unde $C = y + na = \frac{(1+n^2)}{2n}a$. Quare æquat. eſt $\pm\sqrt{(\overline{a-x}^2+y^2)} = \frac{(1\mp n^2)}{2n}a - nx$; quæ ideo denotat generatim ſectionem coni, cujus

TAB. V Fig. 2, 3. focus unus $C$, alter $V$, poſita $CV=a$, axis major $BA = \frac{a}{n}$ $n = tang.$ anguli $LTV$, quem tangens ſectionis $LT$, foco $V$ reſpondens, cum axe conſtituit, poſito ſinu toto $= 1$. Nam (per modo oſtenſa) $LV = \frac{(1-n^2)}{2n}a$, unde, ob $n:1 = LV:VT$, erit $PT = \frac{(1+n^2)}{2n^2}a - x$; ex natura ſectionis con. autem eſt, ducta normali $TK$, $BA:CV = MK$, ſeu $PT:VM$, hoc eſt, $\frac{a}{n}:a$, ſeu $1:n = \frac{(1+n^2)}{2n^2}a - x : \sqrt{(\overline{a-x}^2+y^2)}$; unde æquatio præced. oritur. Et quidem prodit vel Ellipſis, vel Hyperbola, prout $n <$, vel $> 1$. Quales Problemati noſtro hoc modo ſatisfacere, a priori abunde conſtat. Ceterum liquet, Hyperbolam proprie non phyſice, ſed ſaltem geometrice, conditionem præſcriptam exhibere.

8. Pona-

Digitized by Google

8. Ponatur nunc $u = av$, & æquatio primaria fit $(p - v)\, dv + (v^2 + 1)\, v\, dp = 0$, ſeu $p\, dv + (v^2 + 1)\, v\, dp - v\, dv = 0$, quæ iterum integrabilis fiet, dividendo per $(v^2 + 1)^{\frac{3}{2}}$, eritque integralis $\frac{pv}{\sqrt{(v^2+1)}} + \frac{1}{\sqrt{(v^2+1)}} = n$ conſtanti arbitrariæ; unde fit $p = \frac{\pm n \sqrt{(v^2+1)} - 1}{v}$

quæ iterum conditioni primæ ſatisfacit. Pro æquatione inter $xy$ elicienda ſumatur iterum æquatio 2) $x = av - vy$, ſeu $v = \frac{x}{a-y}$, unde erit $p = \frac{-dx}{dy} = \frac{\pm n\sqrt{(x^2 + \overline{a-y}^2)} - a + y}{x}$, ex cujus integratione prodit, (ut §. præc.) $\pm \sqrt{(x^2 + \overline{a-y}^2)} = C - ny$, ſeu (determinata conſtante) $= \frac{(1+n^2)}{2n} a - ny$; quæ priori prorſus fit æqualis, modo in ea $x$ & $y$ permutentur. Unde patet, eam adhuc denotare ſectionem coni, ad rectam per focum $CA$, axi transverſo $EF$ normalem, relatam. Quod & ſtatim a priori patet. Nam, quia $u = av$, eſt $v : 1 = u : a$, id eſt, (§. 1) $PV : PM = CV : a$; ergo, occurrente $MV$ ipſi $CF$ in $D$, $CD = a$, ſeu radius reflexus $MV$ ſemper per punctum conſtans $D$ tranſit. Eodem modo adhuc ſectiones coni prodirent ponendo $u = a + bv$. TAB. V Fig. 4.

9. Sed fatendum, ſi jam pro $u$ aliæ functiones ipſius $v$ aſſumantur, haud adeo facile ad reſolutionem æquationis primariæ perveniri. Quare videndum, quid altera via, qua ſumitur relatio inter $p$ & $v$, & quæritur $u$, poſſit erui. Æquatio, ſtatuendo $u$ quæſitam, fit $\frac{du}{u} = \frac{p^2 dv - pv dv - v^2 dp - dp}{p^2 v - pv^2 + p - v}$.
In hac jam ſecundum cond. primam (§. 4) ſumi debet $p$ functio ipſius $v$ irrationalis. Cum vero non pateat, qualis ea eſſe debeat, ut æquatio fiat integrabilis, hæc ipſa primo indaganda. Ponatur ergo $p$ componi ex parte & rationali & irrationali, hunc in modum $P + \sqrt{Q}$, poſitis ipſis $P\,Q$ rationalibus. Subſtituto hoc valore, & ponendo, radicales ſeſe

tollere

tollere mutuo tam in numeratore, quam in denominatore, habebuntur duæ æquationes; prima $2Pv\sqrt{Q} - v^2\sqrt{Q} + \sqrt{Q} = 0$, unde $P = \frac{v^2-1}{2v}$, altera $2P\sqrt{Q}.dv - v\sqrt{Q}.dv - \frac{(v^2+1)dQ}{2\sqrt{Q}} = 0$, cujus integralis $Q = \frac{n(v^2+1)}{v^2}$, ubi $n$ conſtans arbitraria. Hiſce valoribus in expreſſione remanente ſubſtitutis, fit $\frac{du}{u} = \frac{(3v^2+1-4n)dv}{v(v^2+1-4n)}$, quæ per logarithmos integrata præbet $u = cv(v^2+1-4n)$; cumque ſit $p = \frac{v^2-1 \pm 2\sqrt{n(v^2+1)}}{2v}$, patet, conditioni utrique §. 4 hoc modo eſſe ſatisfactum. Subſtituendo jam hos valores in æquat. 3) & 2) §. 6 poſito brevitatis cauſa $1-4n = m$, fit $y = \frac{1}{2}c(v^2+m)(3v^2-2\pm 2\sqrt{(v^2+1)}):v^2$ & $x = cv(v^2+m) - vy$. Ex his, eliminando $v$, haberi poteſt æquatio inter $xy$, quam, ſimul patet, infinitas ſpecies ſub ſe continere, ob duas indeterminatas $nc$, quarum utraque pro lubitu variari poteſt. Si ſumatur ſpecies ſimpliciſſima, qua $m = 0$, fiet $p = \frac{v^2-1\pm\sqrt{(v^2+1)}}{2v}$, $y = \frac{1}{2}c(3v^2-2\pm 2\sqrt{(v^2+1)})$ unde $v^2 = \frac{6y+8c\pm 2\sqrt{(6cy+16c^2)}}{9c}$, & $x = v(cv^2-y)$, ex quibus datur $x$ per $y$, & Curva per puncta facile poteſt conſtrui. Videtur autem ea 4ti ad minimum eſſe ordinis, & 4 cruribus parabolicis, ad ſuperiorem partem axis poſitis, pergere in infinitum, infra axem autem non extendi ultra ordinatam $2c$.

. 10. Verum enim vero hac ratione nondum ad ſolutionem generalem, & omnes Curvas algebraicas eadem formula ſimul exhibentem, qualis ad Problema hoc omnimode abſolvendum merito deſideratur, eſſe perventum, inficias iri nequit. Quam cum variis modis tentaſſem, vidi, difficultatem in eo imprimis latere, quod methodo, in §. 7 *ſeq.* obſervata, primo conditio Probl. implenda, dein vero æquatio differentialis

Digitized by Google

ferentialis, eaque ſatis complexa, integranda ſit, quorum poſterius priori omnino eſt valde difficilius. Huic ergo incommodo ſuccurrere cupiens, verſa vice primo æquationem differentialem primariam reſolvere, & Curvas omnes algebraicas ex ea determinare, poſtea vero inter has, quæ Problemati ſatisfaciant, eruere, ſtudui; quo facto facile ad optatum finem perveni. Reſumo igitur æquationem §. 6, quæ ita diſpoſita eſt ſeparabilis: $\frac{du}{u} = \frac{p^2 dv - pvdv - v^2 dp - dp}{(pv+1)(p-v)}$. Quæ ut per logmos integrari queat, quæro, an non poſterius membrum in differentialia logmica ipſarum $pv+1$ & $p-v$ reſolvatur, & omnino illud deprehendo reſolvi in $\frac{pdv+vdp}{pv+1} - \frac{dp}{p-v}$.

Unde integralis $lu = l(pv+1) + \int\frac{dp}{v-p}$. Quæritur nunc, qualis relatio debeat eſſe inter $p$ & $v$, ut hæc æquatio integralis fiat algebraica. Manifeſtum eſt, hunc in finem $\int\frac{dp}{v-p}$ etiam debere eſſe logmicam. Quare, cum $p$ quærere velimus per $v$, tollendum primo $dp$, quod fiet, reſolvendo $\int\frac{dp}{v-p}$ in $\int\frac{dp-dv+dv}{v-p}$, cujus integralis $= -l(p-v) + \int\frac{dv}{v-p}$, eritque propoſita ſumma logmica, ſi $\int\frac{dv}{v-p}$ ſit talis. Ponatur ergo hæc $= lV$, denotante $V$ functionem quamvis algebraicam ipſius $v$, fietque $p = v - \frac{Vdv}{dV}$. Hinc $\int\frac{dp}{v-p} = -l\frac{Vdv}{dV} + lV = l\frac{dV}{dv}$; in qua integratione additio conſtantis $lc$ non opus eſt, cum functio generalis $V$ eam jam includat. Æquatio vero integralis primo inventa erit $lu = l(pv+1) + l\frac{dV}{dv}$, adeoque $u = (pv+1)\frac{dV}{dv} = (v^2+1)\frac{dV}{dv} - Vv$. Quare nunc quæcunque functio al-

tollere mutuo tam in numeratore, quam in denominatore, habebuntur duæ æquationes; prima $2Pv\sqrt{Q} - v^2\sqrt{Q} + \sqrt{Q} = 0$, unde $P = \frac{v^2-1}{2v}$, altera $2P\sqrt{Q}.dv - v\sqrt{Q}.dv - \frac{(v^2+1)dQ}{2\sqrt{Q}} = 0$, cujus integralis $Q = \frac{n(v^2+1)}{v^2}$, ubi $n$ conſtans arbitraria. Hiſce valoribus in expreſſione remanente ſubſtitutis, fit $\frac{du}{u} = \frac{(3v^2+1-4n)dv}{v(v^2+1-4n)}$, quæ per logarithmos integrata præbet $u = cv(v^2+1-4n)$; cumque ſit $p = \frac{v^2-1 \pm 2\sqrt{n(v^2+1)}}{2v}$, patet, conditioni utrique §. 4 hoc modo eſſe ſatisfactum. Subſtituendo jam hos valores in æquat. 3) & 2) §. 6 poſito brevitatis cauſa $1-4n = m$, fit $y = \frac{1}{2}c(v^2+m)(3v^2-2\pm 2\sqrt{(v^2+1)}) : v^2$ & $x = cv(v^2+m) - vy$. Ex his, eliminando $v$, haberi poteſt æquatio inter $xy$, quam, ſimul patet, infinitas ſpecies ſub ſe continere, ob duas indeterminatas $nc$, quarum utraque pro lubitu variari poteſt. Si ſumatur ſpecies ſimpliciſſima, qua $m=0$, fiet $p = \frac{v^2-1 \pm \sqrt{(v^2+1)}}{2v}$, $y = \frac{1}{2}c(3v^2-2\pm 2\sqrt{(v^2+1)})$ unde $v^2 = \frac{6y+8c\pm 2\sqrt{(6cy+16c^2)}}{9c}$, & $x = v(cv^2-y)$, ex quibus datur $x$ per $y$, & Curva per puncta facile poteſt conſtrui. Videtur autem ea 4ti ad minimum eſſe ordinis, & 4 cruribus parabolicis, ad ſuperiorem partem axis poſitis, pergere in infinitum, infra axem autem non extendi ultra ordinatam $2c$.

10. Verum enim vero hac ratione nondum ad ſolutionem generalem, & omnes Curvas algebraicas eadem formula ſimul exhibentem, qualis ad Problema hoc omnimode abſolvendum merito deſideratur, eſſe perventum, inficias iri nequit. Quam cum variis modis tentaſſem, vidi, difficultatem in eo imprimis latere, quod methodo, in §. 7 *ſeq.* obſervata, primo conditio Probl. implenda, dein vero æquatio differentialis

Digitized by Google

ferentialis, eaque ſatis complexa, integranda ſit, quorum poſterius priori omnino eſt valde difficilius. Huic ergo incommodo ſuccurrere cupiens, verſa vice primo æquationem differentialem primariam reſolvere, & Curvas omnes algebraicas ex ea determinare, poſtea vero inter has, quæ Problemati ſatisfaciant, eruere, ſtudui; quo facto facile ad optatum finem perveni. Reſumo igitur æquationem §. 6, quæ ita diſpoſita eſt ſeparabilis: $\frac{du}{u} = \frac{p^2 dv - pv dv - v^2 dp - dp}{(pv+1)(p-v)}$. Quæ ut per logmos integrari queat, quæro, an non poſterius membrum in differentialia logmica ipſarum $pv+1$ & $p-v$ reſolvatur, & omnino illud deprehendo reſolvi in $\frac{pdv+vdp}{pv+1} - \frac{dp}{p-v}$. Unde integralis $lu = l(pv+1) + \int \frac{dp}{v-p}$. Quæritur nunc, qualis relatio debeat eſſe inter $p$ & $v$, ut hæc æquatio integralis fiat algebraica. Manifeſtum eſt, hunc in finem $\int \frac{dp}{v-p}$ etiam debere eſſe logmicam. Quare, cum $p$ quærere velimus per $v$, tollendum primo $dp$, quod fiet, reſolvendo $\int \frac{dp}{v-p}$ in $\int \frac{dp-dv+dv}{v-p}$, cujus integralis $= -l(p-v) + \int \frac{dv}{v-p}$, eritque propoſita ſumma logmica, ſi $\int \frac{dv}{v-p}$ ſit talis. Ponatur ergo hæc $= lV$, denotante $V$ functionem quamvis algebraicam ipſius $v$, fietque $p = v - \frac{Vdv}{dV}$. Hinc $\int \frac{dp}{v-p} = -l\frac{Vdv}{dV} + lV = l\frac{dV}{dv}$; in qua integratione additio conſtantis $lc$ non opus eſt, cum functio generalis $V$ eam jam includat. Æquatio vero integralis primo inventa erit $lu = l(pv+1) + l\frac{dV}{dv}$, adeoque $u = (pv+1)\frac{dV}{dv} = (v^2+1)\frac{dV}{dv} - Vv$. Quare nunc quæcunque functio al-

gebraica determinata ipſius $v$ aſſumatur pro $V$, dabuntur exinde $p$ & $u$ expreſſione mere finita. His etiam porro in æquatione 3) & 2) §. 6 ſubſtitutis, prodit $2y = \frac{(v^2+1)}{V}\frac{dV^2}{dv^2} - V$, $2x = 2(v^2+1)\frac{dV}{dv} - \frac{v(v^2+1)}{V}\frac{dV^2}{dv^2} - Vv$.

Hoc ergo modo detecti ſunt omnes modi poſſibiles, quibus $p$ $u$ poſſunt eſſe functiones ipſius $v$ algebraicæ, ita ut etiam Curva, in qua talis relatio obtinet, ſit algebraica.

11. Id nunc agendum, ut inter omnes Curvas algebraicas eæ inprimis ſeligantur, quæ Problemati noſtro ſatisfaciunt. Quod ut fiat, $p$ & $u$ debent ſpeciatim tales eſſe functiones algebraicæ ipſius $v$, ut prior contineat radicales, poſterior nullas. Requiritur ergo, ut $p = v - \frac{Vdv}{dV}$ ſit irrationalis, hoc eſt, ut ipſa $V$ ſit talis. Non autem $V$ debet eſſe radicalis ſimplex, alias enim (ut ex differentiatione logmor. conſtat) $\frac{V}{dV}$ foret adhucdum rationalis. Ponatur ergo $V$ componi ex partibus, rationali & irrationali, $R + \sqrt{S}$, ubi ipſa $S$ rationalis. Quare, cum $u = (v^2+1)\frac{dV}{dv} - Vv$ debeat eſſe rationalis, facta ſubſtitutione, neceſſe eſt, ut radicales ſe mutuo tollant, hoc eſt, ut ſit $\frac{(v^2+1).dS}{2\sqrt{S}.dv} - v\sqrt{S} = 0$, unde prodit $\frac{dS}{S} = \frac{2vdv}{v^2+1}$, cujus integralis $S = c^2(v^2+1)$, adeoque $V = R \pm c\sqrt{(v^2+1)}$. Quare, cum hoc modo non ſolum utrique conditioni ſatisfactum ſit, ſed id etiam, ob functionem $R$ indeterminatam, infinitis modis poſſibilibus; liquet deſideratam ſolutionem Problematis completam nunc eſſe in promtu. Subſtituto nempe valore $V = R \pm c\sqrt{(v^2+1)}$ in formulis §. 10 fiue, prodeunt expreſſiones ſequentes:

$$u = (v^2+1)\frac{dR}{dv} - Rv$$

$$p = \frac{\pm\left(\frac{v\,dR}{dv} - R\right)\sqrt{(v^2+1)} - c}{\pm\frac{dR}{dv}\sqrt{(v^2+1)} + cv}$$

$$2y = \frac{\frac{dR^2}{dv^2}(v^2+1) - R^2 - c^2 \pm 2c\left(\frac{v\,dR}{dv} - R\right)\sqrt{(v^2+1)}}{R \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$$

$$2x = \frac{\frac{2R\,dR}{dv}(v^2+1) - \frac{v\,dR^2}{dv^2}(v^2+1) - R^2v + c^2v \pm 2c\frac{dR}{dv}\sqrt{(v^2+1)}}{R \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$$

In his formulis $R$ denotat generatim functionem quamvis algebraicam rationalem ipſius $v$, $c$ autem conſtantem arbitrariam, quæ ex natura rei nunquam poteſt eſſe $=0$. Eæ igitur non ſolum, quicquid in hujusmodi Problematibus indeterminatis a Geometris deſiderari ſolet, præſtant; ſed & ſuam ſtatim demonſtrationem præ ſe ferunt, ex §. 3 facillime concinnandam. Etſi autem eæ haud adeo ſint ſimplices, id tamen nequaquam mirum videri poteſt perpendenti, quam complicatæ ſint formulæ (§. 2), quas ipſa rei natura pro reflexione in Curvis ſuppeditat, ut etiam Cel. Problematis Autor ipſe monuit. (Conf. *A. 1746 Menſ. April. pag. 231.*) Ceterum ad eliminandam $v$ pro obtinenda æquatione inter $xy$, commodius erit uſurpare alterutram formulam pro $x$, vel $y$, & hanc $x = u - vy$.

12. Applicemus nunc has formulas ad varias Curvas ſimpliciores eliciendas. Cum $R$ debeat eſſe functio rationalis ipſius $v$, ponatur primo $R = a$, & fiet $u = -av$; ſeu, ſcribendo $-a$ pro $R$, $u = av$, $p = \frac{\mp a\sqrt{(v^2+1)} - c}{cv}$, $2y = \frac{-a^2 - c^2 \mp 2ca\sqrt{(v^2+1)}}{-a \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$, $2x = \frac{-a^2v + c^2v}{-a \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$. Ad

 elimi-

eliminandam $v$ adhibeatur $x = u - vy$, unde $v = \frac{x}{a-y}$; quo in poſteriori æquatione ſubſtituto fit $\pm\sqrt{(x^2 + \overline{a-y}^2)} = \frac{a^2+c^2}{2c} - \frac{a}{c}y$, quæ formulæ omnes prorſus ſunt eædem cum inventis ſupra §. 8, ubi eſt $n$, quod hic $\frac{a}{c}$. Prodeunt igitur hoc modo ſectiones coni, ad rectam per focum $CA$, axi transverſo $EF$ normalem, relatæ, eſtque diſtantia

TAB. V focorum $CD = a$, $EF = c$.

Fig. 4. 13. Ponatur nunc $R = av$, fietque $u = a$, $p = \frac{-c}{\pm a\sqrt{(v^2+1)} + cv}$, $2y = \frac{a^2 - c^2}{av \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$, $2x = \frac{a^2 v + c^2 v \pm 2ca\sqrt{(v^2+1)}}{av \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$. Ob $x = a - vy$ fiet, ſubſtituendo $v = \frac{a-x}{y}$ in æquatione ipſius $y$, $\pm\sqrt{(\overline{a-x}^2 + y^2)} = \frac{a^2+c^2}{2c} - \frac{ax}{c}$, quæ penitus congruunt cum formulis

Fig. 2, 3. §. 7, poſito ibi $n = \frac{a}{c}$.

14. Sumatur porrò $R = av - b$, eritque $u = a + bv$, $p = \frac{\pm b\sqrt{(v^2+1)} - a}{\pm a\sqrt{(v^2+1)} + cv}$, $2y = \frac{a^2 - b^2 - c^2 + 2abv \pm 2cb\sqrt{(v^2+1)}}{av - b \pm c\sqrt{(v^2+1)}}$.

Æquatio vero $x = a + bv - vy$, ſeu $v = \frac{a-x}{y-b}$, ſubſtituta dat $\sqrt{(\overline{a-x}^2 + \overline{y-b}^2)} = \frac{a^2+b^2+c^2}{2c} - \frac{a}{c}x - \frac{b}{c}y$, æquationem pro ſectionibus coni, ad rectam quamvis per focum relatis, ubi $c$ axis transverſus, $b$ perpendiculum ex altero foco ad lineam abſciſſarum, $a$ diſtantia ejus perpendiculi a foco $C$.

15. Sit jam $R = av^2 \pm \beta v + \gamma$, fietque $u = av^3 +$ $(2a - \gamma)$

Digitized by Google

$(2a-\gamma)v+\beta$. Ponatur facilitatis cauſa $\beta=0$, $\gamma=2a$, fietque $u=av^3$, $p=\frac{\pm(av^2-2a)\surd(v^2+1)-c}{\pm 2av\surd(v^2+1)+cv}$. Si denuo ponatur ſimplicitatis ergo $c=2a$, procedet diviſio per $\surd(v^2+1)+1$, fietque $p=\frac{v^2-1\mp\surd(v^2+1)}{2v}$. Exinde autem prodit $y=\frac{1}{2}a(3v^2-2\pm 2\surd(v^2+1))$, $x=av^3-vy$. Quæ eſt ipſiſſima Curva, ſupra §. 9 fine inventa, quæque adeo poſt ſectiones coni videtur ſimpliciſſima. Si vero generatim ipſi $\gamma$ valor quivis tribuatur, prodibit æquatio generalior, §. cit. inventa, poſito $m=\frac{2a-\gamma}{a}$. Eodem modo ex unico hoc valore ipſius $R$, initio hujus §phi poſito, infinitæ aliæ derivari poſſunt Curvarum ſpecies. Pariter poni poterit $R=a+\frac{b}{v}+\frac{c}{v^2}$ &c. Quæ cum omnia ad ſolum calculum redeant, in iis amplius morari, operæ pretium non duco. Hoc ſaltem monebo, ſi ponatur $u=\frac{a}{v^2}$, eandem Curvam prodire, in qua erat $u=av^3$, ſed ſaltem ad axem priori normalem relatam; & generatim, ſi ſit $u=av^n$, eandem Curvam ad axem huic normalem præbere $u=av^{1-n}$; quod facile demonſtrabitur.

16. Sed, quo etiam in hac diſquiſitione fœcunditas Analyſeos pateat, liceat paucis exponere, quomodo formulæ finales §phi 11 alio adhuc ratiocinio, quam §. 10, 11, ex æquatione differentiali primaria derivari queant. Quemadmodum nempe ea ibi ita reſoluta eſt, ut $u$ ceu quæſita per $p\,v$ determinata ſit, ope æquationis $lu=l(pv+1)+\int\frac{dp}{v-p}$; ita nunc vice verſa quæram, quomodo ea integranda ſit, ut $p$ tanquam quæſita per $u\,v$ exprimatur. Quod etſi per regulas conſuetas reſolutionis æquationum differentialium directe fieri haud poſſe videatur, cum $p^2$, $p$, $dp$, ſimul in ea inſint; tamen id ex modo allata æquatione integrali ſequenti modo deducam. Cum in ea $p$ ſit ſub vinculo ſummatorio, pono pri-



Digitized by Google

mum $\int \frac{dp}{v-p} = lQ$, unde differentiando, iterumque integrando, fit $p = \int \frac{v\,dQ}{Q}$. Quo ſubſtituto, æquatio fit $u = v\int v\,dQ + Q$. Ex qua, differentiando, & denuo integrando, reperitur $Q = \frac{u}{v^2+1} + \frac{v}{\sqrt{(v^2+1)}} \int \frac{u\,dv}{(v^2+1)^{\frac{3}{2}}}$. Quare, cum antea inventa ſit $p$ per $Q$, exprimetur nunc eadem per $u\,v$, nempe $p = \frac{u-Q}{vQ} = \frac{uv - \sqrt{(v^2+1)}S}{u+v\sqrt{(v^2+1)}S}$, ubi $S = \int \frac{u\,dv}{(v^2+1)^{\frac{3}{2}}}$, quæ eſt integralis quæſita æquationis differentialis primariæ. Ut jam hanc formulam uſui præſenti accommodem, quæro iterum primo Curvas algebraicas. Quem in finem $S$ debet eſſe functio ipſius $v$ algebraica. Putetur factum, & fit $u = (v^2+1)^{\frac{3}{2}} \frac{dS}{dv}$, & $p = (v(v^2+1)\frac{dS}{dv} - S):((v^2+1)\frac{dS}{dv} + vS)$. Sumta ergo pro $S$ functione quavis algebraica, fient $u\ p$, hinc & ipſæ $x\,y$, algebraicæ. Ut jam ex his detegantur Curvæ Problematis, fieri debet $u$ functio rationalis, $p$ irrat.; ideoque $S$ irrat., ſed talis, ut $(v^2+1)^{\frac{3}{2}}\,dS$ fiat rationalis. Ponatur ergo $S = \frac{R}{\sqrt{(v^2+1)}} + c$, poſita $R$ rationali, quo ſubſtituto, prodit $u = (v^2+1)\frac{dR}{dv} - Rv$, prorſus ut ante, pariterque $p\,y\,x$ valores ſuos præcedentes accipiunt.

17. Reſtat, ut adhuc de caſu particulari, ſub hoc Problematis contento, paralleliſmi puta, ſeu quo punctum $C$ infinite diſtat, mentionem faciam. Etſi enim hunc caſum in nupero *Schediaſmate* jam prolixe pertractaverim, & formulas generales, quibus omnes Curvæ algebraicæ ſimul continentur, exhibuerim; operæ tamen pretium erit, oſtendiſſe, quomodo idem ex hac ſolutione generali derivari poſſit, cum hæc ipſa

Digitized by Google

ipſa non ſine quadam cautela ad illum ſit applicabilis. Abeunte enim initio abſciſſarum $C$ in $\infty$, ſeu ipſis $u$ $x$ infiniteſcentibus, formulæ §phi 11 nulli amplius uſui veniunt, nec ulla quantitas finita pro $R$ aſſumta propoſito ſatisfacere poteſt. His non obſtantibus, æquatio Curvæ finita ſequenti modo elicietur. Sumatur in axe punctum $A$, a quo abſciſſæ hoc caſu computentur; dicatur abſciſſa nova $AP = x$, & $AV = u$; diſtinctionis gratia autem rectæ $\infty$tæ $CP$, $CV$, quæ hactenus fuerunt $x$, $u$, ſint nunc $X$, $U$, diſtantia vero $\infty$ta $CA$ ſit $= a$. His poſitis, eſt $U = a - u$, id eſt, valor ipſius $U$, formulis præced. expreſſus, debet nunc fieri talis, ut conſtet quantitate $\infty$ta, a qua ſubducitur finita. Exinde colligi poteſt, qualis nunc fieri debeat functio $R$. Etenim ex valore (§. *11*) $u = (v^2+1)\frac{dR}{dv} - Rv$, vel etiam ex exemplis §. *12 ſeq.* patet, ſi ibi loco $u$ fieri debeat $a+u$, pro $R$ ſumendum eſſe $av+R$, item ſi pro $u$ fieri debeat $-u$, pro $R$ ſumendum eſſe $-R$. Ex quo ſequitur, ſi pro $u$ habere velimus $a-u$, pro $R$ ſcribendum eſſe $av-R$. Ponatur ergo $R = av - r$, denotante $r$ functionem quamvis finitam algebraicam rationalem ipſius $v$, &, hoc ſubſtituto, fit $U = a - (v^2+1)\frac{dr}{dv} + rv$, qualis requiritur; adeoque $u = a - U = (v^2+1)\frac{dr}{dv} - rv$.

TAB. V Fig. 5.

Cum vero valor ipſius $R$ modo aſſumtus ſit conditionibus §. *11* congruus, etiam valores ipſarum $u$, $p$ & $c$, hac ſubſtitutione porro prodeuntes, Problemati ſatisfacient. Fit autem

$$p = \frac{\mp\left(\frac{vdr}{dv} - r\right)\surd(v^2+1) - c}{\pm\left(a - \frac{dr}{dv}\right)\surd(v^2+1) + cv}.$$

Quare, cum $p$, nempe *tang.* $PMT$, ex natura rei ſit finita, & in denominatore hic ſit quantitas $\infty$ta $a$, hoc fieri nequit, niſi & in numeratore talis adſit; ſed $r$ eſt finita; quare, $c$ $\infty$ta ſit, neceſſe eſt. Ponatur ergo conſtans arbitraria $c = a$, fietque $p =$

— 1

Digitized by Google

$$\frac{-1}{\pm\sqrt{(v^2+1)}+v} = v \mp \sqrt{(v^2+1)},$$ adeo, ut $r$ ex valore ipſius $p$ prorſus abeat; quod & ita eſſe debere, a priori ex eo patet, quod poſitio radii reflexi $MV$ a ſola poſitione tangentis $MT$ pendeat, cum nempe ſit $PVM = 2PTM$. Porro invenietur $y$ (omittendo finitas, præ $\infty$tis $ac$ evaneſcentes, & dividendo per $v+\sqrt{(v^2+1)}) = r \mp \frac{dr}{dv}\sqrt{(v^2+1)}$, & $x = a - X = a - (U - vy) = u + vy = (v^2+1 \mp v\sqrt{(v^2+1)})\frac{dr}{dv}$. Quæ omnia cum iis, quæ in *Schediaſmate* cit. (*pag.* 233 §. 12) diverſo admodum ratiocinio inventa ſunt, optime conſpirant.

18. Hæc ſunt, quæ ſolutionem Problematis analyticam abſolvere videntur. Dici poſſent multa forſan brevius; ſed, integram methodum, qua pedetentim in hac Analyſi proceſſi, clare exponere, ſatius duxi. Liceat ſaltem adhuc monere, methodum, qua ex proprietate Curvæ ad æquat. inter coordinatas perventum eſt, ita eſſe comparatam, ut non ad hujus ſolum, ſed & ad aliorum Problematum, ubi ex proprietate quadam Curvæ catoptrica quæritur ipſius æquatio, ſolutionem facile adhiberi queat. Nam, ſi detur quædam relatio inter diſtantiam concurſus radii reflexi, hoc eſt, $CV$, ſeu $u$, & angulum ejusdem cum axe $V$, hoc eſt, $v$, exinde ope æquationis (§. 16) $p = uv$ &c., & æquationibus 3) & 2) §. 6 dabuntur coordinatæ $y$ $x$ per alterutram $u$, vel $v$, ideoque, eliminando illam, ipſa Curvæ æquatio; ſimulque conſtat, hanc fore algebraicam, quoties $\int \frac{u\,dv}{(v^2+1)^{\frac{3}{2}}}$ eſt algebraica. Vel, ſi detur relatio inter poſitionem radii reflexi $MV$, & tangentis $MT$, hoc eſt, inter $v$ & $p$, pariter ex æquatione (§ 10) $lu =$ &c. & æquationibus 3) & 2) §. 6 invenitur æquatio Curvæ; quæ ut ſit algebraica, requiritur, ut $\int \frac{dp}{v-p}$ ſit logarithmica. Simili modo, data relatione inter alias quantitates, ad Curvam, vel ad poſitionem radii incidentis, vel reflexi, pertinentes,

TAB. V Fig. 1.

Digitized by Google

ſtinentes, ope præcedentium tales condi poſſunt formulæ, ceu totidem theoremata generalia, ad ſolutionem ejusmodi quæſtionum methodi tang. inverſæ apprime utilia, cum infinita Problemata particularia ſub ſe comprehendant, pro quibus ſingulis alias totidem æquationes differentiales reſolvendæ eſſent. Supereſt exponenda adhuc ſolutio Problematis noſtri geometrica, quæ non ſolum perfacilem conſtructionem pro Curvis omnibus deſideratis exhibet, ſed & ejus eſt naturæ, ut exinde alia nova, & ab omnibus ratiociniis præced. prorſus independens, ſolutio ejusdem analytica, cum præcedente tamen perfecte congruens, deduci queat. Sed, cùm præſens Schediaſma jam paulo longius evaſerit, eandem peculiari additamento ſum exhibiturus.

Errata quædam, in *Schediaſmate priori pag. 225 ſeq.* relicta, Lector benevolus, ſi placet, ita corrigat: §. *1 lin. ult.* pro *MOV* leg. *MVO*; §. *5 lin. 7* a fine l. *punctum Curvæ* m *reſpondeat; niſi enim hoc eſſet, radius* m n, *pro incidente ſumtus, non etiam reflecteretur in V. Fig. 1* jung. *R μ* & *r μ*, item *mt S. Fig. 3* in recta *a b* pro C l. O.

## *CORNELIUS NEPOS DE VITA EXCELLENTIUM Imperatorum, ex recognitione STEPH. AND. PHILIPPE.*

Lutetiæ Pariſiorum, ſumtibus Mich. Steph. David, 1745, 12. Alph. 1 plag. $5\frac{1}{2}$.

Elegans eſt iſthæc editio, plena, & accurata; ſplendida quoque, pro modo ſuo, figuris quippe æneis minoribus, Imperatorum præſertim imagines referentibus, inſtructa. Initium facit *Dionyſii Lambini*, Monſtrolienſis, Græcarum literarum Lutetiæ doctoris regii, ad *Erricum Valeſium* Præfatio, Lutetiæ A. 1568 ſcripta. Sequuntur teſtimonia de *Cornelii Nepotis* vita & ſcriptis; *Gerb. Jo. Voſſii de Hiſtoricis Latinis Lib. I Caput 14* ſatis fuſum; hinc *Euſebii* in *Chronico*, *Pomponii Melæ IV, 5*, *Plinii III, 18, IX, 39, X, 33*, *Catulli* Veronenſis ad *Nepotem*, *Auſonii* ad *Drepanium Pacatum Latinum*, *M. T. Ciceronis* in *Ep. ad Atticum XVI, 5*, *Hieronymi de Vita Scriptor. eccleſiaſt.* *Auſonii* ex *Epiſt. XVI* ad *Probum* Præf., *A. Gellii XV, 28*, ipſius *Nepotis* in *Attici* vita, *Tertulliani* ex *Apologetico Cap. 10*, & *Lib. II ad nationes Cap. 12*, *Minucii Felicis* ex *Octavio*, *Lactantii Firmiani Lib. I Cap. 13*, *Plinii junioris Lib. IV Ep. 28*, *Lib. V Ep. 3*, *Onuphrii Panvinii* in *Catalogo illuſtrium Scriptorum Veronenſium*, *Lib. VI*



Digitized by Google

*Antiquitatum*, *Jo. Savari* de huius libri autore, *Petri Nannii de claris Corneliis*, *Oberti Giſanii Collectan. Lucretian.* in *Refutatus*, *Andreæ Schotti* in Epiſtola ad Lect. *Notis* in *Fragm. Nepotis* ſubjecta, *Caſp. Barthii* in *Adverſ.*, *Jac. Bongarſii* epiſtola ad *Jo. Nœlium*, *Jo. Henr. Bœcleri* in Commentario ad *Berneggerum*, & alibi. Poſt *Cornelianum* contextum, qui ſine ullis obſervationibus, nitidus autem, accuratus, atque delectans, apparet, ſuccedunt *Cornelii Nepotis* fragmenta, quæ reperiri potuerunt, omnia, olim ſummo *Andreæ Schotti* ſtudio collecta, nunc recenſita, emendata, & alicubi aucta. Iſthæc Chronologia excipit imperatorum Græciæ apud *Cornelium Nepotem*, olim ab *Andrea Schotto* concinnata, nunc paſſim correcta, aucta, & interpolata. Acceſſerunt ſeries annorum *Catonis* per eundem *Schottum*, & *Henr. Ernſtii* Chronologia hiſtoriæ *T. Pomponii Attici*. Agmen claudunt rerum ſingularium index, & Catalogus editionum *Cornelii Nepotis* de vita excellentium imperatorum. Index non eſt ad ordinem literarum, ſed imperatorum, accommodatus, atque e. g. ex *Miltiade* conjunctis Capitibus & paginis propoſita excerpit: *Miltiades*, dux colonorum, in itinere a Lemniis irridetur *Cap. 1*; Cherſoneſo potitus, Lemnum capit & Cycladas *Cap. 2*; *Dario* Scythis bellum inferente, pontis cuſtos conſilium dat excutiendæ dominationis Perſicæ, ſed ab *Hiſtiæo* impeditur, *Cap. 3*; *Dario* Rege in Græcos movente, autor ſuis eſt, ut obviam hoſti eant, *Cap. 4*; ante ſociorum adventum *Darium* vincit Marathonia pugna *Cap. 5*; victoriæ præmium accipit *Cap. 6*; inſulæ Pari oppugnatione omiſſa, damnatus in vinculis moritur *Cap. 7*; metus autem populi vera cauſa damnationis *Miltiadis* erat *Cap. 8*. Non igitur niſi argumenta ſunt *Capitum*, eademque nec ipſa nova videntur, ut etiam in iis, quæ *Schottus* conſignarat, parum invenimus emendationum ac ſupplementorum. Quoniam vero non eſt noſtrum, recoquere cramben, ne verbum quidem ulterius addi opus eſt. Neque tamen ideo diffitemur, utilitatem ſuam vel repetitam iſthanc editionem habere, atque illam, ob internum maxime ſcriptoris pretium, ampliſſimam.

## *BREVIS NARRATIO DE VITA JOSIÆ WEITBRECHTI, M. D. Profeſſoris Anat. & Phyſiol. & Academici Petropolitani, nuper beato obitu exſtincti.*

Amiſ-

Digitized by Google

Amiſit dudum multos ad laudem inſignes Viros Academia imperialis Petropolitana, ex quo, Profeſſoribus, magni quoque nominis, convocatis, ſummaque liberalitate ornatis, Muſas inſuetis antea gentibus ſaluberrimo conatu inferre maximus conditor inſtituerat. Sed memorabilem, & quæ advertere animos exterorum poſſit, jacturam non per intervalla, ſed uno prope tempore, fecit, & illo ipſo quidem, quo magnificam ejus inſtaurationem publica ubivis fama, forte ex optimi cujusque votis omnibusque, annuntiabat. *Joſepho* ſiquidem *Nicolao Deliſlio*, Aſtronomiæ, & *Jo. Georgio Gmelino*, Chemiæ Hiſtoriæque naturalis, primariis Profeſſoribus, poſtquam diu efflagitaſſent, data tandem miſſione, tertium locum Profeſſoris Phyſiologiæ & Anatomiæ vacuum fecit mors Cl. *Weitbrechti*, ut, qui tres ordine atque loco primi erant, ſimul erepti quaſi videantur, quo ſui deſiderium eo majus commovere poſſent. Quid? quod id ipſum tempus, tam iniquum & fatale illius Academiæ rationibus, multiplicavit hæc damna, & tanquam vulnera, nondum ducta cicatrice, reſcidit, triſti nuntio de *Stelleri* obitu, qui tot indefeſſæ & immenſæ diligentiæ monumenta, feſtinata licet, nec quæ ultimam manum omnia receperint, pignora futuræ ſuæ gloriæ, niſi fata interceſſiſſent, Academiæ ſubmiſerat, ut tota illa ſpes, quæ de illius egregia induſtria concepta erat, modo hanc illi poſt reditum incolumi ad maturam convertere operam licuiſſet, ſi non ſublata jam ſit & exſtincta, rejicienda tamen in alienam curam atque fidem videatur, ſi forte poſthac novus in illa Academia Hiſtoriæ naturalis Profeſſor, redigendis in ordinem tot affectis, necdum abſolutis, laboribus, hujus gloriæ conſulere, quam quærere ex novis conatibus ſuam, malle, ſit ſperandus. Ceterum, cum duo illi primi, *Deliſlius Gmelinus*que, Viri ampliſſimi, & magno literarum bono ſuperſtites, tam præclare inſtitutum hunc gloriæ curſum, quod haud vane auguramur, ſub alio cœlo fauſtius perſecuturi ſint, impleturique illa ſpatia, quæ vividæ vegetæque virtuti & immenſæ doctrinæ eorum ullis necdum finibus circumſcripta patent, non erit neceſſe, ut prima atque media illorum ad laudem vitæ memorando nunc præcipiamus, quæ ſero ævo & poſterorum ætati deberi integra ſentimus & optamus. De



Digitized by Google

*Antiquitatum*, *Jo. Savari* de huius libri autore, *Petri Nannii de claris Corneliis*, *Oberti Giſanii Collectan. Lucretian.* in *Refutatus*, *Andreæ Schotti* in Epiſtola ad Lect. *Notis* in *Fragm. Nepotis* ſubjecta, *Caſp. Barthii* in *Adverſ.*, *Jac. Bongarſii* epiſtola ad *Jo. Nœlium*, *Jo. Henr. Bœcleri* in Commentario ad *Berneggerum*, & alibi. Poſt *Cornelianum* contextum, qui ſine ullis obſervationibus, nitidus autem, accuratus, atque delectans, apparet, ſuccedunt *Cornelii Nepotis* fragmenta, quæ reperiri potuerunt, omnia, olim ſummo *Andreæ Schotti* ſtudio collecta, nunc recenſita, emendata, & alicubi aucta. Iſthæc Chronologia excipit imperatorum Græciæ apud *Cornelium Nepotem*, olim ab *Andrea Schotto* concinnata, nunc paſſim correcta, aucta, & interpolata. Acceſſerunt ſeries annorum *Catonis* per eundem *Schottum*, & *Henr. Ernſtii* Chronologia hiſtoriæ *T. Pomponii Attici*. Agmen claudunt rerum ſingularium index, & Catalogus editionum *Cornelii Nepotis* de vita excellentium imperatorum. Index non eſt ad ordinem literarum, ſed imperatorum, accommodatus, atque e. g. ex *Miltiade* conjunctis Capitibus & paginis propoſita excerpit: *Miltiades*, dux colonorum, in itinere a Lemniis irridetur *Cap. 1*; Cherſoneſo potitus, Lemnum capit & Cycladas *Cap. 2*; *Dario* Scythis bellum inferente, pontis cuſtos conſilium dat excutiendæ dominationis Perſicæ, ſed ab *Hiſtiæo* impeditur, *Cap. 3*; *Dario* Rege in Græcos movente, autor ſuis eſt, ut obviam hoſti eant, *Cap. 4*; ante ſociorum adventum *Darium* vincit Marathonia pugna *Cap. 5*; victoriæ præmium accipit *Cap. 6*; inſulæ Pari oppugnatione omiſſa, damnatus in vinculis moritur *Cap. 7*; metus autem populi vera cauſa damnationis *Miltiadis* erat *Cap. 8*. Non igitur niſi argumenta ſunt *Capitum*, eademque nec ipſa nova videntur, ut etiam in iis, quæ *Schottus* conſignarat, parum invenimus emendationum ac ſupplementorum. Quoniam vero non eſt noſtrum, recoquere cramben, ne verbum quidem ulterius addi opus eſt. Neque tamen ideo diffitemur, utilitatem ſuam vel repetitam iſthanc editionem habere, atque illam, ob internum maxime ſcriptoris pretium, ampliſſimam.

## *BREVIS NARRATIO DE VITA JOSIÆ WEITBRECHTI, M. D. Profeſſoris Anat. & Phyſiol. & Academici Petropolitani, nuper beato obitu exſtincti.*

Amic

Digitized by Google

Amiſit dudum multos ad laudem inſignes Viros Academia imperialis Petropolitana, ex quo, Profeſſoribus, magni quoque nominis, convocatis, ſummaque liberalitate ornatis, Muſas inſuetis antea gentibus ſaluberrimo conatu inferre maximus conditor inſtituerat. Sed memorabilem, & quæ advertere animos exterorum poſſit, jacturam non per intervalla, ſed uno prope tempore, fecit, & illo ipſo quidem, quo magnificam ejus inſtaurationem publica ubivis fama, forte ex optimi cujusque votis omnibusque, annuntiabat. *Joſepho* ſiquidem *Nicolao Deliſlio*, Aſtronomiæ, & *Jo. Georgio Gmelino*, Chemiæ Hiſtoriæque naturalis, primariis Profeſſoribus, poſtquam diu efflagitaſſent, data tandem miſſione, tertium locum Profeſſoris Phyſiologiæ & Anatomiæ vacuum fecit mors Cl. *Weitbrechti*, ut, qui tres ordine atque loco primi erant, ſimul erepti quaſi videantur, quo ſui deſiderium eo majus commovere poſſent. Quid? quod id ipſum tempus, tam iniquum & fatale illius Academiæ rationibus, multiplicavit hæc damna, & tanquam vulnera, nondum ducta cicatrice, reſcidit, triſti nuntio de *Stelleri* obitu, qui tot indefeſſæ & immenſæ diligentiæ monumenta, feſtinata licet, nec quæ ultimam manum omnia receperint, pignora futuræ ſuæ gloriæ, niſi fata interceſſiſſent, Academiæ ſubmiſerat, ut tota illa ſpes, quæ de illius egregia induſtria concepta erat, modo hanc illi poſt reditum incolumi ad maturam convertere operam licuiſſet, ſi non ſublata jam ſit & exſtincta, rejicienda tamen in alienam curam atque fidem videatur, ſi forte poſthac novus in illa Academia Hiſtoriæ naturalis Profeſſor, redigendis in ordinem tot affectis, necdum abſolutis, laboribus, hujus gloriæ conſulere, quam quærere ex novis conatibus ſuam, malle, ſit ſperandus. Ceterum, cum duo illi primi, *Deliſlius Gmelinus*que, Viri ampliſſimi, & magno literarum bono ſuperſtites, tam præclare inſtitutum hunc gloriæ curſum, quod haud vane auguramur, ſub alio cœlo fauſtius perſecuturi ſint, impleturique illa ſpatia, quæ vividæ vegetæque virtuti & immenſæ doctrinæ eorum ullis necdum finibus circumſcripta patent, non erit neceſſe, ut prima atque media illorum ad laudem vitæ memorando nunc præcipiamus, quæ ſero ævo & poſterorum ætati deberi integra ſentimus & optamus. De



Digitized by Google

*Stellero* autem quia nondum comperti quidquam, quod ad vitam illius atque præclaros labores attinet, inde, ubi ſpatium gloriæ atque meritorum nactus fuerat, accepimus, narrare nihil poſſumus, quod non fama paſſim vulgatum, & dolore ac deſiderio eorum, quibus forte adhuc in Ruſſia literas ex animi ſententia colere officium, vel propoſitum, eſt, ſit teſtatiſſimum. Relicta ergo ſtudio, quo in literas ferimur, & pietati, qua de illis bene meritos colimus, una hæc doctis hominibus operam gratam navandi occaſio eſt, ut, quæ partim ex Ruſſia, partim ex Viri patria, impetrare potuimus de vita & memoria corpore quidem nuper exſtincti, at meritis ac fama nunquam morituri, *Joſiæ Weitbrechti*, eximii & communis patriæ & Academiæ, quam ornabat ſuperſtes, decoris, brevi narratione compoſita, affectibus bonas artes candide & ſine invidia, aut adulatione, æſtimantium impertiamur.

Ita ſane meretur, qui nunc vixit, Clariſſ. quondam M. D. & Profeſſor atque Sodalis Petropolitanæ Academiæ, *Joſias Weitbrechtus*, pium hoc, etſi breve, uti tulit difficultas rei ob intervalla locorum, unde ſi notitiam aliquam, at non commentarios quoque, nanciſci poſſumus, nec aliud nominis claritas exigat, præconium & vitæ commemorationem, ex qua poſteri ſummatim, quæ illius memoriam deſideriis hominum eruditorum commendent, & decora Viri, literas multo ſucceſſu, dum viveret, ornantis, cognoſcant. Schorndorffii, quod eſt oppidum ditionis Würtenbergicæ, natus eſt patre, Viro honeſtiſſimo, qui locum in curia illic obtinet, vivusque nunc mortem filii luget. Natalis ei fuit d. VII Cal. Nov. A. 1702. Indoles, quæ in puero elucebat, parentibus, ut ſtudiis literarum hæc ſua vota deſtinarent, perſuaſit. Primis illarum elementis in ſchola patrii oppidi Schorndorffii publica imbutus, poſtea honeſtiſſimam animi cupiditatem ſecutus in cœnobiis, Dinckendorffenſi & Blaubeverano, Minervam teneræ ætatis maturato profectu coluit, donec in Academia Tubingenſi cœtui juvenum, publice conſtituta liberalitate ſtudia æmulantium, adſcriptus, docilitate mira ingenii præceptores ſic cepit, ut de exercitationibus tironis facile conjecturam facerent, quibus viri uſu rationis aliquando confirmatam ætatem eminere ſit neceſſe. Quare deinde, inſtituta Petropoli impe-

Digitized by Google

imperiali Academia, commendatione Ill. *Bulffingeri*, quondam Profeſſoris illic, nunc Ducis Würtenbergici a conſiliis interioribus, Sodalisque honorarii illius Academiæ imperialis, eo eſt vocatus, ut locum inter eos occuparet, qui vicariam Profeſſoribus operam præſtant, Adjunctique vocantur. Eo ipſo tempore, cum conſtituiſſet honores Academicos petere, dignitatem Magiſtri Philoſophiæ in Tubingenſi Academia obtinuit, illaque capeſſendis poſtea illuſtrioribus muneribus quaſi præluſit. Hinc a Cel. *Duvernoio*, Tubinga Petropolim ad publicam Profeſſionem & locum in Academia ordinarium invitato, una cum Cel. *Krafftio*, cui tunc itidem munus Adjuncti delatum erat, in comitatum itineris adſcitus, extremo anni 1725 illuc venit. Ibi, cum antea ſoli ſe Philoſophiæ & mathematicis ſtudiis dediſſet, animum, iſtis tam auſpicato præparatum inſtructumque, ad artem medicam, Anatomiam præcipue atque Clinicam, adjecit, cum quibus ubi chirurgicarum ἐγχειρήσεων quoque dexteritatem conjunxiſſet, poſtremis vitæ annis ipſam obſtetricandi artem non infeliciter attigit; mira prorſus celeritate ingenii, quacum multiplicis adjumenta doctrinæ & indefeſſæ diligentiæ contentionem ſemper conjungebat, ad quaslibet res aptus, quibus ſe dedebat. Itaque hac ſtudiorum commendatione eam ſibi brevi exiſtimationem peperit, ut omnium Academicorum ſententiis A. 1730 dignus munere Profeſſoris Medicinæ renuntiaretur; commodum tunc vacante loco Profeſſionis Phyſiologiæ, quam depoſuerat *Daniel Bernoullius*, translatus ad Matheſeos ſublimioris ex altiori cathedra docendæ munus. Impoſitam autem publica Academiæ autoritate hanc ſtationem ſic ſedulitate, vigilantia, & præclaris conatibus, ſtrenue obivit, & curas, quas officii religio poſcebat, ſevere exercuit, atque dignitatem acceptam ab eo Collegio, quod fama ac celebritate ſodalium, ſplendore & ſalubritate inſtituti, tum laborum atque ſtudiorum longe pulcherrima contentione, & læto quaſi quodam proventu omnium gentium atque nationum, inter quas literis honos eſt, oculos in ſe dudum converterat, adeo illuſtravit, ut dubitari potuerit, magisne ipſe Academiæ ſuffragiis ſit honeſtatus, an vero ejus meritis ac ſolertia Academicorum judicium ſit ornatum, cui quantum conſtiterint rationes, ex tam



Digitized by Google

tam auſpicatis poſtea ejus auſibus, & tot monumentis ingenii, patuit. Perſpectum enim mox ſucceſſu ſtudiorum ejus profectibusque eſt, quam ſalubre ac frugiferum Academiæ rebus conſilium id fuerit. Quippe, cum egregio tot illuſtrium virorum exemplo mathematicam diſciplinam ad excolendam via atque ratione Phyſiologiam attuliſſet, præparatus inſtructusque reliquis quoque omnibus adjumentis, quibus adjuvari literæ, earumque illuſtrari decora, poſſunt, tam utilem iſti Academiæ operam navavit, ut & cultum horum ibi ſtudiorum longe plurimum promoveret, & gloriæ nominique Academico ad exteros, &, ſi quid noſtra auguria valent, ad poſteros quoque, conſuleret. Ampla mens Viri, ingenium agile ac ſolers, non conſiſtere ad unius ſtudii fines atque orbem illius induſtriam patiebantur. Hinc artem, incidendis corporibus atque viſceribus, inteſtinisque ſcrutandis, cognoſcendi figuram ſitumque partium, in quam præcipuo quodam amore ferebatur, ſemper ſummo ardore coluit. Vix aliquis numerum ineat exercitationum, quas in omni parte hujus ſtudii inſtituit, cum ut ipſe ſubtilius omnes rationes, quibus humani corporis membra & partes natura machinata eſt, inveſtigaret, tum ut diſcere cupientibus, ſubjiciendo oculis ipſa, quæ incidebat, corpora, & experimenta monſtrando, ſuæ ſolertiæ emolumenta gratificaretur. Fuit enim tam aſſiduus in ea re, ut non modo creberrimam frequentiam ſtudioſorum quotannis in auditorium, Anatomicis uſibus ſerviens, conciverit, ubi condicere auditoribus publicam operam ſolebat, ſed lætatus quoque ſit, quoties, Profeſſore Anatomiæ valetudine, aut aliis cauſis, ab officio prohibito, ſibi alienas ſuſtinendi partes facultas daretur. Tunc convolantem ad ſubſellia cupide juventutem atque ſtudioſam turbam, attentis auribus animisque ab alacri ejus ore pendentem, voce prompta & artis accuratis præceptis tenere, & ſpectaculis jucundis dextræ atque exercitatæ manus ſatiare, conſueverat. Ita autem hujus operæ ſtadium ſæpe decucurrit, ut totum abſolveret, quantus ambitus tribui ex ratione Academicarum ἀκροάσεων poteſt. Habuit ejus diligentiæ honorem Academia, ut munus Profeſſoris Anatomiæ, quod ab aliquot annis vacuum vicaria opera adminiſtraverat, poſtremo vitæ anno ordinarium ei præter priſtinam Profeſſio-

nem

nem mandaret. Monumenta ingenii, quibus eum tot laborum fructum conſecutus eſt, ut non vivus ſolum egregia apud exteros fama floreret, ſed graviſſimorum quoque hominum, arbitrorum artis ſuæ, aſſenſum & judicium, pignus futuræ inter poſteros claritatis, ſpe facile præciperet, hæc fere exſtant, quæ in Commentariis Academiæ Petropolitanæ publicata, non grato tantum eruditorum plauſu ſunt excepta, ſed adhuc quoque ſunt eruntque in omnium manibus, diligenter iis legenda, qui ſignatarum ejus veſtigiis artium curriculis ſeveriori ſe volent lege committere. Teſtimonium honorificum ejus laudibus publico diplomate Academia Regiomontana A. 1736 perhibuit, cum dignitatem Doctoris Medicinæ abſenti tribueret, reddita hac honoris habiti ratione, quod decorandum illum, ob ubique jam vulgatam famam, cenſuerit, etiamſi illa adduci non debuiſſet, ſatis ceteroquin mota magna ejus, & diu vulgi turbam ſupergreſſa, doctrina, cujus cum alibi clara ſpecimina ediderit, tum luculentum in præſens documentum Diſſertationem inauguralem *de Febre petechizante*, in lucem illic editam, ſubmiſerit. Quia autem, ut jam diximus, tota mente fere ad anatomica ſtudia rapiebatur, ad quæ ſe ſubinde referebat, eaque ſemper retenta animo, etſi nonnunquam aliis remiſſa occupationibus, neque tamen longo intervallo intermiſſa, revocabat, quoties paulum modo laxamenti nactus erat, multa ſedulitate inquirebat in naturam atque opificium partium corporis humani, cujus laboris multas Commentationes Academiæ jam vivus tradidit, & moriens quoque bonam partem reliquit. Inprimis multum Academiæ gloriæ & ſuæ ipſe famæ profuit ultimis annis lecto argumento, in quo per nullius antea veſtigiis tritum iter incedens, largam nove inventorum exactiſſimarumque obſervationum materiem, diu præparatam, ſemel tandem oculis hominum doctorum objecit. Exſtat ille liber, teriturque manibus artis ſalutaris antiſtitum, quos a vulgo eruditionis faſtigium ſegregat, & firmiſſimo pignore nomini *Weitbrechtiano* poſteros obligavit. Publicatus enim eſt in Academia Petropolitana, eo ornatu atque cultu, qui vel ipſe ſatis incurioſos alliciat, inſcriptusque eſt: *Syndesmologia, ſeu de ligamentis corporis humani*. Eo autem magis Viri induſtriam mirabantur, qui præ-

ſentem

Digitized by Google

ſentem noverant, ut vix conciperent animo, quomodo in tot ſimul curas diſtractus, ad manum monumentis ingenii elaborandis adjiciendam ſufficeret. Contracto enim A. 1731 cum honeſtiſſima virgine *Catharina Sophia Duropia*, Hafnienſi, matrimonio, ſuſceptisque poſtea quatuor filiis & tribus filiabus, quorum utrorumque binos ſuperſtites reliquit, ut & poſthumam ejus prolem mater gravida relicta aliquot poſt funus mariti menſibus enixa eſt; ad alendam tam numeroſam familiam curam atque induſtriam res familiaris poſcebat. Hinc curandis in tam ampla & civibus frequenti urbe ægris, augenteque opem ejus implorantium multitudinem ſucceſſu, tum multis ab officii religione impoſitis laboribus prorſus implicitam exercitatamque vitam degebat. Erat tamen animo ſuſtinendis tot undique negotiis plane magno & conſtanti, quem ſapientiæ quoque præcepta muniverant & duraverant quaſi, ut fidum ſtudioſæ juventutis præceptorem, expertum atque ſollicitum Medicum, amicum integrum atque candidum erga omnes, quos obſervare jura amicitiæ judicaverat, patrem vero familiæ indulgentem citra remiſſionem & humanitatis fine ſeverum, nulla res ab honeſtis propoſitis, atque omni genere officiorum, abſtineret, priusquam undique quaſi agmine ingruens inveterati vis morbi ab omni ſolito munere rejectum lecto affigeret. Tunc ſigna mortis prope inſtantis & notavit ipſe, & mente contra ultimi terroris, quo mortalium plerumque dejici ad formidinem pectora, & ferociſſimi quoque mitigari, ſolent, exſpectationem erecta, divinisque præceptis confirmata, totus jam cœlo imminens, lætoque ex hac vita exitu, ut ſapientem decebat, piumque & ſubmiſſum Deo animum religio præparabat, tot quamvis pignora linquens, conſtans atque inconcuſſus Deo evocanti parebat, eminente animo patrio, cum hilarus & ſerenus vultus ſpectaculo eſſet, dum ultimum adſpectu liberorum circumſtantium ſatiatus ipſe gemitus compeſceret, præceptisque ſupremis pietatem ſolum & honeſtatem illis ſolatia calamitatum & ad felicitatem præſidia proponeret; donec, commendatis illis amicorum fidei, hymnis Deo ſervatori cani juſſis, iis ipſis vocibus, quibus momenta ſubrepentis mortis, naturali inteſtinorum vitio certæ, indicabat, defecit.

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXLVII.

*SACRA CONCILIA ECCLESIÆ ROMANO-CAtholicæ in Regno Hungariæ, celebrata ab A. C. 1016 uſque ad annum 1734. Accedunt Regum Hungariæ & Sedis Apoſtolicæ Legatorum Conſtitutiones Eccleſiaſticæ. Ex MSS. potiſſimum eruit, collegit, illuſtravit, CAROLUS PETERFY, e Societate Jeſu. Pars ſecunda, in qua Concilia & Conſtitutiones ab A. C. 1657 uſque ad annum 1734 prodeunt.*

Poſonii, typis hæredum Royerianorum, 1742, fol.

Alph. 5 plag. 2.

Redit in ſcenam Hungariæ Conciliorum ſcriptor, homo mitiſſimus atque leniſſimus, ſi Diis placet, *Carolus Peterfyus*, Baro, atque *alterum* Operis *Volumen*, doctum, Jupiter, & laborioſum, exhibet, dignum, quod Commentarii noſtri, pro eo ac meruit, loquantur; quodque, ſi fieri forte poſſit, ab oblivione vindicemus. Certe enim,

*Noſtrum officium nos facere, æquum eſt, neque*

*Id magis facimus, quam nos monet pietas.*

Tenet, quam ingreſſus eſt, viam Vir doctiſſimus, & modeſtia, & humanitate, quæ præcipua ejus laus eſt, unico magis unicus; neque facile futurum credimus, niſi qui forte, ma-



Digitized by Google

gno ſuo malo, non legerit, qui, novum ingenium induiſſe humaniſſimum Virum, conqueratur. Dicatum eſt *Volumen* hoc *alterum* Sereniſſimo tunc Magno Duci Etruriæ, *Franciſco III*, nunc Romanorum Imperatori Auguſtiſſimo, cui idem, quod *Tomo I* Sereniſſimæ Reginæ, *Mariæ Thereſiæ*, voverat, aliis licet verbis, pro immenſo, quo eſt, pacis ſtudio, precatur, *ut non, niſi congregato in unitatem religionis Pannoniæ populo, limites victoriarum admittat.* Quam multa, quam paucis! Belli ſacri tubam quis non intelligit? et tamen Vir iſte humaniſſimus, (veremur, ne ſe derideri putet, quod iterum jam dicimus, humaniſſimus,) qui nervos, dudum paratos, expediri in Heterodoxos, quos vocat, optat quam ardentiſſime; idem iſte *noluit in modeſtiam & pacem peccare*, quod utrumque *Tomo primo* ad Lectorem ſcripſerat. Pars primæ materiæ homo iſte nobis videtur, adeo formas omnes ſuſcipit. In veſtibulo Operis, quid præſtiterit, Lectorem docet: nempe, *duorum Seculorum intervallo, ſummas inter patriæ diſſenſiones, acta Concilia Eccleſiæ Romano-Catholicæ in Hungaria abſolvit.* Hactenus bene! At, ubi rationes exponit, quibus adducebatur, *ut annoſas religionis lites*, quemadmodum ipſe loquitur, *Regum edicta, Epiſcoporum querelas, vi, aut metu, extorta pacta publica, apologias in partem utramque vulgatas, quæ Synodis ſæpenumero intercurrerunt, a penu ſua dimoveret*, ſe ipſum, forte præter opinionem ſuam, condemnat, quando addit: *Iſtud pugnarum genus, verborumque flagitium, a Prætorio arcetor.* Peſſime. Id enim ſi verum eſt, quemadmodum eſt omnino, doctiſſimo Opere *Peterſyano*, quod iſtiusmodi ornatu interſtinctum eſt, magno literariæ reipublicæ incommodo, æternum careamus oportet. ὦ Ζεῦ! Si id eſt, quod eſt pro laboribus tantis, pauxillum eſt! Præterea vitas eorum, qui regiones ſuas per Comitia eccleſiaſtica inſtituerunt, breviter enarravit Vir Celeberrimus, eoque brevius, quo prolixius alii. Quam eo Præfationis loco, peculiari obſervatione addita, de purpuræ Pannonicæ autore litem movet Clariſſ. *Belio*, Philoſophiæ in Academia noſtra Profeſſori, qui prima illius libri ſtamina P. *Skodæ*, doctiſſimo Viro, in

Digitized by Google

in Diſſertatione *de Maria I., Regina Hungariæ*, tribuit, eam nos noſtram non facimus; quod & inventam futuram animo præcipimus, & falcem in alienam meſſem immittere non ſolemus. Reſpondit, quæ debebat, *Belius* in Diſſ. *de Maria, Regina Hungariæ*, editione altera *pag.* 33, 34. Addidit Autor *Tomo* huic *altero* Tabulas, æri inciſas, quæ Archiepiſcoporum Strigonienſium, qui vel ipſi Synodos celebrarunt, vel celebrari indulſerunt, effigies referunt; Hiſtoriæ diplomaticæ Autorem imitatus, qui *Wenceslai*, optimi Principis, *Procopii Raſi*, *Ziska*, *Lutheri*, *Hieronymi Pragenſis*, *Huſſi*, icones operi ſuo inſeruit. Vocat hos

*Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros*;

ut doceret, vera eſſe, quæ, cum *primum Tomum* Operis exhiberemus, judicavimus, nempe, mitiſſimum eſſe atque leniſſimum hominem, *Carolum Peterſyum*. Præter trium Synodorum acta, nihil exhibet, quod non e MStis. Reticet cauſas Synodorum, & occaſiones, quæ dederint, ne, quod videri vult, *cicatrices, ex tot vulneribus relictas, recordatione exaſperet; neve latentem alicubi ſcintillam animaret.* Moleſtus videlicet eſſe illis noluit, quos ne reſpirare quidem libere ſinit. *Græcorum ac Ruthenorum Synodos, quod mole excurrunt, rudi charactere horrent; ipſeque,* quod primo loco dicere debebat, *ex idiomate ſemi-Græco Ruthenoque eluctari non potuerat, Collectioni ſuæ non inſeruit*, memor *Horatiani* illius:

*Sumite materiam, veſtris, qui ſcribitis, æquam*
*Viribus*;

immo forte & *Philocratis*, in *Captivis Plauti* (libet Plautiſſare cum doctiſſimo Viro): *Si quid neſcivi, id neſcium tradam tibi.* Refert eodem Præfationis loco, diu tentatam Ruthenorum cum Catholicis unionem; ſpem tamen in herba, quod ajunt, a Turcis partim, partim recrudeſcentibus bellis inteſtinis, ſuffocatam, conqueritur: dum *Leopoldus Kolonitſchius*, habita triplici Synodo, eo rem perduceret, ut A. 1692, chirographis exhibitis, ducentis plures ſacerdotum Romano Pontifici ſe adſtringerent. Ne autem vel hic a ſe deſciſceret Vir incomparabilis, nebulam in pariete fingit,

 git,

Digitized by Google

git, & obices loquitur, quos Calviniani & Lutherani in Tranſilvania ſancto huic operi injecerint; additque, habere ſe ejus rei literas originarias, quæ, quod ſcriberet, teſtarentur; quaſi vero ſint, qui Viro fide digniſſimo, etiamſi de his literis ſiluiſſet, denegent fidem; cum notum ſit omnibus, eum, quicquid vult, ſcribere, atque id demum verum eſſe, quod ipſe ſcripſerit. Porro omiſſa Dalmatiæ Concilia refert, quod oeconomia operis non admiſerit, extra Strigonienſis & Colocſenſis Archiepiſcoporum ditiones evagari. Denique & ſingularum dioœceſium geographicam deſcriptionem moliebatur, imitaturus *Carolum a S. Paulo*, Abrintanorum in Normandia Epiſcopum, qui Geographiam ſacram concinnavit. *Sed gigantem ſomniavit*, *ignotumque Planetam*, ipſius verba ſunt. *Obſonia* (ita obſervationes ſuas *primo Tomo* appellaverat,) *altero* hoc *Volumine* fere melioris notæ ſunt, quam *priore* fuerant; jam enim aliquantum detonuit Jupiter. Sed ipſa inſpiciamus Concilia. Primum locum acta & decreta *Nicolai Olahi*, Archiepiſcopi Strigonienſis, quæ Synodum anni 1560 præceſſerunt, præparatoria dixeris, occupant; mox ipſa illa *Synodus*, *Diœceſano-Provincialis*, *habita ſub Ferdinando I Tyrnaviæ*, ad *paginam* uſque *130* exponitur. Singula narrationibus prævIis, uti ipſe vocat, illuſtrantur; quibus partim illorum temporum aliqualem hiſtoriam ſuppeditat, partim in Lutheranos & Calvinianos, quantum ſatis eſt, debacchatur. Ubi triſtem Hungariæ habitum, poſt cladem Mohacſianam, & ſecuta inde, in civili æque ac eccleſiaſtica Republica, diſturbia, exponit, homo eſt venuſtus, & eloquens, & urbanus; ſi autem legas, quæ de cauſis harum calamitatum ratiocinatur,

*tum bellus ille & urbanus*
- - - *unus caprimulgus, aut foſſor, rurſus videtur.*

Ita vero illico ſub initium ſcribit: *Epiſcoporum & Procerum, in pugna cæſorum, jactura animati peregrini dogmatis propolæ, rupto velut aggere, ad omnem ſe regionem differebant; quorum poſtea conſilio, ad legem, a Luthero publicatam, ſacra Deo loca, metu hoſtium deſerta, in fana novi ritus redacta ſunt; inſtituta*

*ſtitutæ nundinationes recens nati Evangelii; conciliabula diverſis in locis clanculum habita, eccleſiaſtici magiſtratus promiſcue rapti, ejecta ſuis e loculis orthodoxorum cadavera, damnati ad exitium ſacerdotes, plebs demum civili tumultu commiſſa; quæ, ſicut ad libertatem magnopere adſpirabat, ita obſequium ſe præſtare Deo credidit, ſi, poſthabitis majorum ſacris, Principum ſuorum imperio denique ſoluta, Eccleſiæ Catholicæ, primique inſtituti teſtes, & ſanæ doctrinæ magiſtros, perditum iret. Hac licentia ad privatas Nobilium ædes, mulierum præprimis, ingenio venalium, recepti, inſtillabant inviſi hoſpites virus lethale, quod ſine mora, ut in errorum propagatione evenit, ſanguini hæredum ſe infudit, totque morbos infelici patriæ induxit. Neque alios natales Lutheri Calvinique aſſeclæ in Hungaria recenſere poſſunt; quicquid adverſum ſcriptitent, & plauſtris ſuorum voluminum domi foriſque negotientur.* Hiſtoria, teſtis temporum, & lux veritatis, *ſpecioſis eorum molitionibus & vindiciis reclamat.* Conf. *pag. 32* §. *9*, ubi pari humanitate ſcribit. Si verba ſpectes, latiniſſime omnia; quam doctiſſimo Viro laudem eo minus invidemus, quo iniquior in Hungaros eſt *Heineccius*, quando de promiſcua Hungarorum barbarie præter rem conqueritur. Si vero ad rem ipſam attendas, an non a pulpito ad plauſtrum redierit Noſter, judicent, qui legunt. Ex aliis fontibus derivare debebat Eccleſiæ in Hungaria calamitates *Peterſyus.* Si intra muneris ſui rationes ſe Clerus continuiſſet, neque ab aris ad arma provolaſſet; & felicius res contra Turcas geſtæ fuiſſent, & ſua paſſim Eccleſiis tranquillitas conſtitiſſet. In prælio Mohacſienſi *Paulus Tomory*, Colocenſis Archiepiſcopus, infelix primum maritus, infelicior dein miles, dux belli; eum ſecuti Achiepiſcopus Strigonienſis, Varadienſis præterea, Quinqueeccleſienſis, Jaurienſis, Chanadienſis, Boſnenſis, Epiſcopi; quotquot fuerunt, artis bellicæ imperiti. Hinc illæ lachrymæ! Ite nunc, miſerrimi mortalium, & veteri verbo, *Eccleſia non ſitit ſanguinem*, amplius credite. Chriſtus, Dei filius, humani generis ſervator optimus, ad *Petrum*, arma attrectantem: βάλε τὴν μάχαιράν σȣ εἰς τὴν θήκην, *Julius* autem *II*, P. M. de quo *hiſtoria, teſtis tempo-*



Digitized by Google

*rum, & lux veritatis*, multa narrat, aliter prorſus; a quo ſine dubio Hungariæ illius temporis Clerus bellicum ingenium hæreditate acceperat. Quod quam infeliciter ceſſerit & Regi & regno, etiam ignariſſimi ſciunt. De *Matthia Corvino*, Rege, *pag. 15* refert Autor, eum Piſonii A. 1467, vel 1468, *univerſale ſtudium*, quod vulgo Academiam appellant, *erexiſſe*, ejusque Procancellarium, *Georgium de Sombery*, Præpoſitum Piſonienſem, conſtituiſſe, quod pertinet omnino ad vetuſta Piſonienſis urbis ornamenta; modo omnes illic Muſæ hoſpitarentur; ſed ſunt quædam ex novem ſororibus, quas fruſtra illic quæras. Inter alia *Nicolai Olabi* acta, & illud refert *pag. 32, 33, Peterſyus*, quod *feſtos in Hungaria dies ultra ducenteſimum numerum auxerit;* ridetque inviſos ſibi Lutheranos, qui non poterant non, ad feriarum numerum, & ſecuturas inde, in re colonorum familiari, calamitates, obſtupeſcere. Non ergo eapropter *rabulas malevolos*, cives ſuos, bene cupientes patriæ, dicere debebat; qui illa ætate nihil optabant aliud, quam quod noſtro ævo *Benedictus XV*, Pont. Max. & eruditionis, & perſpicaciæ, laude conſpicuus, meditatur: nempe feriarum imminutionem. Illud plane ridiculum eſt, quod eodem loco §. *XII* de ſingulari *Olabi*, circa capillos & barbas Clericorum, cura diſſerit. *Oſtendit modeſtiam Nicolai*, inquit, *indecorus quidam barbutii & capillorum cultus, apud ſacerdotes Catholicos invaleſcens; comebant illi cæſariem mira induſtria, alebantque ultra humeros defluentem, pro ſeculi vitio, nulla verticis parte, ad morem præſcriptum, attonſa. Idem luxus ornatusque fuit novæ doctrinæ emiſſariis, idem veſtium color, nullum ſacræ dignitatis indicium. Fallebatur hac ratione vulgus, cum fabulatores ab orthodoxis miniſtris non dignoſceret, eosque, Catholico nomine, ingenioſa fraude, ad nobiliores etiam parœcias admittebat. Sed intercepit Olahus periculum & dolum, dum gravi pœnarum comminatione, per ſanctionem publicam, in ſua Diœceſi, conſuetudinem radendi verticis Clero in memoriam revocaret, & licentiam nutriendi, laicorum more, capilli, barbæque, acri reprehenſione caſtigaret.* Nimirum præparandi ad Synodum erant Clerici, danda-

dandaque opera, ne quid eſſet, quod eos in redintegrandis rebus Eccleſiæ quoquo modo impediret, habiliores ad ea omnia futuros, ſi, raſo vertice, capillos & barbas, ſapientum & eruditorum apud veteres inſigne, meterent. Vid. *Plinius* in *Epiſtolis*, & in *Deipnoſoph. Athenæus Lib. XIII.* Atque ita demum habita *de celebranda Synodo conſultatio*, quam *pag. 34 ſeq.* legas; cui ipſa *Synodus*, celebrata Tyrnaviæ, ſucceſſit *pag. 39 ſeq.* Primo ibi loco *divina prorſus ſanctio Ferdinandi I, Peterſii* verbis utimur, exhibetur, qua *de inſcriptis, oppoſitis, ſeu oppignoratis, donatis, ac venditis, ac quovis modo per ipſum abalienatis, bonis Eccleſiarum Regni Hungariæ* exponitur, atque reſtitutio omnium decernitur. Hæc omnino *divina* dici meruerunt. Reliqua Synodi compendium Theologiæ Romanæ ſunt, quæ nihil attinet recenſere. *Altera Synodus Tyrnavienſis* Diœceſano-Provincialis, A. 1561 celebrata, primam excipit; cui *montanarum Civitatum Curiones, conceptis a Luthero fabellis ebrii, excuſſo imperio, ſe ſubduxerunt.* Ita *Peterſyus pag. 133,* pro ſingulari ſua humanitate. Ideo vero Synodo ſe ſubduxiſſe Proteſtantes exiſtimamus, quia judices, quod ajunt, in propria cauſa ſedere videbant, & quod eadem iis cum S. *Gregorio Nazianzeno* ſententia fuit. Hic enim, ad Concilium Conſtantinopolitanum A. 383, a *Procopio* invitatus, ita reſpondit: *Ego, ſi vera ſcribere oportet, hoc animo ſum, ut omnem Epiſcoporum conventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem lætum & fauſtum vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quam acceſſionem & incrementum, habuerit. Pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates, (ac ne me, quæſo, gravem & moleſtum exiſtimes, hoc ſcribentem,) ne ullis quidem verbis explicari queunt: citiusque aliquis in culpam vocabitur, dum aliis judicem ſe præbet, quam ut aliorum improbitatem comprimat. Propterea memet ipſe collegi, animæque ſecuritatem in ſola quiete ac ſolitudine mihi poſitam judicavi.* Et *Carm. X* circa fin.: *Nunquam ego ſedebo in Synodis anſerum, aut gruum, temere pugnantium. Illic contentio, illic rixa, & probra, antea latentia, ſævorum hominum, in unum locum collecta.*

Hæc

Hæc S. *Gregorius.* Acta Synodi, quam exponit *Peterſyus*, arcanis ſcriniis detenta, fruſtra quæras; eorum loco, *Nicaſii Ellebodii de Conciliorum autoritate* Orationem addidit e MSto. Carere ea omnino poteramus: nam, præter qualemcunque dictionem, ſophiſmata puerilia, in hæreticos vehementiam, nihil habet, quo ſe commendet. In Græcia olim, inquit, Concilium fuit virorum XII, Delphos convenientium, atque illic de ſalute & libertate Græciæ deliberantium; in Gallia & Britannia Druidæ lites dirimebant: ergo Concilia habent autoritatem. Quæ? qualis? quanta? Ita vero argutatur *Helleborius* ille, indignus, qui in venuſtiſſimis Commentariis *Peterſyanis* locum habeat. Mox *tertia Synodus Tyrnavienſis* anni 1562, quæ ſola narratione abſolvitur, indicatur; quam *quarta* excipit, eo fine habita, ut Tridentini Concilii conſtitutiones ab Hungarico Clero, ita volente *Olabo*, omnino reciperentur; quod tamen non fuiſſe factum, aperte & ex vero ſcribit doctiſſimus *Peterſyus*; etſi inde a duobus ſeculis, tacito quodam conſenſu, fuerint in Hungaria approbatæ. Poſſemus quædam hanc in rem monere, quæ conſulto præteriit Cl. Conciliorum Editor; ſed nolumus ignem fodere. Quæ eo loco de *communione ſub utraque*, quam Chriſtus omnibus promiſcue ſuis cultoribus, *Pius IV* Papa dein, multum a *Ferdinando I* rogatus, Hungaris, A. 1564, conceſſit, Editor diſſeruit, facile lecturis, ſi qui ſunt futuri, perſuadebunt, eum preſſo pede Concilii Tridentini legibus inſiſtere. Certe, quando *pag.* 158 Evangelicorum dogmata, *amurcam Lutheri*, ruſtica prorſus voce, appellat, vel, quid amurca ſit, non intelligit, vel, pinguiorem eam vocem ex *Catone de re ruſtica* ſe hauſiſſe, fateatur, neceſſe eſt. Ita Vir iſte incomparabilis, qui *primo Tomo* cum *Terentio* & *Perſio* loquebatur, jam ad ruſticarum rerum Scriptores *Tomo altero* defecit. Illud adhuc notamus, *Pium V*, Pontificem, conceſſionem anteceſſoris ſui, æque *Pii*, de communione ſub utraque, *quod ea, ſectariorum audacia, præ fructu ſperato, magis acueretur*, penitus ſuſtuliſſe. Non debebat hæc ſcripſiſſe *Peterſyus*: nam deduci inde varia poterunt, quæ nos tamen ſilemus. Quod autem

Digitized by Google

autem *Pacificationem Viennenſem* A. 1606, cujus tamen non niſi ὡς ἐν παρόδῳ meminit, *toti Hungariæ funeſtam* appellat; facit id præter veritatem, & ſecus quam debebat, etſi conſentiente ſodali ſuo, *Ladislao Thuroz*, qui in Hungaria cum ſuis regionibus *pag. 90, 93, 94*, tam impudenter, tamquē acerbe, de ea pacificatione ſcribit, ut juris naturæ ac gentium ignorantiam prodat plane miſerabilem. Exhiberemus viri iſtius ſcommata, ut verborum ſuorum eum puderet; ſed *depuduit, profugusque pudor ſua ſigna reliquit.* Si tam eſt pacificus *Peterſyus*, quam de ſe *primo Tomo* ſæpius prædicaverat; cur & ipſe Pacificationem, Hungariæ tam multis modis ſalutarem, cur pacificam *Matthiæ II* Regis indolem, cur denique ipſas Hungariæ leges ſanctiſſimas, quibus inſertæ pacis illius conditiones ſunt, tam flocci habet? Iterum ſilemus; judicabunt lecturi. *Synodus Diœceſana quinta*, habita A. 1566 Tyrnaviæ, ſub *Maximiliano II* Cæſare, hoc habet peculiaris, quod ſeminariorum per Hungariam erectio, initium jam faciente *Olaho* Tyrnaviæ, fuerit decreta. Mox *Synodus Provincialis* Tyrnavienſis A. 1611, *Maximiliano II* Rege, exponitur; antequam vero id fiat, neſcio quid de Archiepiſcopo Strigonienſi, *Franciſco Forgachio*, fabulatur Noſter; ut Viennenſem pacificationem, ſi qua forte poſſet ratione, ſuffoderet. Qui enim pacis conditionibus, Nitrienſis tunc Epiſcopus, & per regnum Hungariæ Cancellarius, A. 1606 ſubſcripſit, teſte *Corpore Juris Hungarici T. III pag. 119*, hunc extremo conatu palam A. 1608 obſtitiſſe, *pag. 191* præſidenter ſcribit; quia tamen ſubſcriptionem *Forgachii* negare omnino non poterat, ita philoſophatur: *Nomina Prælatorum*, de more, non de conſenſu, *ab iis præſtito, articulis anni 1608 in Decreto Matthiæ Regis appoſita fuerunt.* Plena verba inanitate. Miſeret nos hominis cum ſuis fabellis. Quæſumus, an de more fieri aliquid in re tam gravi, ſine Prælatorum expreſſo conſenſu, potuit eo tempore? Expendite, Lectores, & Scriptorem ridete, qui, quod proteſtationem, quam vocant, A. 1608 ſignatam, foliis ſuis aſſerere potuit, ad liquidum eſſe rem deductam credidit; quod tamen aliter evenit. Inde in Lutheranos,



Digitized by Google

ranos, quod & ipſi colloquia inter ſe quædam inſtituerent, tanquam *Hieronymus* aliquis in *Ruffinum*, aut *Vigilantium*, invehitur. Recenſuiſſe ejus verba, confutaſſe eſt. *Annus*, inquit, *1610 Lutherano gregi, inter prima regni ſubſellia obtinenti, viam aperuit, rubore deterſo, conciliabula publica inſtituendi: quorum primum Zolnæ, oppido celebri, conſcriptum eſt 28, 29, & 30 Martii. Rei ſacræ profanus judex & approbator fuit Georgius Thurzo, columen ſeculum nondum egreſſi dogmatis. Diſceptatum in hoc foro ſcrutario de rebus, doctrinæ ingenioque aſſidentium convenientibus; declamatum ad ravim; conflatus rituum ordo; Superintendentibus regiones, an agri, diviſi; ſpargebantur primum Acta in populum, & ad typum deinceps: ſed clam promota fucum aliquem adminiſtrationemque in delira plebe expreſſerant*, &c. Decreta Synodi nil moramur. *Pagina 219* narratur *Conventus eccleſiaſticus Dominorum Archiepiſcopatui Strigonienſi ſubjectorum, celebratus ſub Ferdinando II Cæſare, & Petro Pazmany, Archiep. Strigonienſi, Piſonii, 2 Apr. 1628, ex MSto.* Prævia narratio *Pazmanii* Cardinalis vitam, & fata, atque merita, cum librorum, ab eo, ſive Hungarica, ſive Latina, lingua editorum, catalogo, eo majori accuratione adhibet, quod non ſolum ex adverſariis *Pazmanii* MStis ea hauſit *Peterſyus*, ſed in ea quoque domo Concilia hæc congeſta ſunt, quam Jeſuitarum ordini *Pazmanus*, ei olim & ipſe adſcriptus, Piſonii erexit, libris ditavit, ſubſidio munivit. Non debebat vero hanc grati animi teſtificationem procemio, quot verbis, tot ſcommatibus, repleto, inquinare, Conciliorum Editor doctiſſimus. Alius, Hiſtoricum acturus, Auguſtanæ Confeſſioni addictos in Hungaria A. 1610 conventum eccleſiaſticum Zolnæ habuiſſe; mox A. 1614 Szepes-Varallyæ aliam Synodum, ut *Matthiæ* Regi de ſe ſuaque Eccleſia rationem aliquam redderent, celebraſſe, ſcripſiſſet; *Peterſyus* vero, ut hoc novo documento, nihil minus ſe, quam Hiſtoricum, eſſe, teſtatum faceret, ita rem eam exponit: *Habitæ fuerunt, quod meminimus, Zolnæ A. 1610 totius Reipublicæ Lutheranæ ſolennes nundinæ. Meditata concordia in mutua odia deſiit. Szepes-Várallyæ A. 1614 menſe Januario,*

Digitized by Google

*nuario, ad novam pacem & arma conventum, quibus ſacra Catholica, cadente jam erga comœdos Wittebergenſis fabulæ Matthiæ Regis affectu, oppugnatum ibant.* Adjecta obſervatione, *Habemus*, inquit, *conciliabuli hujus acta originaria, 69 ſigillis, & avtographis præſentium teſtimoniis, communita, quæ in rudi editione Solnenſi deſunt. Cimelion, quod nobis tota Lutheri poſteritas invideat.* Habeat, pace noſtra, hoc Bibliothecæ ſuæ ornamentum *Peterſyus*; &, quotiescunque id inſpicit, illud ſenis, in *Seneca Oedipo*, cogitet:

*Latere ſemper patere, quod latuit diu:*
*Sæpius eruentis veritas patuit malo.*

Quæ *pag. 232* ſequitur *Synodus Diœceſana, habita Tyrnaviæ anno 1629*, eam ipſe deſcribit *Pazmanius* Cardinalis, atque illico typis mandavit anno eodem; ſed & altera editio opuſculi A. 1649, item tertia A. 1667, lucem conſpexit; quartum proinde, ex avtographo *Pazmanii* emendata, plurimisque locis locupletior, ſcribente Editore, hoc loco exhibetur. Ex tribus Appendicibus ſecunda inprimis notari meretur, quæ *religioſorum Ordinum, qui olim in Hungaria floruere, catalogum exhibet; quem, ut majorum pietatem degener poſteritas norit*, (Editoris verba ſunt,) hic loci reperias. *Synodus Nationalis, celebrata ſub Ferdinando II Tyrnaviæ A. 1630*, altera item *Diœceſana*, habita ibidem anno eodem, ad reſtituendam, quæ collapſa inter arma fuerat, diſciplinam eccleſiaſticam tendebat, atque *Synodi Patres, quomodo corruptores divini verbi urbibus ejicerentur, conſilia ſua exponerent. Synodus Provincialis, A. 1632 Tyrnaviam* indicta, ob *Pazmanii* Cardinalis legationem, juſſu *Ferdinandi* Regis, ad Pontificem Maximum, ſuſceptam, anno demum ſequente 1633 habita fuit: partim ut iidem ſacrorum ritus in Eccleſia Romana, toto regno, obſervarentur, ad quod tamen adigi, etiam minis Pontificis, Zagrabienſis diœceſis non potuit; partim *ut Diploma Ferdinandi Cæſaris, de poteſtate teſtamenta condendi, Clero Hungariæ conceſſum anno 1625, quod ærarii Regis Curatores forte, nec immerito, vehementer impugnabant, firmaretur.* Neque defuiſſe eventum exoptatiſſimum legimus;

 quod

quod ſedebant in ſua cauſa judices. Hic finis eſt Synodorum V, a *Pazmanio* celebratarum; de quarum editione ex MSto gloriatur Editor. Illud veriſſime ſubnectit Vir humaniſſimus, *moderamini ſuum eſſe debere locum, ut ad veritatem quidem omnia, ſed nihil ad offenſionem, producatur.* Cui regulæ an ſatisfecerit, legentium ejus Concilia judicium eſto. Sequitur *Diœceſana Synodus Agrienſis, habita Jaszaniæ anno 1635 ſub Ferdinando II & Emerico Loſy, Epiſcopo Agrienſi,* cujus vita deſcribitur non ſolum, ex proceſſu, hoc eſt, examine, pro Strigonienſi ſede, ſed & acta Synodi exhibentur. Ipſe Epiſcopus in adhortatione Synodali vetus illud Hungarorum Clero ſuo inculcat: *Jó Pap bóltig tanúl;* unde, *Pap Ki nem tanúl, Ki bóltig nem tanúl, nem jó Pap,* per immediatam conſequentiam, ut ita loqui liceat, dicitur. Idem *Loſyus,* Archiepiſcopatui Strigonienſi paulo poſt admotus, *anno 1638 Provincialem Synodum Tyrnaviæ* habuit, *Ferdinando III* Imperatore; quam ex MSto inſeruit Conciliis *Peterfyus. Georgii Lippay Synodus Nationalis Tyrnavienſis anni 1648* nihil habet peculiaris, niſi illud forte, quod ejus decreto *Societas Jeſu eccleſiaſtico Hungariæ corpori ut membrum legitimum & utile aſſociatum fuit.* Ejus rei teſtimonium publicum *pag. 383* Editor inſeruit. *Secuta diœceſana Synodus Tyrnaviæ anno 1658,* eodem *Lippayó* Archiepiſcopatum Strigonienſem tenente, ideo notari meretur, quod in propoſitionibus, ab Archiepiſcopo exhibitis, (acta enim & decreta Synodi lucem non viderunt,) recenſentur inprimis, quæ Romanæ in Hungaria Eccleſiæ per Viennenſem pacificationem & Comitia anni 1647 vulnera inflicta credebantur. Lubet, ut, quam gravia fuerint, cognoſcat Lector, unum ex iis adducere. Ita vero *pag. 390 Lippayus: Jubetur campanas in Eccleſiis Catholicorum pro hæreticis pulſari non ſepeliendis modo & tumulandis, verum etiam juxta ſenſum plurimorum, ad quævis miniſteria, concioneſque eorum; dein, tametſi gravi legum ſacrarum præcepto cautum ſit, in locis conſecratis, ac templis Catholicorum, hæreticos ſepeliri, alioquin ſacris ea interdici, & profanari: novellæ tamen hæ*

leges

Digitized by Google

*ges ſeveriſſime injungunt, eos in templis noſtris humari ac ſepeliri. Unde non leve quorundam exſurgit dubium, quid inter hæc ſit minus; an ut ſacerdos orthodoxus hæreticum ſepeliat, vel vero intromittat in templum prædicantem, more ſuo funus tumulantem, conciones non raro blaſphemas, aliaque, ritu profano, peragentem.* Argute! *Lactantius* tamen, ille diſertiſſimus atque piiſſimus *divinarum Inſtitutionum* ſcriptor, *Lib. V Cap. XI* acutius multo, *quænam illa feritas,* inquit, *rabies, quæ inſania, eſt, lucem vivis, terram mortuis, denegaſſe?* Quæ inde ſubnectuntur Synodi Diœceſanæ, ſunt *Zagrabienſes quinque, una Jaurienſis,* Archiepiſcopo Strigonienſi, *Georgio Szécsény,* mox, hujus ſucceſſore, *Georgio Szécsény,* celebratæ. *Pag. 409 Synodus diœceſana Boſnenſis* exponitur, Strigonienſem eccleſiam, *Leopoldo Kollonitſch,* Boſnenſem, *Georgio Patatich* gubernante, A. 1706. Ei ſubjungit doctiſſimus Editor *Synodum diœceſanam Quinqueeccleſienſem,* Archiepiſcopo *Chriſtiano Auguſto,* Duce Saxoniæ, A. 1714 habitam, tumque aſſidens litori, felix optatumque occinit Celeusma; niſi quod ultimis plagulis *Congregationem, A. 1634 ante Synodum habitam,* ſub *Emerico,* Comite *Eſterbazio,* Archiepiſcopo Strigonienſi, *tria* item *Supplementa,* haud magni momenti, attexuit. Sub finem totius *Voluminis Mantiſſam* legimus, ad quam benigne excipiendam Lectores præparaturus, *Peterfyus,* ita *pag. 424* ratiocinatur: *Profecto, ſi filii tenebrarum, mutuis inter ſe ſtudiis tantopere colligati, hiſtoricis inſtar, quaqua illos velis contingere, privilegia, conceſſiones, controverſa doctrinæ ſuæ capita, averſas a reis pœnas publicas, exaggerata hominum, quibus reguntur, pia facinora, & ſi quid ad laudem, memoriam, vindicias, ſocietatis initæ accedit, mero plauſu conferunt & objiciunt; enitendum nobis eſt, ut ſuppetias feramus eruditioni patriæ,* & jacentem de Hungaria Catholica ceterarum gentium opinionem, *excitato ad literarios labores ingenio,* erigamus. Hæc poſteriora ſi ex Proteſtantium cœtu ſcripſiſſet aliquis, calumniam *Peterfyus* interpretaretur; nos autem, quia ipſe de ſuis tam acerbe queritur, ejus integritatem non poſſumus non laudibus proſequi. Etſi

ſimam viris male ſentientibus occaſionem livoris excitandi præbens. Ea enim Autori mens erat, ut non res ſolum in cœtu ſanctiori geſtas, & memoria digniſſimas, enarraret, ſed ſuas etiam, ad pietatis ſtudium ſpectantes, obſervationes adderet, ut haberent lectores, quod diſcerent ex varia eccleſiæ fortuna. Aliis ipſa hujus libri conſcribendi ratio minus ſe probabat, qui vel amplitudinem ejus, ſi pro *Compendio* habendus eſſet, vel brevitatem, ſi pro conſummato opere venditaretur, reprehenſione non indignam judicabant. Emerſit tamen poſtea ex his velut procellis liber, ex quo ſenſim ſenſimque eorum crevit numerus, qui ad Autoris partes tranſierunt, quorum aliis pragmatica Hiſtoriam eccleſiaſticam condendi ratio, aliis candor ſcribentis, aliis delectus argumentorum, aliis grave dicendi genus, mirifice placebat. In univerſum quidem Noſter monet, mores hujus ſeculi ita eſſe comparatos, ut hoc literarum genus paucos admodum amatores inveniat. Iſti enim, qui Atheorum & Deiſtarum ſequuntur caſtra, quorum inſignis proh dolor! noſtris temporibus numerus animadvertitur, facile ab Hiſtoria Eccleſiaſtica vacant, reputantes omnia fabuloſa & anilia, quæ de cœtu ſanctiori in ſcriptis inveniuntur monumentis. Aliis Hiſtoria iſta nullo fere eſt uſui, niſi ut occaſionem inde accipiant contemnendi, exſibilandi, exagitandi, Clerum, & quævis Acta eccleſiaſtica, quorum carpendi pruritus eo etiam invaluit, ut vel viliſſimus quisque ab hac male ſana cupiditate animum revocare nolit. Indocti, rerumque omnium utiliſſimarum ignari, facile patiuntur, rerum, ante ſe geſtarum, notitia ſe carere, ne forte habeant, quod moleſtiam animo, diſcendi haud valde cupido, pariat. Alios temeraria invaſit conſuetudo, ex *libris diurnis* noſtrorum temporum, quantum per otium licet, aliquid arripiendi, nec in ſummam rerum ulterius inquirendi, ut tempus modo fallere, &, ſi opus eſt, temere garrire, non docte aliquid diſſerere, calleant. Multi etiam, ſuis plane innutriti circulis, in Hiſtoria eccleſiaſtica vix inveniunt quidquam, quod placeat, inprimis ſicubi metus ſuboriatur

non

non levis, ne tot res, memoriæ atque imaginationi inſervientes, de habitu atque acumine demonſtrandi ſenſim ſenſimque aliquid, vel minimum, detrahant. Pontificiæ religioni addicti nunquam aliud quidpiam pro genuina Hiſtoriæ eccleſiaſticæ parte agnoſcunt, niſi quod per fas & nefas, (ita Autor ait,) vel ſponte ſua, vel per torturam, cum eo conſpiret religionis ſyſtemate, quod ipſis, Dei inſtar Termini, immobile eſt. Quicquid igitur ipſi literis conſignant, hiſtoria eſt. Reliqua omnia, quæ ipſis ſcribere non licet, pro fabulis atque mendaciis putidiſſimis habentur. Hinc fit, ut Junonem pro nube accipiant, & falſis ſpeciem veritatis concilient, ac veris falſitatis larvam induant. Qui puriori ſunt doctrinæ aſſueti, nihilo magis puri ſemper in condendis rerum geſtarum monumentis inveniuntur. Pro eo quidem, in quo nunc verſantur, ſtatu, ita a veteri ſcribendi ratione degenerarunt, ut, divinante Noſtro, ſi hoc tramite perrexerint, vix appareat, quem uſum tandem apud illos habitura ſit hiſtoria gravis, ſeria, & religioni legitime inſerviens. Ex hoc diverticulo ad ſuum nunc redit opus, & ad novas ejus edendi curas. Sanctiſſime aſſeverat Autor, omnia ſe relegiſſe, multa, quæ ſuppeditaverit diligentia, autoritas, judicium, ex ſcriptoribus, recens editis, adjeciſſe, &, quæ monita a viris doctis, vel a ſe ipſo minus recta & accurata fuerint cognita, candide & fideliter emendaſſe. Ipſa libri inſpectio docet, ex veritate hæc dicere Noſtrum, ſiquidem inſignes plane ſunt mutationes & additiones hujus libri factæ, inprimis ſi ad recentiora tempora ſuperioris Seculi & præſentis animum advertamus. Factum eſt ex eo, ut *Tomus ſecundus* integer huic labori ſoli dicaretur, qui antea res etiam Seculi XVI continebat. Et in eo enarrando noſtra etiam in præſenti verſabitur opera, ut lectores de ſupplementis iſtius erudiamus, omiſſis reliquis, quæ ex ſuperiori editione ſunt notiſſima, & repeti hic ſatis commode vix poſſunt.

Generatim monendum eſt, inſertas eſſe enarrationes præſentis Seculi rebus geſtis e ſuperiori enarratis. Romanæ eccleſiæ addita ſunt momenta, quibus tempora *Innocentii XIII*, *Benedicti*

Pag. 32. *nedicti XIII*, & *Clementis XII*, illuſtriora fuerunt reddita. Ad
35. *Benedictum XIV* cum pervenit, metam conſtituit calamo, ne per
lacinias traditionum fortuitarum & incertarum juſtos hiſtoriæ
commentarios præoccupet, vitam Pontificis, huc uſque a
viris doctis maximi habiti, delineaturos, & aliquando eden-
112. dos. Scriptoribus etiam eccleſiæ Romanæ novi quidam
128. additi ſunt articuli; alii emendati. Plurimam operam in con-
dendis, atque ex induſtria deſcribendis, domeſticis Pontificio-
171. rum controverſiis ponit Noſter, quod vel ex hiſtoria illa appa-
ret, quæ doctrinam de Auxiliis gratiæ, aliisque rebus, controver-
367. ſam proponit. Ad Conſtitutionem *Unigenitus* quod attinet, Au-
tor non omittit ea pertexere, quæ ad hiſtoriam ejus perſcriben-
dam & continuandam pertinere videbantur. Referuntur huc
inter alia variata *Ducis Regentis* in Gallia conſilia, quæ ille, mu-
tata mente, iniit, magnam & inexſpectatam rerum converſionem
368. molientia. Plurimas in hac cauſa in ſe ſuſceperat partes *du Boi-
ſius*, fideliſſimus domini ſui miniſter, purpuram tunc temporis,
369. & per eam ſummam imperii, affectans. Res poſtea ad *Noail-
lium* perveniebat, patrem purpuratum, cujus quanta fuerit au-
toritas in ſtatu iſto turbulento, amplius narratur ſecundum ea,
quæ ex fide digniſſimis ſcriptoribus proferri poſſunt, inter
quos principem locum tenet Autor vitæ *Philippi* Aurelianen-
ſis, Ducis Regentis, quæ A. 1737 prodiit. Is enim plurimam
fidem mereri videtur, tanquam vir harum rerum peritiſſimus,
374. ſincerus, atque a ſtudio partium remotus. Mentionem porro
injicit Noſter XII Articulorum, A. 1725 editorum, & non ſo-
lum indicat, quales illi fuerint, ſed dijudicat etiam, qualis eo-
rum uſus ex deſtinatione Autorum & Approbatorum eſſe de-
378. buerit. Ultima prope ſcena hujus tragœdiæ eccleſiaſticæ,
monente Autore, in illis agitur Actis, quæ ex miraculis *Pa-
riſianis* ortum habuerunt ſuum. Hæc enim dum intervenie-
bant, idem accidit, quod fieri ſolet, quando incendio ſuf-
focato novus fomes accedit, oleumque infunditur. Maxi-
mum enim pars Anticonſtitutionaria, vulgo *Janſeniſtica*, ar-
380. gumentum repetebat a miraculis ſuorum, inter quæ *Pariſiana*
omnino eminebant, de quibus varia variorum hic adducuntur
judicia,

Digitized by Google

judicia, & ultimo loco commemoratur, fidem miraculorum
*Pariſii* ab eo maxime tempore decreviſſe, quo motus corpo-
ris ſingulares, atque enthuſiaſmi in conventiculis domeſtici,
acceſſerint. Finis hujus concertationis is fuit, ut Conſtitutio Pag. 383.
*Unigenitus* in tota eccleſia Romana victrix haberetur, ſi victo-
riam in triumpho externo acceptationis, etiam coactæ, atque
per vim extortæ, ponere licet. Omnes enim noſtri temporis
Epiſcopi Catholici hanc tenent Conſtitutionem, ſed ſen-
ſu diverſiſſimo, cum reſervationibus mentalibus, contra-
riis atque arbitrariis explicationibus, pacis potius ſtudio,
quam veritatis robore, ducti. Stricturæ hiſtoricæ, quas Autor 384.
ſubnectit, de lectione Scripturæ S. in lingua vernacula licita, vel
illicita, miſcellaneis multis illuſtrantur obſervationibus, ubi ta-
men inprimis ad ea attenditur, quæ in ipſo etiam ſinu Ro-
manæ eccleſiæ de hoc argumento occaſione verſionis *Monten-
ſis* fuerunt diſputata Poſtea hiſtoria controverſiarum *Cou-* 391.
*rayerianarum* ſingulare abſolvit *Caput*, ubi non de perſona
ejus ſolum ſtrictim quædam afferuntur, ſed ipſa etiam mate-
ria controverſiæ copioſe pertractatur, cujus quæſtio primaria,
uti inter omnes conſtat, de validitate Ordinationis Anglicanæ
agitata fuit. Argute hic Noſter notat, eccleſiam Anglicanam 394.
nec magna commoda, nec ingentia damna, pati, quomodo-
cunque hanc quæſtionem *Courayerius*, vel adverſarii ipſius,
definiant. Si prior, inquit, vincat, ordinationes iſtæ Angli-
canæ ratæ quidem ſunt & veræ, ſed tamen nondum ſunt
legitimæ, niſi Angli ſimul ad communionem Eccleſiæ Roma-
næ tranſeant, quod illi nunquam facturi ſunt propter ſolam
ordinationem. Si poſteriores triumphant, lenocinium ire-
nicum, quo per viam iſtam Anglos captare cupiunt nonnulli,
eo fit inutilius, eoque duriores hi redduntur ab illo dece-
ptionis periculo. His reliquisque *Courayerianis* expoſitis la- 398.
boribus, ſtricturæ ex hiſtoria miſſionum & propagationis fidei
Romanæ, hoc quoque Seculo continuatæ, exhibentur, ubi nec
acerrimæ diſputationes de monumentis incertis & apocryphis
miſſionum intactæ relinquuntur. De miſſionariis ipſis, eo- 403.
rum proprietatibus, intentione, aptitudine, methodoque con-



Digitized by Google

ranos, quod & ipſi colloquia inter ſe quædam inſtituerent, tanquam *Hieronymus* aliquis in *Ruffinum*, aut *Vigilantium*, invehitur. Recenſuiſſe ejus verba, confutaſſe eſt. *Annus*, inquit, *1610 Lutherano gregi, inter prima regni ſubſellia obtinenti, viam aperuit, rubore deterſo, conciliabula publica inſtituendi: quorum primum Zolnæ, oppido celebri, conſcriptum eſt 28, 29, & 30 Martii. Rei ſacræ profanus judex & approbator fuit Georgius Thurzo, columen ſeculum nondum egreſſi dogmatis. Diſceptatum in hoc foro ſcrutario de rebus, doctrinæ ingenioque aſſidentium convenientibus; declamatum ad ravim; conflatus rituum ordo; Superintendentibus regiones, an agri, diviſi; ſpargebantur primum Acta in populum, & ad typum deinceps: ſed clam promota fucum aliquem adminiſtrationemque in delira plebe expreſſerant*, &c. Decreta Synodi nil moramur. *Pagina 219* narratur *Conventus eccleſiaſticus Dominorum Archiepiſcopatui Strigonienſi ſubjectorum, celebratus ſub Ferdinando II Cæſare, & Petro Pazmany, Archiep. Strigonienſi, Piſonii, 2 Apr. 1628, ex MSto.* Prævia narratio *Pazmanii* Cardinalis vitam, & fata, atque merita, cum librorum, ab eo, ſive Hungarica, ſive Latina, lingua editorum, catalogo, eo majori accuratione adhibet, quod non ſolum ex adverſariis *Pazmanii* MStis ea hauſit *Peterſyus*, ſed in ea quoque domo Concilia hæc congeſta ſunt, quam Jeſuitarum ordini *Pazmanus*, ei olim & ipſe adſcriptus, Piſonii erexit, libris ditavit, ſubſidio munivit. Non debebat vero hanc grati animi teſtificationem procemio, quot verbis, tot ſcommatibus, repleto, inquinare, Conciliorum Editor doctiſſimus. Alius, Hiſtoricum acturus, Auguſtanæ Confeſſioni addictos in Hungaria A. 1610 conventum eccleſiaſticum Zolnæ habuiſſe; mox A. 1614 Szepes-Varallyæ aliam Synodum, ut *Matthiæ* Regi de ſe ſuaque Eccleſia rationem aliquam redderent, celebraſſe, ſcripſiſſet; *Peterſyus* vero, ut hoc novo documento, nihil minus ſe, quam Hiſtoricum, eſſe, teſtatum faceret, ita rem eam exponit: *Habitæ fuerunt, quod meminimus, Zolnæ A. 1610 totius Reipublicæ Lutheranæ ſolennes nundinæ. Meditata concordia in mutua odia deſiit. Szepes-Várallyæ A. 1614 menſe Januario,*

*nuario, ad novam pacem & arma conventum, quibus ſacra Catbolica, cadente jam erga comœdos Wittebergenſis fabulæ Matthiæ Regis affectu, oppugnatum ibant.* Adjecta obſervatione, *Habemus*, inquit, *conciliabuli hujus acta originaria, 69 ſigillis, & avtographis præſentium teſtimoniis, communita, quæ in rudi editione Solnenſi deſunt. Cimelion, quod nobis tota Lutheri poſteritas invideat.* Habeat, pace noſtra, hoc Bibliothecæ ſuæ ornamentum *Peterſyus*; &, quotiescunque id inſpicit, illud ſenis, in *Seneca Oedipo*, cogitet:

*Latere ſemper patere, quod latuit diu:*
*Sæpius eruentis veritas patuit malo.*

Quæ *pag.* 232 ſequitur *Synodus Diœceſana, habita Tyrnaviæ anno 1629*, eam ipſe deſcribit *Pazmanius* Cardinalis, atque illico typis mandavit anno eodem; ſed & altera editio opuſculi A. 1649, item tertia A. 1667, lucem conſpexit; quartum proinde, ex avtographo *Pazmanii* emendata, plurimisque locis locupletior, ſcribente Editore, hoc loco exhibetur. Ex tribus Appendicibus ſecunda inprimis notari meretur, quæ *religioſorum Ordinum, qui olim in Hungaria floruere, catalogum exhibet; quem, ut majorum pietatem degener poſteritas norit*, (Editoris verba ſunt,) hic loci reperias. *Synodus Nationalis, celebrata ſub Ferdinando II Tyrnaviæ A. 1630*, altera item *Diœceſana*, habita ibidem anno eodem, ad reſtituendam, quæ collapſa inter arma fuerat, diſciplinam eccleſiaſticam tendebat, atque *Synodi Patres, quomodo corruptores divini verbi urbibus ejicerentur, conſilia ſua exponerent. Synodus Provincialis, A. 1632 Tyrnaviam* indicta, ob *Pazmanii* Cardinalis legationem, juſſu *Ferdinandi* Regis, ad Pontificem Maximum, ſuſceptam, anno demum ſequente 1633 habita fuit: partim ut iidem ſacrorum ritus in Eccleſia Romana, toto regno, obſervarentur, ad quod tamen adigi, etiam minis Pontificis, Zagrabienſis diœceſis non potuit; partim *ut Diploma Ferdinandi Cæſaris, de poteſtate teſtamenta condendi, Clero Hungariæ conceſſum anno 1625, quod ærarii Regis Curatores forte, nec immerito, vehementer impugnabant, firmaretur.* Neque defuiſſe eventum exoptatiſſimum legimus;



Digitized by Google

quod ſedebant in ſua cauſa judices. Hic finis eſt Synodorum V, a *Pazmanio* celebratarum; de quarum editione ex MSto gloriatur Editor. Illud veriſſime ſubnectit Vir humaniſſimus, *moderamini ſuum eſſe debere locum, ut ad veritatem quidem omnia, ſed nihil ad offenſionem, producatur.* Cui regulæ an ſatisfecerit, legentium ejus Concilia judicium eſto. Sequitur *Diœceſana Synodus Agrienſis, habita Jaszaniæ anno 1635 ſub Ferdinando II & Emerico Loſy, Epiſcopo Agrienſi*, cujus vita deſcribitur non ſolum, ex proceſſu, hoc eſt, examine, pro Strigonienſi ſede, ſed & acta Synodi exhibentur. Ipſe Epiſcopus in adhortatione Synodali vetus illud Hungarorum Clero ſuo inculcat: *Jó Pap bóltig tanúl;* unde, *Pap Ki nem tanúl, Ki bóltig nem tanúl, nem jó Pap*, per immediatam conſequentiam, ut ita loqui liceat, dicitur. Idem *Loſyus*, Archiepiſcopatui Strigonienſi paulo poſt admotus, *anno 1638 Provincialem Synodum Tyrnaviæ* habuit, *Ferdinando III* Imperatore; quam ex MSto inſeruit Conciliis *Peterfyus. Georgii Lippay Synodus Nationalis Tyrnavienſis anni 1648* nihil habet peculiaris, niſi illud forte, quod ejus decreto *Societas Jeſu eccleſiaſtico Hungariæ corpori ut membrum legitimum & utile aſſociatum fuit.* Ejus rei teſtimonium publicum *pag. 383* Editor inſeruit. *Secuta diœceſana Synodus Tyrnaviæ anno 1658*, eodem *Lippayo* Archiepiſcopatum Strigonienſem tenente, ideo notari meretur, quod in propoſitionibus, ab Archiepiſcopo exhibitis, (acta enim & decreta Synodi lucem non viderunt,) recenſentur inprimis, quæ Romanæ in Hungaria Eccleſiæ per Viennenſem pacificationem & Comitia anni 1647 vulnera inflicta credebantur. Lubet, ut, quam gravia fuerint, cognoſcat Lector, unum ex iis adducere. Ita vero *pag. 390 Lippayus: Jubetur campanas in Eccleſiis Catholicorum pro hæreticis pulſari non ſepeliendis modo & tumulandis, verum etiam juxta ſenſum plurimorum, ad quævis miniſteria, concionesque eorum; dein, tametſi gravi legum ſacrarum præcepto cautum ſit, in locis conſecratis, ac templis Catholicorum, hæreticos ſepeliri, alioquin ſacris ea interdici, & profanari: novellæ tamen hæ leges*

Digitized by Google

*leges ſeveriſſime injungunt, eos in templis noſtris humari ac ſepeliri. Unde non leve quorundam exſurgit dubium, quid inter hæc ſit minus; an ut ſacerdos orthodoxus hæreticum ſepeliat, vel vero intromittat in templum prædicantem, more ſuo funus tumulantem, conciones non raro blaſphemas, aliaque, ritu profano, peragentem.* Argute! *Lactantius* tamen, ille diſertiſſimus atque piiſſimus *divinarum Inſtitutionum* ſcriptor, *Lib. V Cap. XI* acutius multo, *quænam illa feritas*, inquit, *rabies, quæ inſania, eſt, lucem vivis, terram mortuis, denegaſſe?* Quæ inde ſubnectuntur Synodi Diœceſanæ, ſunt *Zagrabienſes quinque, una Jaurienſis*, Archiepiſcopo Strigonienſi, *Georgio Széc-sény*, mox, hujus ſucceſſore, *Georgio Szécsény*, celebratæ. *Pag. 409 Synodus diœceſana Boſnenſis* exponitur, Strigonienſem eccleſiam, *Leopoldo Kollonitſch*, Boſnenſem, *Georgio Patatich* gubernante, A. 1706. Ei ſubjungit doctiſſimus Editor *Synodum diœceſanam Quinqueeccleſienſem*, Archiepiſcopo *Chriſtiano Auguſto*, Duce Saxoniæ, A. 1714 habitam, tumque aſſidens litori, felix optatumque occinit Celeusma; niſi quod ultimis plagulis *Congregationem, A. 1634 ante Synodum habitam*, ſub *Emerico*, Comite *Eſterhazio*, Archiepiſcopo Strigonienſi, *tria* item *Supplementa*, haud magni momenti, attexuit. Sub finem totius *Voluminis Mantiſſam* legimus, ad quam benigne excipiendam Lectores præparaturus, *Peterſfyus*, ita *pag. 424* ratiocinatur: *Profecto, ſi filii tenebrarum, mutuis inter ſe ſtudiis tantopere colligati, hiſtoricis inſtar, quaqua illos velis contingere, privilegia, conceſſiones, controverſa doctrinæ ſuæ capita, averſas a reis pœnas publicas, exaggerata hominum, quibus reguntur, pia facinora, & ſi quid ad laudem, memoriam, vindicias, ſocietatis initæ accedit, mero plauſu conferunt & objiciunt; enitendum nobis eſt, ut ſuppetias feramus eruditioni patriæ*, & jacentem de Hungaria Catholica ceterarum gentium opinionem, *excitato ad literarios labores ingenio*, erigamus. Hæc poſteriora ſi ex Proteſtantium cœtu ſcripſiſſet aliquis, calumniam *Peterſfyus* interpretaretur; nos autem, quia ipſe de ſuis tam acerbe queritur, ejus integritatem non poſſumus non laudibus proſequi. Etſi

 *tene-*

Digitized by Google

*tenebrarum filios* minime omnium vocare debebat, qui literarum culturæ & intellectui perficiendo majorem multo dant operam, quam quos Romana religio complectitur. Tantæ inter hos, de Hungaria loquimur, literariæ, eæque plus quam Cimmeriæ, tenebræ ſunt, ut vix unum alterumque reperire liceat, qui, quæ ad eruditionem ſolidam, meliorumque literarum culturam, pertinent, ſciat. Nemo id operoſius evictum dedit, quam qui *de literarum cultura in Hungaria* A. 1743, 4, Commentarium edidit, *Innocentius a D. Thoma Aquinate*, Piariſta, ipſe Hungarus. Libellus iſte, plenus ruris & inficetiarum, proxime a nobis recenſendus, totam pæne Hungariam deridendam propinavit eruditis: tantum abeſt, ut, quod Autor volebat, effecerit. Quod ad mantiſſam *Peterſii* attinet, continet illa *Epiſcoporum Hungariæ ad P. P. Concilii Tridentini*, in his, *Draskovicſii*, Epiſcopi Quinqueeccleſienſis, *Orationes*; *Diploma Ferdinandi II* de redimendis & non oppignorandis bonis eccleſiaſticis; *Conventum Epiſcoporum Hungariæ*, adverſus declarationem Cleri Gallicani de poteſtate eccleſiaſtica, habitum Tyrnaviæ 23 Oct. A. 1686; *Proteſtationem & contradictionem venerabilis Cleri Hungariæ*, factam coram diætali & articulari Commiſſione, Peſthini celebrata A. 1721 d. 21 Maji. Notandum, hac proteſtatione, quam vocant, quæcunque *Carolus VI*, Imperator glorioſiſſimæ memoriæ, ut legibus ſatisfaceret, Proteſtantium poſtulata admittere ad animum decreverat, evertere Clerum Romanum voluiſſe, eoque adigere optimum Principem, ut duriora meditaretur. Illud profecto ridiculum eſt, *proteſtari & contradicere decretis legitimi Principis*, atque eodem illo tempore profiteri, fieri id *ſalva ſuæ Maj. ſacrat. Cæſ. Regiæ, & ejusdem excelſæ commiſſionis, autoritate*. Hoc idem eſt, ac una largiri manu, quod aufers altera. Agmen claudunt *Petri Illicini*, cujus priore *Tomo* Parænesin exhibuerat *Peterſyus*, *Sermones X de rectæ fidei dignoſcendæ regula*; quos, ſi nos conſuluiſſet Doctiſſimus Editor, ſuaſiſſemus omittendos, propterea, quod, quemadmodum alio loco de Parænesi diximus, (*Nov. Act. Erudit. Anni 1743 Menſe Majo pag. 254, 255.*) nihil ad rem faciunt,

quot-

Digitized by Google

quotquot ſunt, pueriles prorſus doctoris illius declamationes; detorſionum & depravationum dictorum Scripturæ ſacræ non minus, quam veteris eccleſiæ Patrum, plena ſunt omnia. *Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.* Atque hic terminus eſt operoſiſſimi Voluminis *Peterſyani*, quod, uti cauſa poſtulabat, recenſitum credimus. Tu, ſi nobiſcum ſentis, erudite Lector, Eruditiſſimo Viro omne felicitatis genus ex animo precare, atque inprimis, nam ſat eſt beatus, *bonam mentem.* Ceterum,

*Si ſapis, hoſpes abi, miſerum ne tange libellum.*

## *CHRISTIANI EBERHARDI WEISMANNI Introductio in Memorabilia eccleſiaſtica Hiſtoriæ ſacræ Novi Teſtamenti, ad juvandam notitiam regni Dei & ſatanæ cordisque humani ſalutarem, plena & facili methodo olim conſignata, nunc vero cum cura & delectu reviſa, emendata, atque aucta, adjecto Indice locupletiſſimo.*

## *Tomi II.*

Halæ Magdeburgicæ, ſumtibus Orphanotrophei, 1745, 4.
Tom. I Alph. 8 plag. 14, Tom. II Alph. 7 plag. 18.

Varia maximeque diverſa de libro hoc tum, cum primum in lucem exiret, hominum doctorum judicia fuiſſe, nemo, niſi qui in literaria noſtri temporis Hiſtoria prorſus hoſpes eſt, ignorare poteſt. Ipſe Autor Venerabilis, a ſtudio partium alieniſſimus, diffiteri hoc nequit, in Præfatione nova, libro præmiſſa, ingenue affirmans, multos fœtum hunc ſuum nactum fuiſſe adverſarios. Incidebat inprimis ætas ipſius in tempora iſta turbulenta, quæ *Arnoldianis* monumentis eccleſiaſticis erant infenſiſſima, unde quodam quaſi fato accidit, ut, quæ in totum vulgo eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudium, eadem in Opus hoc *Weismannianum* tela vibrarentur. Accedebat huc alia externa quædam cauſa, in titulo conſpicua, ampliſ-

ſimam

ſimam viris male ſentientibus occaſionem livoris excitandi præbens. Ea enim Autori mens erat, ut non res ſolum in cœtu ſanctiori geſtas, & memoria digniſſimas, enarraret, ſed ſuas etiam, ad pietatis ſtudium ſpectantes, obſervationes adderet, ut haberent lectores, quod diſcerent ex varia eccleſiæ fortuna. Aliis ipſa hujus libri conſcribendi ratio minus ſe probabat, qui vel amplitudinem ejus, ſi pro *Compendio* habendus eſſet, vel brevitatem, ſi pro conſummato opere venditaretur, reprehenſione non indignam judicabant. Emerſit tamen poſtea ex his velut procellis liber, ex quo ſenſim ſenſimque eorum crevit numerus, qui ad Autoris partes tranſierunt, quorum aliis pragmatica Hiſtoriam eccleſiaſticam condendi ratio, aliis candor ſcribentis, aliis delectus argumentorum, aliis grave dicendi genus, mirifice placebat. In univerſum quidem Noſter monet, mores hujus ſeculi ita eſſe comparatos, ut hoc literarum genus paucos admodum amatores inveniat. Iſti enim, qui Atheorum & Deiſtarum ſequuntur caſtra, quorum inſignis proh dolor! noſtris temporibus numerus animadvertitur, facile ab Hiſtoria Eccleſiaſtica vacant, reputantes omnia fabuloſa & anilia, quæ de cœtu ſanctiori in ſcriptis inveniuntur monumentis. Aliis Hiſtoria iſta nullo fere eſt uſui, niſi ut occaſionem inde accipiant contemnendi, exſibilandi, exagitandi, Clerum, & quævis Acta eccleſiaſtica, quorum carpendi pruritus eo etiam invaluit, ut vel viliſſimus quisque ab hac male ſana cupiditate animum revocare nolit. Indocti, rerumque omnium utiliſſimarum ignari, facile patiuntur, rerum, ante ſe geſtarum, notitia ſe carere, ne forte habeant, quod moleſtiam animo, diſcendi haud valde cupido, pariat. Alios temeraria invaſit conſuetudo, ex *libris diurnis* noſtrorum temporum, quantum per otium licet, aliquid arripiendi, nec in ſummam rerum ulterius inquirendi, ut tempus modo fallere, &, ſi opus eſt, temere garrire, non docte aliquid diſſerere, calleant. Multi etiam, ſuis plane innutriti circulis, in Hiſtoria eccleſiaſtica vix inveniunt quidquam, quod placeat, inprimis ſicubi metus ſuboriatur

non

Digitized by Google

non levis, ne tot res, memoriæ atque imaginationi inſervientes, de habitu atque acumine demonſtrandi ſenſim ſenſimque aliquid, vel minimum, detrahant. Pontificiæ religioni addicti nunquam aliud quidpiam pro genuina Hiſtoriæ eccleſiaſticæ parte agnoſcunt, niſi quod per fas & nefas, (ita Autor ait,) vel ſponte ſua, vel per torturam, cum eo conſpiret religionis ſyſtemate, quod ipſis, Dei inſtar Termini, immobile eſt. Quicquid igitur ipſi literis conſignant, hiſtoria eſt. Reliqua omnia, quæ ipſis ſcribere non licet, pro fabulis atque mendaciis putidiſſimis habentur. Hinc fit, ut Junonem pro nube accipiant, & falſis ſpeciem veritatis concilient, ac veris falſitatis larvam induant. Qui puriori ſunt doctrinæ aſſueti, nihilo magis puri ſemper in condendis rerum geſtarum monumentis inveniuntur. Pro eo quidem, in quo nunc verſantur, ſtatu, ita a veteri ſcribendi ratione degenerarunt, ut, divinante Noſtro, ſi hoc tramite perrexerint, vix appareat, quem uſum tandem apud illos habitura ſit hiſtoria gravis, ſeria, & religioni legitime inſerviens. Ex hoc diverticulo ad ſuum nunc redit opus, & ad novas ejus edendi curas. Sanctiſſime aſſeverat Autor, omnia ſe relegiſſe, multa, quæ ſuppeditaverit diligentia, autoritas, judicium, ex ſcriptoribus, recens editis, adjeciſſe, &, quæ monita a viris doctis, vel a ſe ipſo minus recta & accurata fuerint cognita, candide & fideliter emendaſſe. Ipſa libri inſpectio docet, ex veritate hæc dicere Noſtrum, ſiquidem inſignes plane ſunt mutationes & additiones hujus libri factæ, inprimis ſi ad recentiora tempora ſuperioris Seculi & præſentis animum advertamus. Factum eſt ex eo, ut *Tomus ſecundus* integer huic labori ſoli dicaretur, qui antea res etiam Seculi XVI continebat. Et in eo enarrando noſtra etiam in præſenti verſabitur opera, ut lectores de ſupplementis iſtius erudiamus, omiſſis reliquis, quæ ex ſuperiori editione ſunt notiſſima, & repeti hic ſatis commode vix poſſunt.

Generatim monendum eſt, inſertas eſſe enarrationes præſentis Seculi rebus geſtis e ſuperiori enarratis. Romanæ eccleſiæ addita ſunt momenta, quibus tempora *Innocentii XIII. Benedicti*



Digitized by Google

Pag. 32. *nedicti XIII*, & *Clementis XII*, illuſtriora fuerunt reddita. Ad
35. *Benedictum XIV* cum pervenit, metam conſtituit calamo, ne per
lacinias traditionum fortuitarum & incertarum juſtos hiſtoriæ
commentarios præoccupet, vitam Pontificis, huc uſque a
viris doctis maximi habiti, delineaturos, & aliquando eden-
112. dos. Scriptoribus etiam eccleſiæ Romanæ novi quidam
128. additi ſunt articuli; alii emendati. Plurimam operam in con-
dendis, atque ex induſtria deſcribendis, domeſticis Pontificio-
171. rum controverſiis ponit Noſter, quod vel ex hiſtoria illa appa-
ret, quæ doctrinam de Auxiliis gratiæ, aliisque rebus, controver-
367. ſam proponit. Ad Conſtitutionem *Unigenitus* quod attinet, Au-
tor non omittit ea pertexere, quæ ad hiſtoriam ejus perſcriben-
dam & continuandam pertinere videbantur. Referuntur huc
inter alia variata *Ducis Regentis* in Gallia conſilia, quæ ille, mu-
tata mente, iniit, magnam & inexſpectatam rerum converſionem
368. molientia. Plurimas in hac cauſa in ſe ſuſceperat partes *du Boi-*
*ſius*, fideliſſimus domini ſui miniſter, purpuram tunc temporis,
369. & per eam ſummam imperii, affectans. Res poſtea ad *Noail-*
*lium* perveniebat, patrem purpuratum, cujus quanta fuerit au-
toritas in ſtatu iſto turbulento, amplius narratur ſecundum ea,
quæ ex fide digniſſimis ſcriptoribus proferri poſſunt, inter
quos principem locum tenet Autor vitæ *Philippi* Aurelianen-
ſis, Ducis Regentis, quæ A. 1737 prodiit. Is enim plurimam
fidem mereri videtur, tanquam vir harum rerum peritiſſimus,
374. ſincerus, atque a ſtudio partium remotus. Mentionem porro
injicit Noſter XII Articulorum, A. 1725 editorum, & non ſo-
lum indicat, quales illi fuerint, ſed dijudicat etiam, qualis eo-
rum uſus ex deſtinatione Autorum & Approbatorum eſſe de-
378. buerit. Ultima prope ſcena hujus tragœdiæ eccleſiaſticæ,
monente Autore, in illis agitur Actis, quæ ex miraculis *Pa-*
*riſianis* ortum habuerunt ſuum. Hæc enim dum intervenie-
bant, idem accidit, quod fieri ſolet, quando incendio ſuf-
focato novus fomes accedit, oleumque infunditur. Maxi-
mum enim pars Anticonſtitutionaria, vulgo *Janſeniſtica*, ar-
380. gumentum repetebat a miraculis ſuorum, inter quæ *Pariſiana*
omnino eminebant, de quibus varia variorum hic adduntur
judicia,

Digitized by Google

judicia, & ultimo loco commemoratur, fidem miraculorum *Pariſii* ab eo maxime tempore decreviſſe, quo motus corporis ſingulares, atque enthuſiaſmi in conventiculis domeſtici, acceſſerint. Finis hujus concertationis is fuit, ut Conſtitutio Pag. 383.
*Unigenitus* in tota eccleſia Romana victrix haberetur, ſi victoriam in triumpho externo acceptationis, etiam coactæ, atque per vim extortæ, ponere licet. Omnes enim noſtri temporis Epiſcopi Catholici hanc tenent Conſtitutionem, ſed ſenſu diverſiſſimo, cum reſervationibus mentalibus, contrariis atque arbitrariis explicationibus, pacis potius ſtudio, quam veritatis robore, ducti. Stricturæ hiſtoricæ, quas Autor 384.
ſubnectit, de lectione Scripturæ S. in lingua vernacula licita, vel illicita, miſcellaneis multis illuſtrantur obſervationibus, ubi tamen inprimis ad ea attenditur, quæ in ipſo etiam ſinu Romanæ eccleſiæ de hoc argumento occaſione verſionis *Montenſis* fuerunt diſputata. Poſtea hiſtoria controverſiarum *Cou-* 391.
*rayerianarum* ſingulare abſolvit *Caput*, ubi non de perſona ejus ſolum ſtrictim quædam afferuntur, ſed ipſa etiam materia controverſiæ copioſe pertractatur, cujus quæſtio primaria, uti inter omnes conſtat, de validitate Ordinationis Anglicanæ agitata fuit. Argute hic Noſter notat, eccleſiam Anglicanam 394.
nec magna commoda, nec ingentia damna, pati, quomodocunque hanc quæſtionem *Courayerius*, vel adverſarii ipſius, definiant. Si prior, inquit, vincat, ordinationes iſtæ Anglicanæ ratæ quidem ſunt & veræ, ſed tamen nondum ſunt legitimæ, niſi Angli ſimul ad communionem Eccleſiæ Romanæ tranſeant, quod illi nunquam facturi ſunt propter ſolam ordinationem. Si poſteriores triumphant, lenocinium irenicum, quo per viam iſtam Anglos captare cupiunt nonnulli, eo fit inutilius, eoque duriores hi redduntur ab illo deceptionis periculo. His reliquisque *Courayerianis* expoſitis la- 398.
boribus, ſtricturæ ex hiſtoria miſſionum & propagationis fidei Romanæ, hoc quoque Seculo continuatæ, exhibentur, ubi nec acerrimæ diſputationes de monumentis incertis & apocryphis miſſionum intactæ relinquuntur. De miſſionariis ipſis, eo- 403.
rum proprietatibus, intentione, aptitudine, methodoque con-

 vertendi,

Pag. 406. vertendi, nonnulla ex ipſis ſcriptoribus Romano-Catholicis affe-
429. runtur, ut inde de illis judicare liceat. Non omnes hic enar-
436. rare juvat miſſionum Pontificiarum conatus, inter quas præ-
443. cipuæ nominantur *Sinenſes*, *Habeſſina*, ſeu *Æthiopica*, *Japonica*,
521. *Siamenſes*, *Mingrelica*, *Georgiana*, & quæ ſunt reliquæ. Sequitur nunc hiſtoria *Socinianiſmi*, in qua recentiorum quorun-
543 ſeq. dam nomina recenſentur, & vitæ inprimis *Guilielmi Whiſtoni*, *Crellii*, aliorumque, vel denuo adduntur, vel emendantur.
568. Ad ſupplementa hiſtoriæ *Quackerorum*, ſeu *Tremulorum*, uſus eſt Noſter hiſtoria *Guil. Shewelli*, de hac ſocietate perſcripta, non una de cauſa aliis in hoc negotio præferenda libris, utpote ab Autore profecta, qui teſtis eſt domeſticus, & ipſius hujus profeſſionis membrum, cujusque diligentia, quam per viginti annos huic collectioni impendit, inprimis eſt com-
598. mendabilis. In hiſtoria *Mennonitarum* plurimæ *Ruesio* acce-
617. ptæ feruntur emendationes, qui ſua ab Autore laude merito
620. mactatur. Succedit hiſtoria eccleſiæ *Reformatæ*, in qua addi-
675. tiones doctorum hujus cœtus recentiores apparent, una cum domeſticis quibusdam, ibi enarratis, diſſidiis, inter quæ ea con-
744. troverſia non vulgaris eſt momenti, quæ ab autore *Dodwelliana* dicitur. Error doctiſſimi hujus viri circa immortalitatem animæ ita hic depingitur, ut ſtatuatur, credidiſſe eum, animam hominis ex ſua natura eſſe mortalem, nec tamen materialem, quin potius a corpore diſtingui, nec ita pendere ab ulla re creata, ut, remoto ejus influxu, eſſe deſinat, quin potius, diſſoluto corpore, in auram reverti, nequaquam vero cum eo perire. Immortalitatem eſſe privilegium ſpecialis pacti, inter Deum & homines quosdam ex pura gratia facti, adeoque non concedi, niſi quibus pactum illud innoteſcat; eorum nempe animam, qui Evangelio Chriſti obediunt, per ſpiritum, illi ſuperadditum, immortalem reddi; contra animas illorum, qui Evangelio non obediunt, per Dei voluntatem immortales evadere. Obedientibus eſſe vitam æternam in præmium cum felicitate ſempiterna inde a conflagratione mundi dandam, inobedientes vero pœnas manere æternas, & miſe-
770. riam nunquam deſituram. Nec omittuntur hoc in loco con-

troverſiæ

troverſiæ *Hatterniſticæ*, quibus *Ponteanus ab Hattern*, Berg-opzomenſis, nomen dedit, venenum *Spinoſianum* in Catechiſmo ſuo depingens, & verbis Scripturæ pallians. Accedamus nunc propius ad Eccleſiam *Evangelico-Lutheranam*, in cujus rebus geſtis multa ſupplentur ab Autore, ita tamen, ut potior eorum pars in controverſiis ponatur, de quibus, non injucundum erit, lectoribus quædam propinare. Primas tenet controverſia de deſcenſu Chriſti ad inferos, qui literaliter ple- Pag. 1085.
rumque eſt expoſitus a potiore parte noſtrorum Theologorum,
usque dum poſt aliorum dubias ſententias *Hedingerus* & *Ruſius* 1088.
aliam amplecterentur expoſitionem, quæ ſemina diſceptationum variarum ſpargeret, quas quidem latius ſerpere prohibuerunt Academiæ Jenenſis Nutritii Sereniſſimi. Breviter exinde repetuntur controverſiæ quædam celebriores de pœnitentia; quo de contritione, omnibus convertendis neceſſaria, & deſperatione ſalutari, *Jochii* notiſſimæ referuntur lites. Amplior & turbulentior fuit controverſia de lucta pœnitentiali, ab A. 1737 terras Megalopolitanas agitans, & vulgo *Dargunenſis* appellata a loco, unde paſſim hæc doctrina manavit ad alios. Quæſtio principalis in eo fuit poſita, quid per luctam principalem intelligeretur. Deſcribebant vero iſtam ſequenti ratione: Quando homines huc uſque ſecuri a Deo excitentur per verbum ipſius ad converſionem & pœnitentiam, eos ab initio deduci ad cognitionem ſtatus ſui miſe- 1089.
ri & infelicis ſub peccato & hypocriſi; inde oriri ſenſum, ſeu affectum, doloris, timoris, pudefactionis, & indignitatis, vividum, ſequi deinceps deſiderium liberationis ab hoc ſtatu damnationis & accuſationis per Chriſtum, ſed non ſine majore, vel minore, diuturna colliſione & lucta carnis & ſpiritus, carnis quidem, mutationi huic ſalutari reluctantis, ſpiritus autem, contra carnem, ejusque reſiſtentiam, in homine pœnitente & excitato pariter repugnantis, tam diu quidem, donec non modo ipſum remiſſionis & juſtificationis beneficium, ſed etiam tranquillitas conſcientiæ & certitudo ſtatus gratiæ, conſequatur. In his omnibus cavendum eſſe, docebant, ne quis ita a Deo excitatus ante tempus a Deo præſcriptum, per co-

natus proprios & immaturos, & per anticipationem ſolatii
intempeſtivi, inde ſe proripiat; imo potius tutiſſimum & ſa-
luberrimum eſſe, exſpectare maturos fructus converſionis &
Pag. conſolationis ſolidæ ac duraturæ. Hanc ſummam hujus con-
1092. troverſiæ Noſter exhibet, &, quæ publice privatimque de
ea ſcripta ſunt, ſtrictim recenſet, hoc memorabile ſubjun-
gens judicium, optimum eſſe, ſi una ex parte deſinerent ho-
mines ſe promiſcue habere & gerere pro Chriſtianis, quales
re vera non ſunt, huncque in finem, non per philavtiam,
ſed ſecundum dictum verbi divini, ſtatum animæ ſuæ accura-
te, & prout neceſſe eſt, explorare diſcerent; atque ex altera
miniſtri eccleſiæ omnes, vitatis utrinque abuſibus extremis,
graviter, humiliter, prudenter, & cum caritate, ducerent
animas ad Deum per Chriſtum ſine levitate & ſine duritie,
quod certe non omnes faciunt. Atque hæc judicandi ratio &
controverſiæ huic convenientiſſima,& eccleſiæ utiliſſima, omni-
1094. no eſt reputanda. Huc etiam refertur controverſia de con-
feſſione privata, & abſolutionis indole, cui alia additur, ubi
diſputatur de pietate, ad eſſentiam religionis pertinente, aut
1098. non pertinente. Nec omittuntur controverſiæ de novis ver-
1104. ſionibus Biblicis, in lingua vernacula editis. Copioſius pertra-
ctata hic legitur controverſia *Herrenbutiana*, ſive cum ſocietate
fratrum *Moravorum* diſceptata, quæ ſecundum origines ſuas, do-
ctores, ſententias religioſas, & reliqua fata, deſcribitur. Mul-
ta etiam de Ill. Comite *Zinzendorffio* referuntur, & inprimis
*Reſponſi Facultatis theologicæ* commemoratur ratio, quod ipſe
1109. hic Comes cum *Steinhofero* ſibi expetierat. Interim, addit
Noſter, certum eſt, id Reſponſum ſocietati *Herrenbutianæ* pro
illo ſtatu, in quo tunc temporis erat, datum fuiſſe, ad mutatas
vero illius conditiones, & ſecutas poſtmodum res circumſtan-
tes deteriores, nec poſſe, nec debere, applicari. Unde etiam
factum eſſe, Autor ſcribit, ut nunquam neceſſarium viſum ſit,
publico nomine reſpondere ad vellicationes odioſas, quas hinc
1135. inde a notis Autoribus proveniſſe ſcimus. Miramur tamen,
de doctrinis hujus ſocietatis nihil ab Autore ſummatim recen-
ſeri, nec capita potiora uno intuitu oculis lectorum ſubjici.

Fideliter

Digitized by Google

Fideliter tamen recenſentur, quæ ultro citroque dicta & fortiter propoſita ſunt, quibus hoc additur Autoris judicium: Uſum hujus hiſtoriæ, arduæ ſane, neque in abſoluta & illimitata defenſione hujus cauſæ, neque in ſimili ejus oppugnatione, quærendum eſſe, ſed in conſcientioſo pretioſi a vili, veri a falſo, utilis ab inutili, diſcrimine. Optat denique Noſter, ut memorabilis hæc ſocietas in illis bonis, quæ Deus in eam vere contulit, conſtanter permanſiſſet ſine tot acceſſionibus & mixturis, quæ ei in ſumma rei & in principe cauſa plus nocuerint, quam profuerint. Magno, inquit, hoc opus probatorio labore indiget, cui non merum aurum argentumque cum margaritis, ſed plures, quam forte agnoſcitur, ſtipulæ, plura ligna & fœna combuſtibilia, ſi non & paſſim his priora, hinc inde ſuperſtructa ſunt. Reliquas controverſias, ut *Melodianas, Haſerungianas, Nordhuſanas*, & quæ ſunt reliquæ, in eccleſia noſtra natas atque demortuas, conſulto Noſter omiſit, & his omnibus, quæ relata erant, poriſmata quædam, ſalutaria
ſane & lectu digniſſima, adjecit. In reliquis hiſtoriæ partibus, Pag.
quæ *Arminianiſmi*, & eccleſiæ *orientalis*, faciem depingit, pau- 1145.
ca fuerunt, quæ de novo fuerunt adjecta. In ſtricturis tamen 1185.
*Atheiſmi* & *Deiſmi* celeberrima, aut famoſiſſima potius, recen- 1229.
tiorum Autorum adjecta ſunt nomina, quæ *Notitia* Scripto- 1243.
rum quorundam inſignium excipit, & characteris eorundem hiſtoria, ex judicio critico virorum doctorum, quandoque etiam ipſius collectoris, delineati. Ceterum nec id Lectores celare debemus, Autorem Celeberrimum, quem nuper ad Superos abiiſſe accepimus, data quavis occaſione *Edzardi* reſpondiſſe ſcripto, quod contra priorem hujus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editionem in medium proferre non dubitaverat. Locupletiſſimus Index Operi univerſo colophonem imponit, cujus iteratas curas majores Autori laudes, & lectoribus inſigniores fructus, collaturas eſſe, optimus quisque judicabit.

*DE LITURGIA ROMANI PONTIFICIS IN SOlenni celebratione Miſſarum Liber tertius. Ubi ſacra myſteria ex antiquis Codicibus, præſertim Vaticanis,*

*aliis-*

*aliisque monumentis, plurimum illuſtrantur, cura & ſtudio* DOMINICI GEORGII, *ex intimis SS. D. N. Benedicti XIV, Pontif. Max. Sacellanis.*

*Tomus II.*

Romæ, typis Nicolai & Marci Palearini, 1743, 4 maj. Alph. 2 plag. 19.

*Libro* hujus Operis *primo* & *ſecundo*, de quibus in his *Novis Actis A. 1732 Menſe Febr. pag. 91 ſeq.* diximus, ſuccedit *tertius*, inſcriptus *ſanctæ memoriæ Benedicto XIII*, a quo ad illum laborem exſtimulatum ſe dicit Rev. Autor. Hunc, quod novum aliquibus ἀποθεώσεως Pontificiæ ſpecimen videri poteſt, non aliter compellat, ac ſi omnia tueretur, ſuarumque molitionum conſcius eſſet, ejusque precibus hoc in acceptis refert, quod *Benedictus XIV* ſibi adeo beneficum ſe præbuerit, & edendo huic Operi ſumtus liberali manu ſubminiſtrarit.

Abſolvitur *Volumen* hoc partim *Diſſertationibus*, partim tractatione argumenti propoſiti. *Diſſertatio I* agit de *Hierarchia eccleſiaſtica ſanctæ Romanæ eccleſiæ*, ejusque *Caput I* de *Epiſcopis.* Romano Pontifici, ſacram cœnam celebranti, ſex ordinum miniſtros, *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos*, & *Cantores*, adfuiſſe, teſtimonio *Innocentii III* & *Durandi* probat Autor, addens *Lectores*, quo ſic ſeptenarius numerus ſibi conſtaret. Sed, hos ab antiquiſſimis inde temporibus obtinuiſſe, ex autoritatibus illis, quas adducit, non patet; hoc tantum inde perſpicitur, Epiſcopos Romanos Epiſcopis, ad urbem venientibus, poteſtatem ſacris litandi haud raro feciſſe. Hi primum ab *Anaſtaſio* A. 769 dicuntur *ſeptem Epiſcopi cardinales*, *urbis Epiſcopi*, & *Epiſcopi Romani* in inſcriptione antiqua, primum edita a *Mabillonio*, *Epiſcopi hebdomadarii*, per hebdomadem, vicibus mutatis, muniis ſacris vacantes, *Vicarii* denique Pontificis Romani, quia, expleta hebdomade, ad ſedes ſuas redibant. *Capite II* de *Presbyteris* agit Rev. Autor. *Presbyteros cardinales* repetit ab exordiis ſedis Apoſtolicæ. Hi parochiales eccle-

Pag. 1-13.

ſias urbis regebant, quorum ſinguli ſingulis primum adſcripti erant,

Digitized by Google

erant, inde plures, quorum princeps *cardinalis* dicebatur.
*Archipresbyter* erat, qui priorem locum obtinebat in ordina-
tione alicujus tituli, atque iſte Seculo VII & VIII, vacante ſede,
una cum Archidiacono & primicerio Notariorum regebat ec-
cleſiam, & literas ſuo atque illorum nomine uſque ad conſe-
crationem novi Pontificis ſcribebat. Quot autem horum fue-
rint, cum ſubſcriptiones multum varient, definiri nequit. *Six-
tus V*, publico decreto edito, hos deinceps 50 futuros eſſe,
ſanxit. *Caput III* de *Diaconis* inſcriptum eſt. Horum ſeptem Pag. 14-
a *Petro* Romæ inſtitutos fuiſſe, opinatur Autor, *regionarios* di- 24.
ctos, quoniam ſeptem regionibus eccleſiaſticis præerant, quo-
rum primus *Archidiaconus* appellabatur. Præter illos ſeptem 24-28.
erant alii Diaconi in eccleſiis urbis, qui titulares dicebantur.
Numerus Diaconorum *regionariorum* & aliarum eccleſiarum
non ſemper erat idem. Diſtincti illi fuerunt in *regionarios* &
*palatinos*. Diaconos cardinales *Sixtus V* ad quatuordecim re-
duxit, &, quæ diaconiæ retinendæ eſſent, edixit, atque hi Pon-
tifici, miſſam celebranti, inſerviunt, qui quibus veſtibus fuerint 28-41.
amicti, ab Autore exponitur. Ex ſeptem Diaconis regiona-
riis unus nominabatur *oblationarius*, cujus erat, *oblatas*, id eſt,
panem & vinum, ubi Pontifex miſſam paraturus erat, Archidia- 41, 42.
cono porrigere. *Capite IV* de *Subdiaconis* docemur. Horum
initio pariter ſeptem fuere, *regionarii* dicti, quos *Fabianus*
Pontifex creaſſe dicitur. Primus nuncupabatur *Archiſubdia-
conus*, item *prior Subdiaconus regionarius*, quorum numerus cum
tempore ad 21 adſcendit. Diſtincti fuerunt in *regionarios, pa-
latinos*, & *cantores*. Palatinis etiam nomen erat *baſilicariorum*.
Integrum collegium *ſchola baſilicæ*, & cantorum *ſchola canto-
rum*, appellabatur. Horum autoritas non erat ſpernenda. Sub-
ſcribebant antiquitus Conciliis Romanis, aut decretis Ponti-
ficum, in iisdem datis, electionem Pontificis ſuo aſſenſu com-
probabant, & quæ hujus generis alia erant. Hi in ſubſcriptio-
nibus variis veniunt nominibus, quorum rationem dat Vene- 43-58.
randus Autor. Ex horum ordine erant *Capellani Pontificis*, pri-
mum Seculo XI memorati, qui diplomatibus Apoſtolicis dan-
dis præfecti erant, quo ipſo nomine inſigniuntur auditores
cauſarum ſacri palatii, quorum primum mentio fit in literis



Digitized by Google

Pag. 58- Apoſtolicis *Joannis XXIII*, A. 1410 d. 25 Maji datis. Subdia-
64. conorum numerus certus non fuit, quorum ordo, cum offi-
cium venale eſſet factum, integer eſt abactus ab *Alexandro*
64-67. *VII*. Quis magiſter ſacri palatii, & quod hujus officium, fuerit,
quibus teſtibus Subdiaconi fuerint uſi, declarat Autor, diſſertans
67-74. de *planeta, tunica, rocco, ſudario*. *Capite V* de *Acolythis* diſſeritur.
Illos itidem primo jamdum tempore locum habuiſſe, affirmat
Autor, Diaconorum imperio ſubjectos, diviſos in *palatinos, ſta-*
*tionarios*, & *regionarios*. A vigeſimo ætatis anno muneri huic
admovebantur, in quo ubi bene ſe geſſiſſent, ad Diaconatum,
quinquennio elapſo, promovebantur. Hi aliquando diplomata
Pontificum dederunt, & electioni horum interfuerunt, ſup-
preſſi ab *Alexandro VII*, conſtitutis duodecimviris, quos *ſigna-*
74-80. *turæ juſtitiæ votantes* vocarunt. De horum veſtibus & muneri-
80-82. bus Autor deinde loquitur. *Caput VI* de *Lectoribus* exponit. Hi
memorantur jamdum A. 251, ex quibus aliqui ad epiſcopalem,
imo pontificium, apicem aſſurrexerunt. Pueri ubi legebantur,
ad annum ætatis 20 munere hoc fungebantur. Poterant uxo-
rem ducere, ſed, qui viduam ſibi adjunxerat, Lector manebat,
nec niſi Subdiaconus fieri poterat. Notat *Cangium* Autor, affir-
mantem, *Cypriani* ævo ſolos provectæ ætatis, meritis & doctrina
claros, Lectorum muneri admotos fuiſſe. Quæ horum veſtes,
itemque munia, fuerint, declarat, interſpergens quædam de Le-
ctoribus in eccleſia Africana. Primo horum nomen erat *pri-*
*micerii*, item *primicerii ſcholæ lectorum*. Subjiciuntur aliqua de
82-105. *Oſtiariis* & *Exorciſtis* in eccleſia Romana. Sequitur *Caput VII*
de *Schola Cantorum*. Cantores Clericis accenſentur; collegium
quippe, quod ſcholam cantorum vocabant, ſeptem Subdiaco-
nis conſtat. Cantus in eccleſia Romana non demum a *Damaſi*
temporibus obtinere cœpit. Ritus canendi huic jamdum ini-
tio Seculi IV peculiaris fuit, quem *Gregorius M.* ordinatius
105-113. conſtituit, poſt ab Anglis, Germanis, & Gallis, adoptatum. Huic
fini ſerviebat certus puerorum numerus, qui in monaſteriis
in canendi arte inſtituebantur. Romæ ſchola cantorum eſt
conſtituta. Primus illius *primicerius*, item *prior ſcholæ*, ſaluta-
batur, cujus erat, omnia, quæ ad cantum ſpectabant, ordi-
nare.

Digitized by Google

nare. Qua ratione cantus & modulatio ſucceſſu temporis Pag. 113.
fuerit perfecta, quibus veſtibus induti inceſſerint Cantores, 118.
quove in loco templi munere canendi ſint functi, copioſe ſatis Ven. Autor enarrat. 118-126.

*Diſſertationis II*, qua de *libris liturgicis ſanctæ Romanæ eccleſiæ* agitur, *Caput I* de *libro Evangeliorum* exponit. Libri liturgici eccleſiæ Romanæ inde ab antiquis temporibus diſtribuebantur in librum *evangeliorum*, *lectionarium*, ad legendam epiſtolam, *librum ſcramentorum*, & *antiphonarium*, qui ſtudioſiſſime aſſervabantur. Libri Evangeliorum, quibus ad miſſam utebantur, literis aureis, aut argenteis, in pergameno purpureo ſcribebantur, ac tabulis, pretioſis lapidibus ornatis, operiebantur, & capſis, auro argentoque & gemmis inſignitis, recludebantur, quales ab Imperatoribus, Regibus, viris principibus, & piis hominibus, eccleſiis donabantur, quorum adhuc aliqui in Bibliotheca Vaticana, eccleſiis, & monaſteriis, cuſtodiuntur, quorumque ſatis prolixam deſcriptionem Autor exhibet. Singulis ſectionibus 127-144.
Evangeliſtarum, diebus dominicis & feſtis deſtinatis, præfixus eſt indiculus, qui *Evangeliorum breviarium*, & *capitulare Evangeliorum*, dicebatur. *Caput II* eſt de *libro Sacramentorum Gelaſiano & Gregoriano, & de miſſali.* 144-148. Sacramentorum liber erat collectio precum, quæ a ſacerdote, adminiſtrante Sacramenta, recitabantur. Harum collectionem inſtituiſſe fertur *Gelaſius*, quasdam tamen anterioribus jamdum temporibus obtinuiſſe, probat Autor. Codicem *Gelaſianum* recognovit *Gregorius*, quo facto, *Gelaſianus* in deſuetudinem abiit, ut hujus non niſi unus ſuperſit, typis exſcriptus Romæ A. 1680. Sequentibus temporibus dici cœpit *liber miſſalis* & *miſſale*, item *miſſale plenarium*, in quo ſingula ad miſſæ celebrationem ſingulis diebus per annum celebranda continebantur. *Caput III* de *Lectionario* inſcriptum eſt. 148-171. Etiam hujus uſus in miſſa, continentis lectiones eccleſiaſticas, potiſſimum ex *Pauli* Epiſtolis excerptas, quæ ad miſſam per annum leguntur, concinnati, uti fama fert, ab *Hieronymo*. Exiſtimat tamen Noſter, multo ante hujus ævum certas lectiones, ad miſſam legendas, in eccleſiis deſignatas fuiſſe. Firmat hoc ex Canone paſchali S. *Hippolyti* Epiſcopi, unde patet, cer-

 tas

tas ex utroque Teſtamento lectiones diebus ſtatis in eccleſiis ter-
Pag. 172- tio a C. N. Seculo lectas fuiſſe. Dicebatur antiquitus *liber comitis*,
177. qui, *Carolo M.* imperante, ab *Alcuino* eſt emendatus, quod teſti-
moniis *Mabillonii Annal. Benedict. Lib. XXVI Cap. 61 Tom. II*
*pag. 328*, & *Lib. III Cap. 3 Spicil. Tom. IV pag. 485*, adſtruit.
Liber comitis a Purpurato *Thomaſio* A. 1691 luci eſt datus.
Inferiori ætate diviſus eſt in *majorem* & *minorem*, quorum ille
ob epiſtolarum multitudinem majoris erat molis, hic mino-
ris. Idem nomen habuit *apoſtoli*, ob lectiones ex *Pauli* Epi-
ſtolis maxima ex parte excerptas, item *epiſtolarium*, qui libri
pariter eleganti ſcriptura & aureis characteribus exprimi ſole-
bant, & exterius exornabantur, aque viris probis eccleſiis dono
177-184. dabantur. Sequitur *Caput IV* de *antiphonario.* Hoc nomine
veniunt *antiphonæ ad introitum*, utplurimum ex *Davidicis Pſal-*
*mis* decerptæ; *verſiculi duo* ex iisdem; deinde *graduale*, *tra-*
*ctus*, *offertorium*, & *verſiculi poſt communionem.* Seriori æta-
te acceſſere *proſæ* & *ſequentiæ*, certis diebus decantandæ. Hic
vulgo ad *Gregorium M.* refertur; at interceſſit *Jo. Ge. Eccar-*
*dus*, *Gregorium* non I, ſed II, nominans, quem Noſter refutat.
Cum in Galliis libri antiphonarii corrupti eſſent admodum,
*Carolus M.* illos per viros peritos emendandos curavit, & ad
184-192. modulos Romanos revocari juſſit. Subjiciuntur aliqua de
192-194. editionibus & Codicibus MStis antiphonarii.

*Diſſertationis III* argumentum eſt *de Tropis.* Hos definit per verſiculos, qui in præcipuis feſtivitatibus immediate ante introitum canuntur, perinde ac ipſius introitus præludium, cui ſtatim introitus conjungitur. Hi in antiquiſſimis libris non inveniuntur, & Card. *Bona* teſtatur, ſe illos ante A. C. 1000 non offendiſſe, cui accedit Cl. Autor, affirmans, ante Seculum XI nullum eorum exemplum ſe deprehendiſſe, & a monachis primum excogitatos fuiſſe, inde ad alias eccleſias tranſiiſſe. *Ekkehardus* junior in Vita *Notkeri* narrat, ipſum tropos ſcripſiſſe, ſed, quia is demum Seculo XIII floruit, idoneus teſtis haberi nequit. Exempla horum troporum ex Codicibus in me-
195-204. dium affert, &, quibus nominibus illorum libri indigitati fuerint, tradit.

*Diſſertatio IV* de *proſis & ſequentiis* agit. *Proſam* & *ſe-*

*quentiam*,

quentiam, quæ voces ſeculis barbaris natæ, non unum idemque, quod *Cangius* exiſtimat, ſignificare, obſervat Autor, largiens, apud Germanos Seculo XI *proſam* & *ſequentiam* pro uno eodemque habitas fuiſſe. Autorem ſequentiarum citant alii *Gelaſium*, alii *Gregorium M.*, alii *Notkerum*, quorum opinionibus expenſis, concludit Autor, *Notkerum* primum illarum autorem dicendum, ita tamen, ut alii poſt alios ſequentias quasdam adjecerint, quarum initia cum adjectis in margine Autorum nominibus in ſubjecta tabella exhibet, & varios Codices atque editiones inter ſe contendit. In Romana eccleſia ante Seculum Pag. 205.
X ſequentiæ nullæ obtinuerunt, Seculo XI in urbis eccleſiis in 230.
uſu eſſe cœperunt, Seculo XII in ſacris Pontificiis, in die natalitio Domini, & paſchatis, inter prandendum ſunt adhibitæ; his quippe diebus Pontifex, peractis ſacris, cum Epiſcopis & aliis ordinibus cibum ſumere ſolebat; cantores igitur juſſi ſunt ſequentiam decantare. Erat ſequentia veluti appendix illius modulationis, quæ a cantoribus poſt alleluja uſurpabatur, & in longum protrahebatur. 230-234.

Has Diſſertationes excipit *Liber III de Liturgia Romani Pontificis in ſolenni celebratione miſſarum*; cujus *Capite I* docetur, qua ratione Pontifex ad rem ſacram faciendam ad altare proceſſerit. Præcedebat Subdiaconus, ferens thymiaterium, ſuffitum adolens; præſto erant duo acolythi, vas, in quo euchariſtia condita erat, manu tenentes, ac Pontifici oſtendentes, quam is adorabat; qui mos vero præferendi *ſancta*, quo nomine antiquitus euchariſtia veniebat, poſt in deſuetudinem abiit. Præferebantur item ſeptem candelabra. Qua ratione vero hic variatum fuerit ſequenti tempore, ſubdit. *Capite III* morem, quo 5-15.
Epiſcopi e ſecretario ad altare a Seculo IX ad XIII proceſſerint, exponit. *Libros plenarios*, quos *Honorius Auguſtodunenſis* nominat, non eosdem vult eſſe, quod *Cangius* judicat, cum *miſſalibus plenariis*, ſed potius de *Evangeliorum* libris intelligit *Capite IV*. Qua ratione Pontifex a Seculo IX ad XIII ad ſa- 15-22.
cra in altari facienda, & quibus comitibus, proceſſerit, docetur *Capite V*, ubi de *mappula*, ſive baldachino, quæ ſuper caput Pontificis ab ingreſſu eccleſiæ ad altare usque a cubicula-



Digitized by Google

Pag. 22- riis extendebatur, quædam inſperguntur. *Capite V* procedendi
26. cerimoniæ, Seculo XIV, XV, & XVI, uſitatæ, enarrantur, quæ
hodierno adhuc die obtinent, in quibus omnia ad pompam
& magnificentiam ſunt comparata, a ſimplicitate Chriſtiana
27-33. immane quantum diſcedentia. *Capite VI* indicatur, qua re dif-
ferat hodiernus Pontificis ad ſacra ſolennia procedendi modus
ab antiquo. *Capite VII* agitur de *antiphona ad introitum. Anti-*
34-40. *phonæ* erant breves ſententiæ, ex variis *Pſalmorum* verbis de-
ſumtæ, & alternis vicibus a duobus choris cantorum decanta-
tæ. *Ad introitum* dicebantur, quia canebantur, uſque quo
Pontifex ad exordium miſſæ perveniret. Has primas *Cœleſtinus*
40-46. inſtituiſſe perhibetur. *Capite VIII* commentatur Autor de ſedi-
bus Epiſcoporum, quæ reliquis erant altiores, ad quas tribus
adſcendebatur gradibus, quippe pretioſis aulæis velabantur.
*Capite IX* ſermonem facit de confeſſione, quæ fiebat verbis il-
lis: *Judica me Deus*, quam Pontifex, acceſſurus ad altare, ede-
bat, quem morem octingentis annis antiquiorem non eſſe,
pronuntiat. In illis autem confeſſionum formulis multum eſt
variatum, itemque precibus, quas poſt illam confeſſionem fun-
debat, quarum formulas aliquot Autor exhibet, quarum quæ-
dam directæ ad B. *Mariam*, Sanctos, Martyres, & Confeſſo-
47-62. res, quæ multam ſuperſtitionem redolent. Quoniam autem
Pontifex, vel quivis alius Epiſcopus, ſacra faciens, ubi preca-
tus erat: *Oramus te, Domine, per merita & patrocinium o-*
*mnium ſanctorum, & eorum, quorum reliquiæ hic ſunt* &c.
altare oſculabatur, nullum altare conſecrari poterat, ſub quo
non reliquiæ Sanctorum conditæ eſſent, quæ aliquando in al-
62-67. tari ponebantur, & miraculum patraſſe jactitantur. *Capite X*
Autor diſſerit de oſculo, quo Pontifex, vel Epiſcopus, miſſam
celebraturus, venerationem ſuam teſtabatur altari, itemque li-
67-72. bro Evangelii. *Capite XI* ſermonem facit de uſu thuris in eccle-
ſia Romana, potiſſimum ubi Pontifex ad altare vadebat, & pro-
pe altare ſtabat, quem morem ex Apoſtolorum temporibus ar-
ceſſit, provocans ad adolendi ritum, in Vet. Teſtamento uſurpa-
tum, neſcius, umbras iſtas, Chriſto corpore præſente, evanu-
iſſe. Canones, ſic dicti, Apoſtolici, recentioris ævi, rem non
conficiunt.

Digitized by Google

conficiunt. *Caput XII* eſt de uſu precationis *Kyrie eleiſon*, & Pag. 72-
*Chriſte eleiſon*, ante miſſæ celebrationem, quæ a ſchola canto- 77.
rum intonabatur poſt cantatam antiphonam ad introitum, ubi Pontifex, oratione facta, ad ſedem ſuam acceſſiſſet. Excipiebat proxime hymnus: *Gloria in excelſis Deo*, de quo *Capite XIII*, quem Pontifex ſtans inchoabat, chorus reliqua accinebat. Cum tempore variæ acceſſiones ſunt factæ, interdictæ a *Nicolao V*, poſt Concilium Tridentinum prorſus ſublatæ. Origi- 78-92.
nem hujus hymni canendi, dum miſſa celebraretur, vulgo repetunt a *Teleſphoro*, qui illum cantari voluerit nocte, diem Chriſti natalem antecedente, dum miſſa fieret, *Symmachus* ad dies dominicos & natalitios Martyrum transtulit, alii addicamenta quædam adjecerunt. Tempore quadrageſimali ad Paſcha uſque intermittebatur, niſi dies feſti intercurrerent, in aliis eccleſiis toto tempore adventus non audiebatur. In 92-99.
quibus præterea feſtivitatibus cantio hæc fuerit adhibita, docetur *Cap. XIV*. Finito hymno, Pontifex, vel quicunque Epi- 99-104.
ſcopus, eccleſiam ſalutabat, *pax vobiscum*, concione reſpondente, *& cum ſpiritu tuo*. Presbyteri diebus quadrageſimæ, & quatuor temporibus, ſive in vigiliis Sanctorum & reliquis jejuniorum diebus, dicebant: *Dominus vobiscum*, accinente populo: *& cum ſpiritu tuo*. *Cap. XV* de *oratione ad miſſam* verba 104-108.
facit Autor. Orationes, quæ nunc obtinent in eccleſia Romana, *Thomaſio* judice, a *Conſtantini M.* ætate repetendæ ſunt, aliæ a *Leone M.* elaboratæ, auctæ & reſtitutæ identidem a *Gelaſio* & *Gregorio M.*, quorum uterque illas ſingulari ſtudio collegit, a quibus ſacramentarium *Gelaſianum* & *Gregorianum* nomen tulit. In baſilica Lateranenſi Seculo XIII uſu fuit receptum, ut in miſſa & divinis officiis loco precationum liturgicarum oratio dominica adhiberetur. Concluſio orationis erat, *per do-* 108-119.
*minum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti*, quo ſic publica Trinitatis confeſſio ederetur. Ultima verba erant, *per omnia ſecula ſeculorum*, quibus prolatis, populus dicebat *amen*. *Cap. XVI* exponit ritum 119-122.
legendi epiſtolam, quod fiebat a Subdiacono, qui illam non *Latine* ſolum, ſed & *Græce*, in gratiam illorum, qui Latini ſer-

monis

monis expertes erant, prælegebat. Sub finem lectionis populus acclamabat, *gratias Deo*, etiam antiquioribus temporibus, *pax tecum*. Finita lectione, Subdiaconus oſculum figebat Pontifici. *Innocentius III* inſtituit, ut calceo ſuo oſculum
Pag. 122- imprimeretur. Poſt epiſtolam, ut ex *Capite XVII* diſcimus, cane-
133. batur *Pſalmus*, qui dicebatur *reſponſorius gradalis*, ſive *reſponſorium gradale*, quia, *uno* canente, *chorus conſonando reſpondebat*, & quod juxta gradus pulpitis cantaretur. Reſponſorium inſtituebatur ex inferiori gradu ambonis, ſequebatur *alleluja*, quod, uti ex *Auguſtino* videre eſt, in eccleſiis Africanis diebus dominicis, & quinquaginta a feſto paſchali ad Pentecoſten uſque diebus, audiebatur, in Romana ad miſſas
133-141. etiam extra Pentecoſten decantabatur. Sequitur *Caput XVIII de Evangelii lectione*. Fiebat illa poſt epiſtolam, & quidem munere illo fungebatur *Diaconus*, vel, illo deficiente, *Presbyter*, qui, accedens ad Pontificem, illius pedes oſculabatur, & his verbis dimittebatur: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis.* Huic duo candelabra & duo thuribula præferebantur. Lectio inſtituebatur ex ambone primum Latine, inde Græce. Populus ſalutabatur his verbis: *Dominus vobiſcum*, cui hic reſpondebat: *& cum ſpiritu tuo.* Inter legendum omnes capite detecto ſtabant, &, qui baculos manu geſtabant, illos deponebant. Morem Latine pariter & Græce legendi Evangelium & epiſtolam repetit Autor ex Seculo XII. *Joannes VIII* Slavonis permiſit, ut idiomate Slavonico legeretur, ita tamen, ut lectio
141-163. Latina præmitteretur. *Capite XIX* quædam affert Autor de ſermonibus ſacris poſt Evangelium inter ſolennia miſſarum. Hi ex antiqua conſuetudine habebantur ab Epiſcopis & Pontificibus, quod cum de poſterioribus neget *Sozomenus Hiſt. Eccleſ. Lib. VII Cap. 19*, contrarium exemplis, tum antiquis, tum recentio-
164-174. ribus, *Clementis* potiſſimum *XI* & *Benedicti XIII*, demonſtrat. *Capite XX* inquiritur in originem Symboli, in miſſa cantandi. Mos hic primum obtinuiſſe videtur in eccleſia orientali; in occidentali non *Damaſus* invexit, ſed demum a Seculo VI, & quidem poſt Concilium *Toletanum III*, habitum A. 589, vigere cœpit. Maxime invaluit hæc conſuetudo in eccleſia Romana ante

Digitized by Google

ante Seculum VIII, ſed tamen ſubinde etiam lectum. Prius, quam Pag. 175-
ad celebrandam miſſam ſe accingerent, Diaconus aliquis *cor-* 185.
*porale* ſuper altare extendebat, quod docetur *Capite XXI.* Erat
*corporale* ſindon, ſive linteum, tantæ capacitatis, ut operiendo
altari ſufficeret. *Offertorium* erat cantus, ex *Pſalmo* quodam 184-188.
fere ſemper ſumtus, qui canebatur, dum fideles oblationes
ſuas ex vino & pane offerrent, cujus rei rationem arceſſunt
ex ſacris Vet. Teſt. in quibus durante ſacrificio Levitæ hymnos
ſacros, comitantibus inſtrumentis muſicis, concinebant. *Capite* 189-195.
*XXII* diſquiſitio inſtituitur in primam oblationum originem.
Panem & vinum ex antiquiſſimo ritu deferebant ad Epiſco-
pum & Presbyteros, quod ex Canonibus Apoſtolorum *Can.*
*III Juſtini Apol. II edit. A. 1615* & aliis probat. Munera hæc
ſolum accipiebantur a fidelibus, non a pœnitentibus, nec il-
lis, qui ſacrorum communione excluſi erant. *Oblatarum* no- 196-201.
men primum Seculo VIII ortum eſſe obſervat, quæ multa cura
ante diem natalem, vel reſurrectionis Chriſti, ex pane coloris
candidi conficiebantur, quæ erant *tenues* & *graciles*, ſed *paulo*
*grandiores*, quam in præſentia, quia olim in plures partes
frangebantur. Erant rotundæ, figura crucis notatæ. Quam- 201-202.
diu vero mos iſte offerendi viguerit, cum ſucceſſu temporis
loco munerum numi in uſum pauperum & parochorum ſuc-
ceſſerint, ſuccincte docet. *Cap. XXIII* exponit de actionibus 202-212.
Pontificis poſt ſuſceptas oblationes laicorum. Illis acceptis,
Pontifex redibat ad ſedem ſuam, & manus lavabat, qua
in re miniſterium ipſi præbuerunt Diaconi, interdum Subdia-
coni, aquam ſubminiſtrantes, aſſiſtentibus Presbyteris. Diſ-
ſerit dehinc de oblationibus Epiſcoporum, Presbyterorum,
Diaconorum, & miniſtrorum, de calice & oblatis in altari lo-
catis, palla item, qua hæ cooperiebantur. Exhibet porro
diverſas precum formulas, quæ fundebantur, ubi oblatæ al-
tari imponebantur, & ſuffitus in thuribulum immittebatur &
incendebatur. Hoc facto, Pontifex & Epiſcopi manus iterum 213-228.
lavabant, recitantes partem *Pſalmi: Lavabo inter innocentes* &c.
qui ritus inde a Seculo XIV in uſu eſſe cœpit. Tunc Pontifex 228-229.
& ceteri omnes, dicta oratione, *Suſcipe ſancta Trinitas*, vertunt

Oooo ſe

ſe ad populum, dicentes voce clara & perſpicua, *orate fratres*; inde concio preces allegabat ad Deum, ut ſacrificium in ipſius (offerentis) & omnium ſalutem accipere velit. Deſcribuntur denique ritus, ac orationum initia proferuntur, quæ ad oblationem hoſtiæ & calicis, itemque ſuffitus, factæ, inde a Seculo
Pag. 229-241. XIV ad præſentem ætatem uſque recitatæ. *Capite XXIV* loquitur de oratione, quam liturgici ſcriptores *ſecretum* appellant, eo quod a celebrante ſacra myſteria *ſecreto* dicebatur, quaque Deum invocabat, ut oblata recipere dignetur, cujus appellationis rationem ex libris ritualibus adſtruit. Index rerum copioſus ſatis ſubjicitur. Eruditiſſimus Autor in hoc Opere induſtriam ſuam ſatis ſuperque demonſtratum ivit, ea ex variis libris Romanæ eccleſiæ ritualibus & formis deſcriptis, & manu exaratis, congerendo, quæ ad inſtitutum ipſius facere poterant. Et utilis poteſt eſſe opera hæc ſocietatis Romanæ doctoribus, quo inde multiplices illos ritus, eorundemque variationes, addiſcant. Alii inde humanæ ſapientiæ negotioſam occupationem circa religionis externæ cerimonias perſpicere poſſunt, quæ, non contenta ſimplicitate, omnia ad externam pompam convertit, quo plebs rudis illis ſub ſpecie devotionis detineatur, &, ne rationes illarum deſint, ſignificationes myſticas & ſpirituales excogitat. Simul aliquis iſta legens in hanc ingredietur opinionem, fieri non poſſe, ut ſacerdos Romanus, ſacra facturus, cujus cogitationes in harum illarumve cerimoniarum obſervationem rapiuntur, intentionem ſemper in animo habere poſſit, a qua tamen omnis Sacramentorum & rerum ſacrarum vis, ex illorum ſententia, pendet.

VITA DEL CARDINALE GASPARO CONTARINI, &c.

id eſt,

*VITA PURPURATI CASPARIS CONTARENI, ſcripta a LUDOVICO BECCATELLO.*

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1746, 4 maj.

Pag. 20.

Edidit

Digitized by Google

Edidit librum Eminentiſſ. Purpuratus *Quirini*, præfectus Bibliothecæ Vaticanæ, Epiſcopus Brixienſis. Inſcripſit eundem Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino *Joſepho Thunn*, Epiſcopo Gurcenſi. Formula dedicationis ſuſtinet vicem Præfationis omnino copioſæ. In eo totus eſt, & aſſiduus Vir Emin. ut *Pauli III* Purpuratos, in quorum numero fuit *Contarenus*, vindicet præſtantiſſimos, *Paulum III* extra nævos collocet; ac, velut aliud agendo, autoritatem Concilii Tridentini commendet quibuscunque. In Præfatione eundem inſiſtit Autor tramitem, eodem ſudat in clivo. Inſerit libro icona *Contareni*, quam verſiculi hi exornant, infra poſiti:

*Si velut egregia pictura, maxime Caſpar,*
*Eſt expreſſa tui corporis effigies;*
*Sic divina tuæ potuiſſet mentis imago*
*Pingi, nil oculi pulchrius adſpicerent.*

Vita *Contareni* primum edita fuit *Tomo III* Operis, quod inſcribitur *Collectio Epiſtolarum Card. Reginaldi Poli*, ſed nondum ad nos perlato. Decerpemus exinde epitomen qualemcunque. Lucem vitalem *Contarenus* adſpexit Venetiis A. 1483, 16 Oct. genere nobiliſſimo procreatus, patre *Ludovico Contareno*, matre *Polyxena Malipiera*. *Thoma* gaviſus fuit fratre. Mater ipſi nomen ex Magorum uno, ad Jeſulum veniente, impertivit. Mercaturæ nobiliori ipſum deſtinaverat pater. At, ex quo ardorem Pag. 2.
celeriter arripiendi ea, quæ edocebatur, pervidit, a literarum ſtudio eum avocare religioni ſibi duxit. *Caſpar* Venetus a *Georgio Valla* & *Marco Antonio Sabellico*, eruditiſſimis hominibus, Latinæ linguæ elementa accepit. *Antonio Juſtiniano* & *Laurentio Bragadino* præeuntibus, initia Logices hauſit. A. 1501 pater eum Patavium ire juſſit, ut ſtudiis Academicis imbueretur. Græca didicit hic a *Marco Maſuro*, Græco, ac Philoſophiam *Ariſtotelicam* a *Petro Mantuano* edoctus eſt. Exſplendeſcebat tunc Patavina Academia diſciplinis ac ſcientiis. Florebat ea *Andrea Naugerio*, *Marco Antonio*, *Baptiſta de Turri*, *Hieronymo Fracaſtorio*, & *Baptiſta Egnatio*, hiſtoriarum ponto. Obiit *Caſpari* pater A. 1502. Bellis involvebatur

tur id ætatis Reſpublica Venetorum, Principibus multis A. 1509 adverſus eam veluti conſpirantibus. Rediit *Caſpar* tunc Venetias. Legationem ſuſcepit ipſe A. 1521 ad Cæſarem *Carolum V*, Wormatiæ tunc agentem, ſaluti rei publicæ ſuæ conſulturus. Cæſar A. 1522 in Hiſpaniam redire conſtituit.
Pag. 5. Gubernacula Belgii inter hæc tradidit Cardinali *Hadriano* Dertoſenſi. Venit Romam, ac, *Hadrianus* ut in Pontificem eligeretur, ibi ſtudium impendit. Rediit *Carolus V*, ac in Angliam ad affinem *Henricum VIII* iter fecit, unde in Hiſpa-
6. nias, *Contareno* comite, trajecit. *Ferdinandus Magellanicus* ab A. 1519 ad 1522 orbem circumnavigavit. Ut gratularetur Reſpublica Imperatori faſtigium dignitatis Imperatoriæ, ipſa ad *Carolum V* ablegavit *Laurentium de Priuli*, poſtea Venetorum Ducem, ac *Andream Naugerium*. Rediit *Contarenus* in patriam, crevitque in dies autoritate ac fama. Miſſus eſt ipſe
9. Romam a Venetis, legationem obiturus, Florentinis anno 1527 Mediceæ genti repugnantibus. *Clemens VII*, Bononiæ Imperatori diadema ſupremum impoſiturus, *Contareno* ſtipatus, de Venetis cum *Carolo V* reconciliandis cogitavit. Huic ſe denuo approbavit *Contarenus*, pacemque vidit reſartam, a Venetis eapropter renuntiatus *Conſultor magnus*. Ex eo tempore negotiis maximis domi operam ſuam accommodavit. Succeſſit *Paulus III Clementi VII*, A. 1534 vergente debitum
11. naturæ ſolventi. Ab hoc *Paulo Contarenus* A. 1535 ipſe ſeptimus in Purpuratorum ordinem evectus eſt. Sex reliqui recens electi Cardinales erant Epiſcopus Roffenſis, in Anglia adhuc captivus, Archiepiſcopus Capuanus, Epiſcopus Pariſiorum *Bellajus*, tunc Romæ legatus *Franciſci I*, *Simonetta*, Epiſcopus Peſarenſis, Auditor Rotæ celeber, *Ghinuccius*, Cameræ Auditor, & *Caracciolus*, Protonotarius, Duci Mediolanenſi gratus. *Contarenus* conſiliarii munere gaudebat id temporis apud Venetiarum Principes, præter omnem opinionem honoribus,
12. quo Purpurati ornari ſolent, mactatus. Tonſuram primam ac ordines minores ſuſcepit. Fratres & amici honorariis ipſum coluerunt, magnifice inſtructis. Pontifex ipſi in ſingulos menſes 200 ſcutatos exſolvi juſſit, penſionis annuæ locum expleturos.

turos. Erant malevoli, qui ei obtrectabant, rati, reformandi officium fuiſſe in eum communiter injectum, qui expers foret modi ac artis tractandi res, in Collegio Purpuratorum ſolitas expediri, certe tentari. Celebrant ſcriptores ejus ætatis *Contareni* ingenuitatem ac ſentiendi libertatem generoſam. *Reginaldus Polus* utique ei erat amiciſſimus, quem laudum ſuarum præconem invenit *Contarenus*. Adhibuit *Paulus III* hunc operæ, quæ in reformanda curia Romana verſabatur. *Carolum V*, A. 1536 Tuneto in Siciliam, Neapolin, ac inde Romam, venientem, *Paulus III* ad altare *Petri* ornavit comitibus Purpuratis, *Simonetta* & *Contareno*. *Franciſcus I* expetiit a Pontifice A. 1538, quo bellum Varum & Provinciam corripuerat, Purpuratos duos, *Ghinuccium* ac *Contarenum*. Papa ipſe tum Nicæam venit Pedemontanam, ac Cæſarem Genuam fuit comitatus. Abiit *Contarenus* viſum eccleſiam Cividalenſem, ipſi deſtinatam, ac inde Venetias diſceſſit, Imperatorem ibi ſalutaturus, qui Turcis bellum erat illaturus, dummodo Veneti conſilio ac re ipſa id juvarent. Cæſar A. 1540 colloquio religioſo diſſidia tollere intra Germaniam laboravit, Theologos ſelectiores vocaturus Wormatiam & Pontificios & Proteſtantes. Petiit eo fine a Papa legatum, qui miſit *Contarenum*. Conventus ille religioſus A. 1541 Ratisbonæ celebratus fuit, ipſis comitiis vigentibus. Advenit *Contarenus* medio Martii, ab Imperatore exceptus, cum comitia nondum fuiſſent inchoata. Vidit ibi præterea *Albertum*, Archiepiſcopum Moguntinum, Cardinalem, *Joachimum*, Electorem Brandeburgicum, Duces Bavariæ *Ludovicum* & *Wilhelmum*, *Erneſtum*, Ducem Brunſuicenſem, alios. Poſt Paſcha venit & *Ferdinandus*, Rex Romanorum. Comitiorum materies erat præcipue religio. Præſides colloquio religioſo Cæſar dedit *Granvellanum*, & præfectum ærarii *di Prato*. Trium Pontificiorum Theologorum nomina adhuc celebrantur, *Joannis Eccii*, *Joannis Gropperi*, ac *Julii Pflugii*. Cum his rationes controverſorum dogmatum contulerunt Proteſtantium Theologi tres, *Martinus Bucerus*, *Philippus Melanchthon*, & *Joannes Piſtorius*, a proceribus approbati. Legato inſtar

Pag. 14. 16. 18. 19. 21.

conſiliariorum adjuncti fuerunt *Moronus*, Epiſcopus Mutinenſis, Papæ Nuntius, & *Thomas* Mutinenſis, ſacri palatii magiſter. *Philippus*, Landgravius Haſſiæ, Proteſtantium tunc erat ſtator ac princeps, qui in ſua humanitate ac gratia nihil deſiderari
Pag. 22. paſſus eſt. *Martinus Bucerus*, *Contarenum* legatum inviſens, dixiſſe dicitur: *Reverendiſſime Domine, utrinque peccatum eſt, dum nos quædam nimis obſtinate defendimus, contra vero abuſus multos vos non corrigitis. Sed, Domino concedente, veritas illuſtrabitur, & ad concordiam deveniemus.* Qui *Alberti Menonis Verpoortenii Commentationem hiſtoricam de Martino Bucero*, Coburgi A. 1709, 8, editam, legerit *pag. 42 ſeq.*, illi id *Buceri* ad *Contarenum* pronuntiatum haud a vero videbitur alienum. Æquitatem *Contarenus* ſuam Ratisbonæ inprimis commendavit, a *Jacobo Sturmio*, qui coram aderat, ce-
23. lebratam. Germanis literas paſſim impertivit gratis. Erat, qui numos ſoluturus inhibebatur, ac ideo exclamabat: *O mores inſolitos, utinam ſic ſemper, non enim nunc laboraremus!* Romæ inter hæc libere judicari cœptum. Fuerunt ibi, qui Purpurato Legato inviderent ac obtrectarent, tradentes, *Contarenum* plus juſto Proteſtantibus indulgere. Ob Turcorum irruptiones in Hungariam ſub finem Julii comitia ſoluta ſunt. Rediit cum Cæſare in Italiam legatus. Divertit paululum ad luſtrandam ſuam eccleſiam Cividalenſem. Mediolanum comitatus Cæſarem, venit Luccam, ubi *Paulus III* Cæſarem colloquio proſecutus eſt. Cæſar hic loci laudibus ornavit le-
25. gatum, ac Pontificis gratiæ majori admovit. Diſceſſit Romam legatus, ac a *Paulo III* id acceſſionis ad honores ſuos tulit,
26. ut *Legatus Bononiæ* nunc appellaretur. Hic denuo ad *Carolum V* in Hiſpaniam fuit miſſus, *Franciſcum* Regem cum illo reconciliaturus. Studiis delectabatur cumprimis Philoſophiæ, Theologiæ, ac Matheſeos, ab *Euclide* traditæ, alienus ab Aſtrologia judiciaria, Aſtronomiæ ſtudioſiſſimus. *Ariſtoteli* primas
27. dedit. *Thomæ Aquinatis* libros fecit ſummi. Amavit in ſtudiis methodum ſyntheticam, ab *Euclide* ita formatus, ſophiſmatum ac cavillationum hoſtis, ratus, nil ſubtilius eſſe falſi-
28. tate. Legerat pleroſque Hiſtoricos & Græcos & Latinos, ve-
teres

Digitized by Google

teres ac recentiores, præcipue vatum optimos, *Homerum*, *Virgilium*, *Horatium*, æque ac *Ciceronem*. Si quis amicorum ejus nævo morum uno, vel altero, laborabat, nil addebat niſi illud *Horatii: Non ego paucis offendor maculis*. Bononiæ apud ipſum deferebatur homo doctiſſimus, genere nobili natus, licentiæ cauſa, qua de Deo ac religione conſueverat diſſerere. *Contarenus*, immitius agere haud ſolitus, eum domeſticis aggregavit ſuis, ac probitatis argumentorumque pulchritudine eum a protervia revocavit. Effert *Polus* laudes ejus ceteras non minores. Ad exitum properamus. Immortuus fuit *Contarenus*, annum ingreſſus 59, legationis Bononienſis itineri. Amicos coluit præcipue *Polum*, *Sadoletum*, *Bembum*, *Badiam*, *Corteſium*, & *Fregoſum*. Scripſit diverſi argumenti libros, libellum *de Ariſtotele*, *immortalitatem animæ tutato*, *de Magiſtratibus & Republica Venetorum Libros quinque*, *de Elementis quinque* alios, *quatuor de Metaphyſica Libros*, *Libros 2 de officio Epiſcopi*, ac alios. Liber primus, quem annos 33 natus ſcripſit *de Animæ immortalitate*, ab ipſo fuit magiſtro ſuo *Pomponatio* oppoſitus, immortalitatem deſtruente. Compoſuit præterea libellum *de autoritate Papæ*, *de curiæ Romanæ variis reformationibus*, *ſummam Conciliorum*, *IV Libros de Sacramentis*, Commentationem *de libero arbitrio*, literas *de juſtificatione & prædeſtinatione*, annotationes in omnes *S. Pauli Epiſtolas*, &c. Poſteriores vero formis publicis haud fuerunt deſcripti. Adjecit Eminentiſſ. Editor Vitæ ſummam dictorum, & acceſſionem epiſtolarum nonnullarum, vitæ *Contareni* illuſtrandæ inſervientium.

Pag. 33. 42. 56. 57.

## DELL' USO DEL MERCURIO CRUDO &c.
hoc eſt,

## *DE USU HYDRARGYRI IN FEBRIUM MALIgnarum & contagioſarum curatione, quæ A. 1744 Cortonenſes afflixerunt, Libellus, Autore JOSEPHO VALDAMBRINI, Prof. Publ. Medic. Cortonæ, ad MARCELLUM DE VENUTI, Marchionem Cumæ, &c.*

Floren-

Florentiæ, apud Jo. Paul Giovannelli, 1744, 8 maj.
Plag. 2.

Plurimi fortaſſis eorum, quos epidemicæ febres prehendunt, non morerentur, niſi ſe tum ægri, tum Medici, ſinerent, miti, quam ab initio habent, earum indole ſeduci, quæ ſubito in feram malignamque mutata, medentes, quo ſe maxime modo morbi impetui opponant, non raro dubii hærent, conſiliaque idonea confeſtim capere utplurimum non ſciunt. Quapropter cum in his, tum in cunctis aliis morbis, quorum natura ab initio ſatis non patet, Medico ſecurum eſſe non licet; præcipue, quia ejusdem tandem indolis futurus morbus, varia ab initio forma apparet. Idque Cl. *Valdambrinus* etiam in Cortonenſium malignis febribus obſervavit, quæ ubi
Pag. 4. ad quintum uſque diem perquam variæ fuerant, ſubito tan-
6. dem ægros capitis vehementiſſimo dolore, agrypnia, dolore membrorum, qualis vexata ſequitur, animi deliquiis, potiſſimum in recto ſitu, nauſea, & variæ materiæ, interdum quoque vermium vomitu, opprimebant. Omnibus præterea ingratus, acidus, verminoſusque halitus tum ex ore ſurgebat, tum ſimilem urina odorem ſpargebat, variaque per alvum
7. cum vermibus materia deſcendebat. Quæ mala ſeptimo die perſæpe petechiæ, & nono decimoque ſopor deliriumque cum ſingultu & convulſionibus, morteque ipſa, utplurimum decimo ſexto die, exceperunt. Qui autem ſervati ſunt, plerique morbum uſque ad vigeſimum primum diem ſuſtinuerunt, pluribus ante diebus continua ſomnolentia preſſi, neque
8 ſeq. una aliqua perfecta criſi judicati. Fuit harum febrium ea indoles, ut, creſcente luna, mitiores fierent, & contra intenderentur, utque fœminas potius & ex plebe homines, quam viros, honoratioresque invaderent. In quarum curatione *Valdambrinus* venæ ſectionem, ſi plena ſanguine corpora, vehementesque capitis dolores, erant, etiam repetitam, præcipue in jugulo, & nucha, leniaque laxantia plurimum utilitatis habere, expertus eſt. Neque ſine fructu corticem peruvianum cum aliis an-
9. thelminticis dedit, & largas acidulas potiones commendavit, anodynaque pariter ac diaphoretica, in pertinaciore alvi fluxu, dedit,

interdum

Digitized by Google

interdum etiam cantharides impoſuit. Quæ cum nihilo mi- Pag. 10.
nus vim febris ſatis non frangerent, *Valdombrinus* de *hydrar-*
*gyri* uſu cogitavit, ut certiſſimo vermium veneno, a quibus
hæ febres excitari videbantur. Neque vero opus erat ad 11.
*Belloſtium* provocare, cui neque in hoc accedimus, quod
febres ex Sanguine oriri dixit, a vermium fæcibus, cum chy-
lo ad ſanguinem delatis vel corrupto, vel coacto, neque in
eo, quod hydrargyro omnis generis febres vincendi vim tri- 12 ſeq.
buit. Plurimum contra ad mercurii in febrium deſcriptarum
curatione virtutem comprobandam illa curationum exempla
valent, quæ *Valdambrinus* magno numero propoſuit. Ex iis-
que apparet, ſymptomata febremque ipſam, vel primo die,
quo hydrargyrum aſſumtum facit, vel altero poſt, mitigata,
vel prorſus ſublata fuiſſe, vermium magno numero per alvum 13.
excluſo. Datum autem hydrargyrum ad unam drachmam fuit,
conſerva roſarum exceptam. Quia vero erant, ut fit, qui
propter hydrargyri uſum *Valdambrinum* temeritatis accuſarunt, 16 ſeq.
præter *Cajetanum Paſquili*, *Antonium Cocchium*, & *Joſephum*
*Bertinum*, qui virtutem hujus medicinæ experti ſunt, *Joan-*
*nem Baptiſtam Moureali* nominavit, qui in ſcriptis ſuis fe-
brium malignarum naturam æque ac hydrargyri in earum 27 ſeq.
curatione uſum expoſuerit. Tandem *Valdambrinus* & ar-
gumenta diluit, ac confutavit, quibus adverſarii evincere
voluerunt, hydrargyri uſum partim in Cortonenſi ære minus
tutum, partim effectum minus certum eſſe.

## *ANALYSIS SOLUTIONIS PROBLEMATIS catoptrico-geometrici, in Actis A. 1745 Menſe Sept. P. I propoſiti, exhibitæ Menſ. Octobr. A. 1746 ab ABRAH. GOTTHELF KÆSTNERO, Lipſ. Math. Prof. Publ, Extraord*

Datis curva & puncto radiante, reperire aliam curvam, quæ radios, a priori curva reflexos, excipiens, eos omnes in aliud datum punctum reflectat, docet *Leibnitius Act. Erud. Menſ. Jan. A. 1689.* Ab hoc Problemate præſens ita differt,

ut duo data puncta in unum hic coeant, ſed curva altera cum priori una continua ſit. Quæ Problemata difficilioris indaginis exiſtere, nemo eſt, qui ignorat. Hoc vero, cum præ aliis ipſe ſummus, qui illud propoſuit, Geometra difficile judicaverit, veniam me obtenturum ſperavi, ſi, quæ id tentanti reperta ſunt, etſi *Eulerianis* (quis enim cum his componere ſua auſit?) multo imperfectiora, publicarem, quo varietas methodorum, quibus idem Problema ſolvi poteſt, appareat. In his ipſis vero, quæ profero, breviorem, quam vellem, eſſe jubent alia negotia, quæ Problemati pro dignitate incumbere, &, quæ præter hæc de eo meditatus ſum, ſatis expolire jam non permittunt.

TAB. VI Fig. 1. *Problema*: Reperire curvam continuam $MN$, quæ radios $CM$, ex $C$ incidentes, & juxta $MN$ reflexos, in $N$ puncto, rurſus juxta $NC$ ad $C$ punctum reflectat:

*Sol.* 1) Sint $MT$, $NQ$, tangentes ad $M$, $N$, in quæ cadant perpendicula $CT$, $CQ$, & $K$ ſit concurſus duorum radiorum reflexorum proximorum, ſeu $K$ in cauſtica, $CG$ vero ad $MN$ perpendicularis. Porro dicantur $CM = z$, $CT = p$, $MK = l$, & ponatur $dz = m\,dp$. Sintque $CN$, $CQ$, $NK$, reſpective $\zeta$, $\pi$, $\lambda$. Ex natura reflexionis habetur $l = mpz : (2z - mp)$ quod facile deducitur ex iis quæ de cauſticis definiendis Geometræ tradiderunt, v. g. ex theoremate, dato a *Jo. Bernoullio* in *Commercio Epiſt. cum Leibnitio Epiſt.* 163 adhibendo radium curvaturæ $z\,dz : dp$. Hinc igitur fit $CM + MK = 2zz : (2z - mp)$.

2) Ex conditionibus Problematis eſt $CM + MK + KN + NC =$ conſt. ut ex analyſi *Leibnitiana* ſupra citata habetur, & quivis ex theoria cauſticarum facile cognoſcet. Sit ergo $t$ quantitas aliqua, quæ pro $M$ eſt poſitiva, & pro $N$ puncto negativa, & ſit $W$ ejus functio impar, $B$ vero conſtans. Erit $CM + MK = B + W$, quod dabit $CN + NK = B - W$, & ſummam totam $= 2B$. Dicatur $B + W = R$.

3) Ob reflexionem eſt $CMK = 2$ Rect. $- 2\,CMT$, unde ſin. $(\frac{1}{2}CMK) =$ coſ. $CMT = \sqrt{(z^2 - p^2)} : z$ poſito ſinu

toto

Digitized by Google

Fig. I.






Fig. II




Digitized by Google

Digitized by Google

toto $= 1$. Ergo ſin. $CMK = 2p\sqrt{(zz - pp)} : zz$ & ſin. $CNK = 2\pi\sqrt{(\zeta\zeta - \pi\pi)} : \zeta\zeta$.

4) Ob $CMN$ triangulum, eſt ſin. $CMK$: ſin. $CNK =$ $\zeta : z$ unde $\frac{\pi\sqrt{(\zeta\zeta - \pi\pi)}}{\zeta} = \frac{p\sqrt{(zz - pp)}}{z}$. Si ergo ſit $\frac{p\sqrt{(z^2 - p^2)}}{z} = T$ eſt $T$ functio par ipſius $t$.

5) Ponatur $CKM$ acutus eſt $CKN$ obtuſus. Ergo pro $t$ (Art. 2) ſumere licet cotang. $CKM$ ad ſin. tot. $= 1$. Ubi eſt $t = GK : CG$. Pro quibus lineis inveſtigandis eſt $CG =$ $CM$ ſin. $CMG = 2p\sqrt{(z^2 - p^2)} : z$ (art. 3) $= 2T$ (art. 4) & $MG = \sqrt{(z^2 - CG \text{ quad.})} = \pm (2pp - zz) : z$. Oportet autem, ut ſit $MG$ poſitiva quantitas ad $CMK$ acutum. Jam ſi $CMK$ acutus, eſt (ex art. 3) $CMT \succ \frac{1}{2}$ Rect. Unde ex trigonometricis $2pp \succ zz$. Er. adhibendum eſt in valore ipſius $MG$ ſignum ſuperius, ſeu $MG = 2pp : z - z$ & $MK -$ $MG$, ſeu $GK = R - 2pp : z$ (art. 2).

6) Ex Art. 4 eſt $z = pp : \sqrt{(pp - TT)}$, unde $GK =$ $R - 2\sqrt{(pp - TT)}$, quare $GK : CG$, ſeu (Art. 5) $t = (R -$ $2\sqrt{(pp - TT)}) : 2T$.

7) $2zz : (2z - mp) = R$ (art. 1) unde $m = 2z.(R - z)$ $: pR$. Sed $z.(R - z) = \frac{pp}{\sqrt{(pp - TT)}} \cdot \frac{R\sqrt{(pp - TT)} - pp}{\sqrt{(pp - TT)}}$ Art. 4 unde $m$, ſeu $\frac{dz}{dp} = \frac{2p.(R\sqrt{(pp - TT)} - pp)}{R.(pp - TT)}$.

8) Valor ipſius $z$ Art. 6 dat
$dz = ((ppp - 2pTT)\,dp + ppT\,dT) : (pp - TT)^{\frac{3}{2}}$
Hanc æquation. cum ea Art. 7 jungendo eſt
$((pp - 2TT)\,p\,dp + ppT\,dT) : (pp - TT)^{3:2}$
$= \frac{2p.(R\sqrt{(p^2 - TT)} - pp)\,dp}{R.(p^2 - TT)}$, $(p^2 - 2TT).\ R\,dp +$

Pppp 2 RpTdT =

$RpTdT=(2R\surd(p^2-TT)-2p^2).\surd(p^2-TT).dp$
$RTdT=pRdp-2pdp.\surd(pp-TT)$ & $2pdp=(R.pdp-RTdT):\surd(p^2-TT)$ ſeu $2pdp=R.$ diff. $\surd(pp-TT)$.

9) Ex Art. 6. $2\surd(p^2-TT)=R-2T$ & $p^2=\frac{1}{4}(R-2Tt)^2+TT$. quos valores ſubſtituendo fit $\frac{1}{2}(R-2Tt).d(R-2Tt)+2TdT=\frac{1}{2}R.d(R-2Tt)$ ſeu $2TdT=Tt.d(R-2Tt)$ & $2dT:t=d(R-2Tt)$ unde aſſumta $b$ conſtante arbitraria $b+2\int(dT:t)=R-2Tt$.

10) Ex valore ipſius $T$ Art. 3 patet, id eſſe $=0$ ad $z=p$. Tunc vero radius in ſe ipſum reflectitur eſtque $t=\infty$. Ergo $T$ debet eſſe talis functio ipſius $t$ quæ ſit $=0$ ad $t=\infty$.

11) Ejusmodi ergo functione pari ipſius $t$ loco $T$ aſſumta, & conceſſa inventione ipſius $\int(dT:t)$ dabitur $R$ ex Art. 9, & hinc $p=\surd(\frac{1}{4}(R-2TT)^2+TT)$ Art. 9 & $z=p^2:\surd(p^2-TT)$ Art. 8 $=(R-2Tt)^2+4TT:2(R-2Tt)$ ſeu $p=\surd(\frac{1}{4}(b+2\int(dT:t))^2+TT)$ & $z=\surd(\frac{1}{4}(b+2\int dT:t)^2+TT):\frac{1}{2}(b+2\int(dT:t))$ & $2p^2:z=b+2\int(dT:t)$.

Hoc ergo modo ex aſſumto $t$ definitur $T$, & hinc dantur $z, p$, inter quæ poteſt inveniri æquatio algebraica eliminato $t$, ſi ſit $dT:t$ integrabile. Curvas autem datis $z, p$, conſtrui poſſe, Geometris notum eſt.

*Exemplum 1.* Ex Art. 9 ſolut. eſt $2.(1+tt)dT:t+2Tdt=dR$, pone $dR=0$ habebitur $T=$ conſt: $\surd(1+tt)$ pro ſectionibus coni. Vid. *Acta Octobr. A. 1746. pag. 617.*

*Cor. 1.* Centro $C$ radio $CB=b$ deſcriptus ſit arcus $AB$, cujus ſit $Bb$ fluxio & $Rm$ fluxio ipſius $z$, ſitque $ACV$ rectus, eſt $MR:Rm=p:\surd(z^2-p^2)$, $Bb:MR=b:z$. Unde $Bb=bpdz:z\surd(z^2-p^2.)$ Porro anguli $ACB$ ſinus ad radium, ſit $=v$ erit demiſſo in $CV$ perpendiculo $BO$, recta $CO=bv$

& $Bb=\dfrac{bdv}{\surd(1-vv)}$. Unde $\dfrac{dv}{\surd(1-vv)}=pdz:z\surd(z^2-p^2)$. Sed valores ipſorum $p, z$, ex Art. 11 per $t, T$, datos

datos adhibendo, reperitur, dicta brevitatis cauſa $\frac{1}{2}b+\int(dT:t)=V$, $dz=((VV-TT)dV+2TVdT):VK$ & $\frac{dv}{\surd(1-vv)}=\frac{(VV-TT)dT+2VTtdT}{Tt.(VV+TT)}$ Eſt autem demiſſo in $CV$ perpendiculo $MP$, & dictis $MP=y$, $CP=x$, $v=x:z$ unde, ſi valor ipſius $dv:\surd(1-vv)$ modo inventus, reduci queat ad arcum circularem, & hinc haberi æquatio algebraica inter $v$ & $t$, ſeu $x$, $z$, & $t$, ob datam æquationem inter $z$ & $t$ (*Art. 2. Sol.*) eliminabitur $t$, & dabitur æquatio algebraica inter $x$ & $y$. Hicque eſt caſus curvarum algebraicarum.

*Cor. 2.* Pro cauſticis definiendis cogitari oportet, eſſe $MN$ tangentem cauſticæ ad $K$ & $CG$ perpendiculum in eam. Sit ergo $CK=r$, & $CG=q$, eſt $q=2T$ (*Art. 5. Sol.*) & $GK=R-2p^2:z$ (*ib.*) $=b+2\int(dT:t)+2Tt-b-2\int(dT:t)$ (*Art. 9, 11, Sol.*) ſeu $GK=2Tt$. Unde $rr=4TT+4TTtt$, ſeu $r=2T\surd(1+tt)=q\surd(1+tt)$. Ita in ſectionibus coni ob $2T:\surd(1+tt)=$ *conſt.* eſt $r=$ *conſt.* Si jam ſit $u$ ſinus anguli $ACK$, patet, fore $\frac{du}{\surd(1-uu)}=\frac{qdr}{\surd(rr-qq)}$ ſed $dr=2(dT(1+tt)+Ttdt):\surd(1+tt)$ unde

$$\frac{du}{\surd(1-uu)}=\frac{dT.(1+tt)+Ttdt}{(1+tt)Tt}=\frac{dT}{Tt}+\frac{dt}{1+tt}$$

Pars ultima cum manifeſto ſit arcus circularis, erit cauſtica geometrica, ſi $dT.Tt$ ſit reducibilis ad arcum circularem.

*Cor. 3.* Sit fluxio cauſticæ $=ds$ eſt $qds=r\surd(ds^2+dr^2)$ unde $ds=rdr:\surd(rr-qq)$ ſeu $ds=2dT:t+2tdT+2Tdt$ & $s=2\int(dT:t)+2Tt$. Ergo, ſi $\int(dT:t)$ eſt algebraicum, cauſtica eſt rectificabilis. Unde ſi conjunctæ ſint conditiones *Cor. 3* & *2* curva quaeſita erit geometrica.

*Exemplum 2.* Sit $T=c:(1+tt)^n$ eſt $dT:Tt=-2ndt:(1+tt)$ unde cauſtica ſemper geometrica (*Cor. 2*). Præterea $dT:t=-2ncdt:(1+tt)^{n+1}$, quod eſt integrabile, ſi ſit $n=(2k+1):2$, notante $k$ integrum poſitivum,



Digitized by Google

ut deducitur ex dictis a *Jo. Bernoullio Op. T. IV n. CLVIII cor. II.* Ergo ſumto $T = c:(1+tt)^{\frac{2k+1}{2}}$, prodeunt curvæ quæſitæ, algebraicæ. Si ſit $k=0$ habentur ſectiones coni. Inter reliquos ipſius $n$ valores, qui dant ſaltem cauſticas algebraicas, poſito $n=1$ cauſtica fit circulus.

*Cor. 4.* Conceſſis rectificationibus & tangentibus cauſticarum, conſtruuntur curvæ quæſitæ per puncta. Nam ex iis, quæ habet *Jo. Bernoulli* Lectione *Hoſpitaliana* 29 inf. deducitur fore $z+l = conſt. + s$. & $\zeta + \lambda = conſt. - s$. Sit $z+l = b$ ad $s=0$ & $\zeta+\lambda$, ibidem $=\beta$ eſt $l = b+s-z$ & $\lambda = \beta - s - \zeta$, unde ſubſtituendo in ipſius $z$ valore *Art. n Sol.* $s - 2Tt$ loco $\int(dT:t)$ vi *cor. 3*, erit $l = \frac{1}{2}b + \frac{1}{2}s + Tt - TT:(\frac{1}{2}b + \frac{1}{2}s - Tt)$ & $\lambda = \frac{1}{2}b - \frac{1}{2}s - Tt - TT:(\frac{1}{2}b - \frac{1}{2}s + Tt)$ ſeu quoque $l = \frac{(b+s)^2 - 4TT(tt+1)}{2(b+s) - 4Tt}$ & $\lambda = \frac{(b-s)^2 - 4TT.(tt+1)}{2.(b-s) + 4Tt}$. Quæ longitudines in tangente cauſticæ ſumtæ, puncta curvæ reſpondentia ſibi, definient.

*Schol.* Qui methodum hanc curvas quæſitas conſtruendi, ad exemplum applicare voluerit, commodiſſime eliget eam, cujus cauſtica eſt circulus, cum circuli tangentes faciliime dentur, rectificatioque ad praxin multo accuratius, quam opus eſt habeatur. Sit ergo in ex. 2. $n=1$ ſeu $T = c:(1+tt)$ eſt $dT = -2ctdt:(1+tt)^2$ & $dT:Tt = -2dt:(1+tt)$. Hinc $\frac{du}{\sqrt{(1-uu)}} = -\frac{dt}{1+tt}$ & $A$ ſin. $u = Conſt. - A$ tang. $t$. Sit $u=0$ ad $t=\infty$ eſt A ſin. $u = A$ tang. $(1:t)$ ſeu $ACB = CKG$. Ergo æquando ſinus arcuum æqualium eſt $u = 1:\sqrt{(1+tt)}$ hoc eſt, demiſſo $KW$ perpendiculo in $CV$, $CW:CK = 1:(\sqrt{}+tt)$. Sed $CK$, ſeu $r = 2T\sqrt{(1+tt)}$ fit $= 2c\sqrt{(1+tt)}$. Unde eſt $CW = r^2:2c$, ſeu $2c.CW = CW^2 + KW^2$, ut pateat, cauſticam eſſe circulum diametri $2c$ tangentem $CA$ in $C$. Æquatio inter $q$ & $r$ hoc caſu fiet $rr = 2cq$, eundem circulum definiens (vid. Perill. *Wolf. Mech. ed. II* §. 659). Pro inve-

TAB. VI Fig. 2.

Digitized by Google

inveniendo $s$, ſeu $2\int \frac{dT}{t} + 2Tt$ eſt ob $dT:t = -2cdt:(1+tt)^2$ ex methodo *Jo. Bernoullii Op. T. IV n. 188 §. 1*, $\int(dT:t) = -ct:(1+tt) - c.$ *A* tang. $t$ + *Conſt.* Capiatur ſumma ſic, ut evaneſcat ad $t = \infty$, fiet ea correcta $= -ct:(1+tt) + c.A$ tang. $(1:t)$. Sed $2Tt = 2ct:(1+tt)$. Ergo $s = 2c.$ *A* tang. $(1:t) = 2c$ *A* ſin. $u = 2$. arc. $A\beta$, ſi $b = 1$ Porro pro eliminandis $T, t$, ex valore ipſarum $l, \lambda$, *cor.* 4. ob $CKG = KDC$ eſt $1:t = CK:KD$ & $Tt$, ſeu $ct:(1+tt) = KD.CK:4c$ & $T^2.(t^2+1) = \frac{1}{4}CK^2$ eſt vero quoque $KD.CK = 2c.KW$. Igitur $l = \frac{(b+s)^2 - CK^2}{2.(b+s) - 2KW}$,

$\lambda = \frac{(b-s)^2 - CK^2}{2.(b-s) + 2.KW}$ ex quibus formulis facillime in ducta tangente ad $K$, abſcinduntur $l$, & $\lambda$, poteſtque illa commodior adhuc ad praxin effici, dividendo numeratores & denominatores per 4, quo facto aſſumto $s$ in gradibus adhiberi poteſt quadratum ſinus ejus arcus, ſeu $\frac{1}{4}CK$ quadr. cum hic aſſumto $s$ hoc modo, ſinus ejus ad obtinendum $CK$ duplicandus ſit, numerique majores ubique in calculo adhibendi.

Præterea conſtructio adhuc datam ponit $b$, quæ definita etiam $c$, pro lubitu poteſt aſſumi. Sumta ergo $c$ pro unitate, ſit $\pi$ ſemiperipheria $CKB$, & ponatur $b = \pi$. Patet, nunquam fieri poſſe $l = 0$, aut $= \infty$, cum nec poſſit eſſe $\pi + s = CK$, ut numerator ipſius $l$, nec $\pi + s = KW$, ut denominator evaneſcat. Sed $\lambda$ euaneſcet ad $\pi - s = CK$, ſeu illum locum ubi chorda arcui ſupplementi ſui ad ſemicirculum æquatur, hoc eſt, ubi ſinus æquatur arcui ſuo complementi, quod contingit proxime circa $s = 95° 18'$. Poſthæc ſit $\lambda$ negativum, indicio $N$ punctum ad easdem puncti $K$ partes cadere, ad quas cadit $M$, atque ad $s = \pi$ ob $KW = 0$ fit $b - s = 0$ & $\lambda = -\infty$.

Curvæ quæſitæ puncta facillime definiuntur, quæ jacent in perpendicularibus ad $CD$ per $C$ & $D$ ductis. Pro illis, quæ jacent in perpendiculo per $C$ tranſeunte, in valoribus ipſorum $l, \lambda$, eſt $CK = 0$ & $s = 2n\pi$ notante $n$ numerum integrum poſitivum. Unde poſita $b = \pi$ pro illis fit $l =$

$(\pi +$

Digitized by Google

$(\pi+2n\pi)^2:2.(\pi+2n\pi)=\pi.(2n+1):2$ & $\lambda=\pi.(1-2n):2$. Igitur, poſito $n=0$ puncta $M$, $N$, in hoc perpendiculo cadunt utrinque circa $C$, ut ſit $CM=\frac{1}{2}\pi$, $CN=\frac{1}{2}\pi$, ſed poſito $n=1$ ſit $C2M=\frac{3}{2}\pi$ & $C2N=-\frac{1}{2}\pi$ indicio $2N$ cadere in $M$. Similiter poſito $n=2$ fiet $C3N=-\frac{3}{2}\pi$, ſeu $3N$ cadet in $2M$. Generatim ſi quæratur punctum $N$ numero $n+1$ in ordine reperietur pro eo definiendo $\lambda=\pi.(1-2n-2):2=-\pi.(2n+1):2$, qui valor definiebat $l$ pro puncto $M$ in ordine $n$ *to*. Ergo $n+1$tum $N$ ſemper cadit in $n$tum $M$, ſeu id, quod præceſſit. Idem in perpendiculo per $D$ tranſeunte contingit. Pro definiendis $M$, $N$, punctis in illo eſt $KW=0$ & $s=(2m+1)\pi$ exiſtente $m$ poſitivo intego, atque $CK=2c$, fitque $l=((m+1)^2.\pi\pi-cc):(m+1)\pi$ & $\lambda=(mm\pi\pi-cc):-m\pi$, ubi rurſus patet pro puncto $N$, $m+1$ *to* fieri reſpondens $\lambda=l$ proxime præcedenti, ut $m+1$tum $N$ cadat in $m$tum $M$. Hoc ſpecimine methodum curvas has per punctorum inventionem conſtruendi illuſtraſſe ſufficiat, cum plura jam addere non vacet.

Quodſi loco *cot.* $CKM$ ſumeretur *cot.* vel *coſ.* $CVM$, reperietur forte ſolutio per coordinatas rectangulas. Tuncque uſus erit diſtantiæ $CV$, ad $V$ punctum, in quo radius reflexus axem interſecat. Quæ diſtantia, quia ſpatium chartæ adhuc id permittit, quomodo inveniatur, docebo. Dicatur ergo ſubnormalis ad $M$ punctum, $r$, et, quia normalis angulum $CMV$ biſſecat, erit

$z:x-r=MV:CV-x+r$ & $z:x-r=z+MV:CV$ unde ob $MV=\sqrt{((x-CV)^2+y^2}$ erit

$$z.^2CV^2-2(x-r).CV.z^2+z.^2(x-r)^2=(x-r)^2.x^2-2x.(x-r)^2.CV+(x-r)^2.CV^2+(x-r)^2y^2$$

adeoque ob $z^2=x_2+y^2$ deſtruentibus ſe utrinque terminis $CV$ non continentibus, æquatio fit diviſibilis per $CV$ & obtinetur $CV=2.(x-r).(z^2-x.(x-r)):(z^2-(x-r)^2)$ Eſt enim ex duobus $V$ punctis, quæ quæri poſſunt, alterum ipſum $C$, adeoque alter ipſius $CV$ valor $=0$. Iam ponendum eſt $r=-ydy:dx$ quia in Fig. ſupponitur creſcentibus $x$ decreſcere $y$, unde $x-r=(xdx+ydy):dx$. Si ergo ſit $dy=qdx$, obtinebitur

$$CV=2.(y-qx).(x+qy):(y.(1-q^2)-2qx).$$

* * *

Digitized by Google

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCXLVII.*

## *EPHRAEM SYRI OPERA OMNIA, QUÆ EXſtant, Græce, Syriace, Latine, in ſex Tomos diſtributa, ad MStos Codices Vaticanos alioſque caſtigata, multis aucta, nova interpretatione, Præfationibus, Notis, variantibus lectionibus, illuſtrata. Nunc primum ſub auſpiciis ſanctiſſimi Patris BENEDICTI XIV, Pontificis Maximi, e Bibliotheca Vaticana prodeunt. Tomus ſecundus, Græce & Latine.*

Romæ, ex typographia Pontificia Vaticana, 1743, fol. Alph. 5 plag. 14.

*Ephraemi Syri*, Reverendi Patris, egregia ſcripta a priſcis inde temporibus inſignem laudem & celebritatem obtinuerunt, per hanc vero novam editionem novum jam decus ac ſplendorem accipiunt. Debemus hanc non tantum Clariſſimo Præſuli, *Joſepho Simonio Aſſemanno*, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodi, ſed etiam Eminentiſſimo *Angelo Mariæ* Cardinali *Quirino*, quo potiſſimum duce & autore hæc editio curata eſt. *Secundus* hic *Tomus* continet opera hujus Patris Græca, quæ in Oxonienſi editione ſupererant. Latina interpretatione donavit, quæ in hoc *Tomo* Græca occurrunt *Ephraemi* ſcripta, laudatus *Aſſemannus*. Oxonienſis editionis ordo propterea ſervatus fuit, quia in Vaticana & aliis Bibliothecis nullus Codex inventus fuit, qui plane cum altero conveniret. Hanc ob cauſam, cum *prior Tomus*



Digitized by Google

duos ſupra triginta priores editionis Oxonienſis Sermones complectatur, in hoc *ſecundo Tomo*, quos eadem editio a Sermone trigeſimo primo uſque ad ultimum exhibet, eodem ordine collocatos deprehendimus. Addita tamen ſunt in hac editione nonnulla fragmenta & aliquot Sermones, ut lacunæ bene multæ Oxonienſis editionis ſupplerentur, & excerpta alia, quæ ab *Eduardo Thuvaites*, illius editionis curatore, omiſſa ſunt, ex vetuſtiſſimis MStis adderentur. E. g. Sermoni, cujus initium in editione Oxon. *pag. 347*, & in hoc *Tomo pag. 192*: ἀδελφόι μȣ φιλόχριϛοι, ſubjungitur *pag. 209* alter, qui incipit: ἀγαπητὸι μηδὲν προτιμησώμεθα &c. Qui Sermo in quibus Codicibus MStis legatur, docet pluribus epiſtola *Aſſemanni* ad Cardinalem *Quirinum*, ubi & plura hujus rei documenta leguntur. Prolegomena ejusdem *Aſſemanni*, huic *Tomo* præfixa, digna ſunt, quæ attente legantur. *Caput I.* catalogum exhibet Sermonum *Ephraemi Syri*, qui Græce exſtant in Bibliothecis S. *Marci* Venetiis, *Paſſionea*, *Vallicellana*, & *Moſcuenſi*. *Caput II* de Latinis *Ephraemi Syri* interpretationibus agit, *Ambroſii Camaldulenſis*, *Petri Franciſci Zini*, & *Gerardi*
Pag. 20. *Voſſii*. *Oudinus Ambroſianam* converſionem plus juſto extollit, eamque omnium primam fuiſſe aſſerit, quod refellit *Aſſemannus* noſter, alias verſiones ante *Ambroſianam* fuiſſe, ex variis
21. Codicibus MStis oſtendens. *Koblius* in Hiſtoria verſionum *Ephraem Syri*, inprimis verſionis Slavonicæ, *Oudinum* redarguit, quod *Ambroſium*, Abbatem, totiusque Ordinis Camaldulenſium præfectum, appellet, ſed noſter Autor, illum errare, ex ipſius *Ambroſii* Epiſtolis evincit, in quibus plus vice ſimplici commiſſam ſibi generalem totius Camaldulenſium Ordinis præfecturam non ſine lachrymis narrat, id quod etiam ex aliis Autoribus ſatis conſtet. Cur vero *Ambroſius* ſe non Abbatem, ſed tantum Monachum, in verſione Operum *Ephraemianorum* nominet, inde factum eſt, quod aliquot ante annis Sermones illos Latio donaverat, quam generalis præfectus eligeretur. Emendat præterea & ſuum errorem *Aſſemannus*, quem in Prolegomenis *Cap. 3* erraverat circa obitum *Ambroſii*, ubi ejus

Digitized by Google

ejus vitam uſque ad A. 1490 produxerat, cum ex *Auguſtino* jam didicerit, illum Florentiæ A. 1439 obiiſſe. *Ambroſius* Pag. 22.
in Græca quidem lingua verſatus maxime fuit, at, Syriacam etiam calluiſſe, probari non poteſt, quod quidem *Koblius* ſibi perſuadet, a noſtro Autore propterea iterum notatus.
Præter *Ambroſium*, *Zinum*, & *Voſſium*, nullos alios agnoſcunt 23.
*Ephraemi* interpretes *Tentzelius* & *Koblius*; ſed noſter Autor ex editis per *Aloyſium Lipomannum* & *Laurentium Surium* Tomis demonſtrat, *Julium Clementem*, Canonicum ſecularem S. *Georgii* in Alga, operam ſuam ad teſtamentum S. *Ephraemi* e Græcis Codicibus Latinitate donandum contuliſſe; quædam alia opuſcula e Græco Latine verſa atque edita a *Jacobo Gretſero*, *Franciſco Combefiſio*, & *Jo. Bapt. Cotelerio*; ex Codicibus Vaticanis nonnullos Sermones e Græco in
Latinum a Cardinali *Sirleto* tranſlatos. *Voſſium* non carere 24.
nævis in ſua converſione, contra *Koblium* monet Autor. Cum nos in his *Novis Actis ad A. 1738 pag. 289* obſervaverimus, noſtrum *Aſſemaunum* in ſua editione nonnunquam Oxonienſis editionis lectionem retinuiſſe, nonnunquam marginalem in textum recepiſſe, nec non a verſione *Voſſiana* eum ſubinde receſſiſſe, illud hoc in loco non ſolum fatetur, ſed etiam
addit rationes & exempla, ſimul tamen contendit, hoc non 25.
ideo factum, quod cum *Koblio* ſentiat, *Voſſii* fidem in dubium vocante, aut *Riveti* ac *Tentzelii* cenſuræ ſubſcribat, ea omnia, quæ tranſlata dedit *Voſſius*, *Ephraemi* opera tanquam ſpuria & adulterina rejicientium, ſed potius bonam fidem *Voſſii* contra *Koblium* confirmat, & pluribus hanc rem diſputat.
*Caput III* de Græcorum & Latinorum manuſcripto- 30.
rum Codicum, *Ephraemianos* Sermones complectentium, fide & autoritate diſſerit. *Tentzelius* præfracte negaverat, Græcas omnes, quotquot manu exaratæ in Bibliothecis ſervantur, verſiones autoritatem ullam & fidem mereri. *Koblius* nonnullos Sermones admittit, nonnullos ut ſpurios rejicit, quorum ſen-
tentias confutat Autor noſter, *Cap. IV Koblio* potiſſimum re- 31 ſeq.
reſpondens, qui varios Sermones *Ephraemianos* tanquam adul-

terinos rejecit, ſatis etiam fuſe oſtendens, hac in re vehementer errare *Kohlium*.

Pag. 433. Ad calcem hujus *Tomi* occurrunt variæ lectiones in Teſtamentum ſancti *Ephraemi* ex MSto Codice Syriaco Bibliothecæ Collegii urbani de propaganda fide. Indices tum Sermonum, tum Capitum, Opus claudunt.

Inſcripſit & hunc *Tomum* Summo Pontifici *Benedicto XIV* *Angelus Maria* Cardinalis *Quirinus*, Epiſcopus Brixienſis, & Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius. Gratulamur magno huic Viro ſplendidam hanc Operum *Ephraemi* editionem, &, ut *tertius Tomus* brevi in lucem adſpectumque hominum doctorum veniat, vehementer optamus.

## *SIBYLLARUM IN VETERI ECCLESIA AUTOritas, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ac Theologiæ conjunctio, opus P. M. FRANCISCI M. LEONI, Veronenſis, in Gymnaſio Patavino Theol. & Eccleſiaſt. Hiſtor. Prof. Publ. Notis & illuſtrationibus Autoris ejusdem auctum.*

Venetiis, ex typographia Jo. Baptiſtæ Albritii, Hieron. filii, 1744, 4 maj.
Plag. 10.

Libello huic quid occaſionem dederit conſignando, *Capite* ejus ſtatim *primo* exponitur. Initium differendi facit Cap. 1. Autor ab hoc ſatis vero enuntiato: *Si, divinarum rerum ſtudiis qui ſeſe dedunt, non nimis cupida ſiti laudis, aut, quod turpius eſt, propriæ utilitatis aviditate, traherentur, ſed uno veritatis amore; jam omnis diſputatio cum heterodoxis, omnisque contentio, ab Theologiæ finibus eſſet ejecta.* Perquam vero ſiniſtra fit applicatio ad eos, qui, ut ſcribit Noſter, *Pontificis Romani jura invaderint*, ac *ſignipheros, qui catholicum agmen ſint adorti.* Quaſi ignoraretur, quid illa fundarit, quibus hocce nitatur. Sed talia quidem condonanda ſunt animis, veritatem qui fingunt ſomniantes, & a partium,

quo

quo trahuntur, ſtudio maxime ſeſe exiſtimant alienos. Interim
in eo eſt Noſter, ut hic vindicet in veterem dignitatem ſacros
nominatim vates, rem a principio exordiens; ſimulque caput
religionis ſanctiſſimæ, quantum in ipſo eſt, ulciſcatur. Id ut fiat,
ſtatim de Sibyllis & profanis vatibus agit, ac poſtea de Sibyl- Cap. 2.
lis pluribus; ſimulque inquirit, an Pontifices Summi credide- pag. 3.
rint, Sibyllas afflante Spiritu S. fuiſſe vaticinatas. Quibus de Cap. 3
momentis, quod facillimum eſt conjectu, ſecundum veritatis, pag. 7.
quo ipſe trahitur, amorem judicat. Eam generalem tracta- Cap. 4
tionem poſtremis *Capitibus* inquiſitio ſequitur in *Juſtini M.* pag. 11.
inque *Clementis Alexandrini*, ſententiam ſingularis. Hanc ita Cap. 5
quidem concludit, ut, eſſe certum atque exploratum, dicat, uni pag. 17.
Judæorum olim, mox Chriſtianæ pietati ſolum, nempe nun- Cap. 6
quam ſuperſtitioni, ſemper vero religioni, prophetiam con- pag. 22.
ceſſiſſe. Sed progredimur ad Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſpecimen, 27.
ſeu pro Hiſtoria eccleſiaſtica Orationem. Laudantur hic va-
ria rerum cœtus divini ac fatorum hiſtoriæ commoda. Inter 2.
præcipua eſt, quod confutandis falſarum hæreſium patronis
egregie ſerviat. Nimirum, ſi quidem clari ſunt, unde hau-
ritur, fontes, perſpicimus inde, qua ratione a prima veritate
paſſim declinarint, profanis gentibus, ut pellicerent illas, ſe
conformarint, Philoſophorum ſententiis immerſerint, ſacræ
dominationi, tandemque tyrannidi, ſubjecerint Chriſtiani; do-
nec antiquo veritas ſplendori redderetur. Requiritur ideo 5.
jure a Noſtro hiſtoria, non quæ, ſine diſcrimine, quæcunque
colligit, hominum facta nulla trutina perpendens, aut illu-
ſtrans obſervatione. Unde triplex idem genus exigit, Chro-
nicon, Annales, atque Hiſtoriam. Illud exhibeat res geſtas
natura potius, quam inſtituto, ut ſimplicis ſcriptoris pectus vi-
deas; iſti peracta tradant, ſervato locorum ordine, ut eru-
diti autoris ſtudium pernoſcas; hæc tandem tum ordine lo-
corum, & temporum, tum rei diſtributione æquabili, memo-
rabilia narret, atque, inſignia quæ maxime ſunt, prudenti illu-
ſtret obſervatione. Anſa indidem arrepta, nonnullas Autor ob- 7 ſeq.
ſervationes conjungit, &, Patrum quorundam mentione facta,
ſubjectis in obſervationibus vitas breviter enarrat *Juſtini M.*,

*Tertulliani*, *Origenis*, *Athenagoræ*, *Arnobii*, atque aliorum.
Pag. 9 Neque præcipuarum antiquo tempore malæ notæ hæreſium
ſeq. fautores prætermittit, ſed notitiam ſuppeditat præcipuorum;
dum primarii Patrum, hiſtoriarum adminiculis fulti, ſtraviſſe
dicuntur eosdem. Nimium foret, quos hic, in rebus, præ-
ter neceſſitatem collectis, admiſit errores, colligere, nedum
confutare. Male ſcribuntur nomina quædam, multiplicantur
24. hæreſes, neque fabulis parcitur. Sed oſtendit quoque Noſter
ille, quantum nervorum & virium ſibi adſciſcat hiſtoricus, divi-
na ſcientia exutus, quantumque viciſſim Theologus, memora-
bilibus in ſacro cœtu rebus deſtitutus. Memorat hac occa-
ſione, Mathematicorum id ad modum fieri, qui directa prius,
deinceps autem inverſa, ratione doceant; ac, ſingulari pariter
obſervatione, præter alia, ſubjicit, olim iſtud Dialecticis uſu
veniſſe omnibus, inque iſta re *Gorgiam* Leontinum, teſte
*Platone* in *Gorgia*, eminuiſſe; quin idem etiam obſervaſſe &
in *Partitionibus*, & in *Topicis*, *Tullium*. Sed nolumus extra oleas
26. cum *Leone* vagari. Ad easdem redeuntes, eo nomine ex-
plodentem videmus epiſtolas ſancti *Martialis*, libros decem
recognitionum S. *Clementis*, epiſtolas Pontificum Rom. a *Cle-
mente* ad *Siricinum*, *Marcellini* inventum, commentum præ-
deſtinatiani, nugas de hæreſi *Barlaami* & *Ancyndini*, fabulam
27. de Pontifice *Joanna*, vel *Agnete*, vel *Gilberta*, vel *Eliſabetha*, vel
*Margarita*, vel *Juditha*, vel *Dorothea* Pontifice, quam alii
Germanicam fuiſſe, Anglam alii, contendunt. Hic iterum
30. occaſionem nactus, narrationem iſtam verboſius confutat, re-
gulis poſitis hiſtoricæ veritatis explorandæ, quæ ſequuntur,
non contemnendis: 1) Homines craſſo ingenio, aut improbo,
aut non ſatis inſtructo, teſtes non ſunt adhibendi in re obſcu-
ra & difficili, quia datur fides non rei, ſed teſti; 2) quibus de-
ſtimonium utile eſt, teſtes ſi vocentur, ne credito; 3) hoc
diſcrimen eſt inter malæ ac bonæ notæ teſtes: hi ante, quam
teſtantur, rem perpenderunt diligentiſſime, monenturque, ut
denuo perpendant, illi ſecus; 4) ubi diſſentiunt teſtes, ob-
ſerves a) argumentum diſcriminis, b) teſtium famam, c) mo-
menta, quibus concitantur, d) rem dubiam, rem certam, quid

ex

Digitized by Google

ex lege, quid a conſuetudine; 5) teſtes de auditu ſi ab eodem acceperint, quanquam mille, unum habe. Vix revocato ab aviis illis pede, in alia incidit, ſcholaſticos doctores adverſus *Adamum Tribeccbovium* atque alios defendens. Craſſiſſimis autem in tenebris oberrat, quando cum iis pugnare laborat, qui, ut iſte ſcribit, ſpeculandi ratione utuntur, quæ non in divinas literas, non in traditiones, non in Concilia, non in Pontifices Summos, non, uno verbo, in ſacram hiſtoriam & eccleſiaſticam, radices agit, cuique *Echius*, qui non eminus ſpectavit agmen, ſed cominus aggreſſus eſt atque coegit, nec non *Ræmundus*, qui cuniculos omnes detegit, viri ætate ſuperiore docti & eruditi, perniciem illam adſcribunt, quam temporibus ſuis ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia indigniſſime perpeſſa eſt. Pag. 35 ſeq. 36.

*CAAB BEN ZOHAIR, CARMEN PANEGYRIcum in laudem Muhammedis, AMRALKEISI MOALLAKAH, cum Scholiis (Arabicis), & verſione Latina LEVINI WARNERI. Accedunt Sententiæ Imperatoris ALI, et nonnulla ex Hamaſa & Diwan Hudeilitarum. Omnia e MSt. Bibliothecæ Batavæ edidit, vertit, notisquè illuſtravit, GERARDUS JOANNES LETTE. Præmiſſa eſt laudatio Celeberrimi Viri, ALB. SCHULTENS.*

Lugduni Batavorum, apud Cornel. Haak, 1748 (1747), 4. Alph. 1 plag. 9.

Leida, librorum Arabicorum fœcunda mater, quæ tam copia, quam præſtantia, ſuorum id genus fœtuum cum ipſa Roma certat, denuo nos orientali beat munuſculo, recente opuſculorum poeticorum Arabicorum, antea non editorum, collectione, quam curavit Rev. *Lette*, amicus quondam noſter, (verba ſunt *Jo. Jacobi Reiske*,) dum Leidæ degebamus, nunc conſtitutus Paſtor Valkenburgi, pagi non ignobilis, qui Leida verſus oram maritimam occidentalem ad milliare diſtat. Opuſculum hoc

hoc linguæ Arabicæ ſtudioſis, & iis maxime, qui ſacrum Codicem ex ea illuſtrare ſtudent, poteſt inſignem uſum præſtare. Præter enim modo in titulo indicata, exhibet in notis fragmenta poetica & grammatica multa egregia, quæ tironi campum aperiunt, in quo diligentiam exercere, & levare ſitim ſuam, queat. Monſtrant illæ notæ, ſuum autorem in ſcriptorum Arabicorum lectione hoſpitem non eſſe, doctrinaque lætiore & acriore judicio abundare, quam ille poſſedit, qui *Alii* carmina edidit, librum, quem nuper *Menſe Septembri* annuntiavimus. Unde ſpem concipimus, fore, ut, eadem diligentia ſi pergat Cl. Editor his in ſtudiis occupari, magno illis ornamento & præſidio aliquando ſit.

Textus Arabicus primi Carminis, quod *Caabum*, filium *Zabairi*, autorem habet, & verſibus 58 cum oppoſita Latina *Lettii* verſione,& Scholiis ſubjectis, (quæ,quia melior appellatio non ſuccurrit, Lipſienſia nominemus, quandoquidem a me olim ex Codice Lipſienſe deſcripta, & Editori ſuppeditata fuerunt,) ea, inquam, implent paginas 45. Alterum Carmen eſt *Amralkaiſi*, Principis Arabum Kenditarum, ſed qui, regno ejectus, miſere periit, (vid. Prolog. meus ad *Tharapham pag.* 25,) iſto *Caabi* quinquaginta fere annis antiquius, unum, & quidem primum, de illis ſeptem, ſub nomine *al Moallakat*, ſeu ſuſpenſorum, celebratis, quorum editionis initium feci Leidæ A. 1741, quando ſecundum ordine, quod eſt *Tharaphæ* autoris, prodebam. Carmen *Amrilkaiſi*, quod conſtat verſibus 82, cum ſubjectis *Ibn Nahaſi*, Grammatici, Scholiis Arabicis, & oppoſita Latina interpretatione *Levini Warneri*, a *pag.* 48 usque ad 89 procedit. Latinam illam interpretationem *Levini Warneri*, ſummi viri, & mihi nunquam ſine honoris præfatione nominandi, interpolarunt Cl. *Schultens* & noſter Editor. Ego quidem id non feciſſem; neque ſubſtituendo aliorum erroribus mea κατορθώματα ipſe me defraudarem, neque, indigna judicans publica luce, ſolicitarem mortuorum manes, ea prodendo; ſed, ſi darem, darem talia, qualia inveneriṁ. Jam fueram hoc inſtitutum *pag.* 7 Prologi mei ad *Tharaphæ Moallacam* deprecatus. *Paginam* 90, 91, & 92, implent ſententiæ

Impera-

Digitized by Google

Imperatoris *Ali*, mere Arabicæ ordine Alphabetico, e collectione *Abdulwahid ben Muhammed*, e Codice, qui *Bibliothecæ Leidenſis* in *Catalogo pag.* 467 numero 1448 recenſetur, ordine vero librorum, quo in pluteis diſpoſiti ſunt, eſt vigeſimus octavus. Hæ ſententiæ diverſæ ſunt, ut comparando deprehendi, ab illis, quas *Simon Okley* poſt alterum Tomum Hiſtoriæ ſuæ Saracenicæ dedit Anglice, & *Th. Arnoldus* inde deinceps Germanice quoque vertit. Forte ſunt eædem cum illis, quas *Jacobus Golius* Leidæ apud *Elzevir.* in 8 plagulis duabus, vel tribus, una cum carmine *Thograi*, & aliquo *Avicennæ*, neſcio quo anno, edidit. Poſſeſſores rariſſimi hujus libelli, quem ipſe quoque olim habui, ſed amico donavi, poterunt in eam rem inquirere. Id ſcio, Codicem, e quo Rev. *Lette* has ſententias edidit, unum eorum eſſe, quos *Golius* ex Africa & Oriente Leidam convexit. Sequuntur poſt hæc a *pag.* 93 usque ad *pag.* 166 notæ fuſiores ad *Caabi* carmen, & a *pag.* 167 uſque ad *pag.* 214 ſtrictiores ad carmen *Amrilkeiſi. Pag.* 215 & 216 ſunt ſtichi quidam mere Arabici ex *Hamaſa*; *pag.* 217 alii ex *Diwan Hudeil*; & unum bene longum carmen celebris Poetæ *Sachri.* Sequuntur Indices tres. Primus Autorum, quos Rev. Editor in notis allegat. Placeat, cuicunque velit, hoc Belgio nunc ſolenne inſtitutum, in Græcis & Latinis utile quodammodo & neceſſarium, at in Arabicis, qui pauciſſimi editi ſunt, inutile. Mihi non placet ambitioſa hæc, imperitis formidoloſa, peritis rerum ridicula, multijugæ lectionis oſtentatio. Secundus Index eſt vocum Arabicarum, quæ in notis excutiuntur; & tandem tertius vocum ſacri Codicis Hebræarum, quæ ex Arabiſmo illuſtrantur. Potiſſima nempe hujus opuſculi deſtinatio fuit, ſacræ Scripturæ ex monumentis ſuis lucem accendere, neque aliud quid exſpectari debet ab iis, quorum ſtudia & lucubrationes Cel. *Schultens* moderatur. Dedicatus eſt libellus Sereniſſimo Arauſionenſium Principi, Fœderati Belgii gubernatori. Excipit eam dedicationem præconium, quo Cel. *Schultens* Autorem hujus opuſculi, ejusque eruditionem, laudat & extollit verbis tam

 magni-

Digitized by Google

magnificis, ut vel ſola tam nobilis palmæ adipiſcendæ cupiditas alium quemcunque ad linguæ Arabicæ ſtudium impellere poſſit. Tandem Præfatio ſequitur, ad quam ſtatim plura dicemus. Cetera totum opuſculum nitida charta, typiſque pulchris, & ſatis emendate, impreſſum eſt; fasque adeo, Editori, & nobis, & erudito orbi, lepidum munus, & non contemnendas opum acceſſiones, gratulari.

Præfatio, quæ pro dignitate & copia rerum debebat filo deduci longiſſimo, & quatuor, aut quinque, plagulas implevisſet, ſi mihi fuiſſet ſcribenda, juſto brevior & obſcurior eſt, paſſim etiam ænigmatica. Exponit ea de occaſione concinnandi ſui opuſculi, de Poetis ſuis, de Codicibus, e quibus prodiit, & tandem peculiare dimidia plagula, de occaſione, qua *Caab* ſuum carmen dixit. Occaſionem ſuſcipiendi hujus opuſculi narrat his verbis: *Cum e gazophylacio Codicum MSS. quibus ſplendet Bibliotheca Batava*, (id eſt, Leidenſis,) *mihi lectiſſima quædam ſeligere conceſſum, præprimis placuit Caab ben Zahairi Abi Solmæ* (imo vero Zohairi ben Abi Solmæ) *carmen panegyricum & Moallakat. Utraque iſta monumenta mihi digna viſa ſunt, quæ erudito orbi communicarentur.* Quantum ego equidem ex his intelligo, & lectorem quemvis intellecturum eſſe puto, concludendum eſt, Rev. Editorem dicere velle & inſinuare, quod, poſtquam acceſſus ad Codd. MSS. Leidenſes ſibi fuerit factus, notitiam demum cum ſupra memoratis monumentis contraxerit, & eorum amore tum demum captus ita fuerit, ut ea inde exſcriberet, atque deinceps verteret, & ex illis ſolis ederet. Verum ipſe deinceps dicit, ſe *Caabi* carmen ex Bibliotheca Lipſienſi prodere, quam dignam puto rem, ut, quemadmodum geſta eſt, exponam. Scire illam, non tam mea, quam literariæ rei, intereſt. Si audire vellem civium meorum quosdam doctos homines, qui de maligno & ignobili atque improbo quorundam Batavorum erga Germanos animo ſæpe apud me queſti fuerunt, poſſem ſummo jure meum *Lettium* habere ſuſpectum, ac ſi mea in ſuum opuſculum merita celare & ſupprimere

mere voluiſſet. Ego vero potius hanc narrationis miſcelam & ὑϛεροπροτερολογίαν alicui ejus inſuetudini ſcribendi & præcipitantiæ tribuo, quæ, quo minus claros impertiret & diſtinctos ſenſus ſucceſſionis rerum & temporum, impedivit. Sed, ne ipſe obſcurus fiam, dicam, quod res eſt. Reverendus Editor, menſe Februario anni ſuperioris 1746 ad me accedens, exponebat, animum ſibi eſſe, ſpecimen aliquod poeſeos Arabicæ edendi. Rogare itaque, ut ipſi præſtem de penu mea, quod ex ipſius re fore judicarem. Ego tum ipſi ſuadebam, ut nobiliſſimum carmen, in laudes *Muhammedis* a *Caabo* dictum, ederet, & promte, ut meus eſt mos, & officium, quo literarum incrementis inſervire teneor, Codicem ipſi tradebam, in quem compingi curaveram 1) Carmen *Ibn Doraidi*, vulgo *ol Mochammaſah*, vel ἡ πενταδική, dictum, quod magnificentiſſimis verbis, ultra meritum tamen, ut mihi videtur, extollit Cel. *Schultens* in Præfatione ad Conſeſſus tres priores *Haririi*, Franequeræ editos; 2) Carmen *Caabi*, cum Commentario neſcio cujus, quod menſe Julio anni 1737, adeoque ante decem annos, Lipſiæ in Bibliotheca magnifici Senatus Lipſienſis deſcripſi, indultu illuſtris *Maſcovii*; cui pro mea parte gratias ago, ea humanitate dignas, gratulorque, rei literatæ nomine, & ipſi, & ſplendidæ, cui præfectus eſt, Bibliothecæ, proditum ex ea tam elegans & nobile monumentum. Præterea continebat meus Codex Carmina *Ibn Nabaſi* Poetæ, & aliorum permulta, nec non aliqua ludicra, quæ noſter Editor paſſim citat. Omnia ex eodem Codice Lipſienſi, de quo paulo poſt plura dicam. Hunc itaque meum Codicem tradebam Rev. *Lettio*, qui *Caabi* Carmen cum Scholiis Lipſienſibus deſcribebat, meo ſuaſu, vertebatque Latine, & verſionem ſuam mihi monſtrabat; ſed quæ, ut paucis complectar, ne caſſam quidem nucem valebat. Ignoſcat mihi Reverendus amicus, quicum mihi res eſt. Ipſe mihi ſibique veritatis eorum, quæ narro, conſcius eſt. Semel itaque, & paulo ante diſceſſum meum e Leida, iterum carmen *Caabi* coram ipſo, tanquam magiſter diſcipulo, exponebam, ſingula



Digitized by Google

$(\pi + 2n\pi)^2 : 2.(\pi + 2n\pi) = \pi.(2n+1) : 2$ & $\lambda = \pi.(1-2n) : 2$. Igitur, poſito $n=0$ puncta $M$, $N$, in hoc perpendiculo cadunt utrinque circa $C$, ut ſit $CM = \frac{1}{2}\pi$, $CN = \frac{1}{2}\pi$, ſed poſito $n=1$ fit $C2M = \frac{3}{2}\pi$ & $C2N = -\frac{1}{2}\pi$ indicio $2N$ cadere in $M$. Similiter poſito $n=2$ fiet $C3N = -\frac{3}{2}\pi$, ſeu $3N$ cadet in $2M$. Generatim ſi quæratur punctum $N$ numero $n+1$ in ordine reperietur pro eo definiendo $\lambda = \pi.(1-2n-2) : 2 = -\pi.(2n+1) : 2$, qui valor definiebat $l$ pro puncto $M$ in ordine $n$ *to*. Ergo $n+1$tum $N$ ſemper cadit in $n$tum $M$, ſeu id, quod præceſſit. Idem in perpendiculo per $D$ tranſeunte contingit. Pro definiendis $M$, $N$, punctis in illo eſt $KW=0$ & $s=(2m+1)\pi$ exiſtente $m$ poſitivo intego, atque $CK = 2c$, fitque $l = ((m+1)^2.\pi\pi - cc) : (m+1)\pi$ & $\lambda = (mm\pi\pi - cc) : -m\pi$, ubi rurſus patet pro puncto $N$, $m+1$ *to* fieri reſpondens $\lambda = l$ proxime præcedenti, ut $m+1$tum $N$ cadat in $m$tum $M$. Hoc ſpecimine methodum curvas has per punctorum inventionem conſtruendi illuſtraſſe ſufficiat, cum plura jam addere non vacet.

Quodſi loco *cot.* $CKM$ ſumeretur *cot.* vel *coſ.* $CVM$, reperietur forte ſolutio per coordinatas rectangulas. Tuncque uſus erit diſtantiæ $CV$, ad $V$ punctum, in quo radius reflexus axem interſecat. Quæ diſtantia, quia ſpatium chartæ adhuc id permittit, quomodo inveniatur, docebo. Dicatur ergo ſubnormalis ad $M$ punctum, $r$, et, quia normalis angulum $CMV$ biſſecat, erit

$z : x - r = MV : CV - x + r$ & $z : x - r = z + MV : CV$ unde ob $MV = \sqrt{((x-CV)^2 + y^2}$ erit

$$z.^2 CV^2 - 2(x-r).CV.z^2 + z.^2(x-r)^2 = (x-r)^2.x^2 - 2x.(x-r)^2.CV + (x-r)^2.CV^2 + (x-r)^2 y^2$$

adeoque ob $z^2 = x^2 + y^2$ deſtruentibus ſe utrinque terminis $CV$ non continentibus, æquatio fit diviſibilis per $CV$ & obtinetur $CV = 2.(x-r).(z^2 - x.(x-r)) : (z^2 - (x-r)^2)$ Eſt enim ex duobus $V$ punctis, quæ quæri poſſunt, alterum ipſum $C$, adeoque alter ipſius $CV$ valor $=0$. Iam ponendum eſt $r = -ydy : dx$ quia in Fig. ſupponitur creſcentibus $x$ decreſcere $y$, unde $x - r = (xdx + ydy) : dx$. Si ergo ſit $dy = qdx$, obtinebitur

$$CV = 2.(y-qx).(x+qy) : (y.(1-q^2) - 2qx).$$

* * *

# NOVA ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipſiæ*

*Calendis Decembris Anno MDCCXLVII.*



---

*EPHRAEM SYRI OPERA OMNIA, QUÆ EXſtant, Græce, Syriace, Latine, in ſex Tomos diſtributa, ad MStos Codices Vaticanos aliosque caſtigata, multis aucta, nova interpretatione, Præfationibus, Notis, variantibus lectionibus, illuſtrata. Nunc primum ſub auſpiciis ſanctiſſimi Patris BENEDICTI XIV, Pontificis Maximi, e Bibliotheca Vaticana prodeunt. Tomus ſecundus, Græce & Latine.*

Romæ, ex typographia Pontificia Vaticana, 1743, fol. Alph. 5 plag. 14.

*Ephraemi Syri*, Reverendi Patris, egregia ſcripta a priſcis inde temporibus inſignem laudem & celebritatem obtinuerunt, per hanc vero novam editionem novum jam decus ac ſplendorem accipiunt. Debemus hanc non tantum Clariſſimo Præſuli, *Joſepho Simonio Aſſemanno*, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodi, ſed etiam Eminentiſſimo *Angelo Mariæ* Cardinali *Quirino*, quo potiſſimum duce & autore hæc editio curata eſt. *Secundus* hic *Tomus* continet opera hujus Patris Græca, quæ in Oxonienſi editione ſupererant. Latina interpretatione donavit, quæ in hoc *Tomo* Græca occurrunt *Ephraemi* ſcripta, laudatus *Aſſemannus*. Oxonienſis editionis ordo propterea ſervatus fuit, quia in Vaticana & aliis Bibliothecis nullus Codex inventus fuit, qui plane cum altero conveniret. Hanc ob cauſam, cum *prior Tomus*



Digitized by Google

duos ſupra triginta priores editionis Oxonienſis Sermones com-
plectatur, in hoc *ſecundo Tomo*, quos eadem editio a Sermone
trigeſimo primo uſque ad ultimum exhibet, eodem ordine col-
locatos deprehendimus. Addita tamen ſunt in hac editione
nonnulla fragmenta & aliquot Sermones, ut lacunæ bene multæ
Oxonienſis editionis ſupplerentur, & excerpta alia, quæ ab
*Eduardo Thuvaites*, illius editionis curatore, omiſſa ſunt, ex ve-
tuſtiſſimis MStis adderentur. E. g. Sermoni, cujus initium
in editione Oxon. *pag. 347*, & in hoc *Tomo pag. 192*: *ἀδελ-
φοί μυ φιλόχριςοι*, ſubjungitur *pag. 209* alter, qui incipit:
*ἀγαπητοὶ μηδὲν προτιμησώμεθα* &c. Qui Sermo in quibus
Codicibus MStis legatur, docet pluribus epiſtola *Aſſemanni*
ad Cardinalem *Quirinum*, ubi & plura hujus rei documenta
leguntur. Prolegomena ejusdem *Aſſemanni*, huic *Tomo* præ-
fixa, digna ſunt, quæ attente legantur. *Caput I.* catalogum
exhibet Sermonum *Ephraemi Syri*, qui Græce exſtant in Bi-
bliothecis S. *Marci* Venetiis, *Paſſionea*, *Vallicellana*, & *Moſcu-
enſi*. *Caput II* de Latinis *Ephraemi Syri* interpretationibus
agit, *Ambroſii Camaldulenſis*, *Petri Franciſci Zini*, & *Gerardi*
Pag. 20. *Voſſii*. *Oudinus Ambroſianam* converſionem plus juſto extol-
lit, eamque omnium primam fuiſſe aſſerit, quod refellit *Aſſe-
mannus* noſter, alias verſiones ante *Ambroſianam* fuiſſe, ex variis
21. Codicibus MStis oſtendens. *Koblius* in Hiſtoria verſionum
*Ephraemi Syri*, inprimis verſionis Slavonicæ, *Oudinum* redarguit,
quod *Ambroſium*, Abbatem, totiusque Ordinis Camaldulenſium
præfectum, appellet, ſed noſter Autor, illum errare, ex ipſius
*Ambroſii* Epiſtolis evincit, in quibus plus vice ſimplici commiſ-
ſam ſibi generalem totius Camaldulenſium Ordinis præfectu-
ram non ſine lachrymis narrat, id quod etiam ex aliis Au-
toribus ſatis conſtet. Cur vero *Ambroſius* ſe non Abba-
tem, ſed tantum Monachum, in verſione Operum *Ephraemiano-
rum* nominet, inde factum eſt, quod aliquot ante annis Ser-
mones illos Latio donaverat, quam generalis præfectus elige-
retur. Emendat præterea & ſuum errorem *Aſſemannus*, quem
in Prolegomenis *Cap. 3* erraverat circa obitum *Ambroſii*, ubi
ejus

ejus vitam uſque ad A. 1490 produxerat, cum ex *Auguſtino* jam didicerit, illum Florentiæ A. 1439 obiiſſe. *Ambroſius* Pag. 22.
in Græca quidem lingua verſatus maxime fuit, at, Syriacam etiam calluiſſe, probari non poteſt, quod quidem *Koblius* ſibi perſuadet, a noſtro Autore propterea iterum notatus.
Præter *Ambroſium*, *Zinum*, & *Voſſium*, nullos alios agnoſcunt 23.
*Ephraemi* interpretes *Tentzelius* & *Koblius*; ſed noſter Autor ex editis per *Aloyſium Lipomannum* & *Laurentium Surium* Tomis demonſtrat, *Julium Clementem*, Canonicum ſecularem S. *Georgii* in Alga, operam ſuam ad teſtamentum S. *Ephraemi* e Græcis Codicibus Latinitate donandum contuliſſe; quædam alia opuſcula e Græco Latine verſa atque edita a *Jacobo Gretſero*, *Franciſco Combefiſio*, & *Jo. Bapt. Cotelerio*; ex Codicibus Vaticanis nonnullos Sermones e Græco in Latinum a Cardinali *Sirleto* translatos. *Voſſium* non carere 24.
nævis in ſua converſione, contra *Koblium* monet Autor. Cum nos in his *Novis Actis ad A. 1738 pag. 289* obſervaverimus, noſtrum *Aſſemannum* in ſua editione nonnunquam Oxonienſis editionis lectionem retinuiſſe, nonnunquam marginalem in textum recepiſſe, nec non a verſione *Voſſiana* eum ſubinde receſſiſſe, illud hoc in loco non ſolum fatetur, ſed etiam addit rationes & exempla, ſimul tamen contendit, hoc non 25.
ideo factum, quod cum *Koblio* ſentiat, *Voſſii* fidem in dubium vocante, aut *Riveti* ac *Tentzelii* cenſuræ ſubſcribat, ea omnia, quæ translata dedit *Voſſius*, *Ephraemi* opera tanquam ſpuria & adulterina rejicientium, ſed potius bonam fidem *Voſſii* contra *Koblium* confirmat, & pluribus hanc rem diſputat. *Caput III* de Græcorum & Latinorum manuſcripto- 30.
rum Codicum, *Ephraemianos* Sermones complectentium, fide & autoritate diſſerit. *Tentzelius* præfracte negaverat, Græcas omnes, quotquot manu exaratæ in Bibliothecis ſervantur, verſiones autoritatem ullam & fidem mereri. *Koblius* nonnullos Sermones admittit, nonnullos ut ſpurios rejicit, quorum ſententias confutat Autor noſter, *Cap. IV Koblio* potiſſimum re- 31 ſeq.
reſpondens, qui varios Sermones *Ephraemianos* tanquam adul-



Digitized by Google

terinos rejecit, ſatis etiam fuſe oſtendens, hac in re vehementer errare *Kohlium*.

Pag. 433. Ad calcem hujus *Tomi* occurrunt variæ lectiones in Teſtamentum ſancti *Ephraemi* ex MSto Codice Syriaco Bibliothecæ Collegii urbani de propaganda fide. Indices tum Sermonum, tum Capitum, Opus claudunt.

Inſcripſit & hunc *Tomum* Summo Pontifici *Benedicto XIV Angelus Maria* Cardinalis *Quirinus*, Epiſcopus Brixienſis, & Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius. Gratulamur magno huic Viro ſplendidam hanc Operum *Ephraemi* editionem, &, ut *tertius Tomus* brevi in lucem adſpectumque hominum doctorum veniat, vehementer optamus.

## *SIBYLLARUM IN VETERI ECCLESIA AUTOritas, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ac Theologiæ conjunctio, opus P. M. FRANCISCI M. LEONI, Veronenſis, in Gymnaſio Patavino Theol. & Eccleſiaſt. Hiſtor. Prof. Publ. Notis & illuſtrationibus Autoris ejusdem auctum.*

Venetiis, ex typographia Jo. Baptiſtæ Albritii, Hieron. filii, 1744, 4 maj.

Plag. 10.

Libello huic quid occaſionem dederit conſignando, *Capite* ejus ſtatim *primo* exponitur. Initium differendi facit

Cap. 1. Autor ab hoc ſatis vero enuntiato: *Si, divinarum rerum ſtudiis qui ſeſe dedunt, non nimis cupida ſiti laudis, aut, quod turpius eſt, propriæ utilitatis aviditate, traherentur, ſed uno veritatis amore; jam omnis diſputatio cum heterodoxis, omnisque contentio, ab Theologiæ finibus eſſet ejecta.* Perquam vero ſiniſtra ſit applicatio ad eos, qui, ut ſcribit Noſter, *Pontificis Romani jura invaderint*, ac *ſignipheros, qui catholicum agmen ſint adorti.* Quaſi ignoraretur, quid illa fundarit, quibus hocce nitatur. Sed talia quidem condonanda ſunt animis, veritatem qui fingunt ſomniantes, & a partium,

quo

quo trahuntur, ſtudio maxime ſeſe exiſtimant alienos. Interim
in eo eſt Noſter, ut hic vindicet in veterem dignitatem ſacros
nominatim vates, rem a principio exordiens; ſimulque caput
religionis ſanctiſſimæ, quantum in ipſo eſt, ulciſcatur. Id ut fiat,
ſtatim de Sibyllis & profanis vatibus agit, ac poſtea de Sibyl- Cap. 2.
lis pluribus; ſimulque inquirit, an Pontifices Summi credide- pag. 3.
rint, Sibyllas afflante Spiritu S. fuiſſe vaticinatas. Quibus de Cap. 3
momentis, quod facillimum eſt conjectu, ſecundum veritatis, pag. 7.
quo ipſe trahitur, amorem judicat. Eam generalem tracta- Cap. 4
tionem poſtremis *Capitibus* inquiſitio ſequitur in *Juſtini M.* pag. 11.
inque *Clementis Alexandrini*, ſententiam ſingularis. Hanc ita Cap. 5
quidem concludit, ut, eſſe certum atque exploratum, dicat, uni pag. 17.
Judæorum olim, mox Chriſtianæ pietati ſolum, nempe nun- Cap. 6
quam ſuperſtitioni, ſemper vero religioni, prophetiam con- pag. 22.
ceſſiſſe. Sed progredimur ad Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſpecimen, 27.
ſeu pro Hiſtoria eccleſiaſtica Orationem. Laudantur hic va-
ria rerum cœtus divini ac fatorum hiſtoriæ commoda. Inter 2.
præcipua eſt, quod confutandis falſarum hæreſium patronis egregie ſerviat. Nimirum, ſi quidem clari ſunt, unde hauritur, fontes, perſpicimus inde, qua ratione a prima veritate paſſim declinarint, profanis gentibus, ut pellicerent illas, ſe conformarint, Philoſophorum ſententiis immerſerint, ſacræ dominationi, tandemque tyrannidi, ſubjecerint Chriſtiani; do-
nec antiquo veritas ſplendori redderetur. Requiritur ideo 5.
jure a Noſtro hiſtoria, non quæ, ſine diſcimine, quæcunque colligit, hominum facta nulla trutina perpendens, aut illuſtrans obſervatione. Unde triplex idem genus exigit, Chronicon, Annales, atque Hiſtoriam. Illud exhibeat res geſtas natura potius, quam inſtituto, ut ſimplicis ſcriptoris pectus videas; iſti peracta tradant, ſervato locorum ordine, ut eruditi autoris ſtudium pernoſcas; hæc tandem tum ordine locorum, & temporum, tum rei diſtributione æquabili, memorabilia narret, atque, inſignia quæ maxime ſunt, prudenti illu-
ſtret obſervatione. Anſa indidem arrepta, nonnullas Autor ob- 7 ſeq.
ſervationes conjungit, &, Patrum quorundam mentione facta, ſubjectis in obſervationibus vitas breviter enarrat *Juſtini M.*,

*Tertulliani*, *Origenis*, *Athenagoræ*, *Arnobii*, atque aliorum.
Pag. 9 Neque præcipuarum antiquo tempore malæ notæ hæreſium
ſeq. fautores prætermittit, ſed notitiam ſuppeditat præcipuorum;
dum primarii Patrum, hiſtoriarum adminiculis fulti, ſtraviſſe
dicuntur eosdem. Nimium foret, quos hic, in rebus, præ-
ter neceſſitatem collectis, admiſit errores, colligere, nedum
confutare. Male ſcribuntur nomina quædam, multiplicantur
24. hæreſes, neque fabulis parcitur. Sed oſtendit quoque Noſter
ille, quantum nervorum & virium ſibi adſciſcat hiſtoricus, divi-
na ſcientia exutus, quantumque viciſſim Theologus, memora-
bilibus in ſacro cœtu rebus deſtitutus. Memorat hac occa-
ſione, Mathematicorum id ad modum fieri, qui directa prius,
deinceps autem inverſa, ratione doceant; ac, ſingulari pariter
obſervatione, præter alia, ſubjicit, olim iſtud Dialecticis uſu
veniſſe omnibus, inque iſta re *Gorgiam* Leontinum, teſte
*Platone* in *Gorgia*, eminuiſſe; quin idem etiam obſervaſſe &
in *Partitionibus*, & in *Topicis*, *Tullium*. Sed nolumus extra oleas
26. cum *Leone* vagari. Ad easdem redeuntes, eo nomine ex-
plodentem videmus epiſtolas ſancti *Martialis*, libros decem
recognitionum S. *Clementis*, epiſtolas Pontificum Rom. a *Cle-
mente* ad *Siricinum*, *Marcellini* inventum, commentum præ-
deſtinatiani, nugas de hæreſi *Barlaami* & *Ancyndini*, fabulam
27. de Pontifice *Joanna*, vel *Agnete*, vel *Gilberta*, vel *Eliſabetha*, vel
*Margarita*, vel *Juditha*, vel *Dorothea* Pontifice, quam alii
Germanicam fuiſſe, Anglam alii, contendunt. Hic iterum
30. occaſionem nactus, narrationem iſtam verboſius confutat, re-
gulis poſitis hiſtoricæ veritatis explorandæ, quæ ſequuntur,
non contemnendis: 1) Homines craſſo ingenio, aut improbo,
aut non ſatis inſtructo, teſtes non ſunt adhibendi in re obſcu-
ra & difficili, quia datur fides non rei, ſed teſti; 2) quibus de-
ſtimonium utile eſt, teſtes ſi vocentur, ne credito; 3) hoc
diſcrimen eſt inter malæ ac bonæ notæ teſtes: hi ante, quam
teſtantur, rem perpenderunt diligentiſſime, moneuturque, ut
denuo perpendant, illi ſecus; 4) ubi diſſentiunt teſtes, ob-
ſerves, a) argumentum diſcriminis, b) teſtium famam, c) mo-
menta, quibus concitantur, d) rem dubiam, rem certam, quid

ex

ex lege, quid a conſuetudine; 5) teſtes de auditu ſi ab eodem acceperint, quanquam mille, unum habe. Vix revocato ab aviis illis pede, in alia incidit, ſcholaſticos doctores adverſus *Adamum Tribecchovium* atque alios defendens. Craſſiſſimis autem in tenebris oberrat, quando cum iis pugnare laborat, qui, ut iſte ſcribit, ſpeculandi ratione utuntur, quæ non in divinas literas, non in traditiones, non in Concilia, non in Pontifices Summos, non, uno verbo, in ſacram hiſtoriam & eccleſiaſticam, radices agit, cuique *Echius*, qui non eminus ſpectavit agmen, ſed cominus aggreſſus eſt atque coegit, nec non *Ræmundus*, qui cuniculos omnes detegit, viri ætate ſuperiore docti & eruditi, perniciem illam adſcribunt, quam temporibus ſuis ſancta Catholica & Apoſtolica eccleſia indigniſſime perpeſſa eſt. Pag. 35 ſeq. 36.

*CAAB BEN ZOHAIR, CARMEN PANEGYRIcum in laudem Muhammedis, AMRALKEISI MOALLAKAH, cum Scholiis (Arabicis), & verſione Latina LEVINI WARNERI. Accedunt Sententiæ Imperatoris ALI, et nonnulla ex Hamaſa & Diwan Hudeilitarum. Omnia e MSt. Bibliothecæ Batavæ edidit, vertit, notisquè illuſtravit, GERARDUS JOANNES LETTE. Præmiſſa eſt laudatio Celeberrimi Viri, ALB. SCHULTENS.*

Lugduni Batavorum, apud Cornel. Haak, 1748 (1747), 4. Alph. 1 plag. 9.

Leida, librorum Arabicorum fœcunda mater, quæ tam copia, quam præſtantia, ſuorum id genus fœtuum cum ipſa Roma certat, denuo nos orientali beat munuſculo, recente opuſculorum poeticorum Arabicorum, antea non editorum, collectione, quam curavit Rev. *Lette*, amicus quondam noſter, (verba ſunt *Jo. Jacobi Reiske*,) dum Leidæ degebamus, nunc conſtitutus Paſtor Valkenburgi, pagi non ignobilis, qui Leida verſus oram maritimam occidentalem ad milliare diſtat. Opuſculum hoc

hoc linguæ Arabicæ ſtudioſis, & iis maxime, qui ſacrum Codicem ex ea illuſtrare ſtudent, poteſt inſignem uſum præſtare. Præter enim modo in titulo indicata, exhibet in notis fragmenta poetica & grammatica multa egregia, quæ tironi campum aperiunt, in quo diligentiam exercere, & levare ſitim ſuam, queat. Monſtrant illæ notæ, ſuum autorem in ſcriptorum Arabicorum lectione hoſpitem non eſſe, doctrinaque lætiore & acriore judicio abundare, quam ille poſſedit, qui *Alii* carmina edidit, librum, quem nuper *Menſe Septembri* annuntiavimus. Unde ſpem concipimus, fore, ut, eadem diligentia ſi pergat Cl. Editor his in ſtudiis occupari, magno illis ornamento & præſidio aliquando ſit.

Textus Arabicus primi Carminis, quod *Caabum*, filium *Zabairi*, autorem habet, & verſibus 58 cum oppoſita Latina *Lettii* verſione, & Scholiis ſubjectis, (quæ, quia melior appellatio non ſuccurrit, Lipſienſia nominemus, quandoquidem a me olim ex Codice Lipſienſe deſcripta, & Editori ſuppeditata fuerunt,) ea, inquam, implent paginas 45. Alterum Carmen eſt *Amralkaiſi*, Principis Arabum Kenditarum, ſed qui, regno ejectus, miſere periit, (vid. Prolog. meus ad *Tharapham pag. 25*,) iſto *Caabi* quinquaginta fere annis antiquius, unum, & quidem primum, de illis ſeptem, ſub nomine *al Moallakat*, ſeu ſuſpenſorum, celebratis, quorum editionis initium feci Leidæ A. 1741, quando ſecundum ordine, quod eſt *Tharaphæ* autoris, prodebam. Carmen *Amrilkaiſi*, quod conſtat verſibus 82, cum ſubjectis *Ibn Nabaſi*, Grammatici, Scholiis Arabicis, & oppoſita Latina interpretatione *Levini Warneri*, a *pag. 48* usque ad *89* procedit. Latinam illam interpretationem *Levini Warneri*, ſummi viri, & mihi nunquam ſine honoris præfatione nominandi, interpolarunt Cl. *Schultens* & noſter Editor. Ego quidem id non feciſſem; neque ſubſtituendo aliorum erroribus mea κατορθώματα ipſe me defraudarem, neque, indigna judicans publica luce, ſolicitarem mortuorum manes, ea prodendo; ſed, ſi darem, darem talia, qualia invenerim. Jam fueram hoc inſtitutum *pag. 7* Prologi mei ad *Tharaphæ Moallacam* deprecatus. *Paginam 90, 91, & 92*, implent ſententiæ

Impera-

Imperatoris *Ali*, mere Arabicæ ordine Alphabetico, e collectione *Abdulwahid ben Muhammed*, e Codice, qui *Bibliotheca Leidenſis* in *Catalogo pag*. 467 numero 1448 recenſetur, ordine vero librorum, quo in pluteis diſpoſiti ſunt, eſt vigeſimus octavus. Hæ ſententiæ diverſæ ſunt, ut comparando deprehendi, ab illis, quas *Simon Okley* poſt alterum Tomum Hiſtoriæ ſuæ Saracenicæ dedit Anglice, & *Th. Arnoldus* inde deinceps Germanice quoque vertit. Forte ſunt eædem cum illis, quas *Jacobus Golius* Leidæ apud *Elzevir*. in 8 plagulis duabus, vel tribus, una cum carmine *Thograi*, & aliquo *Avicenna*, neſcio quo anno, edidit. Poſſeſſores rariſſimi hujus libelli, quem ipſe quoque olim habui, ſed amico donavi, poterunt in eam rem inquirere. Id ſcio, Codicem, e quo Rev. *Lette* has ſententias edidit, unum eorum eſſe, quos *Golius* ex Africa & Oriente Leidam convexit. Sequuntur poſt hæc a *pag*. 93 usque ad *pag*. 166 notæ fuſiores ad *Caabi* carmen, & a *pag*. 167 uſque ad *pag*. 214 ſtrictiores ad carmen *Amrilkeiſi*. *Pag*. 215 & 216 ſunt ſtichi quidam mere Arabici ex *Hamaſa*; *pag*. 217 alii ex *Diwan Hudeil*; & unum bene longum carmen celebris Poetæ *Sachri*. Sequuntur Indices tres. Primus Autorum, quos Rev. Editor in notis allegat. Placeat, cuicunque velit, hoc Belgio nunc ſolenne inſtitutum, in Græcis & Latinis utile quodammodo & neceſſarium, at in Arabicis, qui pauciſſimi editi ſunt, inutile. Mihi non placet ambitioſa hæc, imperitis formidoloſa, peritis rerum ridicula, multijugæ lectionis oſtentatio. Secundus Index eſt vocum Arabicarum, quæ in notis excutiuntur; & tandem tertius vocum ſacri Codicis Hebræarum, quæ ex Arabiſmo illuſtrantur. Potiſſima nempe hujus opuſculi deſtinatio fuit, ſacræ Scripturæ ex monumentis ſuis lucem accendere, neque aliud quid exſpectari debet ab iis, quorum ſtudia & lucubrationes Cel. *Schultens* moderatur. Dedicatus eſt libellus Sereniſſimo Arauſionenſium Principi, Fœderati Belgii gubernatori. Excipit eam dedicationem præconium, quo Cel. *Schultens* Autorem hujus opuſculi, ejusque eruditionem, laudat & extollit verbis tam

Rrrr magni-

magnificis, ut vel ſola tam nobilis palmæ adipiſcendæ cupiditas alium quemcunque ad linguæ Arabicæ ſtudium impellere poſſit. Tandem Præfatio ſequitur, ad quam ſtatim plura dicemus. Cetera totum opuſculum nitida charta, typiſque pulchris, & ſatis emendate, impreſſum eſt; fasque adeo, Editori, & nobis, & erudito orbi, lepidum munus, & non contemnendas opum acceſſiones, gratulari.

Præfatio, quæ pro dignitate & copia rerum debebat filo deduci longiſſimo, & quatuor, aut quinque, plagulas implevisſet, ſi mihi fuiſſet ſcribenda, juſto brevior & obſcurior eſt, paſſim etiam ænigmatica. Exponit ea de occaſione concinnandi ſui opuſculi, de Poetis ſuis, de Codicibus, e quibus prodiit, & tandem peculiare dimidia plagula, de occaſione, qua *Caab* ſuum carmen dixit. Occaſionem ſuſcipiendi hujus opuſculi narrat his verbis: *Cum e gazophylacio Codicum MSS. quibus ſplendet Bibliotheca Batava*, (id eſt, Leidenſis,) *mihi lectiſſima quædam ſeligere conceſſum, præprimis placuit Caab ben Zahairi Abi Solmæ* (imo vero Zohairi ben Abi Solmæ) *carmen panegyricum & Moallakat. Utraque iſta monumenta mihi digna viſa ſunt, quæ erudito orbi communicarentur.* Quantum ego equidem ex his intelligo, & lectorem quemvis intellecturum eſſe puto, concludendum eſt, Rev. Editorem dicere velle & inſinuare, quod, poſtquam acceſſus ad Codd. MSS. Leidenſes ſibi fuerit factus, notitiam demum cum ſupra memoratis monumentis contraxerit, & eorum amore tum demum captus ita fuerit, ut ea inde exſcriberet, atque deinceps verteret, & ex illis ſolis ederet. Verum ipſe deinceps dicit, ſe *Caabi* carmen ex Bibliotheca Lipſienſi prodere, quam dignam puto rem, ut, quemadmodum geſta eſt, exponam. Scire illam, non tam mea, quam literariæ rei, intereſt. Si audire vellem civium meorum quosdam doctos homines, qui de maligno & ignobili atque improbo quorundam Batavorum erga Germanos animo ſæpe apud me queſti fuerunt, poſſem ſummo jure meum *Lettium* habere ſuſpectum, ac ſi mea in ſuum opuſculum merita celare & ſupprimere

mere voluiſſet. Ego vero potius hanc narrationis miſcelam & *ὑστεροπροτερολογίαν* alicui ejus inſuetudini ſcribendi & præcipitantiæ tribuo, quæ, quo minus claros impertiret & diſtinctos ſenſus ſucceſſionis rerum & temporum, impedivit. Sed, ne ipſe obſcurus fiam, dicam, quod res eſt. Reverendus Editor, menſe Februario anni ſuperioris 1746 ad me accedens, exponebat, animum ſibi eſſe, ſpecimen aliquod poeſeos Arabicæ edendi. Rogare itaque, ut ipſi præſtem de penu mea, quod ex ipſius re fore judicarem. Ego tum ipſi ſuadebam, ut nobiliſſimum carmen, in laudes *Muhammedis* a *Caabo* dictum, ederet, & promte, ut meus eſt mos, & officium, quo literarum incrementis inſervire teneor, Codicem ipſi tradebam, in quem compingi curaveram 1) Carmen *Ibn Doraidi*, vulgo *ol Mochammaſah*, vel *ἡ πενταδικὴ*, dictum, quod magnificentiſſimis verbis, ultra meritum tamen, ut mihi videtur, extollit Cel. *Schultens* in Præfatione ad Conſeſſus tres priores *Haririi*, Franequeræ editos; 2) Carmen *Caabi*, cum Commentario neſcio cujus, quod menſe Julio anni 1737, adeoque ante decem annos, Lipſiæ in Bibliotheca magnifici Senatus Lipſienſis deſcripſi, indultu illuſtris *Maſcovii*; cui pro mea parte gratias ago, ea humanitate dignas, gratulorque, rei literatæ nomine, & ipſi, & ſplendidæ, cui præfectus eſt, Bibliothecæ, proditum ex ea tam elegans & nobile monumentum. Præterea continebat meus Codex Carmina *Ibn Nahaſi* Poetæ, & aliorum permulta, nec non aliqua ludicra, quæ noſter Editor paſſim citat. Omnia ex eodem Codice Lipſienſi, de quo paulo poſt plura dicam. Hunc itaque meum Codicem tradebam Rev. *Lettio*, qui *Caabi* Carmen cum Scholiis Lipſienſibus deſcribebat, meo ſuaſu, vertebatque Latine, & verſionem ſuam mihi monſtrabat; ſed quæ, ut paucis complectar, ne caſſam quidem nucem valebat. Ignoſcat mihi Reverendus amicus, quicum mihi res eſt. Ipſe mihi ſibique veritatis eorum, quæ narro, conſcius eſt. Semel itaque, & paulo ante diſceſſum meum e Leida, iterum carmen *Caabi* coram ipſo, tanquam magiſter diſcipulo, exponebam, ſingula

verba Latine reddens, conſtructionum & phraſium indolem, tertium, quod ajunt, comparationum, totiusque carminis nexum & œconomiam, ſcopumque Poetæ, declarans, & tanquam Anatomicus digito ſingula cultroque demonſtrans. Porro ſuadebam, ut Codicem hujus carminis Bibliothecæ publicæ Leidenſis cum meo conferret, &, illud carmen Codice 68 (*pag. 472 n. 1559*) contineri, indicabam; cujus in Prologo ad *Tharafam pag. 11* dedi ampliorem notitiam. Tandem ergo *Lettius* menſe Majo anni 1746 obtinebat illius Codicis, quem Leidenſem appellare ſolet, uſum. Ego vero ſub idem tempus Leidam, charam illam mihi &, quamdiu vivam, memorabilem Leidam, nonnihil invitus, neque ἀσπάϱακτος, relinquebam; monens Editorem, cum ipſi valedicerem, ut, ſi, opus, ſentiret, ſe ſuſcepiſſe ſuis viribus majus, id potius abjiceret. Relinquebam apud ipſum meum exemplar *al Moallakat*, ex quo, magno cum meo dolore, video proditas notas, quas privatos in uſus meditans & conjectans ante multos annos margini alleveram; quas æternis tenebris ſepultam mallem. Æquum fuerat, hac de re ad me referre. Jubeo itaque iſta mea verba expungi, & pro ſcriptis non haberi, quæ me inſcio, &, ſi ſciviſſem, ſummopere obſtituro, in meum dedecus *pag. 188* & *210* prodita ſunt. Relinquebam porro penes *Lettium Hamaſam Bochtarii;* quam nuſquam in opuſculo ſuo citat, quod mihi valde mirum accidit, & ſuſpicor neſcio quæ. Relinquebam tandem *Amrilkeiſi* opera omnia poetica ex editione *Abi Oſamah*. Hos tres libros *Moallakat, Bochtarium*, & *Amralkeiſum*, ſcripta ſchedula, quam ſervo, promiſit intra annum ſe mihi redditurum. Jam annus elapſus eſt unus cum dimidio, neque adhucdum reddidit: Donabam porro Rev. Editori diſcedens aliquas ſchedas varii, ſed potiſſimum poetici, argumenti, (tanquam ex Arabicorum Poetarum contubernio ad muſeum Hiſtoricorum tranſiens,) ut particulam de *Lazum ma la jalzam*, *Abi'l Ola* meditationibus poeticis de vanitate mundi; initium operum poeticorum *Abi Temami*; ma-

gnam

gnam particulam præſtantiſſimi operis grammatici, *el Cameli* dicti, autore *al Mobarredo.* Donabam ipſi quoque opera poetica *Haderah.* Utenda etiam per aliquod tempus a me habuit *Abilola Sekth ez Zendi*, ſeu opera poetica; item *Dahmani, Geriri, al Motanabbii*, cum ſcholiis *el Wahidii.* Quem male citat *Abu Anwas*, pro *Abu Nawas*, eum citat ex Codice illo meo Lipſienſi. Quos citat *Lebidum*, *Zohairum*, *Antaram*, habet ex meis *Moallakat.* Quem citat locum ex *Ibn Doraidi* Etymologico, eum ipſi ſuggeſſi. Hæc omnia citat, tanquam ipſe depromſiſſet è Codicibus MStis Leidenſibus, quos tamen, bene ſcio, non ab eo inſpectos. Sed citat ex apographis, quæ manu mea ex Codd. Leidenſibus feci. Agnoſco quidem Batavum, magis velificantem honori ſuo, ſuæque patriæ, quam hominis Germani, quem pluris Leidæ non faciebamus, quam illo poteramus in rem noſtram uti. Fateor tamen, tentaſſet aliquale gaudium meum animum, ſi memoraſſet, unde illa omnia habuerit; & vidiſſem, mihi meum laborem & facilitatem apud hominem gratum non periiſſe. Ego quoque, ſi ſuſtinenda mihi fuiſſet perſona Clariſſimi *Lettii*, & alter mihi præſtitiſſet officium, quod ipſi præſtiti, ſilentio non præteriiſſem. Nempe hoc. Liber MStus Arabicus, quem ultimo loco Leidæ tractavi, fuit *Sebekai* Hiſtoria Theologorum Muhammedanorum ſectæ Schafeiticæ. Hic verus eſt titulus libri, quem Catalogus Leidenſis *pag. 484 n. 1860* prave & obſcure indicat. In hujus libri *primo Tomo* reperiebam præter meam exſpectationem *Caabi* carmen; id cum Codice meo in gratiam Editoris comparabam, & ſolum notatu dignum viſum Scholion illud excerpebam, quod Editor in notis *pag. 130* queritur ſibi maligna typothetæ incuria periiſſe. Ego illud in mei Codicis margine conſervavi, & infra utroque ſermone exhibebo. Si Editor ipſe habuiſſet uſum ejus Codicis *Sebekai*, aut potuiſſet ſemper & abſque impedimento eum conſulere, ſuppleviſſet facili opera jacturam ſuæ ſchedulæ, denuo ex Codice deſcribens. Atqui eam notulam habebat a me. Quod annotare, quamvis nemo ipſum cogeret, honeſto tamen & polito homini decorum fuerat. Exſpectaveram quoque,



Digitized by Google

ut indicaſſet ſuis locis locorum difficilium ipſi à me ſuggeſtas explicationes, quas, quia jam diu Leida abſum, rerumque tunc geſtarum exacta memoria evanuit, non omnes novi; agnoſco tamen bene multas, ut e. c. illud *v. 3 vino temperatum, v. 5 ſuper quam eminent, v. 6 o quam nobilis, v. 14 non obſtante laſſitudine, v. 15 cujus negotium eſt.* Hæc omnia mea ſunt. *V. 28* iſta tota parentheſis de conſilio meo fuit inſtituta. Sed, quia non omnia capiebat, aut memoria ſervabat, mea monita, factum eſt, ut quædam ex parte recte, ex altera parte ſiniſtre, exhiberet. Sic *v. 6* monueram, vertendum eſſe, *o quam nobilis ea foret amica.* Sed ille *amicitia* exhibet, *Golii* Lexico magis obſecutus. Ad *v. 32* monueram, vertendum eſſe *filii ſui*; ille vero, rurſus obſequio *Golii*, *juvencæ ſuæ* vertit. Totum *v. 41* ipſi dictavi: *Sto in loco, in quo ſi ſtaret,* non, ut ibi exſtat, *quod ſi ſtaret ibi.* Debuerat quoque lectores monuiſſe de meis aut conjecturis, aut emendationibus, quas paſſim in Scholiis loco veteris lectionis, quam in Codice Lipſienſi inveni, exhibuit. Nempe deſcribens ea Scholia ante hos decem annos, quædam margini allinebam, partim bona, partim prava, properans ad alia, neque ſatis rei attendens, aut ejus intelligens pro iſta ætate, quæ nunc nollem mihi excidiſſe. Noſter autem Editor ea omnia cum pulviſculo corraſit, & in textum inſerſit, neque vel verbo uſquam ea de re monuit; quæ vero ego non emendata reliqueram, ea exhibuit, ut invenit. Quare non etiam hæc mutata fuerunt? Mutaſſet procul dubio, ſi me præeuntem habuiſſet. Sed faciam verbis meis fidem. In Scholio ad *v. 2 lin. 2* exſtabat in Codice Lipſienſi لما قبلة. Adſcripſeram, legendum eſſe لمقابلة. Hoc arripuit Editor, ſed aut ipſe corrupit, aut ejus typothetæ, edendo لقابلة, quod æque pravum atque lectio Codicis Lipſ. *Pag. 13 lin. 15* exſtat قوتة. Sic annotavi in margine legendum eſſe pro lectione MSti قولة. Sine dubio aberravit calamus meus, & ſcribere volui, aut certe debui, قوية, quod unice rectum eſt. *Pag. 15* ad *v. 17 lin. 2* exſtat عبل bis, utrumque ex mea emendatione. Sed in MSto eſt عبب. Fingamus, certiſſimam eſſe meam emendationem, non male tamen egiſſet, ſi

lectio-

lectionem MSti Lipſienſis indicaſſet. *Pag. 23* تعرق eſt mea conjectura pro تعدف, quod eſt in Codice. *Pag. 27 lin. 4* eſt الاختبار. Sic ſcribebam ante hos decem annos ad marginem mei libri legendum eſſe pro vitioſo الاجتنبان, quod eſt in Codice, nimium inhærens ductui literarum. Certe nunc non conjicerem eo modo, ſed الاخبار, quod unice verum eſt. Tum neſciebam diſcrimen inter octavam & quartam conjugationem; nunc novi. *Pag. 39 lin. 4* مغلول exhibet ex infelice mea & importuna conjectura. In Codice exſtat قلول, pro quo facili modo reponi debuerat فلول. Et forte ſic quoque fuit in Codice. Puncta enim unum, aut geminum, ſæpe vix diſtingui poſſunt; neque debuerat dubitaſſe de præſtantia lectionis, quam ex *Nabega,* cujus is locus eſt, *pag. 157* citat فلول من قراع. Ea ſola vera lectio eſt, altera merum monſtrum, quod tamen incruſtare voluit Cl. Editor. Quia ſemel ad illum locum deveni, debeo eum emendare. *V.* nempe *48* ultima vox in omnibus Codicibus eſt مغلول, *Maglul,* id eſt, *vinctus,* vox ibi quidem nullo modo tolerabilis. Deſcribit enim Poeta leonem, & ſic ait: *cum inſilit in compar,* (ex verſione *Letteana*) *haud decorum eſſet ei compar relinquere, niſi fuerit illud vinctum.* Duplex eo in verſu peccatum, unum ab interprete, alterum a ſcriba, cui nimium credulus interpres obtemperavit. Verbum تحل derivavit ab حل, *licuit, decuit.* Sed eſt ab حلو *dulcis fuit,* non eſt dulce leoni, non ſapit ipſi, non eſt ad palatum ejus, faſtidit, dedignatur, *il ne l' accommode pas.* Deinde quis mortalium vidit unquam, aut vel mente tantum concipere poteſt, leonem, qui funibus, vel catenis, vinciat alterum vel leonem, vel feram, vel hominem? Vitium hoc ſcribarum eſt, *maglul,* مغلول, exarantium pro ſola vera dictione & ſcriptione Autoris مفلول, *maflul,* id eſt, *contritum,* vel *comminutum.* Leo, qui, ſi inſilit in adverſarium, faſtidit ab eo deſiſtere, antequam oſſa ejus fuerint comminuta, commolita. Et hæc emendatio quoque obverſata fuit Scholiaſtæ Lipſienſi, ſed ſcriba eam prætervidit. Sic itaque legendum in illo videtur: المفلول الماسور ويروى المغلول المكسور المهزوم واصل الغل الاسر والجبر *Maglul idem atque maſur, ſeu vinctus, notat. Aliæ editiones*

*tiones habent Maſlul, id eſt, fractus, & metaphorice fugatus: Etenim propria notio verbi Falla frangere, & βίᾳ ἀνάγκης συνωθεῖν.* Hæc ad iſtum locum. Pertinet aliquo modo huc illud, quod ex male percepto ductu quodam calami mei ediderit in textu *Caabi v. 45* الهبيب, cum ego ſcripſerim, uti ſcribi & legi debet, ſcriptumque reperitur in omnibus Codicibus, اهيب, *obiba*, paſſiv. 4 conjugat. Erravit quoque in phthongiſatione alterius vocis عندى, quæ ut *Anadi* (*cor meum*), non ut *Indi* (*penes me*), debet efferri. Quod Leidenſes typi ediderunt, Arabicum non eſt.

Verum, ais, an non vidiſti, quantis nomen tuum celebret laudibus Reverendus Editor in Præfatione, quam magnas tibi tibias pomposus tibicen inflet φορβιᾶς ἄτερ, quam tibi paſſim per opuſculum ſuum ſpargat χόνδρους εὐρωτιῶντας καὶ ἐυμεγέθεις. Novi. In Præfatione ait: *Codicem MSt. unde hoc Carmen edimus, ſervat Bibliotheca ſenatoria Lipſienſis.* (Ne quis credat, monitum velim, Cl. *Lette* ſua præſentia Lipſiam noſtram unquam honoraſſe; aut eo Codice uſum fuiſſe, e quo ait ſe *Caabum* edidiſſe. Propterea addit:) *Hinc olim deſcripſerat Arabicæ literaturæ promus condus J. J. Reiske, cui debitas impertimus laudes & grates, quod communibus ſtudiis inſerviendi ergo ex apparatu ſuo, quem indefeſſo labore judicioque acuto comparaverat, nonnulla nobiscum communicavit, atque inter alia Carmen Caabi & Moallakat ex editione Tebrizii.* Deprecor laudes immeritas. Quod genuinis & honeſtis Arabiſmi cultoribus ea, quæ poſſideo, ſubſidia libenter impertio, meum eſt officium. Verum viciſſim pro mercede poſtulo, ut mea mihi reddant, ubi uſi fuerint, &, ſi quid ex iis profecerint, indicent. Gratius mihi feciſſet, ſi loco σοβαροῦ iſtius καὶ ἀερώδους κομψεύματος ſimpliciter dixiſſet, quod ego ipſi primus autor ſuaſorque fuerim edendi *Caabi*, quod ipſi eum in finem commodaverim apographum meum Codicis Lipſienſis, quod ipſi ſubminiſtraverim lectiones variantes ex *Sebekeo*, quod uſus fuerit mea directione in concinnanda ſua verſione, & meis emendatiunculis in Scholiaſta. Hoc ſi dixiſſet, ſatis litatum honori meo crediaiſſem.

Sed

Sed promiſſorum oportet eſſe memorem. Supra promiſi, paulo fuſius de Codice Lipſienſi *Caabi* me diſſerturum. Codex eſt formæ quartæ miſcellaneus, a neſcio quo collectus. In eo primo loco ſe offert *Caabi* carmen cum Scholiaſta. *Kebrius*, qui catalogum MStorum orientalium Bibliothecæ Senatus Lipſienſis confecit, ſed eum nondum editum, indicavit, id carmen eſſe miſcellanea apophthegmata moralia metrica. Condonamus id bono viro, quem aliunde novimus. Dexterior erat in pingendis pulchre literis & ductibus Arabicis, quam uſu librorum & linguæ verſatior. Ego vero ſtatim deprehendebam *Caabi* carmen, & lætabar, id eo loco me invenire, ubi non quæſiveram. Scilicet menſe Aprili A. 1737 Dreſdæ apud eruditiſſimum & humaniſſimum ſenem, Cl. *Seebiſch*, Bibliothecarium Regium, videram & mihi deſcripſeram hujus *Caabi* carmen & primam *Moallakam*, ſeu *Amrilkeiſi*. Inde mihi carmen illud notum erat antequam codicem Lipſienſem viderem. Altero anno poſt in Belgium illud mecum deferebam, & A. 1741, edens meum *Tarafam*, intuli primus nobiliſſimi hujus carminis, etiam Cl. *Schultenſio* ignorati, notitiam non in Belgium tantummodo, ſed in totum literatum orbem. Anno inde 1745 Cl. *Nicol. Guil. Schræderus*, Profeſſor Marpurgenſis, illud primus ex meo Codice deſcribebat, & Leida diſcedens Cl. *Schultenſio* relinquebat, a quo Rev. *Lette* habuit. Hinc intelligas illa ex Præfatione, alias futura ænigmatica: *Nonnulla tamen aut inepta, frivola, aut manca*, (nempe in Scholiaſta,) *quæ ad exemplum Viri Cl. Nic. Gul. Schræderi, cujus uſi ſumus apographo, aut emendavimus, aut amputavimus*, Nihil emendaſti, amice, quantum ad[illegible]cdum comperi, neque tu, neque Cl. *Schræderus*. Sed meæ fuerunt conjecturæ, quas ille ex meo libro in ſuum transtulit. Provoco ad communis amici noſtri teſtimonium & conſcientiam. Quæ amputaveris, nondum examinavi. Recte factum, an ſecus, nunc non inquiram. Id ſcio, faciliimam viam hanc eſſe, ex omnibus tricis ſeſe expediendi.

De Codice *Seebiſchiano* id dicendum mihi ſupereſt, quod ejus collationem impertire noſtro Editori non potuerim, quando quidem ſceleſta manus apographum meum, inde fa-

 ctum,

Digitized by Google

ctum, mihi jam dudum abſtulit. Continet ille Codex miſcellanea, mira, rara, curioſa. Statim in principio exhibet carmen *Caabi*, primam *Amralkeiſi Moallakam*, epicedium *al Motanabbii* in matrem *Seifeddaulæ*, & celebre carmen *al Momfarega*, de quo *Herbelotius pag. 621*, omnia cum Scholiis interlinearibus.

Hæc de occaſione editi Carminis hujus antiquiſſimi diſputanda poſt Editorem habui. Si mihi ſcribenda fuiſſet Præfatio ad *Caabum*, dixiſſem de variis ejus Codicibus, & commentatoribus, qui paſſim in Bibliothecis, Pariſienſi, Oxonienſi, aliis, proſtant. Attuliſſem ex *Abi Oſaibæ* libro de claris Medicis, quod *Mowaſſekoddin ol Mauſelenſis*, Medicus, vulgo *Ibn ol Labbadi* dictus, qui A. 629 obiit, commentarium ſcripſerit in hoc carmen; quod, ubi *Kaſidat ol Amani*, *carmen ſpei & votorum*, citetur, hoc carmen intelligatur; quod *Muhammedis* pallium, *Caabo* donatum, fuerit viride; quod una cum ejusdem, Prophetæ ſcilicet, baculo fuerit inter regalia & inſignia Chalifatus Bagdadici; quod aliquando per annum & ultra fuerit in exilio; quod tandem A. 653 fuerit a Tataris, Bagdadum diripientibus, de medio ſublatum, præter alia, quæ de *Caabo*, & ejus patre *Zobairo*, jam Prologi ad *Tharafam pag. 29* attuli.

Sed de verſione Latina *Letteana* nunc dicendum eſt. Ea nimis literalis, ideoque ſæpe obſcura, & præterea ſæpiſſime a ſenſu Autoris ſui alieniſſima, eſt, quamvis & mea uſus fuerit directione, & Cel. *Schultenſius*, ut ipſe fatetur, ejus elaborationi invigilaverit. Quid ſi tironum illos fuerit imitatus, qui ad elaborandas ſuas theſes eruditiorum amicorum adhibent conſilia, ſed a nimia ſibi cavent elegantia, ne opus prodant non ſuum eſſe, bonisque alienis admiſcent quædam mala de ſuo, data opera. Studuit quidem tironum commodis. Atqui conſiderare debuerat, ineptum fore inſtitutum, ſi quis tironem Arabiſmi ad tam ſublime & difficile carmen admittere velit. Qui vero legere illud Arabice ſciunt, non egent verſione literali, ſed etiam ope laxioris periphraſeos ſe norunt expedire. Plures quoque ſunt lectores & æſtimatores talium Arabice non periti, quam periti; quorum potiſſima habenda ratio. Nam verſione neque ſatis clara, neque ſatis Latina,

Digitized by Google

tima, eos in opinione magis confirmes, qua occupantur, Arabes inſanire, & effutire, quicquid in buccam venit. Et quidni ſic cogitabunt, ſi neque in ſingulis verſibus deprehendant aliquid intellectu facile, neque in genere ſcopum Poetæ, carminis œconomiam, connexionem & harmoniam idearum, tranſitum a procemiis & rebus alienis ad ipſum argumentum & τὸ προκείμενον, videant. Verum apparet ex tota verſione, interpretem hoc ignoraſſe. Unde mirum non eſt, ſi, qui ſuum autorem ipſe non capit, neque aliis claros ex eo & humanos ſenſus eliciat & proponat. Arabes homines ſunt nobis ſimiles, & maxima ex parte humane locuti. Sed interpretum inſcitia eos ſæpe aſinorum inſtar rudere, & ut vaccas mugire, jubet. Non multus ero in arguendis, & quaſi producendis in theatrum, erroribus verſionis *Letteanæ*. Sed exhibebo potius totum carmen in Latinum ſermonem meo modulo converſum, iis cum ideis, quibuscum Autor id compoſuit & enuntiavit, claris, aptis, elegantibus, excelſis; poſtquam oeconomiam ejus brevibus delineavero. Non inutilis, neque inficeta, erit hæc diſcuſſio, quamvis inſperata horum *Actorum* lectoribus accidat. Poeſeos periti æſtimatores haud ægre ferent, ſi & de Arabica quidquam intelligant, quod cum noſtra comparare poſſint. *Caab* itaque hoc carmine in genere ſtudet iram placare *Muhammedis*, qui ipſum proſcripſerat; quod tentat efficere laudatione tam ipſius, quam ſodalium ejus. Cum vero generalis canon poeſeos Arabicæ ſit, in carminibus juſtæ magnitudinis omnibus ab erotico quodam themate incipere: (ſunt enim Arabes Serenadarum Hiſpanicarum & libellorum Romanenſium autores, ut notum eſt;) auſpicatur *Caab* ſuum querelis de adverſa ſuorum amorum fortuna. Abiiſſe nempe ſuam amaſiam; quam partim laudat a pulchritudine, partim vituperat ab inconſtantia. Abiiſſe in terram longiſſime remotam, ad quam perveniri nequeat, niſi camelo præſtantiſſima; cujus cum varias dotes enumeraſſet a *v. 13* inde, & *v. 28* perveniſſet ad ejus in currendo celeritatem & agilitatem commendandam; ſtilum ſubito vertit, & ad propoſitum venit; ſed modo miro, qui non niſi Arabibus placere, & admirationi eſſe,

 poteſt.

poteſt. Dicit nempe: Camela, quæ ipſo meridie ſub calentiſſimo ſole tam celeriter & agiliter motitat brachia currens, atque plangens fœmina, cui mors ſuo filio inſtans nuntiatur. Per illam fœminam intelligit matrem ſuam; per ejus filium ſe ipſum. Vult itaque dicere: Camela, quæ tam celeriter motitat brachia, currens, atque mater mea plangens, cum audit, me a *Muhammede* proſcriptum, ab unoquoque poſſe impune occidi, & brevi necandum eſſe. Hæc idea *συνάρθρωσις καὶ συσφήνωσις* eſt totius carminis, & quaſi hypomochlion, ſuper quo hic vectis libratur. Non nunc demum incido in hanc obſervationem, ſed eandem jam ante ſeſquiannum Editori Batavo tam clare, quam nunc propono, propoſui. Quare vero uti illa noluerit, ipſe norit; hæc, mea res non eſt, indagare. Sed pergo. Hac facta via, pergit *Caab* gratiam *Muhammedis* implorare; ſe ab accuſatorum criminationibus purgare; Prophetam ad commiſerationem flectere; laudatque illum & ejus ſodales. Jam ſequatur hujus carminis interpretatio, qualem forte dediſſem, ſi fatale mihi fuiſſet, *Caabum* edere. Omittam verſus aliquot, a Batavo tolerabiliter verſos. Notas poſſem admetiri plurimas, verum habenda loci & lectorum ratio. Canit itaque *Caab* hoc fere, ſecundum me, modulo:

1. Abiit *Soad*, ideoque cor meum nunc eſt amoris cruciatu afflictum & enectum, & ab ejus inde abitu in ſervitutem & vincula nunquam laxanda datum.

2. Illa pulchra *Soad*, quæ, cum eam tribules aveherent, dorcadi ſimilis erat, nigris oculis & compoſito modeſtoque vultu decoræ.

3. Illa *Soad*, quæ ſubridens, hiſcentibus paululum labellis, monſtrare ſolebat nubes *a*) imbre gravidas, limpidiſſimæ, roſcidæ, & fragrantis ſalivulæ, quam haud male lacum dixeris vino temperatum.

4. Vino, quod dilutum fuerit frigida lympha *fontis*, ab acceſſu radiorum ſolarium remoti, liquidi, in valle glareoſa, aprica quidem, at ventis tamen borealibus perflata.

5. Qui

---

*a*) Intelligit *dentes*.

Digitized by Google

5. Qui venti ſordes inde deſpumant, identidem innatantes; & cui *fonti* ſuperinnatant albæ bullæ, ab effuſione nocturni imbris excitatæ.

6. O quam nobilis, quam chara nobis, ea, *Soad*, foret amica, ſi promiſſis ſtaret, aut ſi meus in eam ſincerus amor & defæcatum ſtudium ipſi accepta & grata eſſent.

7. Verum amica illa ita eſt comparata, ut ſanguinis & craſeos ejus naturalis aliqua pars ſit, amatores ſuos eo, quod amant, privare, mentiri, contra datam fidem agere, amatores amatoribus mutare.

Non enim manet in ſtatu, quem ſemel induit, prorſus ut verſipellis *Gul*, α) id eſt, *Empuſa*.

9. Ne-

α) Non poſſum non proferre hic longum quidem, at elegantem & apprime congruum, locum ex *Ibn el Guzii* libro hiſtorico, *Mirat oz Zamani*, ſeu ſpeculum temporis, inſcripto (*Cod. Leid. 973, pag. Catalogi 480, n. 1750,*): „ol Gul ſecundum al Gauharium eſt de genere „as Saali, ſeu proteorum, vel empuſarum. Format hic ſingularis, „nempe Gul, pluralem Agwal & Gilan. Deinde in genere „omne, quod hominem ſubito obruit & perdit, illud etiam Gul „appellatur. Inde formula illa: galat-ho gul, ἐπεσεπήδησεν ἐς αὐ„τὸν ἡ ἄτη, id eſt, incidit in negotium ipſi exitioſum. Idem Au„tor alibi dicit, as Saali pejores & terribiliores eſſe, quam ol Gul. „H. J. Alios inter Autores non conſtat certo, quid ſit ol Gul. „Quidam Arabum aſſeverant, ol Gul in deſertis ſeſe monſtrare, „variis ſub formis, & alloqui tranſeuntes viatores, & eorum „audire reſponſa, ſæpe quoque congreſſum virilem pati. (Conf. „*Luciani* Lib. II ver. hiſt. in fine, & Schol. *Ariſtoph.* ad Ran. „v. 295, 296.) Tales aſſeverant, ejus crura ſimilia aſininis ſe „vidiſſe. Quando illa Gul, vel Empuſa, occurrit viatoribus de „nocte, & illi dicunt hæc verba: o pes aſini &c. (cetera in Co„dice meo corrupta non potui extricare,) circumductitat eos per „deſertum usque ad ſpeluncam, in quam cum eos compulerit, „obſtruit aditum, neque ſinit eos unquam rurſus egredi. Sed alii „antiquorum Autorum dicunt, quod ſit fœdum animal, & a crea„trice natura non prorſus perfectum, quod impatiens humani „conſortii habitet in ſolitariis feriſque & exitioſis deſertis. In„dorum quidam putant, illud (phantaſma, vel empuſam,) naſci „ab ortu alicujus ſideris, ut Sirii. Tunc enim naſci & compa„rere quaedam δαιμονιώδη φαντάσματα in deſertis, quæ ab homi-

 „nibus

9. Neque tenet fidem, quam prætendit & ſpopondit, haud magis, quam cribrum aquam tenet.

10. Ne.

„nibus Gilan, vel Empuſæ, appellentur. Unde apparet, Indos „plane non ſtatuere al Gul, ejusque exiſtentiam. Et inde quo„que ſunt, qui reprehendunt dictum *Amrilkeiſi: Sicut dentes al* „*Agwal*, & ſic interpretantur, quod nempe Poeta ibi non po„ſuerit eam vocem ea ſignificatione, qua vulgo uſurpatur & „intelligitur, nempe pro Empuſis, ſed deſignaſſe animal, quod „inveniatur in terris Arabum, diverſis pictum coloribus; & „idem illud animal perhibent intellexiſſe *Caabum*, filium *Zobai*„*ri*, iſto ſuo dicto:

*Quemadmodum ſeſe colorat in veſtibus ſuis ol Gul.*

„Plurimi tamen Indi aſſerunt exiſtentiam al Gul, & quod ſit „de genere dæmonum maxime ferocium. Traditio Ibn Abbaſi „exſtat, qua is refert audiviſſe Omarum (Chalifam) ſic nar„rantem de ſe ipſo. Eram, ajebat Omar, in itinere Syriaco, „antequam Islamiſmum ſuſcepiſſem, & obruebar ab aliqua Gul, „quam ego gladio feriens in fugam dabam. Et ſane frequen„tiſſima in Poetarum ſcriptis ſit horum ſpectrorum mentio; „unde patet, eorum futilem eſſe conjecturam, qui putant, in „dicto Amrilkeiſi ſupra allegato genus aliquod beſtiæ intelligi. „Caab autem iſto ſuo dicto, quod ol Gul ſeſe coloret, dicere „vult, quod modo appareat in forma viri, modo forma fœmi„næ, modo formis mixtis & variegatis. Has omnes nugas ani„les paganiſmi ſuſtulit & abolevit Propheta. Ut enim eſt in „traditione Gaberi, dixit Propheta: nihil eſt Adwa, nihil Thi„rah, nihil Gul. Hanc traditionem in ſolo corpore traditio„num *Muslemi* reperias, ubi ſubjungitur textui hujus traditio„nis hæc obſervatio: quod nempe Arabes dicere conſueverint, „al Gilan ſeſe conſpicienda dare hominibus in deſerto, & eos „togul, i. e. perdere. Hoc aboleviſſe Muhammedem. Maxime „autem illa ſpectra comparere in tractibus al Jemenæ, ſeu A„rabiæ felicis, & Tehamæ, & Said Mesr, ſeu Thebaidis Æ„gyptiacæ, & in locis vaſtis & procul remotis. Illa ſpectra „correptos & vi ſubactos homines βινεῖν, & inde in talium ſub„agitatorum dorſis vermes naſci, qui hominem de vita tol„lant. Proverbium illud Tehamitis uſitatum Amankuh anta am „madzour, βινούμενος *fuiſti, an* ἐπτοημένος? hinc intelligendum „eſſe, quo compelletur, qui tale quid forte viderit. Qui ſi re„ſpondeat, ſe tantum fuiſſe territum, reſpondere interrogan„tes, quod illud non magni faciendum ſit, neque multum diſcriminis

Digitized by Google

10. Ne te itaque, o Caab, ea porro decipiant, quorum illa tibi ſpem & deſiderium facit, & quæ promittit. Nam incertæ ſpes rerum deſideratarum, & oblatæ per inſomnia ſpecies mera ſunt animi deluſio.

11. Sumſit illa, *Soad*, ſibi quaſi exemplar in fallendis promiſſis *Arkubam*; ideoque promiſſa ejus nihil ſunt niſi nugæ nugaciſſimæ.

12. Ab una προθεσμίᾳ in alteram ſpero & exſpecto, fore, ut propior mihi fiat ejus amicitia. Verum, ut video, & concludendum eſt mihi, nunquam, o amica, de gratia tua quidquam obtinebimus.

13. Jam enim degit *Soad* in terra, ad quam non perveniant, niſi generoſæ lectæque ſtirpis, & commode incedentes, & manſuefactæ, camelæ.

14. In terra, ad quam non perveniat, niſi magna & valida camela, quæ vel in ipſa laſſitudine tripudiet atque currat.

15. De illarum genere, quibus, ubi in ſudorem incaleſcunt, exundant proceſſus mamillares rivum liquoris. Quarum ἔργον eſt, deſerta permeare, in quibus hermæ viales a ventis ſubverſæ, & arenis obrutæ ſunt; & quorum calles prorſus ignorantur.

16. Camela, quæ ipſo meridie, (quando, qui transmittendi ſunt, ſalebroſi colles a ſolis ardore fumant, & ſpecies rerum confundunt,) tam cernit acutum, & diſtinguit longe remota aliis-

„criminis invehat. Si vero dicat, ſe fuiſſe a dæmone ſubagi„tatum, de talis ſalute ſolere deſperari. Traditum exſtat, quod „Waheb, filius Monabbehi, dixerit, originem harum diaboli„carum ſpecierum fuiſſe talem. Deum creaviſſe Ibliſo (diabolo) „uxorem ex igne as Samum, (ſeu venti venenati & calidi,) „quæ ex illo facta gravida ediderit aliquot ova. Ex uno ovo „prodiiſſe al Gilan, & as Saali, deſertorum incolas, ex altero „ovo prodiiſſe al Genn (dæmones) & as Schajathine (ſeu ſa„tanas), qui in maribus & inſulis degant, ex tertio prodiiſſe „al Kothrob, genus aliquod dæmoniorum, feli ſimile.„ Cetera, quæ curioſa habet de Kothrob, Hawatef, & Naſnas, (id eſt, faunis, ſatyris, &c. Arabicis) quia chartæ parcendum, omitto. Forte ſe dabit alia occaſio commodior ea producendi.

Digitized by Google

aliisque dubia, objecta, tanquam ſi oculis cerneret tauri ſylveſtris, albi, procul a grege ſeorſim paſcentis. α)

17. Camela craſſo collo, crure toroſo, multo nobilioris indolis atque ſtructuræ, quam ſunt filiæ nobiliſſimi equi admiſſarii.

18. Tranſeo.

19. Camela, cujus cutis eſt quaſi ex teſtudine marina, quam non perrumpat ricinus, in β) aprico laterum ejus hærens, & tam ardore ſolis, quam inedia, extenuatus.

20. Camela, laboribus extenuata γ) & edurata, generis nobiliſſimi, cujus pater eſt ſimul ejus frater, δ) & cujus patruelis eſt ejus quoque matruelis; cervicoſa, agilis.

21. Camela, cujus in dorſo diſcurſitant quidem ricini, (in quo nullam faciunt impreſſionem,) ubi autem ad pectus & hypo-

α) Vid. ad Tharafam *pag. 51. c. f.*

β) In MStis eſt بضاحية, quæ vera lectio, quam ſecutus ſum interpretando.

γ) Vox *Harf* id notat, quam Editor credidit nomen proprium eſſe. Accipiendum autem tantummodo de *dorſo*, cui onera imponuntur; ne cum *v. 17* & *22* pugnet.

δ) Hunc locum non intellexiſſem, abſque Scholio fuiſſet, quod in *Sebekæo* inveni, & meo Codici adſcripſi, & cum Batavo editore communicaram; ſed cui caſus ademit. En ſpecimen genealogiæ Arabicæ equeſtris. Addam in Latina verſione literas alphabeti, confuſionis evitandæ ergo. Arabica vero addo quoque, quia Leidenſi editioni deſunt. Ait itaque *Sebekæus*:
ان فحلا ضرب امه فوضعت ذكرا وانثي ثم ضرب
الفحل الانثي فوضعت ذكرا ثم ضرب الذكر امه
فوضعت انثي فهذه الانثي في الحرف التي ابوها
اخوها من امه وعمها الذكر الاول هو خالها
لانهما توما اعني الذكر الاول والانثي التي هي لم
هذه الحرف ذكره المبرزي الكندي „Aliquis cameljus admiſſarius A. inijt ſuam matrem B. Hæc B. peperit maſculum C. & fœmellam D. Deinde inibat admiſſarius A. fœmellam D. quæ pariebat maſculum E. Hic maſculus E. inibat ſuam matrem D, unde naſcebatur fœmella F. Illa, quam hic deſcribit Poeta, dicens, ejus patrem eſſe ipſius fratrem, & ejus patruelem eſſe quoque ejus matruelem. Hæc deſumta eſt obſervatio ex al Mobarrezio 'l Kenditæ„ Hactenus *Sebekæus*.

Digitized by Google

hypochondria mollia & glabra pervenerint, delabuntur ob lubriciem.

22. Camela, referens onagrum velocitate, quæ pinguem temere jactat carnem, cujus brachium a coſtis amplum diſtat.

23. Camela, cujus naſus & maxillæ non incommode referunt malleum, oculis & jugulo præfixum.

24. Camela, quæ caudam extendit tanquam ramum palmæ hiſpidum cortice, & foliis criſpum, (ſpinæ medullari) infixam tanquam trunco liquoris abundanti, & cujus canaliculi ſuum ramum ſucco nunquam deſtituunt.

25 & 26. Omitto.

27. Quorum (crurium) tendines Achillei ſunt fuſci; quæ (crura) ſpargunt calculos quaquaverſum; quæ, ne detrimentum capiant ab acutis & ſaxoſis montium verticibus, calceatione opus non habent.

28. Camela, cujus brachiorum remigatio (quo tempore vapor æſtuans colles, in deſerto exſtantes, tanquam amiculo involvit.

29. Idque fervido die, in quo toſtus a ſolis ardore chamæleon, &, qua parte ſoli obverſus fuit, tanquam panis ſub cineribus, aſſatus eſt.

30. Illo ipſo tempore, quo agaſones ſuis vectoribus quietem & ſeceſſum ſub tentoria, vel arbores obvias, imperant, quandoquidem vel ipſæ furvæ & aduſtæ, calorique jam aſſuetæ, locuſtæ glareas alis ſuis ſollicitent, & ſub iis refrigerium quærant.)

31. Camela, inquam, cujus brachiorum remigatio tali tempore, medio meridie, refert remigationem brachiorum fœminæ pulchræ, mediæ ſtaturæ, (id eſt, matris meæ,) quæ ſtat plorans, & cui adſtant & accinunt ſuas nænias aliæ mulieres orbæ, quibus de numeroſa prole ſua nihil ſupereſt.

32. (Matris meæ, quæ ſtat) lamentans plangensque pectus brachiis præ mœrore flaccidis, quæ, cum audiret promulgatam & indictam ſuo filio (id eſt, mihi,) mortem, extra ſe rapta & dementata eſt.

Tttt 33. Quæ

Digitized by Google

33. Quæ ſuis in ſuum pectus ſævit unguibus, & cui a claviculis inde induſium ſciſſum innumera in ſchidia pendet.

34. Circa quam utrinque diſcurſitant famigeruli, mihi infeſti, dicuntque ἐπιχαιρέκακοι: Jam tu, o fili α) Abi Solmah, procul dubio periiſti, & gladio præda fies.

35. (Ego territus hoc nuncio amicos obibam & prenſabam, ut pro me apud *Muhammedem* intercederent. Verum) omnis amicus, in quo certam ſpem collocaveram, rotunde mihi omne denegabat auxilium, ſibi ſatis eſſe prætendens, quod rerum ſuarum agat, (tam turbulento tempore, & tam horribili in revolutione, qualis erat Makkæ expugnatio.)

36. Dicebam itaque deſperabundus: Mittite me, vos homines nauci. (Nihil mihi poteſt contingere, niſi quod Deus immortalis decreverit.) Quod miſericors Deus decrevit, id fiet.

37. (Etiamſi mihi moriendum ſit, pergam tamen ad *Muhammedem*. Quorſum mihi diuturna vita?) Omnis de fœmina natus, utcunque diu ſanus vivat, ſemel tamen aliquando tandem ſuper curvo feretro portabitur.

38. Nunciatum mihi quidem eſt, Apoſtolum Dei mihi mortem minitari. Verum gratia & condonatio eſt id, quod ab Apoſtolo Dei mihi promitto.

39. Placide, quæſo, & clementer (o *Muhammed*) dirigat te β) ille, qui tibi dedit donum al Corani, cui tam paræneſes inſunt ad vitam pie & honeſte agendam, quam diſtincta dogmatum veræ fidei declaratio.

40. Ne me, quæſo, punias ob dicta quædam delatorum. Nihil peccavi, etiamſi multa de me λογοποιῦσι.

41. (En ſum in manu tua, permiſi me tuo arbitrio.) Sto in loco, in quo ſi ſtaret, & video atque audio, quæ ſi videret & audiret ipſe magnus Homeiritarum rex.

42. Sane

α) Id eſt, nepos.

β) Sc. in rectam viam clementiæ, & avertat te a cæde mea. Orientales deprecantes dicunt erga ſuos ſuperiores اصلح الله الامير Deus corrigat Amirum. Nos diceremus: *Pardonnez moi, Monſeigneur.*

42. Sane contremiſceret, niſi Propheta Dei, Deo cor dirigente, ipſi gratiam faceret.

43. (Confiſus tuæ clementiæ, objeci me præſenti periculo.) Non deſii ſecare & transmittere deſerta, alam (vel manicam) tenebrarum de veſte noctis longe lateque explicita circa me tanquam induſium circumvolvens. *α*)

44. Ut pervenirem ad te, manumque meam non retrahendam *β*) imponerem tuæ manui, viri benefici ſimul & potentis.

45. Propterea territum fuit & trepidavit cor meum, cogitanti, quando mihi ille (*Muhammed*) alloquendus fuerit, & mihi dicent (adſtantes ipſi:) Interrogat te (*Muhammed*) de genere & de nomine tuo.

46. Trepidavit cor meum ob leonem luſtricolam, qui degit in *Bathn Attſibar*, *γ*) ad cujus luſtrum antequam pervenias, quot tibi ſunt alia leonum luſtra *δ*) pervadenda!

47. Talem leonem, qui, quando mane redit in luſtrum ſuum, carnem affert geminis ſuis catulis, quorum victus eſt de humana carne, in pulvere volutata, & minutim concerpta.

48. Qui, quando inſultat in par ſibi oppoſitum, dedignatur deſiſtere, antequam par fuerit ruptum & comminutum.

49. Qui ceteros deſerti leones, prædam omnem occupando, ad incitas & maciem redigit; in cujus valle homines non commeant.

50. Aut ſi quis audaciſſimus illuc iverit, non revertatur ille, ſed manſerit ibi, poſt loricam & veſtes laceratas, devoratus.

51. Eſt ſane Apoſtolus Dei gladius Dei luculentus, Indicus, præ ceteris Dei gladiis evaginatus.

52. Inter viros Koraiſchitarum maximos, *ε*) quorum aliquis (nempe Omar, ante octo annos) imperabat reliquis



---

*α*) Debebat enim latere, ut proſcriptus, ſi ſalutem ſuam amabat.
*β*) Vid. *Vit. Muh. Abilfed. pag. 145 ed. Gagn. Si quis apprehenſa manu* &c.
*γ*) Locus a leonibus horribilis.
*δ*) Turmæ virorum fortium, militum prætorianorum *Muhammedis.*
*ε*) Intelligit ſic dictam as Sahabah, ſeu τὴν ἑταιρίαν.

*Makka*, cum fidem Moslemicam profiterentur, ut cederent & emigrarent.

53. Cedebant quidem tunc; at in conflictu non cedunt, ut imbelles, & ſcutis aliisque armis nudi, & aciei deſertores.

54. Inter viros alto naſo conſpicuos, heroas, quorum veſtimenta ſunt chlamydes amplæ bellicæ de textura Davidis (id eſt, loricæ.)

55. Candidæ, nitidæ, ample fuſæ & flexiles, quarum annuli firmiter conſerti referunt annulos ſpinoſæ arboris al Fakaae.

56. Qui non gaudent, quando ſuæ feriunt hoſtes haſtæ; ſed neque pavent, quando haſtis hoſtium impetuntur.

57. Qui incedunt ut cameli candidi, quos omni periculo ab inſtante hoſte eximit æquabilis & gravis inceſſus; quando cameli nigri curti cum trepidatione procul aufugiunt.

58. Qui haſtarum ictus non excipiunt niſi jugulis ſuis, neque lacus mortis *α*) adire ceſſitant.

In hunc fere modum verti debuerat hoc Carmen, cujus quam interpres Batavus verſionem exhibet, non intelligo, neque puto a quoquam exacte intelligi poſſe. Num ipſe intelligat, viderit. Jam emendanda forent Scholia; jam luſtrandum ſimili modo Carmen *Amrilkaiſi*; jam recenſendæ notæ Editoris. Sed locus hic non patitur. Apparet ſaltem hinc, quo modo procedendum cum Arabe Poeta; neque valde facilem provinciam eum ſuſcipere, qui ejus editionem molitur. Requiritur eam in rem homo criticus; qualis noſter Editor neque fuit, neque, ſi illum bene novi, prætendit eſſe. Hæc eſt de hoc libro ſententia mea, quam tam acrem Rev. *Lette* procul dubio a me amicus ab amico non exſpectaverat. Ego vero, quod ejus pace dixerim, neque veritati, neque commodis literarum, neque ipſe mihi, deeſſe aut potui, aut debui. Si alium ille ſe geſſiſſet erga me, alium quoque erga illum me geſſiſſem. Scio quoque, fore nonnullos, qui ἀποβολὴν aliquot obſervationum, in quibus doctrinarum ſalus non verſatur, tam ambitioſa dignam objurgatione non putabunt, neque

*α*) Id eſt, gladios. Vid. ad *Tharaph. pag. 122 ſeq.*

Digitized by Google

que credent, earum dominum tantilla jactura magis affici poſſe, quam dives paterfamilias unius atque alterius fictilis furto affligitur. Ego vero non nego, me ad hæc talia eſſe ſenſiliorem, neque talem mecum agendi modum in patrono, nedum in amico, ferre. Peperci tamen, quantum potui, omni virulentiæ & intemperantiæ. Permittoque Rev. *Lettio*, & alii cuivis, ſi talem erga ipſos me geſſerim, qualem ille ſe erga me, ut flagellis me multo ſævioribus cædant. Aut ſtudendum eſt nobis aliorum ope & doctrina non indigere, aut, ſi quando ea indigemus & utimur, juſta perſolvenda ſunt eucharisteria.

ANATOMIE RAISONNÉE DU CORPS HUMAIN, &c.

hoc eſt,

*ANATOME RATIONALIS CORPORIS HUMANI, in qua diſſecandi ratio proponitur, atque œconomiæ animalis functiones non niſi ex circuitus humorum legibus, ſecundum inſtitutiones medicas, explicantur. Per DEIDIERIUM, Conſiliarium, Medicum Regium, Profeſſorem emeritum Facultatis Montiſpeſſulanæ, Ordinis S. Michaelis Equitem, de Societate Regia Londinenſi, & Medicum Regium triremium Galliæ, quæ Maſſiliæ ſunt.*

Pariſiis, apud Huryum, 1742, 8.

Alph. 1 plag. 6.

Cum Autori propoſitum fuerit, librum tironibus artis medendi utilem ſcribere, ſapienter utique hæc duo ſibi facienda eſſe judicavit, ut ſecandi rationem doceret, &, quæcunque in corpore ſano fiunt, ex ſtructura ejus exponeret. Quam vero hoc ipſo laudem merebatur, eam omnem perdidit eo, quod, quæ ſibi propoſita habebat, vel non, vel parum accurate, perfecit. Quod eo magis mirandum eſt, quo pluribus in locis ipſe ad corpora mortuorum hominum, a ſe ſecta, provocat, & quo ſæpius nihilo minus non tam ſubtiliorum par-



Digitized by Google

tium, quas nihil putat ad intelligendas corporis functiones facere, quam majorum, ac vel ſine ſectione in oculos incidentium, partium fabricam, aliter, ac a ſummis quibusdam Diſſectoribus reperta eſt, expoſuit. Idque ex jam proferendis exemplis facile patebit. Quatuor igitur totius libri partes ſunt, Oſteologia, Myologia, Angeiologia, & Splanchnologia: Singulæ in plura Capita, & hæc in Articulos, ut vocavit, diviſa ſunt. In *primæ* igitur *Partis Capite primo*, de natura & nutritione oſſium, in *altero* de junctura, in *tertio* & *quarto* de cranii & faciei oſſibus, de illis trunci in *quinto*, atque in reliquis duobus de extremarum partium oſſibus, agitur. Myologiæ *novem Capita* ſunt. Eorumque *primum* de muſculis in univerſum, & de motu muſculorum, agit, reliqua muſculorum faciei, ſcapulæ, & humeri, cubiti & manus, capitis & oſſis hyoidis, linguæ. laryngis & pharyngis, reſpirationis, lumborum & colli, femoris deinde ac tibiæ, & pedis denique extremi, expoſitionem continent. His plures tabulæ ſubjunctæ ſunt, quæ nomen, originem, inſertionem, ut vocat, & uſum, ſingulorum muſculorum, eodem ordine exhibet. *Quinque* deinde *Capita* tertia Anatomes pars habet. Eorumque *primum* de vaſis in genere; eorumque nutritione, agit, *alterum* de ſanguinem vehentibus, ejusque circuitu, *tertium* de lymphaticis, & lympha ipſa, *quartum* de nervis, *quintum* de lacteis venis & chylo, exponit. Ampliſſima denique de viſceribus doctrina ſequitur, *quatuordecim Capitibus* comprehenſa. In *primo* cerebrum, ejusque uſus, in *quinque* ſequentibus ſenſus organa, in *ſeptimo* & *octavo* cor, ejusque motus, ac pulmones cum diaphragmate & reſpiratione exponuntur; *nonum* de œſophago, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, & epiploo, doctrinam continet, *decimum* illam de hepate, pancreate, ac ſplene; *undecimum* de renibus, capſulis atrabiliariis & veſica, *duodecimum* ac *decimum tertium* de partibus in utroque ſexu ad generationem facientibus, *ultimum*que de partu humano, ſanguinis in eo circuitu, excluſioneque ex utero, agit. Hæc de toto libello in univerſum; cui præmiſſa quædam ſunt de corporis humani diviſione, de diviſione abdomi-

abdominis in tres regiones, harum diviſionum utilitate, & demonſtrationum anatomicarum æque ac hujus libelli ordine. Jam vero ſpecimina quædam proferamus, per quæ, quid hic liber novi contineat, & quam prope a vero abſint, quæ ab initio de hoc opere judicavimus, plane appareat. Igitur, Pag. 4.
quamvis veriſſimum ſit, oſſa in pueris mollia eſſe, ſenſimque indurari, tamen ex fontanella argumentum parum recte deſumitur, quoniam in ejus loco, dura matre, & pericranio ablato, nulla, in os deinde mutanda, membrana conſpicitur. Si- 8.
militer, epiphyſes etiam ab apophyſibus diſtinguendas non eſſe, male admodum propter hoc putat, quod cum reliquo oſſe continuæ ſint, cum tamen cartilago intercedat, quæ in apophyſibus non eſt. Neque *Deidierio* facile aliquis aſſen- 9.
ſum præbebit in hoc, quod omnium oſſium cava vel articulationibus inſervire ponit, vel tendines, aut vaſa, tranſmittere. Contra placent nobis, quæ de tribus articulatio- 11.
num claſſibus habet, quarum diverſitas in motu, in extremis oſſium junctorum partibus & in intercedente jungenteque ſubſtantia, poſita eſt. Placent quoque, quæ de 15.
ſutura ſquamoſa, ut vera, ac de ſuturis, neque tranſpiratio- 16-17.
nis, neque adeo ſuſpendendæ duræ meningis, cauſa factis, habet. Nova deinde videtur de triplici frontali ſinu obſerva- 20.
tio eſſe, niſi id vidit, quod & aliis & nobis aliquando contigit, ſeptum ſcilicet dextrum, vel ſiniſtrum, ſinum in anteriorem poſterioremque dividens. Novum quoque videtur id 24.
eſſe, quod de foramine, in facie petroſi oſſis poſteriore, prope auditivum interdum conſpicuo, habet, quod propter arteriolam, quæ nervum alias comitatur, caroticum appellat. Sed, quæ porro ſpecimina proferenda ſunt, in ea dividamus, quæ laudem merentur, deinde in novas quidem, parum tamen veriſimiles, opiniones, tandem in manifeſtos errores. Nam- 66.
que utiles ſunt interſperſæ hinc inde obſervationes, ut de Achillis tendine rupto, laceratoque, cui ſola quies medelam attulit; & de corpore ſtriato cerebri ſiniſtri lateris, in viginti 255.
quinque circiter annorum homine, oſſeo reperto, etſi nulla præceſſerat animalium functionum turbatio. Neque a vero 322.

nobis

nobis videntur multum abeſſe: fibrarum cordis deſcriptio, qua-
rum exteriores in longum exporrectas eſſe, interiores ſpiram
ita dicit deſcribere, ut ab apice, turbinis in modum intror-
Pag. 347. ſum replicatæ, ventriculos ac ſeptum medium forment; &
famis guſtusque diſtinctio, quorum is, in ventriculo ſedem
habens, omnis generis cibos appetere nos facit, hic contra, in
papillis linguæ nerveis reſidens, non tam, qui ſatiare, multum-
401 ſeq. que nutrire, poſſunt, quam qui nobis ad palatum ſunt. Aſ-
ſentimur etiam *Deidierio* in hoc, quod, partum in utero nutri-
ri, non, niſi per umbilicum, ponit, etſi nova, quibus ad id pro-
bandum utitur, argumenta non ſunt, quodque partum negat,
408 ſeq. ad ſui excluſionem, niſu ſuo aliquid conferre. Quo igitur mi-
nori numero hæc, eo majori ea ſunt, quæ ad alteram ter-
tiamque claſſem referemus. Itaque in oſſium doctrina, ubi
27. eorum ſententiæ accedit, qui, ut os, vomer appellatum, eth-
32. moidei, ſic ſpongioſum inferius palatini apophyſin, appellant,
non perpendiſſe videtur, quam facile, vel in adulti hominis
corpore, hæc oſſa a ſe invicem ſeparentur, quam firmiter con-
tra vel in octo, aut decem, annorum pueri capite, occipitis ac
ſphenoides os, interdum etiam illud & petroſum, cohæreant, quæ
tamen nemo hactenus pro unius ejusdemque oſſis partibus
52. habenda eſſe exiſtimavit. Deinde, quod de carnearum fibra-
rum ſtructura propoſuit, multum veremur, ut in corpore
humano oſtendere valeat, & vaſcula, ſanguinem vehentia,
omnium fibrarum ductum ſequi, & nervos, in membranulas
explicatos, ſingulas fibrillas involvere, prætereaque transver-
ſim dimiſſis filamentis colligare, & communem muſculorum
59-61. membranam formare. Neque firmiori fundamento nititur de
carneis fibris, per elaterem agentibus, opinio, poſtquam ab in-
fluente ſanguine, plane uti arteriæ, dilatatæ fuerint. Præ-
terquam enim, quod ne quidem arteriæ per ſolum elaterem
agunt, & nulla ratio eſſet, cur muſculi breviores fierent,
nonne omnes totius corporis muſculi ſimul per inter-
valla contrahi deberent, vel ſaltem cauſa adeſſe, per quam
in hunc muſculum potius, quam in reliquos, major vis ſangui-
72. nis influeret? De hac tamen *Deidierius* nihil. Muſculi labio-
rum, caninus, & triangularis, etſi pariter ac Zygomaticus &
buccina-

Digitized by Google

buccinator in angulo labiorum terminantur, tamen, nulla addita cauſa, inter communes harum partium muſculos referuntur. Similiterque animo comprehendere non poſſumus, quæ Pag. 78.
cauſa ſit, cur pterygoideus internus muſculus maxillam tantum levare, maſſeter contra per vices ad latera movere, debeat, cum utriusque idem poſitus ſit, & quid maxillæ accidere debeat, ſi ab utroque maſſetere introrſum moveatur.
Neque, ut argumentis confutemus, neceſſe eſſe videtur, id, 110.
quod de œſophagi, vel potius pharyngis, dilatatione poſuit, quæ ſcilicet fiat, dum epiglottis deprimatur. Hanc enim fieri non poſſe, quin cartilaginis thyreoideæ alæ expandantur, cui œſophagum dilatans muſculus, œſophageus dictus, adhæreat.
Neque mitior fere de illa opinione ſententia ferenda eſt, 175 ſeq.
quam *Deidierius* de nutritione habet. Nam, quod, per eam, quam ab incremento non diſtinguit, humida tantum reparari, ſive augeri, ſolidasque partes non niſi propter contenta humida creſcere, exiſtimat, nonne ſimul fateri cogitur, quo propius quis ab adulta ætate abſit, eo debere & ampliora vaſa habere, & partes omnes, quæ ſolidæ nominantur, laxiores mollioresque? Deinde, utut vera ſatis ſint, quæ de ortu lym- 214.
phæ profert, utque admitti etiam fortaſſis poſſent, quæ de lympha, in pinguedinem mutata, habet, tamen nullo modo defendi poſſe exiſtimamus ea, quæ de adipoſæ tunicæ veſiculis, tanquam per inæqualem muſculorum preſſionem ex lymphaticis vaſis in varices naturales, ſic enim veſiculas vocat, mutatis, proponit, ſive veſiculas haſce cum lymphaticis vaſis comparemus, ſive muſculorum vires, & circa eos collectæ pinguedinis, vim inter ſe. Porro in doctrina de nervis putat, ſen- 226 ſeq.
tire hominem, ſi ad corporis externi attactum non quidem toti nervi, tamen interiores eorundem fibræ vibrentur, hicque tremor ad ipſum cerebrum perferatur; quam opinionem ipſe amplexus procul dubio non eſſet, ſi, quæ ipſe diverſis in locis propoſuit, recte ponderaſſet, illas nervorum fibras a nexu membranarum liberas non eſſe, neque adeo tenſas, ut commode vibrari queant, contra in gangliorum plexuumque locis minus continuari, inventaque corpora fuiſſe, qui-

 bus

Pag. 231 bus etſi cerebrum, tamen movendi ſentiendique vis non de-
ſeq. fuerit. Æque facile poſſent illa argumenta deſtrui, ex qui-
bus, nullum eſſe liquidum, contendit, quod a cerebro per ner-
257. vos fluat; & hoc totum ſanguiferis vaſis conſtare, quæ nul-
lum cum nervorum fibrillis nexum, nullumque adeo uſum,
307. habeant. Deinde, quod ad auditus organon attinet, cerumen aurium, neque natura, neque ortu ſuo, videtur nobis cum transſpirante liquido, ſubtiliſſimarum particularum exhalatione, ſpiſſiore facto, comparari poſſe; neque intelligimus,
312. quid maxillæ inferioris depreſſio poſſit ad meatum audito-
313. rium ampliandum facere, & quo jure ex hôc, quod plura animantia cochlea deſtituta ſint, eam in homine ad audiendum neceſſariam non eſſe, colligi queat. Jam de thoracis
317. viſceribus videamus. Ubi primum de pericardio opinio, ad hunc finem diaphragmati adhærente, ut id, quando aer reddendus eſt, ſurſum attrahat, neque cum experimentis, ne-
321. que cum argumentis doctiſſimorum virorum, & uniuscujusque ſenſu, conſtat, deinde ſanguinem coronarias arterias alio, quam reliquas, tempore intrare, neque per valvularum poſitum probari poteſt, ut, quæ aperiendis arteriarum oſtiis aptæ
344. non ſunt, neque alio unquam argumento evinci poterit. Porro vix nobis ſufficere aeris ex pulmone exeuntis vis videtur ad impediendum, quo minus, quæ vomitu rejiciuntur, glottidem ſubeant, præterquam quod, aera inter vomendum reddi, parum probabile eſt. Supereſt, ut de abdominis viſceribus
363 ſeq. aliqua proferamus. Igitur primo loco, bilem in veſicula craſſiorem amarioremque fieri, putat, eo, quod illi, ex hepatico ductu, affluenti alia, in ipſa veſicula ſecreta, admiſceatur, quod verum videri poſſet, ſi cryptæ folliculique glandularum, ſimulque vis, adeſſent, quæ retentum ibi inſpiſſatumque liquidum
370. commode exprimere valeret. Secundo neque utique novus, neque facile argumentis comprobandus, lieni adſcriptus, uſus eſt, in quod nempe viſcus, per vehementiſſima corporis exercitia ab exterioribus partibus ad interiores cedere coactus
387. ſanguis, tanquam in diverticulum ſe recipere queat. Tertio vehementer dubitamus, an *Deidierius* unquam in humano utero oſten-

ſtendere poſſit & ſanguifera, rubra, & alba, lacteorumque
d modum, pellucida, vaſa, quæ utraque, tanquam inteſtina re-
licata, in cavum uteri pateant, & num lac uterinum, quod
er hæc alba vaſa fluit, ſi *Deidierio* credimus, ab illa uterina
œminarum purgatione diverſum non ſit, quæ ſtatis tempori-
us fit. Quarto incomprehenſibilia nobis ea ſunt, quæ de Pag. 393
claro limpidoque ovulorum liquido, in chalazio contento, in- ſeq.
deque per canalem communem ad appendicem vermiformem,
& per vaſa lactea ad ſanguinem, delato, profert, ut in ovulo
latens fœtus corpuſculum ante, quam cum utero cohæreſcat, nu-
triat; ne de aliis, ad doctrinam de fœtu pertinentibus, parum
probabilibus, opinionibus dicamus. Neque minor erit, quos,
ſupereſt, ut recenſeamus, errorum numerus. Quales ſunt 8.
trochanteres, in pueris etiam, inter apophyſes relati, ſtapes, fe- 25.
neſtræ ovalis cavitatem implens, faſciæ latæ muſculus pro ti- 309.129.
biæ abductore habitus, tres valvulæ tricuſpidales, auriculæ 193.320.
ventriculoque ſiniſtro interpoſitæ, carotides arteriæ per laryngis
atque pharyngis muſculos, intusque per cerebrum, tantum di- 195.
ductæ, mammaria interna arteria ab axillari deducta, cruralis
primum hypogaſtricas duas, & pudendam externam, deinde 197.
iſchiaticas & muſculares, dimittens, tandemque in ſaphenam,
ab interiore parte ad plantam pedis deſcendentem, aliamque
ad poplitem ſuramque productam, diviſa, dilatatio arteria- 200.
rum non niſi ab elatere partium ſanguinis, pulſusque ab arte- 202.
riarum contractione, proveniens, vena azygos in cavam ab he- 205.
pate adſcendentem, antequam ſe in cor aperit, terminata, pan-
creas *Aſellii*, aut, ut *Deidierius* per totum librum ſatis male 237.
vocat, *Oſellii*, inter humani corporis partes relatum, atque
pro parte habitum, ex pluribus collectis veſiculis conſtante, ſi-
nus longitudinalis inferior eo loco, quo laterales, vel trans- 250.
verſi, concurrunt, in venam, vel torcular, *Galeni* patens, ſeptum 300.
lucidum ſub fornice collocatum, unica, aut duæ, tantum, ton-
ſillis aperturæ adſcriptæ, tympani membrana cartilagini circa 307.
oſſeum circulum annexa, intus tympani cavum ſuccingens
membrana pro veſiculoſa habita, muſculus mallei, qui Folii 308.
proceſſui inſeritur, ab inferiore anterioreque aquæductus, id

 eſt,

Digitized by Google

Pag. 316. eſt, tubæ *Euſtachianæ*, parte, per ejus ſulcum deductus, pe-
332. ctoris cava, tanquam utrinque æqualia, deſcripta, cartilagines
aſperæ arteriæ, ubi pectus intravit, in integros circulos mu-
343. tatæ, glandula ad eum ſtomachi locum poſita, ubi cum ven-
373. triculo committitur, foramina cavo atrabiliariarum capſularum
ita adſcripta, ut in hoc contentum liquidum per ea in venam,
tanquam ductum, in emulgentem venam patentem, defluere
poſſit, ex qua ipſi in ductum reditum, valvula orificio appo-
376. ſita præcludat, tunica vaginalis cremaſterem includens, qui
383. majori epididymidos lobo adhæreat, urethræ apertura ſuper
clitoride, & circa illam duæ parvæ carunculæ, nymphæ no-
386. minatæ, involuntariumque urinæ fluxum, tanquam ſphincte-
res, impedientes poſitæ, ligamenta lata a poſteriore parte cum
403. ſacro, ab anteriore cum pubis oſſe, juncta, canalis venoſus
404. pro fine venæ umbilicalis habitus, valvula ad finem canalis ar-
terioſi poſita, aliique non pauci. Quæ etſi ſatis indicare vi-
dentur, quale huic libro pretium ſtatuendum ſit, tamen non
25. inutile erit, monere, *Deidierium* inter oſſicula auditus orbi-
191. culare non nominaſſe, ex vaſorum ſanguiferorum tunicis in-
ternam omiſiſſe, cujus ſumma utilitas eſt, omiſiſſe etiam me-
ſentericam inferiorem, & diaphragmaticam arteriam, & ner-
223. vum iſchiadicum, quaſi hæ inter minutiores, & parum ad vi-
tam ſanitatemque facientes, partes referendæ eſſent.

## *JO. BEVIS, M. D. OBSERVATA QUÆDAM loca Mercurii, ex quibus patet, ejus motum a Cometa poſtremo non eſſe turbatum. Ex Tranſact. Philoſ. Anglic. Num. 473 pag. 48 huc translata.*

Obſervationes ſequentes a me cum cura inſtitutæ ſunt, ope egregii Sectoris aſtronomici, cujus radius eſt pedum quinque. Computationes factæ ſunt a Domino *Morriſs*, ex Elementis paulo correctioribus, quam quales in Tabulis *Halleji* exſtant.

A. 1744 d. 17 Maj. erat ſtellæ ε *Geminorum*, ſecundum Obſervationes *Bradleji*, Rectaſcenſio 97°. 2′. 10″
Declinatio 25°. 21′. 30″

Maj.

| Maj. d. | Temp. app. h. ′ ″ | Longit. ☿ ° ′ ″ | Latit. ☿ ° ′ ″ |
|---|---|---|---|
| 15 | 8. 31. 15 | ♊ 28. 56. 51 | B. 1. 57. 58 |
| 17 | 8. 26. 6 | ♋ 1. 1. 16 | 1. 44. 45 |
| 18 | 9. 4. 40 | 1. 59. 30 | 1. 36. 40 |
| 19 | 8. 41. 00 | 2. 51. 38 | 1. 28. 7 |

| Rectaſcenſ. comput. ° ′ ″ | Rectaſcenſ. obſ. ° ′ ″ | Error comp. ″ |
|---|---|---|
| 88. 50. 7 | 88. 49. 20 | + 47 |
| 91. 7. 41 | 91. 7. 4 | + 37 |
| 92. 11. 53 | 92. 11. 10 | + 43 |
| 93. 9. 12 | 93. 8. 20 | + 52 |

| Declinat. comp. ° ′ ″ | Declinat. obſ. ° ′ ″ | Error comp. ″ |
|---|---|---|
| 25. 26. 12 | 25. 26. 20 | — 8 |
| 25. 13. 00 | 25. 12. 56 | + 4 |
| 25. 4. 15 | 25. 4. 27 | — 12 |
| 24. 54. 43 | 24. 54. 56 | — 13 |

## ILLUSTRAZIONE DEL PARMENIDE DI PLATONE, con una Diſſertazione preliminare, &c.

hoc eſt,

## *ILLUSTRATIO PARMENIDIS PLATONIS, UNA cum Diſſertatione præmiſſa, Ven. Abbatis ANTONII CONTI, Patricii Veneti.*

Venetiis, apud Joannem Baptiſtam Paſqualium, 1743, 4.

Plag. 16.

Extulit caput olim in ſecta Eleatica *Parmenides*, Pireti natus, qui cum *Zenone* Athenas tranſiit, ibique cum *Socrate* colloquium, quod in *Parmenide* deſcripſit, dicitur habuiſſe. Eleaticæ ſectæ origo a *Pythagora* eſt deducenda. Fundamenta ſigillatim jecit poſtea *Xenophanes Colophonius*, in Ionia natus, a

civitate Elea, ſeu Velia, flumini cognomini adjecta, cognominata. *Thaletem* Noſter *Pythagoræ* reddit æqualem, vel hoc juniorem. *Pythagoras* enim invenit calculum eclipſium com-
Pag. 4. putandarum, ad *Euclidem* poſtea propagatum. Ita diſſerit ac argumentatur Noſter, *Pythagoram*, credit, ab Ægyptiis hauſiſſe theorema *Pythagoricum*, uſus ſuffragio obſcuriori, quod habetur in *Plutarchi* libro *de Iſide ac Oſiride*, ubi refertur, illos contuliſſe Numina ſua antiquiſſima, *Iſidem*, *Oſiridem*, ac *Orum*, cum tribus trianguli rectanguli lateribus ſecundum
5. quadrata numerorum 3, 4, 5. *Xenophanes* floruit ætate *Epicharmi* ac *Empedoclis*, ac in Siciliam, regnante hic *Gerone*, transvectus eſt. Literis navare cœpit operam, cum *Thaletis* diſciplina ſeſe jam per Ioniam, & *Pythagoræ* ſcita per Græciam magnam ac Siciliam, diffudiſſent. Ipſe ex Ionica & *Pythagorica* Philoſophia novam philoſophandi rationem invenit. Ex hac Eleatica ſecta enatæ ſunt ſectæ recentiores, Academica & *Platonica*, unde porro Scepticiſmus ac Stoiciſmus emana-
6. vit. *Xenophanes* floruit jam Olymp. 76, ac ad centum ætatis annos tranſegit vitam. *Parmenides* ſtudiis ſe appulit Eleæ, magiſtris *Amenia* & *Dioceta*, Pythagoræis. *Empedocles* hic æmulatus fuit *Parmenidem*, ac in Sicilia *Xenophanem*. Advenientem *Xenophanem Parmenides* Eleæ audivit. *Socrates* natus fuit ſub finem Olymp. 77, ac habuit 25 annos, cum *Parmenides* fere quadragenarius eum Athenis convenit. *Plato* proinde probabilitatis leges ſecutus fuit, cum Dialogum, *Socrati*, cum *Parmenide* intercedentem, concinnavit. *Athenæus* tamen in *Dipnoſ. XIV* dubitavit, an *Parmenides Socratem* potuerit
9. adhuc videre. *Pythagorici* Metaphyſicam ac Matheſin amabant, *Heraclitus* phyſica, *Socrates* moralia. *Pythagorici* propugnabant illud: *Ex nihilo nihil fit*, ideoque partem libertatis
11. Deo detrahebant. Arriſit illis æternitas mundi, ejusque animatio & divinitas, nec non fati immutabilitas catenata. Syſtema *Platonicum* fuiſſe ex toto *Pythagoricum*, Ven. Autor, ſe alias
12. comprobaturum eſſe, promittit. *Cicero* certe eum jam præivit, tradens, Philoſophos Græcorum priſcos Deum, ſeu vim ac materiam, indivulſo nexu jugaſſe. In theogoniis exterorum

prin-

Digitized by Google

principii loco erat chaos. *Orpheus* in Græciam primus hanc ſententiam ex Ægypto intulerat. Plura de eodem argumento & docte & ſolide ex Hiſtoria philoſophica hic pertractantur. Tractatio autem copioſior, quæ Diſſertationi præmiſſæ eſt ſubjuncta, exhibet complexum Philoſophiæ *Parmenidis*, cujus pars maxima a plerisque Philoſophis ignoratur. Si conſimile cujusque principis Philoſophorum exſtaret, non eſſet verendum, ne homines noſtri tot novis inventis ſuis gloriarentur, quorum ſplendorem ipſi in dies paſſim affectant.

## *C. CORNELII TACITI DE SITU, MORIBUS, ET populis, Germaniæ libellus, cum Præfatione, & obſervationibus, atque Indice gemino, iterum publicatus ab JO. GOTTFR. HAUPTMANNO.*

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſianos, 1747, 8.

Plag. 9.

Inſignem habet altera iſthæc editio præ priore prærogativam. Illic contextus modo apparebat; hic plurimæ ſingulis *Capitibus* obſervationes atque, ut in argumento hiſtorico, allegationes ſunt ſubjectæ. Adhæc auctior Præfatio, atque amplior duplo. Index. Inprimis autem recens adjungitur σκιαγραφία compendii antiquitatum Germanicarum, quatenus ex *Taciti* Germania lucem accipit, ad illius Capita & numeros accommodata. Nimirum aperuit Cl. Autor jam publice in Novis Hamburgenſium literariis inſtitutum ſuum, Ebræas, Græcas, Romanas, patrias, antiquitates, eodem ordine, puriore latinitate, perſpicuaque brevitate, in uno libro ſtudioſæ potiſſimum juventuti proponendi. Plauſum quidem obtinuit eruditorum, quorum unus ſingulatim Neorupinenſis fuſius ibidem illud inſtitutum commendavit, urſitque feſtinationem. Autor vero, fato Latina ſcribentium preſſus, deeſſe adhuc bibliopolam, impenſas honeſtis conditionibus ſuſcipientem, neque opus eſſe feſtinatione, reſpondit. Neque nos arbitramur detrimentum tarditatis ergo facturam literatorum civitatem; dum, quod confidimus, tanto accuratius opus ac perfe-

Digitized by Google

perfectius prodibit. Confirmat eam ſpem noſtram, quæ, abjectum nondum inſtitutum eſſe, nos docet, hæc ipſa σκιαγραφία. Eadem, ſi cum priore conferamus, nonnihil jam, in minoribus quidem momentis, emendatum eſſe, demonſtrat. Sed non illæ ſolæ ſunt ejus dotes. Juvat pariter *Taciti* libellum, atque intelligentiam penitiorem non ordine tam anxio ſcripti promovet; juvat omnem conatum patrias antiquitates recenſentium; ſi quidem ex iſto puriſſimo illarum fonte haurire voluerint. Manifeſtat autem poſt procemium quinque partes. Illud, unde plurimum lucis antiquitates accipiunt, geographicam ſiſtit, hiſtoricam, & moralem, conſiderationem, agentem de Germaniæ nomine, finibus, provinciis, ac populis, vicis & pagis, montibus, fluminibus, rebus peculiaribus & rarioribus, originibus incolarum, & conditione demum morali, tam generatim, quam ſingulatim. Partes ipſæ proponunt antiquitates ſacras, literarias, civiles, militares, ac domeſticas. Nimirum, cum vetuſtiores illi ritus in actionibus atque officiis Deo, nobis, aliis, tam ratione animi, quam corporis, exhibendis conſiſtant, quæ vel in humana, vel civili, ſocietate, tum ad bonum promovendum, tum ad evertendum contrarium, exhibentur, & numerus facile & ordo conſtabit. Neque vero, dum ſingulæ partes in quatuor Capita, ſingula Capita in totidem membra, diſtribuuntur, in hiſce poſtremis omnino proximam ſemper lucem accendit *Tacitus* noſter, unde conjecturis interdum locus fuit. Nonnunquam etiam artis cujusdam, aut notitiæ, defectus indicatur, ac ſubinde ab effectu ad cauſam concluditur. Sed præter antiquitates in hoc libello edendo ad mores quoque reſpectum fuit. Habet ſemper illud propoſitum Cl. Editor in ſtudioſa juventute erudienda, ut mores quoque emolliat, artes fideliter didiciſſe, utque cum intelligentia emendetur voluntas. Nova igitur eſt hujus editionis in ipſo contextu prærogativa, ut & ſententiæ, quibus creber eſſe *Tacitus* ſolet, & locutiones, quæ, vel extra contextum ſumtæ, ſententiis atque obſervationibus moralibus locum facere poſſunt, currentibus a reliquo ſermone literis diſtinguantur. Autor ipſe proverbia,

quæ

Digitized by Google

quæ dicunt, ad inferiorum Gymnaſii ſui claſſium uſum, publici quondam juris faciens, in Præfatione, quid talia proſint, oſtendit. Antiquitatum iſthæc σκιαγραφία illius nos Præfationis recordari jubet; uti pariter activæ ad ordinem Philoſophiæ adagia ſunt indicata. Huic etiam quid prodeſſe queat *Tacitus*, facillime poſſet atque eodem modo deſignari, ni convenientius foret, obſervationum quædam ſpecimina dare. Hic autem ad *Cap. 1* inter χωρογραφίαν Germaniæ deſignantes præ ceteris laudatur *Jac. Car. Spenerus.* Ad *Cap. 2*, ubi deformitas Germanicæ terræ depingitur, notatur: *Aut hic eſt* αὔξησις, *aut incredibilibus modis mutata patria; licet ſimul perpendamus, quod Italus ſcribat.* Ibidem de carminibus antiquis Germanorum in *Inſtitutionibus poeticis* (quarum conſpectum olim dederat in Præfatione *Faſciculi Carminum Latinorum optimæ notæ,*) tractatio promittitur. Ubi *Cap. 3* ejusmodi carminum cantus nomen *barditus* occurrit, indicatur, quod, præter hoc, a Bardis derivatum, alii legant baritum a *baren*, clamare, alii blarritum a *blærren*, alii barritum a *barris.* Ad *Cap. 4* memoratur, non natura ſolum, ſed & arte, rutilos Germanorum capillos fuiſſe, cum iſtum colorem medicamentis inducerent. Ad *Cap. 6* indicatur, exercitum deſeruiſſe, quod *Heriſchliz* Franci nominarint, crimen jam olim capitale fuiſſe; ad *8*, non paucos Amazonibus, adeo antiquitus celebratis, Germanicam originem tribuiſſe, unde & ipſum nomen iſti, quam Græcæ, linguæ potius vindicarint. Ibidem dum *Aurinia* nominatur, variæ apud alios hujus nominis lectiones atque explicationes afferuntur. Ad *Cap. 18*, quod incipit: *Quanquam ſevera illic matrimonia*, ex antecedentibus ſuppletur: Quanquam *nudam corporis partem fœminæ oſtendunt, nihilo minus* &c. *Cap. 19* verba *literatum ſecreta* qui expoſuerunt, quique de re publica Germanorum ſcholaſtica egerunt, plurimi nominantur, ipſe autem, iſtis verbis ϛεγανογραφίαν amatoriam innui, exiſtimat; ibidemque pariter ſub finem veterum Germanorum variæ leges occurrunt. Ut reliqua taceamus, πρότερον ὕϛερον facto, de Præfatione adhuc tribus verbis dicemus. Agit eadem de Autore, ſcriptis illius, eorum rebus, ſtilo, diverſis editionibus, *Germania* ſigillatim, utilitate antiquita-



Digitized by Google

tum patriarum, nonnullis eorundem ſcriptoribus, eo, quod ibi deſideratur, variis *Germaniæ* editionibus, deque præſente. Inprimis autem obſervationibus ſubjectis non pauca de *Tacito*, ejusque ſcriptis, teſtimonia, editiones quædam, & aliqui patriarum antiquitatum ſcriptores, recens adduntur.

## *GEORG. LUDOVICI OEDERI, S. THEOL. D. ET Diœceſ. Feuchtwang. Antiſtitis, Animadverſiones ſacræ.*

Brunſuici, ſumtibus hæredum Lud. Schrœderi & Gothofr. Merckwitz, 1747, 8.

Alph. 2.

Nomen Autoris noſtra commendatione non indiget, cum ex variis jam ingenii documentis ſolertia ejus & doctrina dudum rei publicæ literariæ innotuerit. Faciemus igitur, quod noſtrum eſt, ex his ſanctioris diſciplinæ adytis anathemata quædam lectorum oculis expoſituri, ut habeant hi, ex quo de doctiſſimo *Oedero*, ejusque libello, recte judicare queant. Centuriæ numerum adæquant præſentes Animadverſiones ſacræ, inter quas primum pilum ducit explicatio vexatiſſimi loci *2 Cor. XII, 1-9*, de raptu non *Pauli*, ſed alterius cujusdam hominis, in Paradiſum, quæ, cum Diſſertationis antea ſingularis forma prodiiſſet, multasque aliorum doctiſſimorum virorum cenſuras experta fuiſſet, hic loci omitti non debebat. Conſtat jam inter verborum divinorum interpretes, quæ Clariſſi-
Pag. 16. mo *Oedero* ſedeat de hoc loco ſententia. Ne tamen nihil hic dicamus, deſcribere juvat omnem expoſitionis illius rationem, quæ ſic ſe habet: *Nihil mihi prodeſt*, de *Paulo* ſcilicet ſermo eſt, *gloriari, jactantia potius abſtinere penitus neceſſe eſt. Nam, poſtquam enarravi varia calamitatum genera, quibus me afflixit providentia divina, veniam quoque ad revelationes & viſiones ejus argumenti, ut plane neceſſe ſit, mecum habitare, minimeque efferri. Duas autem narrabo, quarum altera mihi monſtrata eſt a pio quodam, mihique probe cognito, Chriſtiano, dudum pie defuncto, ut adeo,*

*utrum*

Digitized by Google

*utrum ſola anima, an hæc corpori ſua reddita, mihi oſtenſa ſit, ignorem, quæ & ſcire me Deus noluit. Is in tertium cælum, nam triplex mihi in viſione monſtratum eſt, ad Deum rapi viſus, & verba haurire, qualia effari nemini mortalium par eſt, quaſi intima admiſſionis amicus. De hoc, quoniam conſtat, longe mihi ante habitum eſſe, gloriari decrevi, in hoc ornando divinam benignitatem potiſſimum admiror, de me nihil prædico, niſi quod multa pati me Deus voluit, & humilem abjectumque eſſe.* Hæc eſt ſententia omnis, ab Autore noſtro ita luci ſuæ, ut putat,
reſtituta. Ὑπερβολὴν ἀποκαλύψεων *præcipitium* aliquod, ſeu Pag. 25.
abruptum revelationum, ſive *finem* earum, dicit. Illi pali fixi videntur, ne inſultare poſſent hoſtes, & quos *Paulus* ipſe tranſilire dubitabat, cavens, ne ſæviret amplius in eccleſiam, quod
antea fecerat. Circa teſtimonium *Pauli Gal. II, 6*, primo ali- 26.
qua contra *Zeltnerum* diſputantur, &, vocabulis expenſis, hæc
rerum depingitur facies: *De illorum vero numero, qui præ ce-* 29.
*teris videntur eſſe aliquid, quales nonnulli fuerint, parum mea intereſt.* Hanc mentem eſſe Apoſtoli, Noſter ex antecedentibus & conſequentibus orationis partibus evincit, &, vocabula *v. 4* διὰ δὲ, omiſſionem concinnam indicare, ſtatuit, quæ per
*fratres irrepentes* ſuppleri debeat. Sequitur hæc explicatio 37.
*Capitis XXIV* integri *Proverbiorum*, & teſtimonii *Paulini Gal. V, 10*, ubi contenditur ex teſtimoniis, ſacris æque ac pro-
fanis, in medium allatis, πείθειν, cum caſu quarto conſtru- 50.
ctum, ſignificare, aliquem vel iratum, vel quem ſuſpiceris iraſci, blanda ratione ad partes noſtras trahere, ſeu placare. De
corona regis Ammonitici ad *2 Sam. XII, 30, 31*, & *1 Chron. XX,* 67.
*23*, veriſimilius ſtatui, Noſter arbitratur, illam non de capite regis, ſed idoli, eſſe abſtractam, quod ex vocabulo מלכם, & locis quibusdam S. Scripturæ, expedire conatur. Reliqua hujus teſtimonii vocabula, quæ de pœna in Ammonitas ſtatuta lo-
quuntur, ita exponit Noſter: *Ammonitas cum ferreis inſtru-* 77.
*mentis eſſe necatos, tum &, ne omnes uno mortis genere perirent, in fornace lateritia combuſtos, non in honorem ſpoliati & vaſtati*
*idoli, ſed ut, in quo peccaſſent, in eodem punirentur.* Inter- 78.
punctionis ratio *Jo. XIX, 38*, ita inſtituenda videtur Noſtro, ut dicatur, poſt hæc rogaſſe *Pilatum Joſephum*, qui diſcipulus



Digitized by Google

Jeſu erat, *ac clam rogaſſe*, quod Judæos conſilio, ſi reſciviſſent, certiſſime obſtituros eſſe metuerit, ut liceret corpus Jeſu
Pag. 80. cruce tollere. Parentheſi itaque includit verba: ὢν μαθητὴς τῦ Ιησῦ. Vocabulum αὐτὸς, ut nobis quidem videtur,
98. commode transfertur *Luc. V, 17*, ad legis peritos & Phariſæos, quos Chriſtus ſua oratione nervoſa & efficaci, quoad animum
125. & mentem, ſanare ſtudebat. Conjecturam non plane ſpernendam ad *Jo. XIX, 13*, profert Noſter, putans, non *Pilatum* ipſum dici ſediſſe in tribunali, ſed collocaſſe in ejus parte aliqua, lapidibus teſſellatis ſtrata, inferioreque adeo, Jeſum, huic quaſi honore habito, ſed ad irridendum tamen compo-
132. ſito. Vocabulum המה *Jer. VII, 4*, breviter atque rotunde ad דברי trahitur, ut ſenſus inde commodiſſimus eliciatur, qui ita ſeſe habet: *Nolite confidere vobis*, hoc eſt, viribus veſtris, *ob mendacia dicta* (cum ajunt, templum Domini, templum Domini, templum Domini,) *hæc*. Inficias ire non licet, per hanc parentheticam diſpoſitionem verba Prophetæ optime conjungi poſſe, dummodo ſimul edidiſſet Noſter, accentuum ratio quæ
143. tunc ſit ineunda, ſi hæc expoſitio accipiatur. Ad locum *1 Theſſ. IV, 6-8*, annotatur, *Paulum* ibi tantum de peccatis adverſus ſextum præceptum decalogi fugiendis, omnibus his verſibus loqui, non de injuriis aliis, ex fraudibus, avaritia, & habendi cupiditate, ortis, quas plurimi, quin imo omnes fere,
155. hic urgent interpretes. Difficultatibus teſtimonii divini, quod *Exodi III, 22*, exſtat, ita occurrit Noſter, ut, commodiſſime hæc verba ſic transferri poſſe, moneat: *petat quæque*, Judaica ſcilicet, ſeu Ebræa, uxor, *a vicina* & hoſpite ſua vaſa argentea & aurea, item veſtes, ea imponite filiis filiabusque veſtris, *atque eripite, ſeu liberate, Ægyptum*. Addit ad ſententiam ſuam confirmandam quædam momenta hiſtorica, & ſignificationem inprimis uſitatam vocabuli נצל urget. Sed, non primum Autorem noſtrum hujus rei eſſe inventorem, ex *Miſcellan.*
220. *Lipſ. Vol. IV P. II pag. 206-220*, & his *Novis Actis Menſ.*
159. *Jan. A. 1747 pag. 38*, conſtat, ubi eadem jam propoſita atque ornata legitur ſententia. Phraſin ἀποδιδόναι λόγον, *confectos libellos reddere*, ſignificare, Noſter ex *Luc. XV, 2, Matth. XII, 36, 1 Pet. IV, 5, Act. XIX, 40*, conficere ſtudet. Circa verba

*Pſ. CXXXIV,*

Digitized by Google

*Pſ. CXXXIV, 3,* hæc inſtituitur explicatio: Tu, Domine, *ſpar-* Pag. 197.
*ſiſti itinera mea, & recubitos meos*, ubi frequentes ſuas fugas
ultro citroque innuit, & providentiam divinam laudat *David*;
quæ, quid ſingulis horis, cum triſte, tum lætificum, hoc aliisve
locis, eventurum eſſet *Davidi*, partim conſtituit, partim permit-
tere ſanctiſſime decrevit. De vocabulo עיף ad *1 Sam. XIV, 31,* 215.
paucis oſtenditur, Iſraelitas hoſtes ſuos *Ajalonem* uſque ſpatio
ſatis magno perſecutos eſſe, quod, niſi ſumma feſtinatione res
geſta eſſet, fieri non potuiſſet. Itaque verba Hebraica ver-
tenda eſſe Noſter putat: *Et volavit, ſeu feſtinavit, populus ve-*
*hementer.* Alia huic obſervationi additur de verbo יעף, do- 220.
cte perſcripta, commentatio, quam ſtricturæ quædam de voce
עיף, & verbo יאל, excipiunt. Nec omittenda hic eſſe vide- 229.
tur paraphraſis *Zach. II, 12,* ubi Noſter ſibi perſuaſum habet,
vocabula Hebraica אחר כבד ſignificare nomen quoddam 237.
Chriſti, hactenus nondum manifeſtatum: *Nam, ſic ait Jeho-* 248.
*vah Zebaoth, Spiritus ſanctus, qui ex œconomia divina prædi-*
*cationi Evangelii præeſt: Achar Cabod, is, quem ſecutura eſt*
*gloria, qui, exantlatis horrendis calamitatibus, pro generis hu-*
*mani ſalute, ſumma cum gloria, in patris throno a dextris e-*
*jus conſidebit, miſit me ad gentes olim eccleſiæ inimicas, nunc*
*vero acceſſuras eidem eccleſiæ, nobile incrementum.* Hinc li-
quere putat Noſter, admodum commode Chriſto hoc nomen
*Achar Cabod*, ſive, *poſtea gloria*, tribui. De vocabulo
ערב ad loca *Geneſ. XLIV, 32, Jer. XXX, 21,* notatur, utro- 262.
que in oraculo ſignificare illud commoda ratione, ſive id 267.
prece, ſive pretio, fiat, ſuum facere aliquid, ſeu in po-
teſtatem ſuam redigere. Germanice diceres: *Erhandeln.*
Ut ſenſus ſit in priori teſtimonio: *Impetravi a patre*
*meo puerum, obtinui, ut mihi daretur abducendus.* In prio-
re vero: *Quis eſt, qui potitus eſt corde ſuo*, ſeu, qui im-
petravit a corde ſuo, *ut ad me accederet. Paulo* ad locum 323.
*2 Cor. III, 5-8,* ſermonem eſſe, Noſter ait, de legiſlatio-
ne Sinaitica, ſive de inauguratione ſolenni V. T. *Moſen* ibi
ſecum populo attuliſſe *legem ſcriptam*, non ortam tum de-
mum, nam eſt ipſis hominum cordibus fixa, ſed *inſculptam ab*
*ipſo Deo lapideis tabulis.* Apoſtolos etiam attuliſſe *ſpiritum*,

non tum primum datum, quaſi antiqui eo caruiſſent, ſed *hoc modo* non datum antea. Hinc & manifeſtum, quoniam lex in tabulis lapideis continebat præcepta divina, nunquam ab ullo homine plane obſervanda, ideo *mortis munus* dici legis lationem; nam declarat, homines transgreſſores mortis reos, contra *effuſionem ſpiritus S.*, & primum iſtud felixque præconium Evangelii ſolenne feſto Pentecoſtes, *miniſterium vitæ* dici,
Pag. 329. quoniam vitam, a Chriſto partam, nuntiavit. Planiſſime verba *Jo. VIII, 5*, reddi poſſe, confidit, ſi ita exponantur! Vos judicate, *quæ humani judicii & fori veſtri ſunt*, ego neminem judico; ſed, quando judicabo id, quod extremo die futurum eſt, judicium meum verum juſtumque erit.
358. Aliud dictum *Joanneum Cap. V, 39*, ita vertitur: *Hæc eſt voluntas patris, qui miſit me, ut nihil eorum, quæ mihi dedit, perdam, ſed* ſiſtam *die extremo*, ut ſcilicet patri, a quo Chriſtus erat miſſus, homines, credituros in ſe, conſervaret, & reſti-
378. tutos patri quondam exhiberet. Argutam ad *Luc. XVII, 15-18*, Noſter affert conjecturam de novem leproſis, a Chriſto ingrati animi non accuſatis. Senſus eo redit omnis, ſubinde fuiſſe crimini Chriſto datum, magnam illum ſibi hominum conciliare multitudinem, qui ipſum ſequantur, & moliri adeo res novas videri. Ad hanc criminationem iniquiſſimam refellendam, docere illum Phariſæos præſentes, Noſter monet, & edicere, tantum a ſe abeſſe, ut multitudinem hominum ſectaretur, ut potius *novem* iſtos Judæos, quos a ſe purgatos potuiſſet ſecum honeſtiſſima ſpecie retinere, abire juſſerit, & neminem, præter unum ex alia gente, ad ſe revertentem,
379. ſecum habitare voluerit. Illuſtrari hæc poſſe, Noſter ſtatuit,
426. ex *commate 20* & ſequenti hujus *Capitis*. Senſum verborum, *1 Cor. VI, 5*, occurrentium, commodiſſimum eſſe Autor putat hunc, ſi ita illa accipiamus: *Honoris cauſa ita vobiſcum loquor*, hoc eſt, injuriam vobis facturus eſſet, qui diceret, tantam apud vos, o Corinthii, eſſe penuriam virorum, ea prudentia præditorum, qua ad judicandum inter fratres opus eſt. *Οἰκεῖοι*
440. *τῆς πίστεως*, *Gal. VI, 10*, non omnes omnino putantur Chriſtiani, ſed familiares modo, qui a propriis, ſeu conſanguineis atque liberis, diſtinguuntur, hincque præcipua cura habenda ſit ſervorum

vorum & ancillarum; ſaltem amicorum, ſi fidei ejuſdem, cujus heri patronive, ſunt participes. Singularis plane videtur interpretatio ad Pag. 493.
*1 Cor. XI, 28, 29*, nobiſcum hic ab Autore Venerabili communicata, quaſi ea mens ſit Apoſtoli: Exploret ſe quisque ipſe, vel ſic, *nullo licet præmiſſo convivio*, de pane hoc comedat, & de poculo iſto bibat. Porro *v. 29*: Nam, qui edit, & bibit indigne, is edit bibitque ſibi judicium, non, *qui ſeparat corpus Domini*, ſive, *qui ſine vulgari cœna præmiſſa*, corpus Domini, in cœna hac myſtica, accipit. Tria nomina, 553.
δειλοὶ, ἄπιστοι, ἐβδελυγμένοι, *Apoc. XXI, 8*, non tria, ſed unum peccantium genus, conſtituere, arbitratur Noſter, ita, ut duo poſteriora vocabula prius illud explicent. Obſervandum enim eſſe, atrocem hominum fieri timiditatem, qui veracitati & potentiæ divinæ, tot documentis demonſtratæ, fidem habere nolunt; hinc accuratius iſta deſcribitur, additis duobus hiſce vocabulis, quæ eam incredulitati & abominationi adjudicant. Intricatum teſtimonium *Prov. XXVI, 10*, ita expeditur: Nimium eſſe, ſi quis *omnia parturiat*, aut *efficere conetur*, is & *ſtultos conducet* & *prævaricatores*, hoc eſt, cum velit infinitis cupiditatibus 571.
obſequi, nihil aliud lucrabitur, quam ut expoſitus ſit injuriis malorum & ineptorum hominum, quorum opera utitur. רב ſignificat *abunde*, 576.
ſeu *nimium*, non modo cum ל, nota tertii caſus, ſequitur, ſed & abſolute poſitum *Exod. IX, 28*, quod omnem hanc interpretationem præclare 677.
juvat. Laudanda quoque videtur opera Autoris noſtri, quam ad illu- 685.
ſtrationem *Act. XVII, 11*, attulit, ubi totus in eo eſt, ut *Theſſalonicenſibus* laudem atque gloriam debitam reſtituat, quam *Verienſibus*, ſeu *Berrhoenſibus*, hactenus plurimi tribuerant. Hæc ſufficiat annotaſſe de præclara Autoris Venerabilis collectione obſervationum ſacrarum, in qua, quid judicio, doctrina, & ingenio, valeat, præclaris ipſe ſpeciminibus oſtendit.

## *NOVA LITERARIA.*

Omnibus iis, qui cognoſcendis rebus divinis vitam deſtinaverunt, non ſolum, in id incumbendum eſt, ut ſciant, quæ viris ſanctis dicta ſunt, ſed, ut eorum veritates etiam ex fontibus ipſis derivare poſſint, elaborandum. Non injucundum erit, aut inutile, conſilium, quod de tribus libris cepiſſe non ignobilem hujus urbis typographum, *Wolfg. Deerium*, accepimus, qui licet facile id genus aliis palmam præripiant, a paucis tamen, quantum decoris illis & gratiæ inſit, hactenus intelligitur. Sunt illi: Biblia Hebraica *Everhardi van der Hooght*, cum verſione Latina *Seb. Schmidii*; *Guſſetii* Commentarius Linguæ Hebraicæ; & *Clodii* Lexicon Hebraicum ſelectum. Eequid eſt illi, qui nomen ſtudiumque Theologiæ dedit, aut accurate nitideque ſcripto S. Codice optatius, aut tali libro utilius, ex quo non verba, quæ vulgo ſimplicia dicuntur, vocumque derivata tantum & flexiones grammaticæ, cognoſcantur, ſed ex quo etiam, quæ verbis vis inſit & ſignificatio, diſci poſſit. Omne in eo punctum tulerunt viri, quorum cura libri, de quibus loquimur, prodierunt. Non minorem apud erudi-

Digitized by Google

eruditos gratiam editione Codicis ſancti Theologus Belgii iniit, *van der Hooght*, quam Commentario Linguæ Hebraicæ *Guſſetius*. Laudes, ab aliis laudatis viris ei collatas, exponere fuſius, irritus labor foret; otium etiam hac in re nobis in Critica ſacra *Carpzovius*, & in Bibl. Hebr. *Wolfius*, fecerunt. Jam vero de illis editionibus nobis ſermo eſt, quas in urbe noſtra Bibliopola *Wolfgangus Deer* luci publicæ expoſuit. Septem enim, & quod excurrit, anni ſunt, cum eruditis rem facere gratiſſimam ipſe ſibi videretur, ſi denuo illius *van der Hooght* Codicem prelo ſubjiceret. Et chartæ nitor, & literarum elegantia, & ſingularis, ne mendoſe ad uſus eruditorum publicos mitteretur, cura, quam Profeſſor L. L. Or. hujus Academiæ, *Jo. Chriſt. Clodius*, cujus oſſa molliter cubent, in ſe ſuſceperat, ita in eo ſpectatur, ut judices æqui rerumque harum intelligentes ea exempla illis præferre, quæ in Belgio olim prodierunt, minime dubitent. Et, cum intelligeret *Clodius*, de *Sebaſtiani Schmidii* verſione Latina & in *Actis Erudit. ad Annum 1696*, & in *Fabricii Hiſt. Biblioth. P. III*, & ab aliis honorifice & graviter multa prædicari, eam textui adjungere, non inutile putavit. *Guſſetii* autem Commentarius Linguæ Hebr. qui primas vocum Hebraicarum poteſtates cogitate accurateque docet, & ſignificationes reliquas, & derivata, & verborum harmoniam & conſuetudinem uſumque, multa etiam ſacri Codicis genera loquendi, illuſtrat, nec paucis locis novam affundit lucem, merito jureque, non, ut multi errant; verborum-index, ſed literaturæ Hebraicæ theſaurus, habetur. Cujus quamprimum dignitatem & præſtantiam D. *Langius* inſpexerat, in *Inſtitutionibus Theol. Liter.* opus nominat præclarum, quod, in formali ſenſu eruendo poſt *Boblium* præcipue occupatum, obſervationibus exegeticis abundet. Quapropter rem utique bonam, & ad poſteritatem longe fructuoſiſſimam, ſuſcepit *Wolfgangus Deer*, qui librum carum rarumque, ut in *Lilienthalii Bibl. Exeg. pag. 160* vocatur, ſuaſore Prof. *Clodio*, iterum luci publicæ dedit. Acceſſerunt, mirumque in modum hanc editionem exornarunt, ipſius Autoris σχόλια, & *Clodii* illuſtrationes, & Index, Latino idiomate ſcriptus, & æri inciſæ figuræ. Deinde, ut nihil deſiderari poſſet, quod ad cognitionem idiomatis Hebraici facere videretur, *Clodius*, qui abundanti linguarum varietate inſtructus erat, Lexicon ſelectum Supplementi loco ad *Guſſetii* Commentarium exaravit, ſuaque indefeſſa induſtria ſtudioque effecit, ut hoc de labore eruditi, non leviter ſcientiis tincti, præclare magnificeque ſentiant. Fama autem fuit, cum illi libri, qui in omnibus Theologorum ſcriniis eſſe debent, ne in Bibliopolarum quidem tabernis cernerentur, tam paucos raroſque eſſe, ut a multis jam deſiderarentur; quo etiam factum eſt, ut non pauci eorum præſtantiam dijudicare, iis carentes, vix ac ne vix quidem poſſent. Quo in errore tamen ne amplius & populares noſtri & ii inprimis verſentur, qui exteris in terris Muſis noſtris favent, adeſſe ſingulorum librorum exempla in taberna *Wolfgangi Deer*, certiores eos facere, nulli dubitavimus.

✻ ✻ ✻

Digitized by Google

# INDEX AUTORUM,

## quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

## I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectantes.*

Benner (*Jo. Herm.*) *Lerna Zinzendorfiana.* 354

Benzelii (*Henr.*) *Syntagma Diſſertationum, in Academia Lundenſi habitarum, quibus varia Theologiæ, Philologiæ, Antiquitatum, & Hiſtoriæ, capita illuſtrantur.* 15

Brockhauſen (*C. P. Erp.*) *Specimen Exegeſeos ſacræ pro explicando Pſalmo L.* 565

Clugii (*Chriſt. Gottlieb*) *de Baptiſmo Adami Commentatio theologica.* 347

Crügeri (*Theodori*) *Apparatus Theologiæ moralis Chriſti, & renatorum.* 546

Elſneri (*Jac.*) *Continuatio noviſſima delineationis Eccleſiæ Græcæ in regno Turcico.* 566

Ephraem *Syri Opera omnia, quæ exſtant, Græce, Syriace, Latine, in ſex Tomos diſtributa.* Tomus ſecundus, *Græce & Latine.* 673

Fuhrmanni (*Matthiæ*) *Hiſtoria ſacra de Baptiſmo Conſtantini Max. Auguſti, colloquiis familiaribus digeſta.* Pars I. 490

Georgii (*Dominici*) *de Liturgia Romani Pontificis in ſolenni celebratione Miſſarum Liber tertius.* 647

Gerdeſii (*Dan.*) *Hiſtoria Reformationis, ſive Annales Evangelii, Seculo XVI paſſim per Europam renovati.* Tomus II. 302

Kieslingii (*Jo. Rud.*) *Epiſtola de geſtis Pauli III, Pont. ad emendationem eccleſiæ maxime ſpectantibus.* 525

Lambertini (*Proſperi*) *Card. poſtea Benedicti XIV, Commentarii duo, de D. N. Jeſu Chriſti, matriſque ejus, feſtis, & de Miſſæ ſacrificio, retractati atque aucti. Ex Italico in Latinum ſermonem vertit* Mich. Angelus de Giacomellis. 193



Digitized by Google

Leoni (*P. M. Franciſci M.*) *Sibyllarum in veteri eccleſia autoritas, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ac Theologiæ conjunctio.* 676

Monigliæ (*Thomæ Vincent.*) *Diſſertatio contra eos, qui fatum abſolutum fingunt.* 499

Oederi (*Ge. Lud.*) *Animadverſiones ſacræ.* 714

Origenis *Opera omnia, ex ed.* Caroli de la Rue. Tomus II. 337

Tomus III. 529

Peircii (*Jac.*) *Paraphraſis & Notæ philologicæ atque exegeticæ in Epiſtolam ad Hebræos. Latine vertit, & ſuas obſervationes adjecit,* Jo. Dav. Michaelis. 340

Pertſchii (*Jo. Ge.*) *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculum tertium.* 149

Peterfy (*Caroli*) *Sacra Concilia Eccleſiæ Romano-Catholicæ in regno Hungariæ.* Pars II. 625

Ravii (*Sebaldi*) *Diatribe de Epulo funebri gentibus dando.* 428

Roſchmanni (*Antonii*) *Deſcriptio vitæ S. Valentini, utriusque Rhætiæ Apoſtoli.* 269

Schuberti (*Jo. Ern.*) *Doctrina de Scriptura ſacra, ex rationis, & rei Chriſtianæ, fundamentis propoſita.* 181

Stapferi (*Jo. Frid.*) *Inſtitutiones Theologiæ polemicæ univerſæ, ordine ſcientifico diſpoſitæ.* Tomus II & III. 255

Weismanni (*Chriſtiani Eberh.*) *Introductio in Memorabilia eccleſiaſtica Hiſtoriæ ſacræ Novi Teſtamenti, iterum edita.* Tomi II. 639

Winckleri (*Jo. Dieterici*) *Hypomnemata philologica & critica in diverſa Scripturæ S. loca.* 274

*Diſquiſitiones Biblico-exegeticæ.* Pars I. 561

## II. *Libri Juridici.*

Bœhmeri (*Juſti Henn.*) *Corpus Juris Canonici, Gregorii XIII, Pont. Max. autoritate poſt emendationem abſolutam editum.* Tomi II. 577

Buderi (*Chriſt. Gottlieb*) *Opuſcula.* 413

Kahlii (*Lud. Mart.*) *Corpus Juris publici S. I. R. G. collectum.* Pars II. 71

Kœnigii (*Sam.*) *Schediaſma de Origine teſtamentifactionis.* 74

Sencken-

Senckenbergii (*Henr. Chriſt.*) *Brachylogus Juris Civilis, ſive Corpus legum, paulo poſt Juſtinianum conſcriptum, cum variorum Notis.* 359

Trotz (*Henr. Chriſt.*) *Theſes Juris publici ad Leges fœderati Belgii fundamentales.* 206

## III. *Libri Medici & Phyſici.*

Algarotti (*Franc.*) *Neutonianiſmus, ſive Dialogi de Luce, Coloribus, & Attractione. Editio ſexta.* 598

Beccarii (*Jac. Barth.*) *de Quamplurimis Phoſphoris, nunc primum detectis, Commentarius.* 105

Celſi (*Aur. Corn.*) *de Medicina Libri octo, cum Notis variorum.* 214

Cocchii (*Ant.*) *Sermo de Anatomia.* 26

Deidierii *Anatome rationalis corporis humani.* 701

Gualtieri (*Nicolai*) *Index teſtarum Conchyliorum, quæ aſſervantur in ipſius Muſeo.* 97

Hebenſtreit (*Jo. Ern.*) *Pathologia funiculi umbilicalis.* 422

Ludwig (*Chriſtiani Gottlieb*) *Definitiones generum plantarum.* 571

Nolleti *Lectiones Phyſicæ experimentalis.* Tomus I. 32

Tomus II & III. 415

Planci (*Jani*) *Hiſtoria brevis, vitam narrans Catharinæ Vizzanæ, Romanæ, quæ per octo annos virum mentita eſt, tandem poſt mortem virgo reperta fuit anatome ſui cadaveris.* 265

*Diſſ. de Veſicantibus.* 320

De Plumbis (*Floridi*) *Diſſ. hiſtorico-medica de ſaluberrimo Nuceriæ in Umbria erumpente latice.* 115

Segneri (*Jo. Andr.*) *Introductio in Phyſicam.* 219

Swedenborgii (*Eman.*) *Regnum animale, anatomice, phyſice, & philoſophice, perluſtratum.* Partes II. 507

Teichmeyeri (*Herm. Frid.*) *Inſtitutiones materiæ medicæ.* 192

Torti (*Franc.*) *Therapeutice ſpecialis ad febres periodicas pernicioſas.* 471

Valdambrini (*Joſephi*) *de Uſu Hydrargyri in febrium maligna-*

*rum & contagioſarum curatione, quæ A. 1744 Cortonenſes afflixerunt, libellus.* 663

## IV. *Libri Mathematici.*

Bevis (*Jo.*) *Obſervata quædam loca Mercurii, ex quibus patet, ejus motum a Cometa poſtremo non eſſe turbatum.* 708

*De* Cheſeaux (*J. P. Lud.*) *Tractatus de Cometa, qui apparuit menſe Decembri A. 1743, & menſe Januario, Februario, & Martio, A. 1744.* 322

E. (*L.*) *de Numeris amicabilibus.* 267

Kæſtneri (*Abrab. Gotthelf.*) *Analyſis ſolutionis Problematis catoptrico-geometrici, in Actis A. 1745 Menſe Sept. P. I propoſiti, exhibita Menſ. Octobr. A. 1746.* 665

Maclaurini (*Colini*) *de Fluxionibus Libri duo.* Volumina II. 119. 162

*De* Maupertuis *Aſtronomia nautica.* 515

Oechlitii (*Chriſt. Frid.*) *Analyſis ſolutionis ſuæ Problematis catoptrico-analytici.* 225. 601

Short (*Jac.*) *Obſervatio de Satellite Veneris, facta d. 23 Oct. A. 1740.* 362

## V. *Libri Hiſtorici, Chronologici, &c.*

*Anonymi Series Profeſſorum & Lectorum Academiæ Friſicæ, quæ eſt Franequeræ.* 543

— *brevis narratio de vita Joſiæ Weitbrechti, M. D. Prof. Anat. & Phyſiol. Petropol. nuper beato obitu exſtincti.* 618

Baringii (*Dan. Eberh.*) *Deſcriptio Salæ Principatus Calenbergici, locorumque adjacentium.* 363

Beccatelli (*Lud.*) *Vita Purpurati Caſparis Contareni.* 658

Belii (*Matthiæ*) *Notitia Hungariæ novæ hiſtorico-geographica.* Tomus IV. 385

Benzelii (*Henr.*) *Syntagma Diſſertationum, in Academia Lundenſi habitarum, quibus varia Theologiæ, Philologiæ, Antiquitatum, & Hiſtoriæ, capita illuſtrantur, cum Præf.* Jo. Erh. Kappii. 15

Buderi (*Chriſt. Gottlieb*) *Opuſcula.* 413

Diodori

Digitized by Google

Diodori *Siculi Bibliothecæ hiſtoricæ Libri, qui ſuperſunt, ex recenſ.* Petri Weſſelingii. 1
*De* Ebulo (*Petri*) *Carmen de Motibus Siculis, & rebus inter Henricum VI, Rom. Imp. & Tancredum Seculo XII geſtis, editum a* Sam. Engel. 252
Haſii (*Jo. Matth.*) *Hiſtoriæ univerſalis politicæ idea.* 595
Hoffmanni (*Tychonis*) *Imagines hiſtoricæ Danorum illuſtrium, a ſuis meritis, dignitatibus, & nobili origine, memorabilium.* Partes VI. 487
Kuſteri (*Ge. Godofr.*) *Bibliotheca hiſtorica Brandenburgica.* 475
Mœrckens (*Mich.*) *Conatus chronologicus ad Catalogum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Cancellariorum, Archicancellariorum, & Electorum, Coloniæ Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium.* 137
Nepos (*Cornelius*) *de Vita excellentium imperatorum, ex recognitione* Steph. And. Philippe. 617
Pauli (*Sebaſt.*) *Codex diplomaticus ſacri militaris Ordinis Hieroſolymitani.* Tomi II. 145
*De* Pretio (*Petri*) *Adhortatio ad Henricum Illuſtrem, Landgravium Thuringiæ, & Marchionem Miſniæ, edita a* Frid. Chriſtoph. Schminckio. 540
Roſchmanni (*Ant.*) *Veldidena, urbs antiquiſſima, Auguſti colonia, & totius Rhætiæ princeps.* 327
Sorberi (*Jo. Jac.*) *Tract. de Comitiis veterum Germanorum antiquis.* 141
Taciti (*C. Corn.*) *de Situ, moribus, & populis, Germaniæ libellus, cum obſervationibus* Jo. Gothofr. Hauptmanni. 711
Wolfii (*Jo. Rud.*) *Hiſtoria vitæ & obitus Jo. Henr. Suiceri.* 42

## VI. *Libri Miſcellanei.*

Ajtai (*Mich.*) *Grammatica Latina, methodo nova & artificioſa adornata.* 479
*Anonymi Specimina Diſſertationum Academicarum, publice lectarum in Academia Etruſca civitatis Tortonæ.* Tomus II. 108
*Notitia Academiarum, Romæ erectarum juſſu Papæ Benedicti XIV.* 281



Digitized by Google

Anonymi antiquæ Statuæ Græcæ & Romanæ, quæ in atrio Bibliothecæ D. Marci, & in aliis locis publicis urbis Venetiarum, reperiuntur. Pars I & II. 481
Argelati (*Phil.*) *Epiſtola ad illuſtrem Virum, Horatium Bianchi.* 94
Aſſemanni (*Steph. Evodii*) *Bibliothecæ Mediceæ, Laurentianæ & Palatinæ, Codicum MStorum Orientalium Catalogus.* 49
Bandinii (*Ang. Mariæ*) *in antiquam tabulam eburneam, ſacra quædam D. N. Jeſu Chriſti myſteria anaglypho opere exhibentem, Obſervationes.* 477
Benzelii (*Henr.*) *Syntagma Diſſertationum, in Academia Lundenſi habitarum, quibus varia Theologiæ, Philologiæ, Antiquitatum, & Hiſtoriæ, capita illuſtrantur, cum Præf.* Jo. Erh. Kappii. 15
Buderi (*Chriſt. Gottlieb*) *Opuſcula.* 413
Chapman (*Jo.*) *Diſſ. de Ætate Ciceronis Librorum de Legibus.* 407
Ciceronis (*M. T.*) *Opera, ex ed.* Joſephi Oliveti. Volumina IX. 241
Clarkii (*Jo.*) *Inſtitutio Syntaxis Latinæ.* 431
Conti (*Ant.*) *Illuſtratio Parmenidis Platonis.* 709
Facii (*Barthol.*) *de Viris illuſtribus liber, ex ed.* Laur. Mehus. 69
Gehlii (*Auguſtini Gabr.*) *Ratio ordinationis verborum, priſcis Romanis ſeculo aureo uſitatæ, expoſita.* 45
Glafey (*Ad. Frid.*) *Bibliotheca Rinckiana.* 366
Gorii (*Ant. Franc.*) *Muſeum Etruſcum.* Volumen III. 433
Hallbaueri (*Frid. Andr.*) *Conſilia breviora, ſeu deſideria neceſſariæ ſcholaſticarum rerum emendationis, ex Latina lingua in Germanicam translata, & annotationibus aucta, a* J. G. H. 189
Hieroclis *in aurea Carmina Commentarius, Græce & Latine, ex edit.* R. W. 66
Kuypers (*Gerardi*) *Ali ben Abi Taleb Carmina, Arabice & Latine edita, & Notis illuſtrata.* 535
Langii (*Car. Henr.*) *Inſtitutiones ſtili Romani.* 287

Lette

Digitized by Google

Lette (*Ger. Jo.*) *Caab Ben Zohair, Carmen panegyricum in laudem Muhammedis, & alia, edita, verſa, & notis illuſtrata.* 679

Middletoni (*Conyers*) *Epiſtolæ M.T. Ciceronis ad Brutum, & hujus ad illum, Anglice verſæ, cum Notis, & Diſſ. præliminari.* 463

*Miſcellanea Lipſienſia Nova, edita a* Frid. Ottone Menckenio.
Voluminis IV Pars II. 37
Pars III. 90
Pars IV. 285
Voluminis V Pars I. 521
Pars II. 573

*Miſcellanea Groningana.* Tomus IV. 237

Monigliæ (*Thomæ Vincent.*) *Diſſ. contra eos, qui fatum abſolutum fingunt.* 499

Nixon (*J.*) *Marmor Eſtonianum, ſeu Diſſ. de Sella marmorea votiva, Eſtoniæ conſervata.* 133

Oudendorpii (*Franc.*) *Brevis veterum monumentorum, ab Ampliſſimo Viro, Gerardo Pabenbrokio, Academiæ Lugduno-Batavæ legatorum, deſcriptio.* 317

P. (*P.*) *Scriptorum, a Societate Hafnienſi, bonis artibus promovendis dedita, Danice editorum, nunc autem Latine redditorum,* Pars I. 460

Plinii (*C. Cæc. Sec.*) *Panegyricus, Imp. Nervæ Trajano dictus, ex recenſ.* Chriſt. Gottl. Schwarzii. 289

Poli (*Reginaldi*) *Card. & aliorum ad ipſum, Epiſtolæ.* Pars I & II. 446

Reitzii (*Car. Conr.*) *Index verborum ac phraſium Luciani.* 405

Sambucæ (*Antonii*) *Epiſtolæ, ad Abbatem Andream Baccium ſcriptæ.* 263

Tunſtall (*Jac.*) *Epiſtola ad Conyers Middleton, Vitæ M. T. Ciceronis ſcriptorem, in qua ex locis ejus Operis quamplurimis, recenſionem Ciceronis Epiſtolarum ad Atticum & Q. Fratrem deſiderari, oſtendit.* 407

Virgilii (*P. Maronis*) *Opera, cura & ſtudio* Steph. Andreæ Philippe. 532

Walchii (*Chriſtiani Guil. Franc.*) *Antiquitates pallii philoſophici veterum Chriſtianorum.* 86

INDEX

Digitized by Google

# INDEX RERUM NOTABILIUM.


A.

Academia *Linceorum reſtituta.* 320
*Petropolitana pluribus viris doctis privata.* 619

Academiarum *Proteſtantium præ Pontificiis prærogativæ deſcriptæ.* 24 ſeq.
*a Benedicto XIV Romæ erectarum, notitia literaria.* 281 ſeq.

Acolythi *qui fuerint in Eccleſia?* 650

Acrimonia *ſalina.* 115

Acta *Eruditorum a Clugio impugnata.* 353 ſeq.
*a Reitzio refutata.* 406

*De* Adami *Baptiſmo ſententia.* 348 ſeq.
*lapſu obſcœna Beverlandi ſententia refutata.* 351

Adeler (*Cort*) *illuſtris Dani, vita.* 489

Adjurandi *ſummum Hebræorum Pontificem ante expiationem anniverſariam ritus illuſtratus.* 91

Aerem *puriorem reddendi inſtrumentum.* 421

Aeris *natura explicata.* 420
*gravitas.* 421

Alarum *molendini optima poſitio.* 181

Alas *in aliquam explicandi ritus illuſtratus.* 574

Alcorani *notitia literaria.* 64 ſeq.

Allantois *nulla.* 425 ſeq.

Altitudinem *poli obſervandi methodus.* 519. 520

*De* Analyſi *infinitorum recentiori quid ſentiendum?* 121

Anatomes *hiſtoria.* 29 ſeq.
*promotores.* 29 ſeq.
*progreſſus impeditus.* 29
*utilitas.* 26

Anchoræ *jus in Belgio quale?* 216

*De* Animæ *immortalitate erronea Dodwelli ſententia.* 644

Antrum *Ribarienſe deſcriptum.* 93

Apoplexiæ *cauſa & curatio.* 321 ſeq.

Aqua *ex globo metallico compreſſa exſudat.* 35
*Nuceriana utendi methodus.* 118


Aquæ

Digitized by Google

Aquæ *frigidæ uſus corpori humano ſalutaris.* 113
*Nuceriana virtus.* 115
Arabica *carmina Alii Latine verſa & explicata.* 533 ſeq.
Arabici *libri MSti recenſiti.* 64 ſeq.
Arabicum *Carmen Caabi editum, & Latine verſum.* 679 ſeq.
Arbor *Paradiſi fatalis probabiliter palma fuit.* 14
Argelatus (*Phil.*) *a plagii crimine vindicatus.* 96
Arteria *umbilicalis.* 424 ſeq.
Articulationes *oſſium.* 703
*Sub* Aſcia *dedicare, formula explicata.* 112
Aſclepiadis *Fragmentum editum.* 31 ſeq.
Aſpera *arteria.* 513
Aſſemanni (*Steph. Evodii*) *in Codices MStos orientales Bibliothecæ Mediceæ merita.* 48 ſeq.
Aſtronomia *analytice expoſita.* 516
Aſtronomicorum *inſtrumentorum conſideratio.* 325
Aſylorum *doctrina explicata.* 21
Aſymptoti *Curvarum determinatæ.* 130
Atheiſmus *profligatus.* 256 ſeq.
Atmoſphæræ *ratio.* 421
Autores *veteres in Belgio editi.* 215
Azimuthale *inſtrumentum novum.* 516

B.

*De* Bælii (*Petri*) *Dictionario ſingularia.* 375. 383
Baptiſmus *an ex Paradiſo originem ducat?* 348 ſeq.
*De* Baronii *Annalibus ſingularia.* 287. 369
Belgii *fœderati, leges fundamentales illuſtratæ.* 206 ſeq.
*Jus publicum in ordinem redactum.* 206 ſeq.
*De* Benderi (*Jo. Lud.*) *Concluſionibus practicis ſingularia.* 372
Benzelius (*Henr.*) *laudatus.* 15
Beverlandi *obſcœna de lapſu Adami ſententia refutata.* 351 ſeq.
Bibliotheca *Rinckiana deſcripta.* 367
Bibliothecæ *Mediceæ Codices MSti orientales recenſiti.* 49 ſeq.
Bileamus *primo Dei, poſtea gentilium, Propheta.* 22
Bilis *cyſtica unde craſſior?* 706
Bocatii (*Jo.*) *Hungari, vita & ſcripta.* 523 ſeq.
Bœhmeri (*Juſti Henn.*) *in Jurisprudentiam merita laudata.* 577 ſeq.



Digitized by Google

Bœhmeri (*Juſti Henn.*) *in novam Juris Canonici editionem merita quæ?* 578 ſeq.

Boilavii *Operum nova editio curata.* 240

*De* Bonanni (*Phil.*) *libro quodam ſingularia.* 379

Brachylogus *Juris Civilis denuo editus.* 360

*ejus Autor quis?* 361

Brandenburgenſium *rerum Scriptores collecti.* 475 ſeq.

Briſſonii (*Barn.*) *Opera minora denuo edenda.* 384

Buderi (*Chriſt. Gottlieb*) *Opuſcula laudata.* 414

*De* Burckhardi (*Franc.*) *Antinomia ſingularia.* 377

*De* Bzovii (*Abrah.*) *Hiſtoria eccleſiaſtica ſingularia.* 369

C.

Caabi, *filii Zobairi, Carmen Arabicum Latine verſum.* 680 ſeq. 692 ſeq.

Cadytis *Herodoti num recte venditetur pro metropoli Palæſtinæ?* 523

Canonici *Juris nova, eaque pleniſſima, editio curata.* 578 ſeq.

Canonum *Apoſtolicorum vera ætas adſtructa.* 18

Cantilena *Moſis & agni explicata.* 521 ſeq.

Cantorum *in Eccleſia munus deſcriptum.* 650

Catoptrica *Problemata ſolvendi methodus.* 616

Catoptricum *Problema ſolutum.* 523. 601. 665

Caudæ *cometicæ obſervatio ſingularis.* 325

Celſus *emendatus.* 32

Cenſus *Auguſti deſcriptus.* 17

Chirurgorum *Græcorum ineditorum Codex.* 31

*Ex* Chriſti *imitatione theologia renatorum moralis depromenda.* 546 ſeq.

Chriſtus *quatenus apud Muhammedanos verbum Dei & filius Dei appelletur?* 286

Chyli *viæ.* 510 ſeq.

Ciceronis *Operum nova editio curata.* 241 ſeq.

*loca emendata.* 244 ſeq. 249 ſeq.

*librorum de Legibus ætas definita.* 413

*Epiſtolarum ad Brutum verſio Anglica notata.* 465 ſeq.

*De* Ciceronis *ad Atticum Epiſtolis judicium.* 408 ſeq.

*ad Brutum Epiſtolis ſententia.* 412 ſeq.

Clericus (*Jo.*) *refutatus.* 524. 575

*Ad* Clerici (*Jo.*) *Diſſ. de Lingua Hebræa Stricturæ.* 18



Digitized by Google

Clodii (*Jo. Chriſt.*) *Lexicon Hebraicum ſelectum laudatum.* 719
Clugius (*Chriſt. Gottlieb*) *amicis monitis exceptus.* 350 ſeq.
Collini *de fato abſoluto ſententia refutata.* 503
Colliſio *corporum quæ?* 35
Coloniæ *Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium antiquitates illuſtratæ.* 138
Colonienſium *Archiepiſcoporum & Electorum catalogus adornatus.* 137 ſeq.
Colorum *theoria.* 600
Cometa, *poſtremus an Mercurium perturbaverit?* 708
Cometarum *theoria.* 325
Comitia *Germanorum antiqua illuſtrata.* 141 ſeq.
— *regni Hungariæ collecta.* 625 ſeq.
Conchyliorum *ordines.* 196 ſeq.
Conradini *fatalis caſus deſcriptus.* 542
Conſtantini *M. Baptiſmus Nicomedienſis labefactatas.* 491 ſeq.
Conſtantinus *an plagiarius?* 116
Contareni (*Caſp.*) *vita.* 659 ſeq
Corbejenſium *traditionum Codex ineditus deſcriptus.* 39
Cordis *fibræ deſcriptæ.* 704
Cremnitii, *urbis, fata deſcripta.* 394
Crepuſculi *minimi Problema ſolutum.* 518
Cuperi (*Gisb.*) *ad Almeloveenium Epiſtolæ editæ.* 94. 524
Curvæ *maximi minimive proprietate gaudentes.* 166
— *radios ex dato puncto poſt duplicem reflexionem iterum in illud reflectentes, determinatæ.* 223. 601. 665
Curvarum *geometria per methodum Fluxionum tractata.* 127. 177
Curvas *dimetiendi veterum methodus.* 120
Curvaturæ *linearum contemplatio.* 132
Cycloidis *proprietas catoptrica.* 234

## D.

Danicæ *linguæ fata in Comitatu Sleſvicenſi.* 461 ſeq.
Danorum *illuſtrium imagines collectæ.* 487 ſeq.
Dargunenſis *de lucta principali controverſia deſcripta.* 645
Decretalium *Pontificum Romanorum variæ Collectiones recenſitæ.* 586 ſeq.
Denſitates *fluidorum comparandi inſtrumentum.* 417
Diaconorum *varia genera.* 649

Bœhmeri (*Juſti Henn.*) *in novam Juris Canonici editionem merita quæ?* 578 ſeq.
Boilavii *Operum nova editio curata.* 240
*De* Bonanni (*Phil.*) *libro quodam ſingularia.* 379
Brachylogus *Juris Civilis denuo editus.* 360
*ejus Autor quis?* 361
Brandenburgenſium *rerum Scriptores collecti.* 475 ſeq.
Briſſonii (*Barn.*) *Opera minora denuo edenda.* 384
Buderi (*Chriſt. Gottlieb*) *Opuſcula laudata.* 414
*De* Burckhardi (*Franc.*) *Antinomia ſingularia.* 377
*De* Bzovii (*Abrah.*) *Hiſtoria eccleſiaſtica ſingularia.* 369

C.

Caabi, *filii Zobairi, Carmen Arabicum Latine verſum.* 680 ſeq. 692 ſeq.
Cadytis *Herodoti num recte venditetur pro metropoli Palæſtinæ?* 523
Canonici *Juris nova, eaque pleniſſima, editio curata.* 578 ſeq.
Canonum *Apoſtolicorum vera ætas adſtructa.* 18
Cantilena *Moſis & agni explicata.* 521 ſeq.
Cantorum *in Eccleſia munus deſcriptum.* 650
Catoptrica *Problemata ſolvendi methodus.* 616
Catoptricum *Problema ſolutum.* 523. 601. 665
Caudæ *cometicæ obſervatio ſingularis.* 325
Celſus *emendatus.* 32
Cenſus *Auguſti deſcriptus.* 17
Chirurgorum *Græcorum ineditorum Codex.* 31
*Ex* Chriſti *imitatione theologia renatorum moralis depromenda.* 546 ſeq.
Chriſtus *quatenus apud Muhammedanos verbum Dei & filius Dei appelletur?* 286
Chyli *viæ.* 510 ſeq.
Ciceronis *Operum nova editio curata.* 241 ſeq.
*loca emendata.* 244 ſeq. 249 ſeq.
*librorum de Legibus ætas definita.* 413
*Epiſtolarum ad Brutum verſio Anglica notata.* 465 ſeq.
*De* Ciceronis *ad Atticum Epiſtolis judicium.* 408 ſeq.
*ad Brutum Epiſtolis ſententia.* 412 ſeq.
Clericus (*Jo.*) *refutatus.* 524. 575
*Ad* Clerici (*Jo.*) *Diſſ. de Lingua Hebræa Stricturæ.* 18

Clodii

Digitized by Google

Clodii (*Jo. Chriſt.*) *Lexicon Hebraicum ſelectum laudatum.* 719
Clugius (*Chriſt. Gottlieb*) *amicis monitis exceptus.* 350 ſeq.
Collini *de fato abſoluto ſententia refutata.* 503
Colliſio *corporum quæ?* 35
Coloniæ *Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium antiquitates illuſtratæ.* 138
Colonienſium *Archiepiſcoporum & Electorum catalogus adornatus.* 137 ſeq.
Colorum *theoria.* 600
Cometa, *poſtremus an Mercurium perturbaverit?* 708
Cometarum *theoria.* 325
Comitia *Germanorum antiqua illuſtrata.* 141 ſeq.
— *regni Hungariæ collecta.* 625 ſeq.
Conchyliorum *ordines.* 196 ſeq.
Conradini *fatalis caſus deſcriptus.* 542
Conſtantini *M. Baptiſmus Nicomedienſis labefactatus.* 491 ſeq.
Conſtantinus *an plagiarius?* 116
Contareni (*Caſp.*) *vita.* 659 ſeq
Corbejenſium *traditionum Codex ineditus deſcriptus.* 39
Cordis *fibræ deſcriptæ.* 704
Cremnitii, *urbis, fata deſcripta.* 394
Crepuſculi *minimi Problema ſolutum.* 518
Cuperi (*Gisb.*) *ad Almeloveenium Epiſtolæ editæ.* 94. 524
Curvæ *maximi minimive proprietate gaudentes.* 166
— *radios ex dato puncto poſt duplicem reflexionem iterum in illud reflectentes, determinatæ.* 223. 601. 665
Curvarum *geometria per methodum Fluxionum tractata.* 127. 177
Curvas *dimetiendi veterum methodus.* 120
Curvaturæ *linearum contemplatio.* 132
Cycloidis *proprietas catoptrica.* 234

D.

Danicæ *linguæ fata in Comitatu Sleſvicenſi.* 461 ſeq.
Danorum *illuſtrium imagines collectæ.* 487 ſeq.
Dargunenſis *de lucta principali controverſia deſcripta.* 645
Decretalium *Pontificum Romanorum variæ Collectiones recenſitæ.* 586 ſeq.
Denſitates *fluidorum comparandi inſtrumentum.* 417
Diaconorum *varia genera.* 649

Dies *magni Ebræorum qui fuerint?* 522
Dii *adhærentes qui?* 112
Diodori *Siculi nova editio deſcripta.* 1 ſeq.
*loca varia explicata, aut illuſtrata.* 5 ſeq.
Diplomata *Ordinis Maltenſis collecta.* 145 ſeq.
Donatiſmus *in Novatoribus renovatus.* 24
Doroſtami (*Athanaſii*) *Archimandritæ fides adſtructa.* 567
Ductus *cyſthepatici & hepatocyſtici.* 266
Durandus (*Wilh.*) *quis fuerit?* 382

E.

Eboris *apud antiquos uſus.* 477
Eburnea *tabula antiqua explicata.* 478 ſeq.
*De* Ebulo (*Petri*) *de motibus Siculis Carmen editum.* 252 ſeq.
*De* Ebulo (*Petrus*) *quis fuerit?* 253 ſeq.
*De* Eccleſiaſtico *Jure qui maxime fuerint promeriti?* 578 ſeq.
Elaſticitas *corporum unde?* 221
Eleaticæ *ſectæ principes qui?* 709 ſeq.
Eliæ *adſcenſus cum illo Chriſti comparatus.* 238
Elias, *autor epiſtolæ ad Joramum data.* 573
Engelii (*Sam.*) *in Petri de Ebulo carmen merita.* 252 ſeq.
Ephraemi *Syri ſcripta collecta.* 673 ſeq.
Epiphaniæ *feſti antiquitates illuſtratæ.* 194 ſeq.
Epiſcoporum *apud Evangelicos, inprimis Suecos, ſucceſſio canonica.* 21
*munus quale?* 648
*De* Epulis *gentium funeralibus varia.* 430
Etruſca *tria monumenta antiqua explicata.* 111
Etruſcorum *antiquitates ex antiquis monumentis illuſtratæ.* 434 ſeq.
Eugubinis *tabulis quid contineatur?* 111
Experimentorum *phyſicorum utilitas.* 33

F.

Facii (*Barthol.*) *vita & ſcripta.* 70
Faſti *Romanorum illuſtrati.* 94. 524
Fati *abſoluti fautores refutati.* 499 ſeq.
Febrium *epidemicarum ingenium.* 664
Feſtorum *Jeſu Chriſti hiſtoria & antiquitates illuſtratæ.* 194 ſeq.

Fibræ

Fibræ *carnea.* 704
Fixarum *luminis quantitas, & diſtantia.* 326
Fluidorum *denſitates comparandi inſtrumentum.* 417
Fluxionum *methodi principia.* 121. 174
Franequeranæ *Academiæ Profeſſores collecti.* 543 ſeq.
*De* Freheri (*Pauli*) *Theatro ſingularia.* 380
*De* Freſnæi *Diſſ. de inferioris ævi numiſmatibus ſingularia.* 374
Frictionis *effectus.* 35
Friderici *II Imp. hiſtoria illuſtrata.* 541
Funerales *ritus veterum Etruſcorum illuſtrati.* 440
*De* Funeralibus *gentium epulis varia.* 430
Funium *reſiſtentia.* 420
Furtum *Iſraelitarum fictum nova ratione explicatum.* 37

G.

Galeni *locus illuſtratus.* 11
Geographiæ *mathematicæ reformandæ conſilium.* 40
Geographicæ *tabulæ, hiſtoriam imperiorum univerſalem illuſtrantes.* 596 ſeq.
Glaſeii (*Ad. Frid.*) *in Bibliothecam Rinckianam merita.* 366 ſeq.
Glandularum *ſtructura & uſus.* 511
Gorii (*Ant. Franc.*) *opera promiſſa.* 446
*De* Græca *lingua N. Teſtamenti ſententia.* 21
Græcorum *ſacra illuſtrata.* 570
Græci *libri, omnium primi in Polonia excuſi, notitia literaria.* 576
Grammatica *Latina nova methodo explicata.* 480
*De* Gratiani *Decreto ſingularia.* 580 ſeq.
Gravitatio *corporum in ſphæroidem.* 169. 180
Gravitatis *phænomena.* 416
Gregorii *IX in Jus Canonicum merita.* 591
Griffenfield (*Petri*) *Comitis vita.* 489
Gualtieri *Muſeum.* 196
*methodus, conchyliorum teſtas diſponendi.* 201 ſeq.
Guarnaccii *Muſei ſingularia.* 441
Gudii (*Gottlob Frid.*) *pro cauſa ſua peroratio.* 522
Guſſetii *Commentarius linguæ Hebraicæ laudatus.* 719

H.

Hæreticorum *Seculi III hiſtoria illuſtrata.* 161
Hauptmanni (*Jo. Godofr.*) *in Tacitum de moribus Germaniæ merita quæ?* 711 ſeq.



Digitized by Google

Hauptmanni (*Jo. Godofr.*) *promiſſa literaria.* 711
*De* Hebræa *literatura Carmen editum.* 237
Hebrææ *linguæ antiquitas vindicata.* 18
Hebræi, *ad quos data eſt Pauli epiſtola, qui fuerint?* 342
*Ad* Hebræos *epiſtola an Græca, an Hebraica, lingua ſit ſcripta?* 341
Hebraicarum *Grammaticarum correctiones editæ.* 286
Helvetiorum *in ſacrorum reformationem merita deſcripta.* 310 ſeq.
*De* Henninges (*Hieron.*) *Theatro genealogico ſingularia.* 373
Herophili *fragmentum editum.* 31
*De* Herrenhutiana *ſecta judicium.* 646 ſeq.
Hierocles *denuo editus & emendatus.* 66 ſeq.
*quis fuerit?* 67
Hieroſolymitani *Ordinis Diplomata collecta.* 145 ſeq.
Hiſtoria *eccleſiaſtica Seculi III plenius tractata.* 150 ſeq.
Hiſtoriæ *univerſalis politicæ novum ſpecimen.* 595 ſeq.
Hiſtorica *veritas quomodo exploranda?* 678
Hoffmanni (*Jo. Guil.*) *Operum juridicorum Collectio promiſſa.* 576
Hontenſis *in Hungaria Comitatus hiſtoria deſcripta.* 401 ſeq.
*Van der* Hooght (*Everb.*) *Biblia Hebraica laudata.* 719
Hungariæ *Comitatuum quatuor hiſtoria deſcripta.* 387 ſeq.
*Concilia collecta.* 625 ſeq.
Hydroſtatica *tractata.* 417
Hymen-*membrana aſſerta.* 266

I.

Jephtha *crimine ἀνθρωποθυσίας liberatus.* 23
Jeſu *Chriſti in honorem quæ feſta inſtituta?* 194 ſeq.
Jeſuitarum *Ordo delineatus.* 17
Ignis *fatuus quid?* 224
Ikenius (*Conr.*) *refutatus.* 522
*De* Inchoferi (*Melch.*) *Annalibus eccleſiaſticis regni Hungariæ ſingularia.* 369
Infinite *magnæ, vel parvæ, quantitates quid?* 121
Inſcriptio *Eſtonienſis explicata.* 134 ſeq.
Inſcriptiones *variæ antiquæ explicatæ.* 318 ſeq.
Inſtitutionum *Juſtiniani duo Codices MSti deſcripti.* 382
Inſtrumenta *aſtronomica.* 328
Inſtrumentum *azimuthale novum.* 516

Ad

Digitized by Google

*Ad* Joramum *datæ Epiſtolæ autor quis?* 573 ſeq.
Joſephus, *filius Gorionis, hiſtoriæ Judaicæ ſcriptor, cum Fl. Joſepho non confudendus.* 62 ſeq.
Jovis *figura determinata.* 173
Iſoperimetricum *Problema generatim ſolutum.* 167
Judithæ *liber an ſit mera parabola?* 276
Juris *publici Germaniæ leges collectæ.* 71 ſeq.

K.

Kekkó, *urbis Hungaricæ, fata deſcripta.* 392
*A* Kempis (*Thomæ*) *liber in Arabicum ſermonem verſus.* 62
Kuypers (*Ger.*) *verſio Latina Carminum Arabicorum Alii notata.* 537 ſeq.

L.

Laryngis *uſus.* 513
Latinæ *linguæ novus Theſaurus editus.* 336
— *ſyntaxeos præcepta Clarkiana.* 431 ſeq.
Lectorum *in Eccleſia munus deſcriptum.* 650
Lette (*Gerb. Jo.*) *paſſim notatus.* 681 ſeq.
— *ejus verſio Latina Carminis Arabici ſub judicium vocata.* 690 ſeq.
*De* Libris *nonnullis ſingularia.* 286
Lienis *uſus.* 512. 706
Lindani (*Wilb.*) *vita.* 238
Linguæ *munera.* 509 ſeq.
Liturgici *Romanæ Eccleſiæ libri qui?* 651
Logarithmorum *theoria.* 125
Luciani *verba ac phraſes collectæ.* 405
Lues *venerea an per ſe oriatur?* 117
Lunæ *theoria nova.* 327
Lutheri *de Jenenſi Academia merita deſcripta.* 38
— *in reformationem ſacrorum merita deſcripta.* 303 ſeq.
— *metaphraſis N. Teſt. vindicata.* 355 ſeq.
*De* Lutheri *verſione Bibliorum, A. 1535 excuſa, ſingularia.* 381
— *libello precum ſingularia.* ibid.
Lutherus, *an Zuinglius, prior ſacra inſtaurare ſit aggreſſus?* 303

M.

Machinæ *ex principio vis centrifugæ conſtructæ.* 416
— *ſimplices.* 419
Mahomedis *vita deſcripta.* 63
Maltenſis *Ordinis Diplomata collecta.* 145 ſeq.

De

Digitized by Google

*De* Marca (*Petri*) *librorum de Concordia ſacerdotii & imperii notitia literaria.* 578 ſeq.
B. Mariæ *in honorem feſta varia inſtituta.* 201 ſeq.
Maronitarum *Patriarcharum origo & antiquitates illuſtratæ.* 54
*Concilia deſcripta.* 59
*De* Materiæ *diviſibilitate obſervatio.* 34
Matthæus *Evangeliſta an Hebraice ſcripſerit?* 53 ſeq.
Mauſolea *veterum Ebræorum deſcripta.* 574
Maxillæ *muſculi.* 705
Maximorum & *minimorum methodus.* 128
Mechanica *Problemata varia.* 163. 179
Melchiſedecus *an fuerit homo, & hominibus genitus?* 22
Menckenii (*Frid. Ott.*) *adverſus Card. Quirinium vindiciæ.* 457
Mercurii *uſus in febribus.* 665
Mercurius *an a Cometa poſtremo perturbatus?* 708
Meridiei *correctio.* 517
Meridionales *partes in Mappa nautica determinandi methodus facilis.* 180
Methodi *fluxionum principia.* 121. 174
Middletonus (*Conyers*) *a Tunſtallo refutatus.* 408 ſeq.
*ejus verſio Epiſtolarum Ciceronis ad Brutum Anglica notata.* 465 ſeq.
Miſſæ *ſacrificium illuſtratum.* 204 ſeq.
*In* Miſſarum *celebratione Romani Pontificis liturgia deſcripta.* 653 ſeq.
*De* Monarchiis *quatuor ſententia refutata.* 16
Monetam *cudendi jus in Belgio quale?* 214
*Baſileenſibus conceſſum.* 238
Moniales *incluſæ quæ olim fuerint?* 57
Morbi *per anatomen cogniti.* 28 ſeq.
*aquis Nucerianis cedentes.* 117
Moſerus (*Jo. Jac.*) *quando nomen gentis de Filſeck & Weilerberg depoſuerit?* 378
Moſis *hiſtoria in compendio deſcripta.* 185 ſeq.
Motus *corporum leges.* 35. 415
*aquæ ex vaſe.* 166
Müllerus (*Polyc.*) *refutatus.* 354 ſeq.
Muſei *Guarnaccii ſingularia.* 441

N. Narium

N.

Narium *nervi.* 513
Naturaliſmus *profligatus.* 260 ſeq.
Naziræorum *dignitas olim quæ?* 90
Nervus *quomodo ſenſum faciat?* 705
Neutoni *methodus Fluxionum.* 121. 163
*colorum theoria.* 600
Neogradienſis *in Hungaria Comitatus hiſtoria deſcripta.* 388 ſeq.
Nepotis *Vitæ Imperatorum recens editæ.* 617
Nitrienſis *in Hungaria Comitatus hiſtoria deſcripta.* 397 ſeq.
Numeri *amicabiles.* 267
Numi *duo Samnitici explicati.* 111
Numus *Sidoniorum explicatus.* 114
Nutritio *an tantum in humidis?* 705
*partus ante conceptum.* 708
*per os.* 422

O.

Olahi (*Nic.*) *varia in Hungaria acta deſcripta.* 628 ſeq.
Oliveti (*Joſephi*) *in Ciceronem merita.* 241 ſeq.
Olivetus (*Joſ.*) *paſſim notatus.* 243 ſeq.
Ophir *Salomonis fuit Hiſpania.* 20
Oraculorum *apud paganos vera ætas veſtigata.* ibid.
Orientalium *librorum MStorum notitia.* 53 ſeq.
Origenis *ſcripta recens edita.* 337 ſeq. 529 ſeq.
Per Oſculum *vita & mors beatorum quæ?* 37
Oſſa *vomer & ſpongioſum inferius.* 704
Ova *quomodo diu ſervari poſſint?* 34
Ovidii *loca quatuor emendata.* 93. 287

P.

Palæſtinæ *urbes & vici collecti.* 92. 574 ſeq.
Pallii *philoſophici veterum Chriſtianorum antiquitates illuſtratæ.* 86 ſeq.
Palma *probabiliter fuit arbor Paradiſi fatalis.* 14
Papillæ *linguales glandulæ.* 509
Parmenides *Eleaticæ ſectæ caput.* 709
Participii *præteriti uſus in Latio qualis?* 287. 524
Paſcha *Chriſti ultimum quomodo celebratum?* 19
Paſchata *a Chriſto poſt baptiſmum quatuor celebrata.* 20



Digitized by Google

Paſoris (*Ge.*) *ad Henr. Altingium Epiſtola edita.* 240
Patriarchalis *officii antiquitas illuſtrata.* 568
Paulus *III P. M. an paci eccleſiæ vere ſtuduerit?* 526 ſeq.
*ejus ſanctitas & ſapientia in dubium vocata.* 456 ſeq.
Pearcii *in Ciceronis libros philoſophicos Notæ ſub judicium vocatæ.* 244 ſeq.
Peregrinationum *religioſarum hiſtoria illuſtrata.* 16 ſeq.
Pericardium *an diaphragma trahat?* 706
Peterſy (*Carolus*) *paſſim notatus.* 625 ſeq.
Phoſphori *quomodo obſervandi?* 107
Phoſphororum *claſſes.* 105. 108
*multi a Fayo detecti.* 106
*a Becario detecti.* 107 ſeq.
Pictorum *in Hiſtoria ſacra errores.* 239
Picturarum *in judiciis apud Romanos uſus.* 93
Piſcatoris (*Jo.*) *ad Henr. Altingium Epiſtolæ duæ editæ.* 240
Plagiarius *an fuerit Conſtantinus?* 116
Planetarum *figura determinata.* 170
Plantarum *methodus Riviniana.* 572
*character eſſentialis.* 573
Plinii *Panegyricus multis locis emendatus.* 292 ſeq.
Polus (*Rich.*) *adverſus Schelbornium defenſus.* 447. 455
*ejus vita.* 449 ſeq.
*ſcripta recenſita.* 451 ſeq.
Precariarum *jus in Belgio quale?* 213
Presbyterorum *cardinalium origo unde?* 648 ſeq.
*De* Pretio (*Petri*) *Adhortatio ad Henricum Illuſtrem edita.* 540 ſeq.
Puncta *flexus contrarii & regreſſus.* 128

## Q.

Quintiliani *locus explicatus.* 93
Quirini (*Angeli Mariæ*) *Cardinalis laudes.* 264 ſeq.
*cum Schelbornio controverſia.* 447 ſeq. 455 ſeq.
*de Paulo III ſententia ſub judicium vocata.* 526 ſeq.

R. Raptus

R.

Raptus *Pauli explicatus.* 714
Reaumurii *Obſervatio de diviſibilitate materiæ.* 34
Reformationis *ſacrorum hiſtoria deſcripta.* 303 ſeq.
Refractio *corporum.* 36
*determinata.* 316. 520
Reiskii (*Jo. Jac.*) *de Lettio querela.* 682 ſeq.
Reitzii (*Jo. Frid.*) *adverſus Nova Acta Erud. vindiciæ.* 406
Relandi (*Adr.*) *Palæſtina ſuppleta.* 92. 575 ſeq.
Renatorum *Theologia moralis ex imitatione Chriſti deprompta.* 546 ſeq.
Renum *ſuccenturiatorum actio.* 512
Reſiſtentia *mediorum.* 35
*funium.* 420
Rhætiæ *antiquitates illuſtratæ.* 336 ſeq.
Rhenferdius (*Jac.*) *refutatus.* 350 ſeq.
Ribarienſe *antrum deſcriptum.* 93
Rinckii (*Euchar. Gottlieb*) *Bibliotheca laudata & deſcripta.* 367 ſeq.
Riviniana *methodus plantarum.* 572
Roris *natura.* 223
Rotationis *effectus.* 416

De la Rue (*Caroli*) *vita.* 532

S.

Sabbathi *ſancti antiquitates illuſtratæ.* 199
Salæ *Principatus Callenbergici & ſalinarum deſcriptio.* 360 ſeq.
Samarkandæus (*Narzamus*) *Poeta inter Perſas celebris.* 62
Sanguinis *motus in partu.* 424
Satelles *Veneris obſervatus.* 362
Satiræ *Varronianæ ratio explicata.* 575
Scaligeri *Obſervationes in Celſum.* 216 ſeq.
Schelhornius (*Jo. Ge.*) *a Card. Quirinio refutatus.* 447. 455 ſeq.
Scheol *vocis genuina notio.* 23
Scholaſticæ *rei emendandæ conſilia ſuppeditata.* 189 ſeq.
Schwartzii (*Chriſt. Gottlieb*) *in Plinii Panegyricum merita.* 289 ſeq.
Sciapheiticæ *ſectæ hiſtoria deſcripta.* 58
Scribendi *ars an ante Moſis tempora fuerit cognita?* 18. 19
Scriptura *S. a Deo inſpirata.* 182 ſeq.
*ejus libri recenſiti.* 185 ſeq.
*autoritas divina adſtructa.* 188
*loca explicata, aut illuſtrata:*

Gen. *III, 6.* 14
*15.* 351
*XIX, 24, 25.* 563
*26.* 277
*XXXI, 16.* 38
*XXXV, 2.* 350
*XLIV, 32.* 717
*XLVII, 31.* 342
*XLIX, 26.* 90. 91
Exod. *III, 22.* 37. 716
*IX, 28.* 717
*XII, 36.* 37
*XVI, 14.* 14
*XXXIII, 4.* 277
*6.* 38
*7.* 23
*XXXIV, 28.* 18
*XL.* 23
Levit. *XIII, 3-57.* 559
*XXI, 12.* 91
Num. *XI, 31.* 14
*XXXIII, 35, 36.* 92
Devt. *II, 8.* 92
*X, 4.* 18
*XXIX, 22.* 571
*XXXII.* 521
*XXXIII, 16.* 91
*XXXIV, 5.* 37
Joſ. *XVII, 10.* 92
Judic. *II, 5.* 38
Ruth. *III, 9.* 574
1 Sam. *XIV, 31.* 717
2 Sam. *VI, 17.* 23
*VIII, 8.* 92
*XII, 30, 31.* 715
*XX, 6.* 38
2 Sam. *XXIII, 2, 3.* 183
1 Reg. *XXII, 49.* 20
2 Reg. *VIII, 26.* 262
*XXIII, 30.* 523
1 Chron. *XX, 23.* 715
*XXII, 39.* 479
*XXIX, 29.* 279
2 Chron. *XX, 36.* 20
*XXI, 12.* 573
*20.* 262
*XXII, 2.* ibid.
*XXXV, 22.* 523
Pſ. *XXII, 17.* 24
*XXV, 10.* 555
*XXXII, 9.* 276
*XXXVI, 17.* 555
*XLIX.* 477
*L.* 565
*LX.* 285
*LXVIII, 17.* 239
*LXIX, 51.* 38
*LXX, 9.* 429
*CIV.* 344
*CV.* 38
*CXXI, 6.* 11
*CXXXIII, 3.* 237
*CXXXIV, 3.* 717
*CXLIV, 7.* 38
Prov. *XXIV.* 715
*XXVI, 10.* 719
Cant. *I, 2.* 37
*VIII, 3.* ibid.
Eſ. *IX, 10.* 571
*13.* ibid.
*XV, 9.* 92
*XXII, 16.* 574


Eſ. *XXIII,*

Digitized by Google

Eſ. *XXIII, 31, 32.* 564
*XXIV, 1, 2.* 92
*7.* ibid.
*XXV, 1.* 562
*6-8.* 428
*XL, 5.* 562
*LIII, 9.* 574
Jer. *II, 2.* ibid.
*VII, 4.* 716
*XVII, 9.* 275
*XXX, 10.* 562
*21.* 717
*XXXI, 3.* 562
*XLIII, 10.* 113
*XLVI, 27.* 562
Thren. *IV, 7.* 90. 91
Ezech. *IX, 4.* 17
*XVI, 8.* 574
*49, 50.* 563
*XXVII, 12.* 20
*18.* 92
*XLIII, 7.* 574
*XLVII, 15.* 92
Dan. *XI, 36 ſeq.* 16
*45.* 113
Amos. *III, 14.* 477
Jon. *I, 3.* 20
Neh. *III, 17.* 90
Hagg. *II, 8.* 23
Zach. *II, 12.* 717
*V, 6-11.* 114
*XII, 11.* 523
Judith. *XVI, 31.* 276
Matth. *I, 16.* 22
*II.* 197
*XI, 12.* 278
Matth. *XII, 1.* 20
*36.* 716
*XVII.* 200
*XVIII, 1 ſeq.* 277
*XIX, 29.* 356
*XXI.* 198
*XXVI, 2.* 20
Marc. *II, 13, 14.* 187
*23.* 20
*XI.* 198
*XIV, 2.* 20
Luc. *I, 28.* 92
*39 ſeq.* 201
*II, 1.* 17
*35.* 201
*III, 23.* 22
*V, 17.* 716
*27-29.* 187
*VI, 1.* 20
*IX.* 200
*XII, 42.* 563
*XV, 2.* 716
*XVII, 15-18.* 718
*XIX.* 198
*XX, 19.* 344
*XXI, 34.* 565
*XXII, 1.* 20
Jo. *I, 9.* 357
*26.* 478
*II.* ibid.
*13.* 20
*V, 39.* 718
*VI, 4.* 20
*VII, 37.* 522
*VIII, 5.* 718
*48-50.* 565



Digitized by Google

Jo. *XI, 55.* 201
*XII, 1.* ibid.
*XIII, 1.* ibid.
*XIX, 13.* 716
*31.* 522
*38.* 715
*XXI, 22.* 200
Act. *I, 15.* 200
*II, 1-47.* ibid.
*IX, 4.* 184
*XVII, 11.* 719
*XIX, 40.* 716
*XXII, 9.* 184
Rom. *I, 8.* 356
*19, 20.* ibid.
*31.* 239
*32.* 356
*II, 12.* 262
*VII, 4.* 357
*6.* ibid.
*8.* ibid.
*18.* ibid.
*25.* ibid.
*VIII, 3.* ibid.
*X, 21.* 344
*XI, 32.* 356
*XII, 3.* 563
*XIII, 5.* 356. 357
1 Cor. *VI.* 358
*4.* 357
*5.* 718
*VII, 4.* 358
*XI, 28, 29.* 719
*XIII, 4.* 357
*XIV.* 239
*XV.* ibid.

1 Cor. *XV, 44.* 357
2 Cor. *III, 5 18.* 717
*V, 11, 12.* 357
*21.* ibid.
*XII, 1-9.* 714
Gal. *II, 4.* 715
*6.* ibid.
*III, 7.* 357
*13.* ibid.
*19, 20.* 563
*IV, 1.* 357
*21 ſeq.* 90
*27.* 357
*V, 4.* ibid.
*10.* 715
*VI, 10.* 718
Eph. *II, 14, 15.* 564
Phil. *III, 19.* 565
*20.* 356
Col. *II, 14.* 356
1 Theſſ. *IV, 6 18.* 716
1 Tim. *I, 3-5.* 356
2 Tim. *IV, 8.* ibid.
Tit. *II, 11-13.* 565
*III, 5.* 239
1 Pet. *I, 4, 5.* 357
*11.* 183
*III, 20.* 478
*21.* 357
*IV, 5.* 716
2 Pet. *I, 21.* 356
*III, 16.* ibid.
1 Jo. *III, 16.* 357
*V, 7.* 381
Hebr. *II, 9.* 357
*V, 7.* 562


Hebr. *VI,*

Digitized by Google

Hebr. *VI, 4-6.* 357
*IX, 2-4.* 23
*8.* 356
*23.* 342
*XI, 3.* 356. 357
*XII, 1.* 357
Apoc. *XV, 3.* 521
*XXI, 8.* 719
Sectæ *eccleſiæ noſtri temporis deſcriptæ.* 19 ſeq.
Sectiones *conicæ nova methodo conſideratæ.* 169
Sectionum *conicarum proprietas catoptrica.* 606. 668
Sellæ *votivæ antiquitas illuſtrata.* 134 ſeq.
Serierum *convergentium ſummæ.* 131
*ſummatio & interpolatio.* 178
Senckenbergii (*Henr. Chriſt.*) *in Jus Romanum merita.* 362
Sequentiarum *in Eccleſia autor quis?* 653
Servis *Romanis qualis in rebus ſacris honor habitus?* 522
Severi (*P. Cornelii*) *de Ætna carmen emendatum & explicatum.* 524. 57[illegible]
Sibyllarum *in veteri eccleſia autoritas quæ?* 677
Sinus *frontalis.* 703
Sleſvicenſium *lingua antiquiſſima utrum ſit Teutonica, an Danica?* 462
Spinoſiſtarum *errores refutati.* 258
Spiralium *natura explicata.* 131
Statua *ſalis an ad Fl. Joſephi tempora ſuperfuerit?* 277
Statuæ *Græcæ & Romanæ antiquæ, quæ in Bibliotheca D. Marci viſuntur, deſcriptæ.* 481 ſeq.
Stili *Romani nova præcepta edita.* 288
Stillicidii *thermarum effectus.* 118
Subdiaconorum *varia genera.* 649
Succeſſionis *teſtamentariæ & legitimæ fons ex Jure naturæ repetendus.* 84
Suiceri (*Jo. Henr.*) *vita & mors.* 42 ſeq.
Superficierum *curvarum dimenſio.* 127
Suturæ *cranii.* 703
Synedrium *magnum Rabbinorum ad examen revocatum.* 23

## T.

Taciti *de Moribus Germaniæ liber recens editus.* 711 ſeq.
Talebi (*Ali*) *Carmina Arabica edita.* 535 ſeq.
Tangentes *Curvarum.* 127
Tanſſanus (*Jo.*) *quis fuerit?* 461

Teleſcopia *dioptrica perficiendi methodus.* 326
Telluris *figura & dimenſio.* 171
Templa *olim per jumenta vecta.* 113
Tendinis *Achillis rupti ſanatio.* 703
Terra *Samia, vel bolaris, in aquis.* 117
N. Teſtamenti *ſtilus ſub examen vocatus.* 21
Teſtamentorum *origo ex Jure Naturæ repetenda.* 74 ſeq.
Thau, *nota piorum frontalis.* 17
Thenſæ *in curru olim vehi ſolitæ.* 114
Theologia *renatorum moralis ex imitatione Chriſti depromta.* 546 ſeq.
Therapevtæ *an fuerint Chriſtiani?* 524 ſeq.
Thermometra *emendandi artificium.* 416
Thymi *actio & uſus.* 514
Tordenſckiold (*Petri*) *vita.* 490
Torti (*Franc.*) *vita.* 472 ſeq.
*Epiſtolæ.* 474 ſeq.
Tournefortii, *conchylia in ordines redigendi, ratio.* 100
Trajectoriæ *determinatæ.* 179
Tropi *olim in Eccleſia qui?* 652
Tuborum *capillarium natura explicata.* 418
Tunica *adipoſa.* 705

U.

*S.* Valentini *vita deſcripta.* 269 ſeq.
Valerii *Maximi tria loca emendata.* 41
Vallisnierii *error.* 116
Valvulæ *coli.* 266
Vapores *quid?* 221
*quales in aere?* ibid.
*per quid eleventur?* ibid.
*quo ordine in aere eleventur?* 222 ſeq
Vaſa *lactea in variis partibus.* 511
Veſtium *ratio.* 420
Veldidenæ *urbis antiquitates illuſtratæ.* 328 ſeq.
Vena *umbilicalis.* 423
Veneris *Satelles novus obſervatus.* 362
Ventriculi *fibræ.* 510
Verborum *in Latino ſermone ordinandorum præcepta.* 45 ſeq.
Vermes *febrium cauſa.* 665
Veſicantia *venena.* 321
*quando inventa?* ibid.
*damnata.* ibid.
Vicilinus *Jupiter explicatus.* 40 ſeq.
Vires *centrales.* 416
Virgilii *Opera recens edita.* 533 ſeq.
*epitaphium.* 535
Virium *vivarum conſervatio.* 164
Ujvarini *arcis hiſtoria deſcripta.* 398 ſeq.
Umbilici *pathologia.* 422
Unigenitus *Conſtitutionis hiſtoria illuſtrata.* 642 ſeq.
Urachus *negatus.* 425
Urbes *condendi antiquus mos illuſtratus.* 434 ſeq.
Uteri *vaſcula alba.* 707

W.

*De* Weismanni (*Chriſt. Eberh.*) *Hiſtoria eccleſiaſtica varia variorum judicia.* 639
Weirbrechti (*Joſiæ*) *vita & in rem medicam merita* 619 ſeq.
Weſſelingii (*Petri*) *in Diodorum Siculum merita laudata.* 1 ſeq.
Wincklerus (*Jo. Dietericus*) *laudatus.* 274
*ejus Diſſertationes duæ recuſæ.* 280 ſeq.

Z.

Zinzendorfii *Comitis præpoſteri in re ſacra conatus notati.* 355 ſeq.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Digitized by Google